

cu supolimentul
la unu a

15
///

100

Jw. 50493
1847

JVRIVM AC LIBERTATVM

RELIGIONIS ET ECCLESIAE

CATHOLICAE

IN

REGNO HUNGARIAE PARTIBUSQUE ADNEXIS

CODICILLUS DIPLOMATICUS.

SCRIPSIT

GEORGIVS FEJÉR

AD VNIVERSITATEM REGIAM PESTANAM BIBLIOTHECARIUS EMERITUS, C. E. W. L. R. CANONICUS.



B U D A E

TYPIS REGIAE SCIENTIARUM VNIVERSITATIS HUNGARICAE

1 8 4 7.

34042

CONTROL 1953

~~SECRET~~

1956

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
COTA 30 793

pe 422/06

1961

D

Historia conglobata, et coaceruata sapientia est, si monumentorum fide constet. —
S. Greg. Naz. ad Nicobulum.

B.C.U. Bucuresti



C34042

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D O M I N O

FRANCISCO A PAULA E COMITIBUS

DE

N Á D A S D

PERPETUO TERRAE FOGARAS,

DEI ET SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

METROP. COLOCENSIS ET BACSIENSIS ECCLESIARUM

CANONICE VNITARUM

ARCHI-EPISCOPO,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI

COMMENDATORI,

SACRAE CAESAREO REGIAE, ET APOST. MAIESTATIS ACTUALI INTIMI STATUS

CONSILIARIO

INCL. COMITATUS COMAROMIENSIS

PERPETUO COMITI,

AD

EXCELSAM TABULAM SEPTEMVIRALEM CO-JUDICI,

ERUDITAE SOCIETATIS HUNGARICAE

MEMBRO DIRIGENTI,

REI LITERARIAE SACRAE
FAUTORI AC PATRONO
PISSIMO, GRATIOSISSIMO
D. D. D.

AUCTOR.

AD LECTOREM.

Religio et Ecclesia Catholica, auctoris sui Christi, Filii Dei, instituto, est non ad salutem duntaxat hominum, sed ciuitatum quoque prosperitatem, admodum comparata.

Eapropter a gentibus singulis, quaequae consortes illius factae sunt, non iure solum ciuitatis, sed etiam congruis iuribus ac libertatibus reciproce condonata.

Fecit hoc, Stephanus, Protorex Hungariae, gentilium suorum Apostolus, Ecclesiae fundator, Regni Stator, collatis eidem praerogatiuis ac beneficiis, vberissime.

Diui Regis virtutem, ac munificentiam aemulati Successores, eamdem multimodis praesidiis et adminiculis communire, fouere, aduocatae munere, iugiter contenderunt.

Haec successu temporum, vsu ac consuetudine, legalem vigorem sortita, in Corpus Juris Patrii illata, confirmataque fuerant Verbötzii Tripartiti Parte I. et II.

Innouatione Religionis in Germania, saeculi XVI. initio praesumpta, atque in Hungariam quoque arte, ac marte propagata, multipliciter impetita, arctataque, ab Augustissimis Austriae Principibus, et Regni Hungariae Regibus, seruata, ac vindicata sunt.

Ast, licet apud Augustanae, ac Helueticae confessionis sequaces suum nacta sint Diplomatarium, ex parte catholicorum, nullum hucdum reperere codicem Diplomati.

Huic proborum omnium desiderio occursurus, Jurium ac Libertatum Religionis et Ecclesiae Catholicae in Hungaria Codicillum, a reformationis primordio nostra vusque tempora, isthic offero.

Quo in tentamine ita versatus sum: quod de Deo, rebusque sacris cuique ductu conscientiae, sapere, ad sobrietatem, ac saluo iure alieno, fas; ast vltra limites eos euagari, fanaticum, pacis atque tranquillitatis perturbationem, nefas, ducem *).

Ad nouitiam religionem — eâ, quae vnice vera, diuina est, suis characteribus, ac missionis praesertim signis, sat manifestâ — vi et armis, aliisque artibus acceptandam cogendum neminem, ad recipiendam, ob exitiosam animorum disunionem, ciuitatem omnium minime, fore.

Religiones receptas, liberi sui exercitii paritate contentas esse debere; alienas immunitates, ac proprietates, iure aquisitas, arrogare nequiquam posse, censeo.

Commentis, conuitiis, ac calumniis, ceu a spiritu Ecclesiae Catholicae alienis vsus haud sum: vbique fontes, testesque meos appello: his, non mihi, bellum dicant aduersarii.

Scrpsi non omnia, sed praecipua, statum Religionis et Ecclesiae Catholicae in Hungaria publicum illustratura: in quaestionibus arduis, prolixius nonnihil immoratus.

Causam, et rationem peroravi — iam diuino Numine-propitio, manus ad Tabulam. Pestini 12. Maii Anno 1847.

AUCTOR.

*) Ecclesiae Catholicae hoc in genere Spiritus: „Humani iuris et potestatis est vnique, quod putauerit, colere: nec alibi obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere ad religionem, quae sponte suscipi debeat non vi.“ Tertulianus lib. ad Scapulam Praes. Carthag.

Non est opus vi et iniuria: quia religio cogi non potest: verbis potius, quam verberibus res est agenda, vt adsit voluntas. — Nihil est tam voluntarium, quam Religio; in qua si animus auersus est, iam tota sublata, iam nulla est. Non potest veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Necesse est bonum in religione versari, non malum: nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur, ac violabitur. Recta igitur ratio suadet, vt religionem patientia, vel morte defendas, in qua fides conseruatur, et ipsi Deo grata est, et religioni addit auctoritatem.“ Lactan. diu. Inst. lib. V. cap. 20.

SERIES DOCUMENTORUM.

1. Summa Jurium et libertatum Religionis et Ecclesiae Catholicae vsque Jus Tripartitum Inelyti R. Hungariae.
2. Julius II. Papa despectum Cleri, bonorum ecclesiasticorum, ac decimarum rapinas apud Hungaros redarguit. A. 1505.
3. Honestatis clericalis diminutio Wladislai Regis Decreto VII. A. 1514.
4. Martinus Luherus omnem Superiorum legitimorum auctoritatem despectam facit. A. 1520.
5. Nicolai Istvánfi, regni Hungariae Propalatini epistola de eo, quomodo Lutheri secta et mox Caluini in Hungariam ac Transiluaniam irrepserit.
6. Georgii Draskoviczii, Electi Episcopi Quinque-Ecclesiensis declaratio super Lutheranismi in Hungariam ac Transiluaniam propagati causis, et effectibus.
7. Ludouicus II. Rex Hungariae, libellos et tractatus Martini Lutheri, vendi, emi, teneri, ad Magistratum Cibiniensem in Transilvania, seuerissime inhibet. A. 1523.
8. Idem Ludouicus Statuum et Ordinum, Budae collectorum, decreto, Lutheranos horumque fautores puniendos statuit. Anno 1523.
9. Idem Ludouicus inobedientiam Cibiniensium, spiritumque Lutheranum redarguit. A. 1523.
10. Idem Ludouicus Sacerdotes, in superiori Hungaria, carni blandientem Lutheri doctrinam amplexos, comprehendi, Agriam mitti, ac pro merito plectendos praecipit. A. 1525.
11. Idem Ludouicus eodem in argumento ad Ciues Bartfenses scribit. A. 1525.
12. Georgius Zathmár A. Episcopus Strigon. adiunctorum Transiluanensium intuitu, iurisdictionem Decani Brassouiensis ampliat. A. 1525.
13. Ladislaus Szalkanus, Archiepiscopus Strigon. civium urbium montanarum, ac Neosoliensium, in errores Lutheri lapsorum, vti et Budensium, saluti consulit. Anno 1525.
14. Idem Ladislaus A. Ep. Saxones Lutherisantes, coërcere nititur. A. 1526.
15. Stephanus de Werböcz, Regni Palatinus, Ciues montanarum ciuitatum, per concionatores Lutheranos, ad seditionem excitos, componere studet. A. 1526.
16. Capitulum Cibiniense, vim, iniurias, technas, quas Catholici a Lutheranis patiuntur, Archiepiscopo Strigoniensi percenset. A. 1526.
17. Martinus Luherus, Mariae Reginae Viduae, psalmis quatuor a se versis lenocinatur, et catholicos calumniatur. A. 1526.
18. Paulus de Wárda, A. Ep. Strigon. datis ad Parochum Neosoliensem literis, in Lutheranos inquiri iubet. A. 1530.
19. Idem Archiepiscopus etiam Magistratum Neosoliensem, eius rei gratia, humanissime requirit. A. 1530.

20. Idem Parochum Bistricensem, quid et quomodo contra Lutherisantes docere debeat, instruit. A. 1530.
21. Idem refutato capitali Lutheri dogmate, saluberrima fidei ac morum praecpta praescribit.
22. Ferdinandus Rex Hungariae, Esaiam, Apostatam Monachum, a Bartfensibus concionatorem acceptatum, capi, atque Agriam mitti iubet. A. 1534.
23. Gregorius Simontornyensis, nouitiorum dogmatum praeco, Gregorium Caelium ordinis Paulini decus, ad defectionem a fide sollicitat. Anno 1534.
24. Idem Gregorius placita Lutheri exaltat et commendat. A. 1534.
25. Gregorius Caelius ad praemissa docte respondet. A. 1534.
26. A Ferdinando I. ratione religionis et Ecclesiae catholicae sanciti articuli ab anno 1527—1564.
27. Philippus Melanchton, Lutheri Primpilus, ad Thomam Nadasdium epistolam dat, vt ecclesiastice purius doceatur. A. 1537.
28. Lutheranorum in catholicos vsurpatae violentiae et immanitatis documentum anno 1542.
29. Documentum eius alterum anno 1542.
30. Idem Ferdinandus bona capituli Scepus, contra vim ac violentiam Lutherisantium, per Alexium Thurzo, Locumtenentem suum, defendi iubet. A. 1542.
31. Praelatus Scepus. ad instantiam Leibitzensium, acceptis tribus florenis auri, Georgio Lewdischer Lutherano, parochiam administrandam confert. A. 1542.
32. Idem Ferdinandus Plebanos et fideles terrae Scepus. vniuersos, a nouis improbatæ religionis sectis, per Praelatum et Comitem Scepus. defendi iubet. A. 1543.
33. Martini Lutheri epistola ad Pastorem Cibiniensem scripta. A. 1543.
34. Ferdinandi Regis mandatum, ne Plebanum nouum in Müllenbaeh electum, ceu haereticum, pateretur, Nicolaus Bornemisza, arcis Scepus. Praefectus eludit. Anno 1543.
35. Eiusdem Nicolai ad Joannem Horváth, Praepositum Scepus. Lutherisantem, in gratiam Euangelicorum apologia. A. 1543.
36. Molleri, Parochorum Scepus. senioris, ad regiam Maiestatem contra has technas iterata supplicatio. A. 1543.
37. Joannes Horváth, Praepositus Scepus. Lutherizans, a Ferdinando Rege beneficio priuatur anno 1544.
38. Idem Ferdinandus Franciscum Révayum, ob tumultus, vt haeresi in superiori Hungaria radices agenti, pro viribus obsistat, hortatur. A. 1544.
39. Res religionis in Transilvania adhuc in deterius lapsae. A. 1544.
40. Res Catholicae post obitum Joannis Zapolae per Georgium Martinusium, et Statilium Episcopum Albensem supportatae, his defunctis, Petro Bornemisza episcopatu exturbato, periclitantes. A. 1554.
41. Ciues Eperjesienses concionatores nouae doctrinae tumultuarios et blasphemos sibi eligunt Parochos. A. 1554.

42. Philippus Melanchton nouitiam turbulentam in Hungaria doctrinam sufflaminat. A. 1555.
43. Isabellâ Regina, cum filio suo in Transiluaniam reuersâ, conuentus anno 1556. celebratus, bona ecclesiastica confiscanda decernit. A. 1556.
44. Idem Ferdinandus Ecclesiae Agriensis, post obitum Vjlakii vacantis, singularem, instructione salutari data, curam habet. A. 1556.
45. Parochorum Scepus. contra excessus Lutheranorum, ad Ferdinandum R. H. graues querelae. A. 1556.
46. Nicolaus Olahus A. Episcopus Strigon. suam iurisdictionem super 13. oppidis, Poloniae regno impignoratis, tuetur. A. 1557.
47. Decretum Ferdinandi I. ad Comitem Thurotzensem, circa negocium religionis catholicae promotendum. A. 1558.
48. Idem Ferdinandus exposito regni, ob Turcarum truculentiam, ac Haereticorum pernicacium, statu calamitoso, de bonis ecclesiasticis alienatis reuocandis, ad scopumque applicandis, clementer disponit. A. 1560.
49. Jazygum Cumanorum fides catholica nutans. A. 1560.
50. Lutheranorum circa Agriam motus ac pernicacia. A. 1560.
51. Ciuitates Regiae superioris Hungariae, scrobes et asyla Lutheranorum. Anno 1560.
52. Jaszberenienses Cumani Lutherani, igne supposito, monasterium Franciscanorum exurunt. A. 1560.
53. Antonius Verantius, Agriensis Episcopus, Lutheranos Cassouienses, refutatis eorum erroribus, in confessione fidei catholicae confirmare satagit. A. 1560.
54. Lutheranorum indoles, teste eodem Verantio, epistola ad Modrusiensem Episcopum. A. 1560.
55. Nicolaus Olahus, A. Ep. Strigon. Lutheri erroribus, indicta Tyrnauiam synodo, semet opponit. A. 1560.
56. Pius IV. PP. Nicolaum A. Eppum Strigon. ad continuandam synodum Tridentinam euocat. A. 1560.
57. Idem Ferdinandus Lutheranorum confoederationem, Agriae praesumptam, reprobatur. A. 1562.
58. Joannes Sigismundus Zapola, Princeps Transilvaniae, in conuentu Tordensi, omnibus religionibus licentiam et immunitatem addicit. A. 1563.
59. Rixae e praemissa indulgentia ortae, ac disputationes irritae. A. 1564.
60. Idem Joannes ratione coenae Dominicae dissidentibus, distinctos Superintendentes praestituit. A. 1564.
61. Maximilianus Rex Hung. ratione Sacratissimae Eucharistiae sub vtraque specie sumendae, ad ciuitatem Tirnauensem literas dat. A. 1564.
62. Idem Maximilianus quosdam articulos in bonum religionis et ecclesiae catholicae decernit. A. 1567.

63. Episcoporum Zagrab. zelo ac vigilantia, reformatio in Croatia et Slauonia pedem figere nequit, laudante Pio IV. PP. anno 1569.
64. Capituli Zagrab. eodem in merito, tum verbo Dei praedicato, tum scriptis etiam lingua vulgari, cooperatio. A. 1569.
65. Maximiliani Regis decretum aduersus haereses Trinitariorum, id est nouorum Arianorum, ite~~z~~a contra Sacramentarios, seu Zwinghianos, eorumque sequaces. Anno 1570.
66. Neoterici dogmatis praecones in ipsa Metropolitana sede Tyrnauensi pedes figere tentant. A. 1576.
67. Tredecim oppidani Scepus. Praeposito Scepus. solitum offerunt census dummodo praeconibus haereticis vti possint. A. 1578.
68. Rudolphi Regis articuli in fauorem religionis catholicae lati: anno 1567—1569.
69. Eiusdem Rudolphi articuli ab anno 1576—1604.
70. Capitanei Bocskaiani ob articulum 22. anni 1604. catholicos ad arma, cum Stephano Bocskai iungenda, prouocant. A. 1604.
71. Praecipua capita pacis cum Stephano Bocskai ineundae Viennae proposita, 9. Febr. 1606.
72. Famigerata pacificatio a Mathia A. Duce Austriae, paucis Hungaris praesentibus, Viennae cum Bocskaianis confecta 24. Junii 1606.
73. Mathiae Archi-Ducis de verbis: sine tamen praeiudicio religionis catholicae, non mala fide in tractatum subtrusis declaratio. A. 1606.
74. Religionis catholicae in Croatia ac Slauonia libertas incontanimata. A. 1606.
75. Sigismundus Rákótzy, Princeps Transilvaniae Iesuitas ab A catholicis, nulla eorum culpa, pulsos solenniter iustificat. A. 1607.
76. Similiter Status Catholici, ipsos contradicentibus se eliminatos, protestantur. A. 1607.
77. Decreti, a Mathia Rege ante ac post Coronationem, in confirmationem pacificationis Viennensis editi, articuli religionem et ecclesiam Catholicam concernentes. Anno 1608.
78. Supplex libellus a Petro Pázmány S. J. Sacerdote ac Theologo, Ordinibus regni ac Mathiae Regi, in defensionem eiusdem societatis porrectus Posonii 1608.
79. Memorialia Praelatorum Hungariae Mathiae Regi circa libertatem religionis catholicae. Anno 1608. porrecta.
80. Breue Apostolicum Pauli V. PP. ad Praelatos Hungariae datum, vi cuius probabilis praemissa Praelatorum protestatio interposita est. A. 1608.
81. Mutua obligatio et firma compromissio Praelatorum ac Capitulum de tuendo libero religionis catholicae exercitio sub Comitibus anni 1608.
82. Paria transumpti capituli Posoni super protestatione Praelatorum coram se facta. A. 1608.
83. Idem Paulus V. Papa Mathiam R. Hungariae, vt bonis Ecclesiasticis reuindicatis, collegium Sellyense Societati Iesu restaurari curet, admonet. A. 1609.

84. Constitutio Archiepiscopalis aduersus Pseudo-Synodum Solnensem, superintendentesque A catholicos. A. 1610.
85. Franciscus Forgách, Card. Archi-Ep. Strigon. pro afflicto rerum catholicarum statu, consensu regis impetrato, synodum Prouincialem Tyrnauiam indicit. 1611.
86. Postulanda a Sua Sanctitate circa Collegium Alumnorum Hungaris aperiendum. Ibidem.
87. Ad Suam Maiestatem SS. referenda. A. 1611.
88. A catholicorum ad Mathiam regem postulata. A. 1613.
89. Mathiae Regis ad ea responsum. A. 1613.
90. Mathias Rex cum hostibus fidei catholicae luctatur. A. 1613—1614.
91. Idem Rex Praeposituram Thurotzensis, quam Iesuitae ex pacificatione Viennensi cedere coacti fuerunt, Francisco Forgách certa sub conditione, confert Anno 1613.
92. Franciscus Forgách Praeposituram Thurocensim pro Patribus S. J. se administraturum, redditurumque obligat. A. 1613.
93. Paulus V. PP. vt desolatum S. Joannis Bap. monasterium in ciuitate Tirnauiiae, in domicilium S. Jesu cedat, annuit. A. 1616.
94. Mathiae regis articuli, in fauorem Ecclesiae Catholicae decreti ab anno 1608—1618.
95. Ferdinandus R. H. ante coronationem suam, se libertates regni seruaturum, grauamina sublaturum, ac constitutiones pacificationis Viennen. effectuatorum spondet. A. 1618.
96. C. Sigismundus Forgách, Regni Palatinus, A catholicos, vt suas in Comitibus controuersias, bono pacis seponerent, frustra monet. A. 1619.
97. Status et OO. catholici grauamina, quae ab A catholicis patiuntur, Illustrissimo Domino regni Palatino, suae M. SS. plenipotentiario complananda, effectuanturque proponunt, ad incriminationesque A catholicorum respondent. A. 1619.
98. Literae DD. Praelatorum ad Ill. ac RR. D. nunciur Apostolicum protestatoriae, contra literas D. Salactini diploma regium, pro libertate religionis male interpretantis. A. 1621.
99. Literae D. Palatini ad regem, quibus significat, se diploma regium, cui nomen religionis specificè insertum est, sub suo palatinali sigillo authentico, in paribus, cunctis committibus communicaturum. A. 1621.
100. Idem Ferdinandus articulos ante coronationem praescriptos confirmat, assecurationemque iterat. A. 1622.
101. Articuli sub Ferdinando II. in bonum religionis catholicae decreti ab anno 1619—1622.
102. Propositionum regiarum articuli eodem in merito pro cancellarium Regni dati anno 1622.
103. Petrus Pázmány, A. Ep. Strigoniensis, seminarium cleri Junioris Tyrnauiae fundat, ac dotat. A. 1624.

104. Idem A. Episcopus, Joanni Thelegdy A. Episc. Colocensi, et Administratori Nitriensi, vsus pallii, in dioecesi ipsius, potestatem facit. A. 1625.
104. Ferdinandus III. ante coronationem, quasdam graues conditiones acceptat, easque mox se authorisaturum obligat. A. 1625.
105. Ferdinandus II. R. H. Statui Ecclesiastico, vt bona inscripta vel impignorata, redimere possint, indulget, ad eaque vltius haud abalienanda se, successoresque suos obstringit. 1627.
106. Decretum Ferdinandi II. pro religione catholica. Anno 1627.
107. Optimates Hungariae agunt apud R. Pontificem pro Marco Chrisini, Stephano Pongrácz, ac Melchiore Grodeczky, odio religionis ab acatholicis Cassouiae occisis, beatificandis. A. 1628.
108. Sentimentum Petri Pázmány A. Eppi Strigon. ad regem Ferdinandum II. quod Reges Hungariae Praelatos non solum praesentandi, sed etiam eligendi iure polleant.
109. Eiusdem discursus breuis circa motam in curia Romana de titularibus Hungariae Episcopis difficultatem. A. 1635.
110. Idem Petrus Pazmány A. Ep. Strig. ad collegium cum scholis pro Patribus S. Jesu e fundamentis extruendum Tirnauiae 100,000 flnos donat. 1635.
111. Idem Ferdinandus fidem ac fidelitatem ciuium Sabariensium, seditione Gabrielis Bethlen multa passorum, remuneratur. A. 1636.
112. Idem Rex in tesseram sinceræ Amicitiae Petro Pazmányo filium suum cognominem Regem Germaniae electum, perscribit. A. 1636.
113. Idem Rex, ad tractanda regni negocia publica, comitia Posonium indicit. Anno 1637.
114. Status catholici ad grauamina Acatholicorum respondent. A. 1637.
115. Ferdinandus III. R. H. Acatholicorum agendi rationem data ad Lippaium Episcopum Agriensem epistola carpit. A. 1637.
116. Idem ad publicae necessitatis obiecta assumenda SS. et OO. benigne ac serio monet. A. 1637.
117. Idem Rex praeposituram Thuroczensem denuo Societati Jesu restituit, collegioque eorum Tirnauensi applicat. A. 1637.
118. Petrus Pazmányus iura ecclesiastica vindicat, principisque Gabrielis Bethlen in clérum Hungariae, ac se decreta diuinis, humanisque legibus contraria, ipso iure nulla, demonstrat. A. 1637.
119. Idem Rex iis, qui sub titulo SS. et OO. Euangelicorum grauamina suae Maiestati exhibuerunt, respondet. 1638.
120. Palatinus Regni ne amplius Rex plures concessionem faciat intercedit. 1638.
121. Idem Rex de fundis Ecclesiae Zagrab. pro RR. P. Benedicto Vinkovics, gratiose constituit. A. 1638.
122. Emericus Losi, A. Ep. Strigon. ius patronatus Regum Hungariae defendit. Anno 1639.

123. Diploma regium pacificationis Lincziensis. A. 1645.
124. Responsio Statuum catholicorum ad obiectiones A catholicorum. A. 1646.
125. Informatio catholicorum circa grauamina A catholicorum ratione templorum restituendorum. A. 1646.
126. Idem Rex Euangelicis 90 Catholicorum templa, non plura, cedi iubet. 1647.
127. Templa 90 Catholicorum Euangelicis cessa. 1647.
128. Vltior declaratio Dominorum Catholicorum super postulatis A catholicorum. A. 1647.
129. Grauamina Catholicorum ratione praetensionum A catholicorum in comitiis. Anno 1649.
130. Idem Rex collegium Sacerdotum Agriensium Jaszouia Cassouiam translocat. Anno 1650.
131. Idem Rex ad cultum religionis catholicae promouendum, cooperantibus FF. Seraphicis Cassouiae, subsidium hebdomadale deputat. A. 1650.
132. Idem Rex in patrocinium Sociorum Jesu binas iustificatorias, in Transilvania obtentas, transcribit. A. 1652.
133. Idem Rex comperta Jesuitarum in Transilvania persecutione, causa eorum ad Principem Transilvaniae Rákoczium scribit. A. 1652.
134. Articuli sub Ferdinando III. causa Religionis catholicae statuti. 1637—1657.
135. Conditiones, quibus Ferdinandus IV. ante coronationem in negotio religionis subscribere debuit, ast patri Ferdinando III. praemortuus. A. 1647.
136. Georgius Lippay A. Ep. Strigon. commendatis Sociorum Jesu de educatione iuuentutis patriae, ac de zelo religionis meritis, ipsos in synodo nationali, pro veris cleri Hungarici membris agnitos, attestatur Tyrnauiæ. A. 1648.
136. Leopoldus Rex Hungariae Eperiesienses, ob inobedientiam obiurgatos, monasterium apud se desertum Fratibus Seraphicis tradere iubet. A. 1660.
137. Idem Leopoldus, maius in Hungaria Superiori, praesidium religioni catholicae additurus, Gymnasium anno 1650. Cassouiae ceptum, et Academiam, a Benedicto Kisdi, Episcopo Agriensi anno 1656. fundatam, auctoritate sua regia, sub cura Jesuitarum confirmat. 1660.
138. Cleri Hungarici in negotio decimarum in Synodo regia propositum. 1662.
139. Idem Leopoldus religioni catholicae etiam in Transilvania, misso ad Principem Michaellem Apafy nuncio, consulit. A. 1666.
140. Georgii Bárson, Episcopi Varadien. grauis contra Augustanae, ac Helueticae confessioni addictos, expostulatio. A. 1672.
141. Georgius Szelepcsényi, A. Ep. Strigon. nomine regio, August. et Helu. conf. ministros, per Comitatus Poson. ac Moson. in Catholicos iniuriosos, violentos, in iudicium Posonium euocat. A. 1673.
142. Leopoldus Rex sententiam a iudicibus minime suspectis contra ipsos latam, multum lenitam, exsequi iubet. A. 1673.

143. Idem Szelepcsénus, Locumtenens Regius, omnes contra sententiam protestantes, Posonium citat. A. 1674.

144. Idem Leopoldus Rex Ordini S. Pauli primi Eremitae collatam a Pontifice Doctores creandi facultatem ratam habet. A. 1674.

145. Idem Rex ad congeries querelarum per A catholicos obmotarum, Hist. Dipl. p. 87. App. 158. propositarum, per Nosztitz, cancellarium Imperialem respondet. Anno 1681.

146. Idem Leopoldus spectatis Georgii Szelepcsényi A. Episcopi, Primatis, insignibus meritis, summi cancellarii, Personalis praesentiae, ac ordinarii Judicis regii dignitatem in diaeta anni 1526. articulis 15, 16. expressam, et diplomatibus munitam denuo confirmat. A. 1681.

147. Idem Leopoldus eundem Georgium Szelepcsényi securum reddit, de dignitate art. 15. et 16. in diaeta anni 1536. concessa in successores quoque transmittenda. A. 1681.

148. Idem Leopoldus super protestatione, contradictione et inhibitione circa negotium religionis, coram se a clero Regni Hungariae facta testatur. A. 1681.

149. Replica Catholicorum ad grauamina ab A catholicis mota. A. 1681.

150. Idem Leopoldus, obstinatione A catholicorum reprobata, rerum pro comitiis propositarum-pertractionem vrget. A. 1681.

151. Replica SS. et OO. catholicorum vniuersorum ratione fauorum A catholicis concessorum. A. 1681.

152. Statum et Ordinum regni ad Leopoldum Regem, in diaeta Sopron. intercessio. A. 1681.

153. Puncta, quae Leopoldus ad supplicationem SS. et OO. A catholicis concessurum se, declarat. A. 1681.

154. Clerus Catholicus sui per A catholicos incriminationes diluit. A. 1681.

155. Innocentius XI. Papa dolore percussus, super afflicto catholicorum Statu, Szelepcsénio. A. Episcopo respondet. A. 1683.

156. Postulata ac grauamina Status Ecclesiastici vniuersi, patriis legibus fundata. A. 1688.

157. Statuta circa liberum religionis exercitium in Transilvania sub Leopoldo I. Anno 1686—1693.

158. Idem Leopoldus saeuitiam, a Generali Caraffa contra seditiosos Eperjesini exercitam, reprobat. A. 1687.

159. Adnotatio de laniena Eperjesiensi, contra sediliosos habita, ex ipsius protocollis vrbanis testimonio. A. 1687.

160. Idem Leopoldus de Castris Érsekujvár, et Strigoniensi, a Georgio Széchényio, aere parato redemptis, executorias edit. A. 1691.

161. Contractus Széchénianus cum camera ratione substantiarum post obitum Episcoporum remansarum. A. 1691.

162. Idem Leopoldus ad vrgentes A catholicorum querelas, per Cancellariam Aulicam fauorabilem illis declarationem edit. A. 1691.
163. Idem Leopoldus ad A catholicos, in vnionem Catholicorum rēducendos, Episcopi Neostadiensis operam commendat. A. 1691.
163. Episcopi Neostadiensis ad Superioris Hungariae A catholicos, in negotio vnionis, epistola. A. 1692.
164. Debrecinensium responsum. 1692.
165. Eiusdem Episcopi ad Bartfenses literae. A. 1692.
166. Bartfensium ad eundem responsum. A. 1692.
167. Leopoldi constitutio ratione decimarum. 1697.
168. Valachi Transilvaniae, graeci ritus, parte magna vnionem cum Romano-Catholicis amplectuntur. A. 1697.
169. Postulata Valachorum vnitorum. A. 1698.
170. Leopoldus a Kollonics, Cardinalis et A. Episcopus Strigon. vnitorum patrocinium suscipit. A. 1698.
171. Idem Rex Hungariae A. Episcopis Colocensibus, in prouincia Bács. vetus supremi Comitatus ius reasserit. A. 1698.
172. Idem Rex Bulgaris, in Transiluaniam receptis, liberum religionis orthodoxae exercitium addicit. A. 1700.
173. Depntatio, a Leopoldo rege, ad occurrendum controuersiis ratione substantiae a Praelatis Hungariae relictis, constituta. A. 1700.
174. Articuli sub Leopoldo I. in subsidium religionis et Ecclesiae catholicae statuti. 1657—1705.
175. Georgius Széchényi A. Ep. Strigon. in vrbe Budensi Academiam et Vniuersitatis collegium fundat sub cura S. J. A. 1689.
176. Idem Archiepiscopus Seminarium etiam cleri iunioris ibidem fundat. 1689.
177. Idem A. Eppus etiam conuictum pro nobili iuuentute sub cura eorundem Jesuitarum fundat. A. 1689.
178. Leopoldus R. H. Patribus S. J. parochiam Budensem, ac villas Török Bálint etc. confert, fundationem vero Seminarium, Academiae ac conuictus Buden. confirmat. A. 1689.
179. Idem Leopoldus de vindicandis stutui ecclesiastico legalibus decimis salutare ordines constituit. A. 1701.
180. Idem Leopoldus votum suum de bonis ecclesiasticis recuperandis, ecclesiisque restituendis, soluit. A. 1701.
181. Idem Valachis etiam, graeci ritus non vnitis, liberum religionis exercitium vindicat. A. 1701.
182. Idem Rex liberi religionis exercitii limites A catholicis declarat. A. 1701.
183. Idem eapropter tumultuantes Carponenses Augustanos coërcet. A. 1701.
184. Idem Abbatiam ad S. Gotthardum, pignoris onere persoluto, restituit. Anno 1703.

185. Mathiae Radonay, Episcopi Quinque-Ecclesiensis, in ministros Caluinianos rebelles feruor. A. 1702.

186. Parochi Wizowiczensis catholici ad ministrum Threnchinensem Lutheranum literae responsoriae. A. 1702.

187. Conuentio Kollonicsiana cum Camera regia ratione substantiae, mortuis episcopis remanentis, normalis. A. 1703.

188. Idem Leopoldus fideles suos ciues Pestienses in suis iuribus, libertatibus, immunitatibus pristinis confirmat, armis, seu insigni donat, eo tamen declarato, ne ullus ab orthodoxa fide alienus in conciuem, vlllo sub praetextu admittatur, aut tolleretur. A. 1703.

189. Circa vota Praelatorum et Capitulorum comitialia sub Josepho I. Rege Hungariae constituta. A. 1708.

190. Josephus I. Rex Hungariae execrandis Rakotziano-Berchenianae rebellionis sequelis oggestis, A catholicis legale religionis exercitium liberum manere vult; omnem tamen vim, ac violentiam priuata auctoritate, seuerissime interdicit. A. 1709.

191. Idem Josephus res ad Ecclesias Catholicas pertinentes, sed per A catholicos seditiosos, fundamento illegalium conuentuum Széchényien. Rosnauien. et Onod. ademptas, restitui seuerissime iubet. A. 1710.

192. Stephani Telekesii, Episcopi Agrien. ad citatorias Em. Cardinalis Ser. Principis Augusti Saxoniae, Primatis, A. Episcopi Strigon. responsoriae. A. 1710.

193. Inter quatuor Regni Hungariae Status, primus Ecclesiasticus, ad diaetas conuocatur, regem inaugurat, coronat, leges condit, omnia cum reliquis statibus consilio, votoque suo, sub consensu Regiae Maiestatis concludit et perficit. A. 1718.

194. Historia decreti, ne quaestiones religiosas, quae pacem reipublicae identidem conturbauerunt, negociorum pertractionem, disceptionibus remoratae sunt, amplius in Comitibus agitentur, sed ad Suae SS. Maiestatis decisionem deriuentur, Historia ab anno 1708—1715.

195. Articulus XXX. a Carolo III. Rege in Comitibus anni 1715. modificatus.

196. Carolus III. R. H. Albensem in Transilvania Episcopatum restituit. 1715.

197. Idem Rex Capitulum etiam Albense benigne restaurat. A. 1715.

198. Idem Rex Episcopatum Csanadiensem non tam restituit, quam nouiter fundat. A. 1731.

199. Idem Carolus Rex Hungariae, interpellatus, licentiam A catholicorum certis limitibus circumscribit. A. 1714.

200. Idem Carolus commissionem Pestanam in negotio religionis in irritum laborantem prorogat. A. 1721.

201. Idem Rex Palatino Regni mandat supplicem A catholicorum libellum recipi, ac legi. A. 1722.

202. Articuli seu puncta, secundum quae, ordinatione diaetali, de templis occupatis inquirendum erat. A. 1722.

203. Idem Rex A catholicis importunis nouos largitur fauores. A. 1723.

204. Rationes, ex quibus clerus priori mandato intercesserat. A. 1723.
205. Idem Carolus, studio pacis, suum instaurat mandatum. 1724.
206. Idem Episcopatus Sirmiensis inopiam subleuat. 1723.
207. Idem Rex vetus Csanadiense Capitulum in sua iura restituit. 1724.
208. Idem Rex per Consilium R. L. H. Episcopos etiam Dioecesanos, ad pacem religiosam obtinendam, magistratibus ciuilibus operam accomodare iubet. 1725.
209. Idem Rex mandatum suum vtrumque declarat. A. 1725.
210. Capitulum Agriense iura sua sub commissione neoaquistica tuetur. 1717.
211. Resolutio Suae Maiestatis in negotio Religionis ad praeinserta in forma diarii acta subsecuta, et JJ. Comitatus transmissa.
212. Excelsum C. R. L. constitutionem regiam super libero religionis exercitio republicat Anno 1731.
213. Mich. Fridericus ab Alheim sententiae praemissae regiae intercedit. 1731.
214. Carolus R. H. feruens Episcopi Vacienis, rem catholicam tuendi studium reprobat. 1731.
215. Catholicorum in Transilvania ad Carolum Regem postulata. 1732.
216. Carolus Rex, iis, quae circa publicum religionis Aatholicorum exercitium, ad loca duntaxat articularia restrictum, constituerat, exequendis insistit. 1732.
217. Slauo-Vindorum, in Comitatu Castriferrei, in obuersum supplicatio casa anno 1732.
218. Eadem fortunam experti apud Excels. Consilium R. L. Nitrienses. 1732.
219. Idem Carolus licentiam Augustanae confessioni addictorum Posenien. coërcet. anno 1733.
220. Idem ad querelas Protestantium, de apostatis absque praeuia repraesentatione haud puniendis, fauorabiliter respondet. 1734.
221. Articuli sub Carolo Rege in praesidium religionis et ecclesiae catholicae sanciti anno 1711—1740.
222. Maria Theresia R. H. praedicantibus Helueticae confessionis, ne obstetrices in extrema necessitate proles baptizare impediunt, iniungit. 1742.
223. Eadem regina ad libellum Aatholicorum respondet. 1742.
224. Eadem liberum omnium quatuor religionum, in Transilvania receptarum, exercitium confirmat. 1744.
225. Eadem Valachos Transilvaniae, ab vnione apostatantes, seria admonitione dehortatur. 1746.
226. Eadem Regina festa decretalia etiam a Praedicantibus Aatholicorum obseruari vrget. 1747.
227. Eadem Regina templa ab Aatholicis occupata, Dominos terrestres, Episcopos, et Parochos, ad praecauendos tumultus, priuata auctoritate reoccupare, prohibet. 1747.
228. Eadem, quantum templa Aatholicorum priuata auctoritate reoccupari uoluit, tantum sine indultu multiplicari vetat. 1748.

229. Eadem Parochorum egentiae prouidendum benigne statuit. A. 1748.
230. Eadem Restaurationem ciuibus ea sub conditione admittit, ne Catholicos ob religionem, a Magistratus, et conciuilitatis consortio excludere praesumant. 1743.
231. Eadem Regina, vt in negotio religionis, constitutio Carolina tam Catholicis, quam Aatholicis, pro norma seruiat, praecipit. 1743.
232. Eadem, vt quoad formam etiam iuramenti eadem constitutio seruiat, praescribit. 1743.
233. Eadem Regina desultoriae fidei homines ad officia reuocandi modum praescribit. 1749.
234. Benedicti XIV. PP. quoad matrimonia mixta constitutio. 1748.
235. Idem Papa lenem, et efficacem Martini Biró, Episcopi Weszprim. Apostatas ad gremium Ecclesiae Catholicae reducendi, operam collaudat. 1750.
236. Eadem Regina Aatholicos tumultuantes, ad exteros Ministros recurrentes, communique nomine agitantes, redarguit. 1750.
237. Eadem Aatholicorum in Sacerdotes catholicos insolentiam coërcet. 1753.
238. Eadem Graecis etiam non vnitis templa struenda assignat. 1753.
239. Eadem Regina excessus cleri etiam catholici redarguit. 1753.
240. Eadem Augusta praerogatiuam pallii Georgio, Episcopo Quinque-Ecclesiensi, restaurandam commendat, et obtinet. 1753.
241. Eadem a Benedicto XIV. Papa obtentam quorundam festorum abrogationem edicit. 1754.
242. Eadem de educatione prolium, signanter ex matrimoniis mixtis progenitarum, iuxta constitutionem Benedicti XIV. benigne disponit. A. 1756.
243. Eadem de prolibus catholice educandis, mature sacris catholicis admoendis, mandatum suum iterat. 1762.
244. Eadem a Clemente XIII. Papa titulum Apostolici, pro se successoribusque suis, Hungariae Regibus obtinet. 1758.
245. Eadem titulo suo Apostolico, dispositionibus circa proles in acatholicismo, aut indifferentismo educatas, circa eos item, qui matrimonio mixto illigati sunt, constitutis respondet. 1761.
246. Eadem causas matrimoniales iuxta principia acatholicorum iudicandas, tunc tantum, si pura sunt, non item in mixtis, indulget. 1761.
247. Eadem competentem Parochorum prouisionem vrget. 1766.
248. Eadem contra Libertinos seuerum mandatum elargitur. 1767.
249. Eadem de prolibus Catholice educandis sanctionem suam iterat. 1767.
250. Eadem ob seductiones Aatholicorum frequentes, mixta matrimonia, non secus, quam datis reuersalibus, de coniuge catholica non seducenda, ac prolibus in catholica religione educandis, ineunda praecipit. 1768.
251. Eadem leges circa festa religiosius celebranda praescribit. 1771.
252. Eadem Apostolica ex Archiepiscopatu Strigoniensi, tres novos Episcopatus: Scepusiensem, Neosoliensem, ac Rosnauensem excscindit. A. 1776.

253. Neocreati Episcopi Neosoliensis institutio. A. 1776.
254. Eadem Adamo L. B. Patachich Metropolitano Coloczensi creato Capitulum eius auget. 1776.
255. Eadem Regina Graeci ritus Episcopis catholicis non minora confert beneficia. 1776.
256. Eadem Apostolica duos novos episcopatus Albensem, ac Sabariensem erigit. Anno 1777.
257. Ignatii Nagy, Albensis Episcopi, institutio. 1777.
258. Eadem Regina Archicapitulo Colocensi ornamentum confert. 1779.
259. Eadem Regina dexteram S. Regis Stephani a Ragusanis rehabitam regno solemniter restituit. 1771.
260. Eadem veterem Praeposituram Ecclesiae Nitriensis gratiose restaurat. 1780.
261. Eadem Augusta Ladislaum Kollonics, e Transilvaniensi episcopatu ad Magno-Varadinensem, certis sub conditionibus translocat. 1780.
262. Articuli regnante Maria Theresia in fauorem Religionis et Ecclesiae Catholicae comitaliter decreti anno 1740—1780.
263. Iosephus II. Augustus, iura libertates, et immunitates, regni Hungariae obseruaturum se spondet. 1780.
264. Idem Iosephus comitia indicenda edicit, et illa, quae extra eadem sanxit, reuocat, et irritat. 1790.
265. Iosephus II. Bosnensem Ecclesiam prouentibus et Canonicis auget. 1781.
266. Idem Iosephus Canonicis etiam Quinque-Ecclesiensis Ecclesiae consulit. Anno 1781.
267. Idem res Episcopatus M. Varadinensis in ordinem redigit. 1781.
268. Idem in patrocinium religionis et Ecclesiae Catholicae quaedam restringit anno 1781.
269. Eminentissimi Cardinalis, et A. Episcopi Strigonien. Iosephi a Battyán aduersus mandata Iosephi II. in Ecclesiastico-politicis emanata humillima repraesentatio. anno 1781.
270. Comitatus Heuesiensis eodem in merito, nouitatum intermittendarum, et coronationis legalis gratia, ad Excelsum Consilium repraesentatio. 1782.
270. Idem Iosephus religioni et Ecclesiae Catholicae, ratione Apostatarum, quaedam fauorabilia constituit. 1784.
271. Idem grauia sibi Latomorum conuenticula, inauspicata, declarat. 1786.
272. Leopoldus II. ad suas propositiones, a Statibus et OO. in comitiis Budensi-Posoniensibus, in negotio religionis factas, constitutiones confirmat. 1791.
273. Statuum et Ordinum regni, comitaliter congregatorum, erga proiectum constitutionis Leopoldinae, facta intercessio. 1790.
274. Franciscus Rex Hungariae, praeiudicio Religionis Catholicae, e decreti Leopoldi articulo XXVI. anno 1790. oborto cauere satagit. 1792.
275. Franciscus I. Rex Hungariae, educationi Iuuentutis patriae literariae con-

sulturus, sublatum a Josepho II. Ordinem S. Benedicti, pie ac liberaliter restituit. Anno 1802.

276. Ordinem etiam sacri ac candidi Praemonstratensium, sublatum restaurat, certisque Gymnasiis administrandis praeficit. 1802.

277. Ordinem etiam Cisterciensium restaurat: Abbatiam de Zircz cum Abbatia Pilis et Pasztó coniungit, eique quaedam Gymnasia idoneis magistris prouidendi, conuictum Albaeregiae erigendi, potestatem facit. 1802—1814.

278. Idem Franciscus penes Vniuersitatem Regiam Pestanam centrale Cleri iunioris Seminarium, certis sub legibus, constituit. 1804.

279. Idem omnes occultas societates reprobat, ac dandis reuersalibus cauendas praecipit. 1801.

280. Eiusdem constitutiones diuersae de matrimoniis mixtis. 1804—1818.

281. Idem Rex per amplum Episcopatum Agriensem in tres, Archiepiscopatum Agriensem, Cassouiensem, et Szathmáriensem diuidit. 1804.

282. Bulla Pii VII. Papae, antiquae dioeceseos Agriensis dimembrationem ac nouae Cassouiensis erectionem concernens. 1804.

283. Fundationales Episcopatus Cassouiensis. 1804.

284. Collationales primi Episcopi Cassouiensis Andreae Szabó. 1804.

185. Idem Rex Carolus Ambrosium Archi-Ducem Austriae etc. Ecclesiae Strigoniensi praeficit. 1808.

286. Idem Rex e veteri et per ampla dioecesi Munkácsiensis separatis districtibus Eperjesiensi, et M. Varadinensi, Graeci ritus cath. distinctos dat Episcopos: 6. Febr. 1818. Quos Pius VII. Papa canonizat anno 1822. XXII. Septemb. ac per modum Sauropigiae, Metrop. Ecclesiae Strig. subordinat. Primus Episcopus Eperiesiensis Gregorius Tarkovich 1817. electus, et 1822. consecratus.

287. Idem Rex Apostolicus; Alexandro Rudnay, Archiepiscopo Strigoniensi, Regni Hungariae Primati, facultatem Posonii synodum celebrandi largitur. 1821.

288. Correlationes inter Episcopos latinum ac Graeci ritus, sub Cardinali Josepho Battyányi confectae, ac sub Synodo Posoniensi rati habitae. 1822.

289. Idem Rex clericos regulares Scholarum Piarum donatis custodiatibus Alben-sis bonis prouidet. 1807.

290. Constitutio Pii VIII. Papae de matrimoniis mixtis. 1830.

291. Instructio ratione praemissae constitutionis. 1830.

292. Gregorii XVI. Papae ratione eorundem matrimoniorum mixtorum con-stitutio anno 1832.

293. Eiusdem Gregorii eodem in merito declaratio. 1838.

294. Ferdinandi V. Regis Hungariae, ratione eorum, qui in religione catholica educandi, debite educati non sunt, prouisio. 1838.

295. Prouisiones eius aliae, de prolibus e mixto matrimonio ortis, et de iis, qui deficerent a fide. 1839.



3405834042

296. Prouisiones eiusdem aliae in bonum religionis et Ecclesiae Catholicae 1844--45.
297. Capituli Tirnauensis sub Alexandro Rudnay Cardinali inchoata, et a Celsissimo Principe A. Episcopo Strigon. Jos. Kopácsi perfecta fundatio. 1837.
298. RR. Francisci Lajtshák Episcopi Varadinensis instructio Pastoralis, circa eos, qui matrimonium mixtum ineuntes, proles suas in catholica religione educare abnuunt. A. 1839.
299. Instructio eodem in casu officii Vicarialis Archiepiscop. Strigon. 1840.
300. Celsissimi Principis, RRmi D. A. Episcopi Strigoniensis Institutiones Pastorales. 1840.
301. Idem Celsissimus Princeps Strigonii pro formandis Ludi magistris Paedagogium fundat. 1841.
302. Idem Ferdinandus Rex liberi transitus facultatem etiam ad Graeci ritus non vnitos extendit. 1844.
303. Idem Rex facultatis huius vltra quam fas extensionem, per Archiepiscopum Carlouitzensem factam, reprobat. A. 1846.
304. Idem Rex ad demissam Primatis supplicationem, de admittendis nonnullis clericis, Romae educandis, benigne resoluit. A. 1846.

ACCESSERUNT.

1. Leo X. Papa Graeci ritus vnitos tuetur, diuersisque ornat priuilegiis. A. 1521.
2. Idem Ferdinandus I. inualescenti etiam apud Ruthenos in rebus matrimonialibus licentiae se opponit. 1552.
3. Isabella, Joannis Zapolae vidua, immunitates Episcopi Rutheni Munkácsiensis vindicat. 1558.
4. Georgii Draskovich, Episcopi Zagrab. ad Antonium Verantium Praesulem Agriensem monitoriae. 1568.
5. Maximilianus R. H. immunitates ac iura Episcopi, ac Cleri Rutheni, vniti egregie tuetur. 1569.
6. Rudolfus R. H. donationem Ecclesiae Parochialis Capit. Agriensi factam confirmat. 1580.
7. Conuentus de Jaszó templum hoc donatum ac restauratum, ab A catholicis, vi et potentia eiectis altaribus, imaginibus fractis etc. ereptum fuisse, attestatur. 1580.
8. Georgius Lippay, A. Episcopus Strigon. Petrum Parthenium, Auctoritate Pontificia, Ruthenorum vnitorum Episcopum Munkácsiensem constituit.
9. Documenta Ecclesiae Chanadiensis restitutionem concernentia. A. 1759. 1780. 1810.
10. Idem Cardinalis ab Althan etiam coram Comitatu Pest intercedit. A. 1731.
11. Breue Apostolicum ad RR. D. Sigismundum Stoyka Episcopum Transilvaniae ratione matrimoniorum Caluinisticorum. A. 1754.
11. Ignatius L. B. Szepesy, Academiam Quinq.-Ecclesiis, in Sede sua episcopali fundat.
12. Gregorius XVI. PP. constitutionem Apostolicam de mixtis matrimoniis, prolibus ex illis progenitis catholice educandis iterat. A. 1846.

1. *Summa Jurium et libertatum Religionis et Ecclesiae Catholicae iuxta Jus Tripartitum Inclyti R. Hungariae.*

Partis I. 2. Sciendum in primis est, quod personarum, de quarum iuribus, et consuetudinibus nunc agitur, aliae sunt Spirituales, siue Ecclesiasticae: aliae vero Seculares. Et quamvis personae Spirituales, (quarum medio salutem humanam Dominus, Saluator noster, administrari voluit) personis secularibus digniores habeantur, tamen omnes Domini Praelati, et Ecclesiarum Rectores, ac Barones, et ceteri Magnates, atque Nobiles, et Proceres Regni huius Hungariae, et ratione nobilitatis, et honorum temporalium, vna, eademque libertatis, exemptionis et immunitatis praerogativa gaudent; nec habet Dominorum aliquis plus, nec Nobilis quispiam minus de libertate: Hinc etiam vna, eademque lege, et consuetudine, ac vno, et eodem iuridico processu in iudiciis vtuntur, homagiorum duntaxat quantitas variatur. Nam Domini Praelati, et Barones centum, Nobiles vero quinquaginta marcas pro homagiis suis consequuntur, ut infra clarius dicitur. Et hoc quoque non ratione libertatis, sed praetextu dignitatis, et officii; Praelati vtpote occasione dignitatis sacerdotii; Barones vero respectu officii, quo funguntur, et a Principe sublimantur. Vnde et Regi propinquiores in stando, vel sedendo, et primi in consilio voces emitendo, atque priores Rempubicam augmentando, et defensionem Patriae peragendo, ceteris Nobilibus existunt, virtuteque dignitatis, et officii merito praeferruntur.

10. Quia dictum est superius, quod omnis nobilitatis, et possessionariae collocationis plenaria potestas in Principem nostrum translata sit: ideo aduertendum, quod Princeps ipse noster vniuersorum Dominorum, Baronum, et Magnatum, ac aliorum Regni Nobilium, possessionatorumque hominum, in casu, quo quis eorum sine haeredibus, et posteris decesserit, verus et legitimus successor sit. Omnia enim bona, et iura eorum possessionaria ab ipsa sacra Regni Hungariae corona, virtute translationis praenotatae, originaliter dependent, et ad eandem semper respiciunt, deuoluunturque eorum possessore legitimo deficiente. Vnde inoleuit ista consuetudo dudum approbata, quod vnica et singularis persona existens, veroque, nec non legitimo successore carens, ac destituta, super Juribus suis possessionariis, sine consensu Regio nil quidquam iure perennali disponere potest. Imo etiam pignoris titulo nullam de iisdem fassionem, vltra communem aestimationem eorundem, faciendi habet facultatem, prout infra latius suo loco super ea re tractabitur. Praeterea cunctorum quoque Dominorum Praelatorum, et Virorum Ecclesiasticorum, Princeps ipse noster verus pariter, et legitimus successor est: Non quantum ad honorum, et Jurium possessionariorum ab Ecclesia ablationem, et sequestrationem, sed quantum alteri (vacantibus Praelatorum sedibus, et Ecclesiarum Rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesia collationem: saluo iure confirmationis Archiepiscopatum, et Episcopatum, quae iurisdictioni sacrosanctae Romanae duntaxat Ecclesiae subesse dignoscitur.

11. Sciendum autem, quod licet Papa, seu Summus Pontifex, vtramque iurisdictionem, temporalem scilicet, et spiritualem habeat; in collationibus tamen Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium in hoc Regno; summus ipse Pontifex nullam iurisdictionem exequitur praeter confirmationis auctoritatem: Et hoc quadruplici ratione. Primo: ratione foundationis Ecclesiarum: quia Reges Hungariae, quum soli fuerint omnium Ecclesiarum, et Episcopatum, Abbatiarum, et Praepositarum in hoc Regno fundatores; per eiusmodi foundationem, omnem facultatem Juris Patronatus, nominationis, electionis ac collationis beneficiorum sibi ipsi acquirunt et vindicarunt. Qua et caussa, Juris videlicet Patronatus ratione, pertinet semper ad Reges nostros hoc in Regno beneficiorum Ecclesiasticorum collatio. Secundo: ratione susceptae Christianitatis: quia Hungari non per praedicationem Apostolicam, vel Apostolorum, quorum Principis vicem, et personam in terris Papa gerit, sed per institutionem proprii Regis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis, de quo et superius memini, conuersi sunt ad catholicam fidem; Qui primus omnium Episcopatus, Abbatias, Praepositorum hoc in Regno fundauit, et harum omnium, Ecclesiarum Praelaturas, ac beneficia solus ipse ex nutu summi Pontificis, quibus maluit (idoneis tamen, et virtutibus probitatum insignitis) contulit; sicut Ecclesia de eo solenniter canit: „Hic (videlicet Sanctus Stephanus) ad instar Salamonis, struit templa, ditat donis, ornat gemmis, et coronis, cruces et altaria.“ Et mox subinfertur: „Ad regendum haec, Praelatos viros ponit litteratos, iustos, fidos et probatos, ad robur fidelium. Sic talentum sibi datum, Deo reddens duplicatum, ab aeterno praeparatum sibi, scandit solium.“ Ecce aperte describitur, quod ipse, et non alter quispiam, ad regenda templa, per eum constructa, donisque dicata, Praelatos iustos, et fidos posuit; prout ex eius quoque historia, et pluribus privilegiis super Ecclesiarum foundationibus, et donationibus confectis liquide patet. Idem et plerique Caesarei, ac Pontificii Juris interpretes suis commentariis conscriptum prodidere. Vnde etiam Rex et Apostolus dici meruit eo, quod vices Apostolorum in terris praedicatione, et bonorum operum, atque exemplorum exhibitione gessit. Et propterea duas quoque cruces per collationem summi Pontificis, in signum suae sanctitatis, quod scilicet Rex, et Apostolus iuste diceretur, digne meruit habere pro armorum insignibus. Unde ab illius tempore gens Hungarica duplicatam crucem pro armis, ac insignibus habere pariter, et gestare consuevit. Insignium namque quatuor fluminum: scilicet Istri, seu Danubii, ac Thybisci, seu Thyciae, nec non Zavae, Drauae, a Regno Pannoniae, quod modo Hungari incolunt, atque inhabitant, pro se vendicauit. Tertio: ratione legitimae praescriptionis: quoniam Reges Hungariae a tempore Regiminis eiusdem Beatissimi Stephani Nostri Regis, qui anno Dominicae Incarnationis primo supra millesimum in Regem Hungariae gentis feliciter inunctus pariter, et coronatus est, ad haec vsque tempora semper in reali, et pacifico vsu, ac possessione collationis huiusmodi Beneficiorum Ecclesiasticorum, plusquam per quingentos annos persistentes, tempus praescriptionis Jurium Ecclesiasticorum, etiam Sanctae Sedis Apostolicae, iteratis vicibus dudum transcenderunt.

Quarto: quia ista libertas Regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini Sigismundi Imperatoris, et Regis nostri, vna cum complurimis libertatibus huius Regni, in generali, ac celebri Concilio Constantiensi (cui triginta, et duos Cardinales, demptis aliis viris Ecclesiasticis, et multis Principibus Christianis praefuisse constat) corroborata, Jurisque iurandi religione firmata fuit: prout in Bulla superinde confecta, clare continetur. Hoc autem Concilium (vt summarie, breuissimeque tangam) per quadriennium durauit: Nam anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo quarto incepit. In quo Concilio tandem anno salutis Millesimo quadringentesimo decimo septimo Papa Otto, qui Martinus quintus appellatus est, electus extitit. Post ea vero anno sequenti, videlicet Millesimo quadringentesimo decimo octauo idem Concilium ipsius Martini Pontificis, praefatique Sigismundi Imperatoris jussu dissolutum fuit, et in eodem Concilio Joannes vigesimus tertius se Pontificatu (licet inuitus) abdicauit; Gregorius vero sponte cessit, et renunciauit. Sed Benedictus pene resistens, et cedere nolens, decreto Concilii reprobatus, ac Pontificatu priuatus extitit. Et in eodem Concilio Joannes Huss, et Hyeronimus Pragensis eius condiscipulus, haeretici combusti, et incinerati fuerunt. Schisma vero, pro quo tollendo, et dirimendo Concilium ipsum (Spiritus S. gratia monente) congregatum pariter, et celebratum erat, nouem et triginta annis durasse recolitur: Quod tandem opera ipsius Sigismundi Imperatoris sublatum extitit, atque pax, et tranquillitas peroptata Dei Ecclesiae feliciter restituta est.

12. Quum igitur collatio Beneficiorum Ecclesiasticorum simul cum bonis, et iuribus possessionariis ad Ecclesias Dei pertinentibus, ad Principem, et Regem nostrum spectare dignoscatur, ideo omnes Viri Ecclesiastici cuiuscunque ordinis, gradus, ac dignitatis existant, qui in hoc Regno Hungariae Castra, Castella, Fortalitia, Ciuitates, Oppida, Villas, Possessiones, et Praedia, vel alia etiam quecunque jura possessionaria gubernant, et possident, non obstante dignitatis, et exemptionis eorum praerogatiua, et libertate, Regi, et Principi huius inclyti Hungariae Regni legitime coronato instar personarum Secularium eiusdem Regni: ad homagium fidelitatis praestandum semper obligantur. Et ratione huiusmodi honorum temporalium, quae possident, quorumlibet etiam actuum potentiariorum, ac aliorum negotiorum inde emergentium, in praesentiam quorumlibet Iudicum Regni ordinariorum, ab eorum aduersariis (si quos habuerint) in causam libere conueniri, et attrahi possunt, coram quibus more aliorum secularium respondere, iurique stare tenentur.

Partis II. 3. Quaestio occurrit pertractanda: vtrum Princeps per se possit condere leges, ac statuta, an opus sit, vt populi quoque accedat consensus? Vnde aduertendum, quod quamuis olim populus iste Hungarorum, dum adhuc ritu viueret gentilium, et non Regem, sed Ducem, ac Capitaneos haberet Directores, omnis potestas condendae legis, et constitutionis apud eos fuerit, verum posteaquam ad fidem Catholicam sunt conuersi et Regem sponte sibi ipsis elegerunt; tam condendae legis, quam etiam cuiuslibet possessionariae collationis, atque omnis Juridiciariae potestatis facultas, in jurisdictionem Sacrae Regni huius coronae, qua cuncti Reges

Hungariae coronari solent, et subsequenter Principem, ac Regem nostrum legitime constitutum, simul cum imperio, et regimine translata est. Et sic postea Reges ipsi conuocato quidem populo, constitutiones facere coeperunt: prout et temporibus nostris fieri consuevit. Attamen Princeps proprio motu, et absolute, potissimum super rebus iuri Diuino, et naturali praeiudicantibus, atque etiam vetustae libertati totius Hungariae gentis derogantibus, constitutiones facere non potest, sed accersito, interrogatoque populo: si eis tales leges placeant, an ne? qui quum responderint, quod sic, tales postea sanctiones (saluo semper diuino, naturalique iure) pro legibus obseruantur. Plerumque autem et populus ipse nonnulla, quae ad publicum bonum conducere arbitratur, vnanimi consensu decernit, in scriptisque Principi porrigit, supplicans super illis leges sibi statui. Et si princeps ipse eiusmodi sanctiones acceptauerit, et approbauerit, tunc vim legis pari modo sortiuntur, et de facto pro legibus reputantur. Quae tamen omnia, specialiter Principis, et non populi statuta nuncupantur; eo quod nisi vtroque modo Principis accederet consensus, et confirmatio, nullius censeretur firmitatis ipsa constitutio. Verum generali nomine constitutiones ipsae, saepenumero Regni Decreta vocitantur.

4. Nomine autem, et appellatione populi hoc in loco intellige solum modo Dominos Praelatos, Barones et alios Magnates, atque quoslibet Nobiles, sed non ignobiles. Licet autem iste terminus: Populus includat omnes Nobiles, et ignobiles pariter, de ignobilibus tamen (qui plebis nomine intelliguntur) in hac parte nihil est ad propositum. Populus enim eo differt a plebe, quo genus a specie. Nam appellatione populi vniuersi Nobiles tam Magnates, quam inferiores, etiam ignobilibus computatis, significantur; plebis autem nominatione soli ignobiles, intelliguntur.

40. Sciendum autem est, quod quilibet Praelatus et Baro ex officio, Abbasque et Praepositus infulatus, et annulatus, pro decem personis nobilibus, ratione suae dignitatis habet iurandi potestatem, Praelatus autem et Abbas, ac praepositus, in Ecclesia sua cathedrali ad conscientiae suae puritatem, coram testimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, per Iudicem ad id deputandi; caeteri autem sui coniuratores, et item omnes barones, atque nobiles ad fidem eorum Deo debitam, in loco ad id per iudicem deputato, sacramentum praestare, tenentur. Et proinde etiam homagia ipsorum Dominorum Praelatorum et Baronum et Abbatum, et Praepositorum infulorum ad centum marcas, quadringentos florenos facientes, se extendunt.

44. Sciendum vterius, quod tres sunt casus, in quibus etiam contra Spirituales, et Ecclesiasticas personas capitalis sententia pronuntiatur: per quam, vltra amissionem patrimonii, et beneficiorum ipsorum, capitalis poena decernitur; atque sequitur. Primus casus, si quis eorum crimen laesae Maiestatis commiserit. Secundus, si notam infidelitatis manifestam incurrerit. Tertius, si quis ipsorum voluntarium, et deliberatum homicidium, ac latrocinium patrauerit, aut patrari fecerit. Propter quod praehabita degradatione capite plecti debet. In quibus quidem casibus licet bona Ecclesiarum, quibus praesunt, non amittant, tamen priuata, ac separata patrimonia, et iura possessionaria, si quae habent, insuper cuncta beneficia Eccle-

siastica, quae possident, perdere et amittere solent; sed in tertio casu, deliberato scilicet homicidio, ac latrocinio, patrimoniorum proprietatem, et haereditatem non amittunt, si fratres habuerint condisionales, ad quos illa iure successorio spectant: quoniam caput in hac parte capite compensari sufficit. In ceteris autem causis, et casibus persona Spiritualis, et Ecclesiastica contra Secularem, et e conuerso Secularis aduersus Spiritualem aequali poenae et grauamini subiacet; emendae scilicet capitis, vel homagii, atque damnorum illatorum refusioni. De quibus Iudex actori, et damnum passo (iuxta modum superius praedeclaratum) satisfactionem impendere tenetur. Et haec consuetudo ex generali, maxime decreto Serenissimi Principis condam Domini Alberti Romanorum et Hungariae Regis, Austriaeque Ducis excerpta est, atque processit: Quae etiam in generali moderno Decreto nostro roborata habetur, et confirmata.

45. Item si persona Spiritualis cuiuscunque status, et dignitatis existat, ad solutionem et restitutionem aliquorum debitorum aggrauata fuerit; tunc aduersario suo pecuniaria solutione satisfacere tenetur. Et si noluerit, aut non poterit, tunc de bonis Ecclesiae per Iudicem aduersario ipsi (infra illius spatium temporis, quo de proventibus ipsorum bonorum debita recuperari poterunt) statuendis, et occupandis solutio, ac satisfactio est impendenda. Pecuniaria autem appellatione intelligitur hoc in loco quodlibet aurum, et argentum, ac omnis moneta pro tempore currens. Vbi vero ad solutionem, et refusionem damnorum illatorum condemnatus extiterit; isto casu poterit (si voluerit) rebus cum mobilibus, et venalibus, iuxta tamen verum valorem huiusmodi rerum, aduersario suo satisfactionem impendere. Alioquin de bonis, ac iuribus possessionariis Ecclesiae in hac quoque parte, Iudex causae, aduersario illius personae conuictae, statutione debita satisfacere tenetur.

46. Item si Capitulum, vel Conuentus collectiuo nomine pro actibus potentiariis maioribus, vel minoribus, quocunque sententiarum genere condemnatur, tamquam vnica, et singularis persona grauatur, et non singuli singulariter debent condemnari, exceptis praemissis casibus, homicidii videlicet voluntarii et deliberati, ac criminis laesae Maiestatis, et notae infidelitatis, pro quibus omnes delinquentes (modo antelato) sunt puniendi. Verum, si certae personae Capitulares, et non tota communitas aliquos actus potentiarios de bonis Ecclesiarum perpetrauerint, tunc ipsae personae seorsim a communitate, ex eo loco, vbi talia mala commiserunt, ad iudicium libere poterunt evocari, praesertim si patrimonialia non habuerint priuata. Et quamuis ea habuerint, nihilominus de loco praenotato citari, et evocari queunt, ac iuxta causae meritum sententia contra eos per Iudicem ferri poterit, atque pronuciari.

47. Item si vna persona Capitularis bona haereditaria, et patrimonialia separata non habens, in emenda sui capitis conuincetur, vel in refusione damni condemnabitur, et rebus mobilibus destitutus reperietur: Quaeritur vnde, et qualiter aduersario satisfactio fiat? quia non de commissione Capituli mala ipsa patrauit, et ex consequenti bona Capituli propterea non videntur esse diripienda. Dicendum, quod quia mala ipsa, et facinora, vnde videlicet emenda capitis, vel damnorum refusio

subsecuta est, de medio, et tanquam de membro ipsius Capituli, illa patrauit: quae perpetrare aut non potuisset, aut locum patrandi non habuisset, si in huiusmodi beneficio constitutus non fuisset; ideo de prouentibus beneficii eiusdem Capitularis conuicti, per reliquos Capitulares Actori super eisdem rebus obtentis satisfactio est impendenda.

48. Item vniuersi officiales Ecclesiasticarum personarum, siue sint spirituales, siue seculares, occasione quorumcunque actuum potentiariarum, si quos de officiolatibus eorum commiserint, vel perpetrauerint, de eisdem officiolatibus ipsorum, instar aliorum Regni nobilium, et officialium libere semper iure conueniri, atque ad iudicium citari et euocari possunt. Et si in iudicio conuicti fuerint, de dictis officiolatibus eorum tam aduersario, quam etiam Judici ipsorum satisfactio administrabitur. Domini autem illorum (si talia non commissione eorum fuerint illata, vel irrogata) poterunt ipsos officiales ad debitam emendam, et satisfactionem, etiam cum detentione personarum suarum compellere. Prout hoc de officialibus habetur etiam in Decreto primo moderni Domini nostri Vladislai Regis, articulo 24-to.

49. Item si Praelatus cum suo Capitulo, vel Conuentu fuerit ad iudicium simul euocatus, tunc si Praelatus, et Capitulum, vel Conuentus in illis iuribus possessionariis, de quibus actus eiusmodi potentiarii, aut alia malorum genera commissa, vel patrata fuisse dicuntur, et quaeruntur, indiuisi fuerint comperti, Praelatus in hoc casu non separatim a suo Capitulo, vel Conuentu, sed simul cum eisdem aut absolui, aut condemnari debet. Quoniam ratione indiusionis cum suo Capitulo vel Conuentu vna communitas esse censetur. Si tamen de diuisionis inter eos iuribus possessionariis mala ipsa suborta, perpetrataque fuisse comperientur, tum Praelatus, aut Capitulum, vel Conuentus separatim, et seorsim condemnatur. Hinc est, quod si Praelatus cum suo Capitulo, vel Conuentu simul euocabitur, tunc ratione diuisionis, vel non diuisionis, etiam iuramentum illis diuersi mode praestandum adiudicatur. Nam si modo antelato Praelatus cum suo Capitulo, vel Conuentu indiuisus fuerit, tunc ipse Praelatus cum suis coniuratoribus tam in sua, quam etiam totius Capituli, vel Conuentus personis, sacramentum praestare debebit; si vero diuisus extiterit, tunc tam idem Praelatus cum suis, quam etiam Lector, aut Cantor, siue Custos, vel Decanus in persona ipsius Capituli, vel Conuentus iterum cum suis coniuratoribus, iuxta deliberationem, et sententiam Iudicis seorsim et separatim iuramenta eorum deponere tenentur. Et per Praelatos intelligi non solum Dominos Archiepiscopos, et Episcopos; sed etiam Abbates, aut Praepositos tam Seculares, quam Regulares omnes.

50. Item Praelati Ecclesiarum a suis fratribus, Capitulo videlicet, vel Conuentu diuisi, a die electionis eorum priuilegio pupillari gaudent. Quibus de vetusta Regni lege, et approbata consuetudine permissum est, et concessum, quod etiam in causis tempore patris eorum inchoatis, infra vnus anni integri spatium, ad cuiusuis instantiam respondere non teneantur: vt interim iura paterna, et literaria instrumenta reuideri, calculareque, et deinde prosecutioni causarum suarum commode superintendere possint. Hoc tamen intellige in facto iurium possessionariarum, et exhibitionis

literalium instrumentorum fieri. Nam in ceteris causis praetextu actuum potentiorum motis, in quibus productio literarum subsequi non debet, haec concessio minime suffragatur, quae praemisso modo, et in praemissis casibus, et causis etiam legitimae aetatis, hoc est aetatem quatuordecim, iuxta modernorum vero consuetudinem, duodecim integrorum annorum habentibus, a Principe semper concedi, et in Judiciis observari solet. Si tamen fuerint indivisi; tunc huiusmodi permissio, et libertatis praerogativa illis patrocinari non potest. Nam Capitula, vel Conuentus privilegio maiorum gaudent, et aetatem perfectam, hoc est viginti quatuor annorum integrorum semper repraesentant, quibus haec prorogationis libertas non competit, observari. Absurdum enim videtur, ut post electionem cuiuslibet Abbatis vel Praepositi, aut Lectoris, Custodis, Cantorisque vel Canonici causa dudum mota, usque ad anni integri revolutionem semper in suspenso relinqueretur, et sic indecisa per aliquot annos penderet, conclusionemque sua fraudaretur.

51. Ulterius si de bonis, et iuribus possessionariis cuiuscumque Praelati, aut Abbatis, vel Praepositi, actus potentiarum, vel malorum genera patrentur, atque committerentur; et talis Praelatus, aut Abbas, vel Praepositus, quamdiu in humanis ageret, propterea in curiam Regiam non evocaretur, vel aliter in causam quomodolibet non attraheretur, tunc decedente eo, successor suus ratione huiusmodi actuum potentiorum, quantum in persona sua condemnari, et aggravari non poterit: sed solummodo ex parte Jobagionum ac familiarium illius Ecclesiae, per quos mala illa perpetrata fuisse dignoscuntur, Iudicium, et iustitiam Actori facere, et impendere tenetur. Quoniam bona, et iura possessionaria Ecclesiarum (sicuti praenarratum est) nemo Praelatorum, aut Abbatum, vel Praepositorum, seu etiam aliarum personarum Ecclesiasticarum propter suos excessus amittere, et ab ipsa Ecclesia alienare potest. Sed si quispiam illorum in emendae capitis sententia convictus fuerit, tunc solummodo de homagio et damnis illatis satisfacere (modo praedecarato) debet. Successor itaque suus, qui non haereditario iure, sed via electionis successit, emendam capitis illius praedecessoris sui (ex quo evocatus non fuit) subire, compensareque non tenetur. Prout etiam filii ob delicta paterna, facta prius evocatione, sententiarum capitalium, vel emendae capitis gravamine, quantum ad poenam non subiacent, sed si coniuncti fuerint, solummodo in aestimatione iurium paternorum convincuntur. Et hoc, si patres eorum in humanis agentes evocati fuerint; aliter enim, si post obitum parentum evocatio subsequetur, non iam delictum patris, quia iura possessoria forsitan occupaverat, vel res, et bona mobilia alterius diripuerat; sed filiorum, qui male occupata, vel res direptas detinent, compensari, metiri que solet. Si igitur in facto occupationis honorum causa mota fuerit, quia forte Ecclesia bona illa habet, et possidet, etiam decedente quolibet Praelato, aut Abbate, vel Praeposito, successor suus in hoc casu semper evocari et condemnari potest. Et hoc idem est intelligendum etiam de illis Ecclesiarum Praelatis, qui per translationem in alterius Ecclesiae beneficium, vel dominium se conferunt moraturos.

52. Item quod nulla causa factum iuris possessionarij concernens, si etiam promissio, vel testamentum occasione talis iuris possessionarij interuenisset, coram ipsis Spiritualibus personis, vel eorum vicesgerentibus tractari poterit, sed omnis eiusmodi causa in curia Regia coram Iudicibus eiusdem ordinarijs solet examinari, pariter et terminari. Quidquid enim quisquam promittat, vel testetur, semper tamen standum est eius iudicio, ad cuius auctoritatem, et iurisdictionem res ipsa (pro qua promissio, et testamentum emittitur) principaliter spectat. Certum est autem, quia hoc in Regno non nisi Iudicum ordinarij curiae Regiae sententijs, et literis ad iudicatorijs iura possessionaria gubernantur. Vicariorum vero, vel aliorum Iudicum Spiritualium literae, et sententiae, in hac parte nusquam obseruantur. Nam et alias accessorium debet sequi forum sui principalis, propterea causa factum Iuris possessionarij tangens in praesentia Iudicis spiritualis ventilari, concludique nequit. Et idem est sentiendum etiam de causis ratione forte debitorum, vel aliorum negotiorum in qua fides interuenerit. Hinc si ille, qui fidem praestitit, morte decesserit, antequam eius causa suscitaretur, in sede spirituali ea tractari non potest; nam fides, et eius poena personalis est, quae extincta persona extinguitur in iudicijs semper. Siquid tamen debiti, vel alterius rei iuxta fidem in promissione annexum, et appositum fuerit, hoc coram Iudice suo seculari Actor ipse ab haeredibus, et alijs legitimis successoribus defuncti requirendi habet auctoritatem.

53. Item solent Capitula, ac Conuentus in eorum villis officiales, et villicos, qui in medio Jobagionum suorum temporalem iurisdictionem exerceant, tenere et conseruare. Quorum iudicium, et iudicij impensio eam virtutem, et vigorem habere dignoscitur, sicuti personaliter fuisset per alios Capitulares, aut Conuentuales administratum. Decanus etiam in persona Capituli eandem habet auctoritatem. Verum tamen extra officiolatum suum sine literis Procuratorijs totius Capituli, pro eodem Capitulo respondere non potest.

54. Sciendum vterius, quod licet Prior Auranae, vtroque titulo, Spiritualis videlicet, et Seculari gaudeat, iura tamen possessionaria instar Ecclesiasticarum personarum gubernat, ideo de ipso quoque specialiter pauca subiungere dignum duxi. Vbi aduertendum, quod Prioratus Auranae olim in hoc Regno per Excellentissimum Principem Dominum Ludouicum Regem fundatus, et institutus fuisse perhibetur, qui quum Regnum Siciliae, siue Neapolitanum valido cum exercitu, necem Fratris sui carnalis, Diui Andreae, eiusdem Regni, et Hierusalem Regis vindicaturus inuasisset, a Rhodianis non paruum fertur auxilium nauale sibi collatum fuisse. Vnde et eorum zelo inductus, singularique amore permotus, in signum Religionis, et professionis Rhodianorum, post felicem et victoriosum suum reditum, Prioratum ipsum Auranae multis possessionibus dotatum instituit, atque fundauit. Cuius Prior pro tempore constitutus ex regulari Rhodianorum obseruantia, militiam secularem pro fidei Catholicae defensione, et tutamine semper exercere, vxorisque solatio procul motus, atque destitutus, castitatem perpetuam obseruare tenetur. Quapropter occasione ipsius abstinentiae, et castitatis digne inter spirituales personas computatur.

Quum igitur Prior ipse Auranae utroque titulo, Spirituali scilicet, et seculari (prout praenarratum est) gaudeat, Venerabilisque, et Magnus in suo titulo scribatur, Venerabilis utpote propter castitatem et regularem obseruantiam: Magnus; siquidem tanquam Baronum vnus, ob singularem militiam, quae magnifici, generosique cordis esse debet, bona enim temporalia, quae possidet, Spiritualibus, et Ecclesiasticis patrimoniis quodammodo connexa esse videantur: Ideo, si quando sententia contra eum fertur, non in emenda dumtaxat capitis sui (quae ratione sui Baronatus ad quadringentos florenos aduersae tantummodo parti persoluendos se extendit) sed insuper in damnis per eum commissis, et de Bonis Ecclesiae more aliarum Ecclesiasticarum personarum refundendis: Et praeterea cunctorum patrimoniorum suorum (si quae ultra bona Prioratus habet) amissione conuinci solet, et aggruari. Et hoc si in facto maioris potentiae condemnabitur; nam in minoribus actibus potentiariis ipsum quoque, sicuti et alium quemcumque, onera, et grauamina minus laedunt. Intelligendum est etiam, si contra Magnates, vel etiam Nobiles Secularis conditionis conuincetur, aut sententiabitur: Nam contra Ecclesiasticam personam, nec Prior ipse maiori onere grauabitur, quam persona Spiritualis aduersus eum grauaretur. Scendum tamen est, quod in praemissis tribus casibus, videlicet criminis laesae Maiestatis, notae infidelitatis, et voluntarii, deliberatique homicidii, Prior ipse, ultra praemissam poenam etiam caput amittere, seu capitalem sententiam subire solet, atque debet: dum tamen euidenter, et iuridice fuerit conuictus, et condemnatus. In aliis autem rebus, quantum ad iura Regni, Priuilegio Praelatorum uti, gaudereque consuevit. Exercitia nihilominus militaria more Baronum, et Magnatum pro Regni defensione semper peracturus. — Verbötzi opus Tripart. Juris, Incl. Regni Hungariae.

Dum Tribonianus noster, Werböezi, asserit Praelatos nostros in consilio Regis, sententiam suam dicendo, partes habuisse, neutiquam intelligit solum aulicum seu curiale, sed illud etiam quod in conuentibus publicis, vulgariter, diaetis, capitur: eorum quippe votis a primordio regni, rogatae leges, factae constitutiones, vel decreta S. Stephani libro I. et II. aliorumque successorum statutis, manifestum est. Euocati sunt in complexu cum Episcopis, Abbates, Praepositi, ac Capitulares, primum quidem per Praecones, tum per nuncios, vsque annum 1495, quo articulo 15. et 16. per regales euocandi statuuntur. Primae regales ad capitula datae, supersunt de anno 1526. ad Comitata Poseniensia, de Ferdinando rege eligendo, in archiuo capituli Zagabiensis, et Transiluanii. Sed vide Bathyányii Leges Ecclesiast. de Synodis regniis.

2. *Julius II. Papa despectum Cleri, bonorum ecclesiasticorum, ac decimarum rapinas, apud Hungaros redarguit. A. 1505.*

Charissimo in Christo Filio nostro, Wladislao, Hungariae, Bohemiaeque Regi Illustri. Charissime in Christo Fili noster! salutem, et Apostolicam benedictionem. Non sine intima viscerum nostrorum commotione, ex dilecti filii, Jacobi Nereti, cursoris nostri Apostolici, ad nos nuper abs te redeuntis relatione percepimus: Quod dilecti filii, Proceres, Barones, ac demum omnis fere laicorum multitudo, istius tui Hungariae Regni, nescimus quo Spiritu ducti, decimas ecclesiis non reddendo, rapiendoque, quae ad Ecclesias pertinent, et clerum ipsum acriter, et apertis item mi-

nis persequendo, omni conatu diminutionem imo verius oppressionem ecclesiastici status in eodem regno tuo magis in dies moliuntur. Quae nouitas eo maiorem nobis admirationem, et animi commotionem attulit, quod regnum istud firmissimum Christianae Reipublicae praesidium, et antemurale vsque in praesens tempus fuerit, omnium christianorum consensu existimatum, eius Proceres, Barones, Nobiles, et Christianae Religionis et catholicae fidei acerrimi propugnatores, et sint, et habiti fuerint semper; nunc Regnicolis ipsis a tam pulchris maiorum suorum vestigiis discedentibus, facere non possumus, quin vehementer commoueamur animo, et grauiter feramus, tantam in deterius fieri commutationem, tuo praesertim tempore, Fili charissime, qui a sanctis Maiorum tuorum institutis minime degenerando, Dei zelo instinctus, catholicam fidem et obseruantissime, et religiosissime, colere semper es solitus. Propterea quantum cum Deo possumus, Te ipsum hortamur in Domino, vt sicut fidei, et prouidentiae tuae Regiae conuenit, non Hungariae tantum cleri, sed Christi, Redemptoris nostri, et sanctae matris Ecclesiae, causam toto corde, et animi affectu complectaris, atque omni studio, cura, sollicitudine, tam imminentibus periculis obuiam eas, omninoque exoriens incendium extinguere studeas; clerum et statum ecclesiasticum, sicut decet, omni tuo fauore regio protegendo, compescendoque eos, qui illum oppugnant, ita vt opera tua regia Ecclesiasticus status in isto tuo regno solitam quietem, et auctoritatem suam et dignitatem antiquam retineat, et regnicolae ipsi in optimis maiorum suorum vestigiis consistentes, ne reiectae a se religionis labe coinquentur. Quod faciendo Deo optimo holocaustum offerre acceptius non poteris ac de nobis, et Apostolica sede, totaque republica Christiana optime mereberis, et tibi non paruam et occultam, sed maximam publicamque gloriam pepereris. Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXIII. Augusti MDCV. Pontificatus nostri anno tertio.“ — E bullario Iulii II. Papae.

Naeuus, quem pontificiae redarguunt literae, peccatum fuit Hungarorum originale; malorum plurimorum mater: in gentilismo assueti viuere rapti, alienis semper facultatibus inhiabant: territoriis suis opera ac parsimonia augendis non contenti: primum militum castrensium; vtilissimae regnicolarum Classis, aliorumque conditionerum fundos haereditarios, arte ac Marte traxerunt ad se; tum peculia regia, regno ac regibus ad propudiosam mendicitatem redactis; denique bona ecclesiastica, praesertim decimas, nullo sibi labore venturas, prensarunt. His, non nisi Doctor, qui has rapinas ac spolia auctoritate Christi, e puro Euangelio, iustificet, defuit; adfuerunt Martinus Luther, Saxo, sacer doctor Wittebergensis, et Vlricus Zwingl, Praeco Turicensis Helucta, ac ceu diuinitus missi, acceptati. Quod summum erat, vt omnis auctoritas, euangelicae libertatis obtentu despecta fieret, idquoque Procerum ac Nobilium, ac plebis praesidio fretus, diuus Lutherus effectum ibat. Reliqua: nouarum rerum curiositas, et nationalismus apud Saxones, et Germanos; a ieiuniis, auriculari confessione immunitas apud simplicem plebem, votorum nullitas, ac continentiae propudiositas apud lucios Monachos perfecere. En Proludium reformationis.

3. *Honestatis clericalis diminutio Wladislai Regis Decreto VII. A. 1514.*

Domini Praelati ac Barones, et caeteri regnicolae nostri, accepta mente nostra, quum diu multumque consultassent, tandem collatis sententiis et re conclusa, quos-

dam nobis articulis communi voto, et consensu parili (demtis articulis facta criminalia et honestatem clericalem concermentibus, ad quod ipsi Domini Praelati consentire non potuerunt) formatos atque compositos, nostrae obtulerunt Maiestati. — Art. 24. Nemo de rustica progenie natus, in Episcopum vel Archiepiscopum (ob perpetuam praemissae rusticanae prodictionis memoriam) per regiam Maiestatem promoueatur, et siquispiam promoueretur, nemo illi decimas dare teneatur. 32. Et quod personae quoque saeculares contra ecclesiasticas, ciuitatesque liberas, et Jobbagiones, solummodo in poena praenotata (id est arrestatione rerum fugitiui) et non in amissione possessionis aut villae, conuincantur. 48. Domini Praelati, per eorum visitatores, huiusce sceleris participes exquiri statim, et perpetuis carceribus mancipari faciant. — 60. Presbiteri non beneficiati et scholares, scholas inhabitantes, arma vel pyxides gerere non audeant. etc. Ex corpore Juris.

Quae et quanta in dehonestationem cleri contigerint praeter iuris ac iudicii formam ab aetate Mathiae Coruini vsque ad infausta Ludouici II. tempora, sine horrore refricare non ausim: et in has despecti cleri aduersitates incidit. Lutheri contra Ecclesiam insultus.

4. *Martinus Lutherus omnem Superiorum legitimorum auctoritatem despectum facit.*
Anno 1520.

Martinus Lutherus. In fine Christianos omnes adhortor, seu potius obtestor, vt mecum coniungant preces suas pro tam miseris et fascinatis Principibus, quos Deus citra dubium inflammatus ira, tanquam pestes et *αλαζορας* immisit nobis. Ne temere consentiamus ad suscipiendam expeditionem, aut conferendas pecuniās aduersus tyrannum Turcieum, cum turca longe solertia, consilio, integritate, moderatione nostros Principes antecellat. Num sperandum est tam inconsideratis, tam inprovidis contra Turcam Ducibus omnia secunda fore? qui extreme adeo tentare Deum, et blasphemias afficere non verentur. Hic enim vides, quam putre et fragile cadauer, cui nunquam fuit exploratum, se ad vesperam vsque victurum, arroganter iactitet, se verum, summumque fidei catholicae defensorem. At sacrae literae praedicant, fidem Christi: vnam firmissimam petram, quam non Diaboli, mortis aut inferorum impetus conuellere ac labefactare possint. Math. 16. eandemque Dei potentiam appellant. Rom. 1. Videlicet haec diuina potentia indiget, non praesidio ac protectione hominis, destinati morti, quem nonnunquam morbi, aut vlcis alicuius dolor paulo intensior frangit, eneruat, et prosternit. Deum immortalem, vt crescit in dies rabiosissimus mundi furor. Simili impudentia Rex Angliae gloriatur se propugnatores Ecclesiae et fidei Christianae. Imo Hungari vocant se defensores Dei, in Lituania sua, canentes: vt nos defensores tuos exaudire digneris. Vtinam Regum, aut Principum aliquis, Christi quoque patrociniū susciperet, alius item Spiritus Sancti defensor existeret. Ita vero tota diuinitas et Christus cum fide catholica praeclare propugnaretur. Has querelas fundo ex intimis pectoris mei penetralibus ad omnes vere Christi discipulos, vt mecum hos vecordes, deliros, fatuos, et men-

te captos homines deplorent, misericordiaeque afficiantur. Ne piaes mentes mortem oppetere, quam semet his blasphemis, tamquam atrocibus Maiestatis Diuinae contumeliis aures praebere non dubitarent. Verum haec ipsa tyrannis oppugnantibus, persequentibusque Dei verbum, iusta prope modum et digna debetur merces, vt horrenda coecitate oppressi puniantur; tandemque ruant in exitium. Deus clementer ab illorum nos furore liberet, ac pro benignitate sua salutare nobis gubernatores concedat. Amen." — Operum Lutheri Tomo II. Edit. Wittenbergae in fol. Anni 1551. folio 417.

Quicumque huedum religionis Christianae reformandae auctores insurrexerunt, diuinam sui missionem ad minus commenti sunt; ipse Mahomedes se a Michaele Archangelo, ad auriculas suas aduolante, institutum praetendebat; Lutherus vero se non ab aliquo numine diuino, sed a Satana pleraque didicisse gloriatus fuit. Alii Antichristi sanctimoniam ad minimum ementiti sunt, neoreformatores, vitae laxitati dediti, morum sanctimoniam, bonorum operum necessitatem statutis principiis repudiarunt: Lutherus quidem inquit: sola fides in Christum saluificat, quae eo fortior, quo quis plus peccat; Zwinglius vero cum Joanne Caluino: Deum alios quidem ad aeternam beatitudinem, alios vero ad aeterna supplicia praedestinasse, nulla operum bonorum ratione habita. In eoduntaxat Notatores hi aliis similes: quod quemadmodum illi, verbum Dei, pro spiritu suo priuato, ad suum sensum, iam detorserint, iam mutilauerint; atque Ecclesiam Christi: de qua scriptum est: qui vos audit, me audit; item: qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus" perfecte odio oderint.

Leo X. Papa Graeci ritus vnitos tuctur, diuersisque ornât priuilegiis. Anno 1521.

Leo Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino sub felicitis recordationis Eugenio PP. IV. praedecessore nostro, in quo inter caeteros Principes, et Praelatos, Imperator tunc Graecorum, et quam plurimi alii Praelati nationis Graecae pro vnione facienda de orientali Graecorum cum Romana Ecclesia, re tamdiu a Praedecessoribus nostris Pontificibus, ac tota Christiana Republica desiderata interfuerunt; inter alia statuta determinatum est, nationem praedictam, in quibusdam eorum ritibus et obseruantis, quae non imputabantur haeresi, permanere, et inter caetera scilicet: quod Presbiteri in fermentato celebrare ac sub alia forma, quam Romana baptizare, videlicet: baptizatur seruus Dei in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. Amen. Item quod ordinati in sacris matrimonio, ante ipsorum sacrorum ordinum sumptionem contracto, vti, et barbam nutrire venerandumque sacramentum sub vtraque specie omnibus, etiam pueris, ministrare possint, per dictum concilium statutum ordinatum decretum; siue permissum fuerit; tamen Ordinarii locorum Latini ipsam nationem super dictis ritibus et obseruantis, in locis, vbi de praesenti Graeci morantur, quotidie molestent, perturbent, et inquietent, cogentes pueros ipsorum, et alios eorum more baptizatos, iterum more Romanae Ecclesiae rebaptizari; dictumque Sacramentum sub vtraque specie omnibus, etiam pueris praedictis, minime administrari debere, neque barbam nutrire, neque in fermentato, sed in azymo celebrare ac in dictis sacris ordinibus ordinatos matrimonio nequaquam vti debere: propter quae, et

nonnulla alia quotidie in populo diuersa scandala exoriuntur, ac in dies, nisi de oportuno per nos remedio prouideretur, exoriri contingeret. Considerantes autem quam operae pretium, pium ac necessarium sit, vt vno praedicta, multo labore quaesita, — — per Romanos Pontifices, — conseruetur et dictorum Graecorum molestiis et impedimentis huiusmodi obuietur, nec non quieti ipsorum, atque animarum consolationi, in praemissis oportune consulatur, Ritus quoque et obseruantiae in eorum ecclesiis, et alibi, iuxta antiquam ipsorum consuetudinem conseruentur; motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra liberalitate; et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, dictis Graecis, tam Praelatis, quam aliis personis nationis Graecae et eorum cui libet, vt eorum ritibus, et obseruantis, siue consuetudinibus, vt praemittitur vt, ac illos, et illas obseruare, missasque et alia diuina officia; secundum eorum consuetudinem celebrare — possint, motu et scientia similibus, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Et insuper, quod nullus Archiepiscopus, Episcopusque ordinarius, clericos Graecos, ad sacerdotium promouere audeat, ac quod in Dioecesi, vbi Latini et Graeci cohabitant, et solum Archiepiscopum, siue episcopum Latinum ordinarium habent, dictus Archiepiscopus siue Episcopus circa negocia et causas dictorum Graecorum Vicarium Graecum eis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum, ex quo vir Graecus melius Graecos mores nouit, quam Latinus, eorum stipendio et salario retinendum deputare, quodque in causis appellationis ad metropolitanum, si forte Graecus non esset, dictus metropolitanus, similiter in dictis causis, Iudicem Graecum deputare teneantur. Et insuper cum in parochialibus ecclesiis ipsorum Graecorum ex antiquissimo et hactenus obseruato ritu missam non nisi semel in die per vnum Sacerdotem celebrari liceat, et tamen nonnulli Sacerdotes Latinorum, dimissis ipsorum propriis parochialibus Ecclesiis, vt praefatos Graecos iniuria afficiant, et ad disturbandum eorum ritus, et consuetudinem huiusmodi, nescitur quo spiritu ducti, interdum Altaria dictarum parochialium Ecclesiarum praecoccupant, et inibi contra voluntatem eorumdem Graecorum Missas, et forsam alia diuina officia celebrant, adeoque dicti Graeci saepe numero sine auditione Missarum cum magna animarum molestia festiuis et aliis diebus, quibus Missam audire consueuerunt, remaneant: Nos autem ad obuiandum scandalis et prouidendum, ne in futurum molestiae huiusmodi Graecis ipsis inferantur, Sacerdotibus Latinis praedictis, ne de caetero Missas et alia diuina officia in dictis Ecclesiis eorumdem Graecorum celebrare, Magistratibus vero, si qui sunt, ne dictis Sacerdotibus, auxilium et fauorem praestent, nec non, vt nullos ritus et caerimonias in dicto concilio Florentino, vel alias adprobatos, blasphemare, aut reprobare, ac vbi duo, vnus Latinus, alter vero Graecus, eiusdem loci, — sunt Episcopi; episcopus Latinus de personis Ecclesiasticis et saecularibus Graecis, ac iurisdictione Episcopi Graeci, vel aliis quibuscunque, ad Episcopum Graecum spectantibus, nullatenus se intro mittere praesumat, sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum duntaxat curam, regimen et iurisdictionem respectiue habeant, et exercent. Et insuper, quod pre-

sbiteri Latini in Ecclesiis Graecorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis, ac Baptismis, et aliis Graecorum actibus publicis et priuatis interesse, aut se immiscere, nisi ad hoc specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant, vel praesument. Quod clerici ac presbiteri saeculares, monachi Graecorum, eorumque Ecclesiae ac Monasteria bonis, quaecunque de iure siue consuetudine, vel alias quomodolibet ad ipsos pertinent, vti, potiri, et gaudere libere ac licite possint, et valeant; nec non Abbates, et monachi Graeci, eorumque Monasteria, loca et bona quaecunque omnibus et singulis priuilegiis, exemptionibus, indultis, gratiis et praerogatiuis, in bulla *Mare magnum* nuncupata contentis, Fratribus ordinis Minorum, regularis obseruantiae, eorumque monasteriis, locis seu conuentibus, tam per dictam bullam, quam alias quomodolibet concessis, et concedendis, etiam vti, potiri et gaudere possint. Nec non viduae Presbiterorum vel clericorum Graecorum, in castitate iuxta ritum Graecorum viuentes, iisdem immuneritatibus, exemptionibus, priuilegiis, quibus viuentibus eorum viris presbiteris, seu clericis gaudere poterant, gaudeant, et fruantur modis, scientia et potestate paribus concedimus, decernimus, et declaramus: ac ita per A. Episcopos, Episcopos, et alios Praelatos, presbiteros et clericos Latinos, pro dictis et quibuscunque aliis eius videlicet Praelatis, et suis maioribus, sub suspensionis, a diuinis, aliis vero inferioribus sub excommunicationis latae sententiae, priuationis beneficiorum Ecclesiasticorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda ipso facto per quemlibet contra facientem incurrendis, poenis praecipimus, mandamus, quatenus praesentes literas ac omnia in eis contenta, inuiolabiliter obseruent, sicque per quoscunque Iudices in Romana curia vel extra eam in quacunque instantia iudicari sententiari, et definiui debere, sublato eis et eorum cuiilibet aliter iudicandi, sentiendi, et definiendi facultate, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quocunque, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris, Caserlano et Asculano Episcopis, per haec scripta committimus, et in virtute obedientiae mandamus, quatenus eisdem Graecis, tam Praesbiteris, et clericis, religiosisque praedictis, quam saecularibus et aliis personis dictae nationis Graecae, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant per se, vel per alium seu alios, praenominatos, et quemlibet ipsorum, concessionibus, indultis, gratiis, indulgentiis, nec non statutis, decretis, et ordinationibus, praedictis, pacifice, ac perpetuo frui, gaudereque; non permittentes eos, et eorum quemlibet in praemissis aliquo quaesito colore molestari, impediri, perturbarique; contradictores quoslibet praedictas et quasuis alias poenas et censuras ecclesiasticas, aggrauando, reaggrauando, interdictumque — apponendo, et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii saecularis; non obstantibus etc. — Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXVI. Maii Anno MDXXI. Pontificatus nostri anno. Apud Pray Hierarchiae S P. I. p. 382—389.

Valachos ac Ruthenos in Hungaria et Transilvania primitus Graeci ritus vnitos fuisse, literis Innocentii III. PP. luculentum est; post concilium Florentinum quosdam, in specie Presbiterum etiam Munkaciensem, in monasterio a Kiriatovich fundato, ad nonnitos descuuisse, litterae Joannis de Hunyad, Gubernatoris, Mathiae regis, ac Joannis Coruini produnt; Episcopo Vladislai II fauore obtento, feruentibus sub Ferdinando I. et Joanne Zapolya discordiis, ad Graeci ritus non vnitos descuierunt parte maxima. Mali contagio ex agro Munkaciensi in viciniam omnem diffusa. Episcopi vnitorum auctoritas contempta admodum fuit.

5. *Nicolai Istváni, Regni Hungariae Propalatini ad Pazmanum epistola de eo, quomodo Lutheri secta et mox Caluini in Hungariam ac Transiluaniam irreperit.*

Antequam ad haec comitia iter instituissem, admonuit me D. Gabriel Petheo nomine Paternitatis vestrae, vt, si mihi constaret, quo primum tempore haeresis Lutherana Hungariam inuasisset, et quomodo tantum incrementi cepisset, Paternitati Vestrae significarem; id, quod me, iam natu grandiolem, et ab ineunte pueritia in luce hominum versatum, latere non posse, existimaret. Suscepi perlubens hunc laborem, meque ad Paternitatem Vestram prima quoque occasione scripturum pollicitus sum. Sciat igitur; tempore Ludouici II. Regis nostri e Germania famam Lutheri in Hungariam perlatam esse, sed qui eam tuerentur sectam, aut nullos fuissc, aut paucissimos, eosque, vt fieri solet, clamularios, et lucifugas; quandoquidem in Comitibus Pestanis anno ni fallor, 1518. (rectius anno 1523, vt infra) publico edicto proscripti et ad ignem damnati fuerant. Postea Mohácsiensi clade, atque innocentissimi Regis interitu subsequente, caesisque in pugna omnibus fere episcopis, et regno miserabilem in modum factionibus, et intestinis discordiis laborante, Episcopatus etiam per varios homines seculares violenter occupati sunt, nec, qui religionem labantem restitueret, aut tueretur, reperiebatur; Agriensem Episcopatum Petrus Perenius post obitum Georgii Frangepani Episcopi, violenter sibi vsurpabat; Nitriensem Valentinus Turcus (Török) Waradiensem Emericus Cibakus, Transiluanensem Albensem Franciscus Dobó, Chanadiensem Caspar Perussicz, Quinqueecclesiensem Joannes Széchenyi, Jauriensem vero Paulus Bakics, aliosque alii nefarie occupatos retinebant; coniuuentibus ambobus regibus, quamquam catholicis Principibus, sed partium suarum studiosos etiam per illicitas vias subleuare contendentibus. Sub hoc statu rerum Petrus Perenius primus ei sectae se addixit, concionatores Lutheranos stipendiis inuitatos, et Stephanum in primis Kopacsium, et Michaëlem Rotarium, in bonis suis et oppidis secure versari patiebatur. Sequutus eius exemplum Caspar Dragfy, Andréam Batizi, et Mathiam Devay, Lutheranae similiter sectae concionatores, in oppido Erdód, aliisque bonis suis publice concionari, et haeresis semina spargere iubebat, et ipse, quin refroenaret eam, sectabatur. Vnde etiam eadem secta tanquam ex proximo loco in Transiluaniam facile irrupit, nec sine Dei Opt. Max. iusto iudicio factum esse videtur, quod Authores isti deprauatae religionis, non multo post deficiente familia stirpitus interciderent; Franciscum quoque Reway iam natu grandiolem eadem mali labes infecerat, quamquam quidem id negantem a Fer-

dinando Rege acrioribus verbis eam ob causam correptum fuisse, audiuius. Et hactenus (primitus) quidem nemo ausus est, se eius haeresis sectatorem confiteri, negligentia tamen Principum et aliorum breui factum est, vt etiam eiusmodi sectarii a Magnatibus et Principibus defensi, publice suggestum conscendere et virus suum spargere, non dubitarent, et miseram plebem seducerent adeo, vt restitutis demum regimini Episcoporum Ecclesiis, malum tamen hoc latius serpere ac maiorem regni partem corripere non intermitteret, bellis ciuilibus et intestinis discordiis occasionem maiorem ei subministrantibus. Paulo post irrepsit etiam Caluinismus, duce et authore quodam Martino Calmarenio, quem nostri Santa Marczin (claudum Martinum) vocabant, ministro, seu praedicante in Beregszász, quod ad arcem Munkács pertinens eo tempore Petrus Petrouics obtinebat, a Rege Ferdinando per quaedam pacta concessum, qui etiam Iconoclasta erat, et cum in templo imagines demoliretur, quaedam casu in caput eius cecidisse, fertur, eumque ita allisise, vt magno illato vulnere vix non mortuus fuerit etc. Posonii I. Febr. 1605.“

Historiae vero suae libro VII. p. 63. perhibet: „Ante quadriennium (1519—1520.) in Germania exortum fuit atrox et periculosum in religione dissidium, authore Martino Luthero Saxone, Monacho Augustiniano, quamuis contra sacram summi Pontificis auctoritatem, Diuaeque Deiparae, ac Sanctorum cultum, ceteraque praecipua Christianae religionis capita, non tantum concionibus, et disputationibus publice habitis, sed etiam editis et publicatis libellis, et nouas dudumque ante explosas opiniones disseminasset, eo perfrictiore fronte et audacius, quod a Friderico Duce Saxoniae, praeter Christiani Principis officium, acerrime defenderetur. Quamquam vero ipse primum Romae a Leone summo Pontifice, et postea Carolo Caesare Vormatiae, per multo plus a Francisco Gallorum Rege Parisiis, proscriptus esset, eiusque libelli damnati et exusti; tamen tanti mali labes per clancularios eius sectae homines, qui passim ei nomina dabant, in Pannoniam etiam peruasisse ferebatur. Quod cum Ludouicus cognouisset, iisdem in Comitibus lege lata, quae exstat, sansiendum currauit, ne a quopiam peruersum atque praedamnatum dogma reciperetur; eiusque sectatores, si qui essent, ignibus addicti cremarentur.“ Hanerus, Lutheri assecla sequentes libellos, partim ab Academicis Wittembergicis, partim per Mercatores, numerat in Hungariam et Transiluaniam illatos: De libertate Christiana; confessione; poenitentia; iustitia dupplici; Baptismo; Passione Christi; votis monasticis; communionem sub vtraque specie; captiuitate Babylonica; et expositionem Epistolae ad Galatas.“ Praecipue autem Bulla eius, quam anno 1522. contra regimen Episcoporum vulgauerat. (Opuscula licentiam hominum, non autem sanctimoniam, promouentia). „Pauci primum nouitate, et nationalismo illecti hos legere, tum pluribus communicare, ac denique doctrinam iis comprehensam sensim amplecti coeperant.“

6. *Georgii Draskoviczii, Electi Episcopi Quinque-Ecclesiensis declaratio super Lutheranismi in Hungariam ac Transiluaniam propagati causis, et effectibus.*

— Vsitatum fuisse sanctissimis Episcopis et martyribus, adeoque ipsis Apostolis Domini, o charissimi filii mei in domino, vt quoties suo munere pastoralique officio, eorum fungi ipsis non licuisset; gregis tamen sui maximam per epistolas et nuncios diligentissimam curam gererent. Quam ob causam, ne ab eorum sanctissimis vestigiis indigne recedere videamur, tum maxime, quod vos, vt par est, in Christi Jesu

visceribus, tamquam filios charissimos diligimus, non passi sumus, quin quod ratio temporis atque impedimentorum grauissimorum et iustissimorum propriis verbis id facere nobis minime concedit, per literas saltem, functioni nostrae aliqua ex parte responderemus. Quum itaque certo intelligamus, hisce calamitosissimis temporibus nostris, non solum colla vestra Turcico iugo durissime premi, verum etiam, quod longe grauius esse iudicamus, conscientias quoque non paucorum ex vobis, diuersarum haeresum vndis, grauius et periculose iactari, et affligi, quid officio nostro atque Christiana pietate dignius a nobis fieri potuit, quam vos Deo imprimis O. M. pro nostro in vos paterno affectu, tanquam totius boni et auctori et promotori, ex animo commendare, ac deinde has litteras nostras quibus de communi vestra salute ageremus, ad vos transmittendas curare? — — Duo, quod non sine magno animi nostri dolore, cognoscimus, contagii genera nostram iam pridem inuaserunt gentem, nouarum rerum scilicet curiositas, et mutuae refrixio charitatis; e quibus infelicissimi duo isti bubones proruperunt; ex vno quidem latere Turcica Tyrannis, ex altero vero Lutherana haeresis: malum sane ingens illud, et horrendum est; hoc autem multo grauius, ac perniciosius; et vtrumuis attigeris, pestilentissimum quoddam vlcus esse senties. Jam vero cuiusmodi malum sit Turcica Tyrannis, quia sensimus atque experti sumus, facile agnoscimus; idque etsi nimium noceat facilius cauemus. Vnde prouerbum istud locum habet: Tela praeuisa minus feriunt. Haeresis autem Lutherana et quaeuis alia, ex eadem progenita, quia non perinde externo sensu, atque malum Turcicum percipitur, cuiusmodi sit, ignoramus plane. Vnde fit, vt morbus, qui ex ea in animabus hominum generatur, tanquam incognitus, maximo cum periculo, ea labe infectos ad grauissimam, eamque aeternam adigat mortem. Serpsit prorsus morbus hic, quo nullus lethalius, nullus tristior potuit existere; occulte ac veluti cancer, venenum ad cor transmittit, viscera corrodit, consumit enecat, et transuersum in omnem calamitatem hominem agit. An non serpsit haec gangrena ex Saxonia primum in vicinas prouincias, in Misniam, in Turingiam, in Franconiam, in Sueuiam, in Marchiam, in Silesiam; ac inde demum per Bohemos et Morauos, ad nos in Hungariam serpsit? Equid aliud pestem hanc in Hungaria molituram, putatis? quid effecturam aliud, quam quod in Germania passim perfecit? Nimirum vt verbum Dei, verborum, conuitorumque furo quodam, libidinis hominibus grato, non tam obtegatur, quam ab omni humano corde explodatur; contra vero mendacium sathanae disseminetur facilius, et vt noua commenta damnatarum opinionum resuscitentur; et catholicus, orthodoxusque scripturarum intellectus aboleatur; vt nulla sit vnitas christianae fidei, nulla charitas mutua; nulla pietas, obedientia nulla; sed tot sint circa fidem ipsam opiniones, tot sectae diuersae quot domus, quot familiae; ne dicam quot capita. Quod si haec quispiam forte ignorat, vera esse; aut falso dici suspicetur, se ipsum penitus examinet, diligentius vicinos inspiciat; Germaniam collustret attentius, audiatque crudeles illas sectarum, inter se digladiantium, voces atque tumultus; quae haereticis omnibus, iam inde ab orbe condito fuerunt semper propria; ac videbit faci-

le verissima esse, quae diximus; immo sane, si ea ipsa, quam diximus, perscrutatio sincero pectore fiat, non dubito, quin ipsum Sathanam non tam se in angelum lucis conuertere, quam horribiliter sub tenebrarum insidiis grassari, queat animaduerti: Legite Stanislaum Osium, Varmiensem Episcopum; legite Martinum Crommerum; legite Fridericum Staphilum, Theologos praestantissimos, ac vitae sanctimonia commendatos; legite Wilhelmum Lindanum, Dodracenum; legite denique reliquos omnes tam nostrae aetatis, quam praeteritorum etiam temporum praeclarissimos quosque catholicos auctores, et videbitis optime, quam impudens sit horum omnium nouatorum Supercilium, quam inconstantes doctrinae. Neque sane mirum hoc videbitur, quum certo certius hoc ipsum inuentum sit sathanae, qui ab initio, inconstans, mendax, omniumque haeticorum Dux est et antesignanus. Ante annos quadraginta vna fuit fides credentium, in vniuerso christiano orbe, vna vox Deum inuocandum; mens atque animus vnus; vnum in peragendo diuino cultu cor, et consilium; idem pietatis et amoris erga Deum, proximique studium; vnus denique verus Deus, et homo; inter Deum et hominem primarius mundi totius mediator; Christus Deus dominus, et seruator noster. Jam vero quid Christus? — Apud Kerchelich H. E. Z. pag. 232.

Qui Religionis catholicae reformandae necessitatem domi nostrae ausus esset asserere, fuit nemo: ausurusque impudentissime: nam hic nudinationis indulgentiarum vestigia nulla; fides in Christum Mediatorem per cultum B. Mariae Virginis, et SS. euacuata neutiquam; Curiae Romanae collationes arbitrariae beneficiorum aut reseruaciones, nullae; temerariae ad sedem Apostolicam praeteritis ordinariis foris grauissime prohibita; biblia lingua vulgari lecta prius quam a Luthero illa ex sub scamno extracta, in linguamque Germanicam versa, aut peruersa; linguarum sacrarum studia, artium bonarum cultus viguerunt; ac floruerunt; quorum vtrumque testimoniis exterorum etiam constat; sola verbum Dei iuxta cuiusque spiritum priuatum interpretandi libido, et morum licentia, via lata ad perditionem, ignorata.

7. *Ludouicus II. Rex Hungariae, libellos et tractatus Martini Lutheri, vendi, emi, teneri, ad Magistratum Cibiniensem in Transilvania, seuerissime inhibet. A. 1523.*

Ludouicus Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. Fidelibus nostris, Prudentibus et Circumspectis, Magistro ciuium et Iudicibus Regio et Sedis, ceterisque Juratis, Senatoribus ciuitatis nostrae Cibiniensis salutem et gratiam nostram. Non sine animi nostri displicentia accepimus, dogmata sacrilega cuiusdam Martini Lutheri, iam quidem a sancta sede Apostolica vna cum sequatibus eius, excommunicati adeo mentes hominum vbique obcoecasse, vt veritate Euangelica, institutisque sanctorum Patrum relictis, doctrina eius et libelli per eum scripti, vulgo ab omnibus in medio vestri manuteneantur et obseruentur. Quae quidem assertiones et libelli eiusdem Martini Lutheri, cum sint contra veritatem, et sunt etiam per sanctam Sedem, vt diximus, Apostolicam iam pridem excommunicati, vehementer nobis displicet, vos quoque et conciuēs ac mercatores vestros, aliosque istius ciuitatis nostrae inhabitatores, libellos eosdem vendere, emere, et tractare iam coepisse. Cum autem vestigiis

quorundam Hungarorum nostrorum praedecessorum inhaerendo, officii Nostri intersit, fidem et religionem nostram Christianam, ne ab haereticis excommunicatis eadem inuadatur, et contaminetur, vbique in hoc regno nostro et partibus eidem subiectis, illibatam conseruare volumus et Fidelitatibus vestris harum serie, sub amissione honorum vestrarum committimus, et mandamus, quatenus statim praesentibus, tam in vestra ciuitate Cibiniensi, quam in aliis locis vobis subditis, assertiones, figmenta et libellos praefati Martini Lutheri tanquam excommunicati, vicatim et per singulas domos inquiri, inuentosque publice comburi, et deinde publicare palam facere debeatis, nequis, cuiuscunque tandem conditionis existens, eiusmodi dogmata assertiones, et libellos eosdem vendere, emere, legere, aut tractare praesumat, sub poena confiscationis omnium honorum etc. Datum Budae. Sabbatho proximo ante Dominicam Cantate. Anno 1523. — Haner pag. 60. Pray Hier. P. II. p. 224. Historiae Dipl. Euang. Okolicsányi p. 4. — Aliae eius, quas Cl. Benkő his praemittit, com- mentitiae sunt.

8. *Idem Ludouicus Statuum et Ordinum, Budae collectorum, decreto, Lutheranos horumque fautores puniendos statuit. A. 1523.*

Ludouicus etc. Art. LXIV. „Omnes Luheranos et illorum fautores, ac factioni ipsius adhaerentes, tanquam publicos haereticos, hostesque Sacratissimae Virginis Mariae, poena capitis et ablatione omnium honorum suorum, Maiestas regia, veluti Catholicus Princeps, punire dignetur. — Anno 1523. — E corpore Juris Patrii. — Articulus V. de anno 1525. de Lutheranis exstirpandis, non solum per Ecclesiasticas verum etiam per seculares personas capiendis, et comburendis, perduellium Hatuanini, absque Praelatorum consortio congregatorum, statutum fuit; in vsum neutiquam deductum. — Caeterum haec offendant sane neminem; facta enim sunt ad exemplum Comitiorum WORMATIENSIVM, in quibus publico edicto Lutherus vt haereticus ac seditiosus, et publicis ignibus dignus, pronuntiatus est. Datae WORMATIA Nostra et Sacri Imperii ciuitate, VIII. Maii. Anno a nato Christo MDXXI. nostri vero Imperii Romanorum anno secundo, aliorum regnorum sexto.“

9. *Idem Ludouicus inobedientiam Cibiniensium, spiritumque Lutheranum redarguit. Anno 1523.*

Ludouicus Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc. Fidelibus nostris, ac Circumspectis, Magistro Ciuium, Iudicibus nostris, Regio et sedis caeterisque Senioribus Ciuitatis nostrae Cibiniensis, aliarumque ciuitatum, oppidorum, villarum, et possessionum, tam nostrarum, quam aliorum quorumcunque, sub Decanatu et iurisdictione Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis constitutis et existentibus, praesentibus, et futuris, praesentes visuris, salutem et gratiam. Ex querelis grauissimis fidelis nostri, nobis sincere dilecti, reuerendissimi in Christo Patris, Domini

Georgii, Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis, Primatis Hungariae, Legati nati, et Summi Secretarii, Cancellarii nostri etc. non sine graui animi nostri displicentia accepimus, multos ex vobis fore, qui non curantes libertatem, priuilegia et iurisdictionem praefatae Ecclesiae Strigoniensis, primum a Diuis quondam Regibus Hungariae felicium recordationum ante multa secula ei concessam, deinde a summis quoque sanctae Romanae Ecclesiae Pontificibus roboratam, et confirmatam turbare, violare, et renouare in infrascriptis articulis aperte contra Deum et eius iustitiam, veteremque consuetudinem semper obseruatam, contra denique ipsum Dominum Georgium Archiepiscopum, Decanumque, siue Vicarium suum in spiritualibus, isthic in medio Vestri constitutum ac iurisdictionem dictae Ecclesiae Strigoniensis, semper hucusque obseruatam, vos ipsos opponeretis, et in eandem iurisdictionem intromitteretis: quod, dum aliqua causa mere profana inter clericos et personas Ecclesiasticas suscitaretur, vos eam libere, non curata requisitione ipsius Decani sui apud vos propterea facta, vel fienda adiudicaretis, imo non modo adiudicaretis; sed litigatores etiam et causantes spirituales compelleretis, ad standum coram vobis iuri, neglecta ipsius Decani iurisdictione. Deinde, dum Decanus ipse interdictum, et censuras ecclesiasticas in rebus iustis alicui plebanorum vestrorum imponeret, vos eundem plebanum compelleretis ad diuina coram vobis pro lubitu celebranda, alioquin minaremini ei, vos eum de plebania ipsa deposituros, aliumque eius loco suffecturos. Item quod nunc etiam de facto in quadam possessione vestra Bungarth vocata iurisdictionis Strigonensis, Plebanum eiusdem loci propria autoritate vestra, absque vlla Decani ipsius reuisione, vel inquisitione iuridica, deposuissetis, et loco eiusdem alium Plebanum, contra Deum et iustitiam eius, intrusissetis, a Decano ipso, prout moris esset, et consuetudinis, non confirmatum; quem contra religionem Christianam nunc quoque isthic violenter teneretis, et foueretis. Item quod, dum Decanus ipse in visitatione sua, vel aliis temporibus crimina notiora inter personas vobis subiectas deprehenderet, vos resisteretis propria vestra autoritate, ne eiusmodi criminosi homines, et manifesti notorii de iure per Decanum emendarentur, in animarum suarum salutem; et si qui etiam pro poena aliqua mulcta mulctarentur, mulctam eam pro vobis accipere niteremini. Praeterea in aliquibus locis decimas quoque frugum, bladorum, apum et aliarum rerum decimari solitarum, Plebanis vestris, sub Decano ipso Cibiniensi constitutis, contra praeceptum Saluatoris nostri et etiam institutum sanctorum Patrum, atque etiam contra veterem et ab antiquo obseruatum morem et salutarem consuetudinem exsoluere nolletis. Quae omnia cum mere contra decreta summorum Pontificum, et etiam singularia priuilegia Ecclesiae ipsius Strigoniensis ab immemorabili tempore semper firmiter et inuolabiliter, tam in medio vestri, quam in aliis Dioecibus obseruata, per vos praesumptuose fiant et committantur, non possumus non a vobis id grauissimo, molestissimoque accipere animo. Nos enim vestigiis quondam Diuorum Regum Hungariae inhaerere in omnibus cupientes, sicuti vos in vestris iuribus parati sumus conseruare et defendere, ita volumus omnino, vt iurdictio etiam Ecclesiarum Dei im-

munis et inuiolata obseruetur, et vt priuilegia, libertatesque Ecclesiae praefatae Strigoniensis, etiam in minima re nostro tempore, vel per vos vel per alios quoscumque subditos nostros non violentur, aut perturbentur. Quapropter volumus et fidelitati vestrae, vestrumque cuilibet committimus et mandamus, aliud nullo modo volentes habere, quatenus a modo in posterum vos ad iurisdictionem et libertatem eiusdem Ecclesiae Strigoniensis aliquo modo, siue directe, siue indirecte, vel alio quouis colore quaesito turbendam, nullo modo intromittere praesumatis; sed mox Maiorum vestrorum exemplo in omnibus rebus iustis, iurisdictionem eiusdem Eccles. Strigon. seruare et accomodare teneamini, et, si etiam aliquid contra illa hactenus per vos fuisset attentatum, hoc ipsum statim rectificetis, reformetis, et emendetis; ac contra Decanum ipsius Domini Georgii Archiepiscopi in rebus spiritualibus iuste procedentem, vos non opponatis. Num si secus facere attentaueritis, et iurisdictionem, libertatemque praefatae Ecclesiae Strigoniensis, ac legitimas, veteresque consuetudines Decanatus ipsius Cibiniensis violare et perturbare praesumeritis, vel aliquis vestrum praesumerit, annuimus et concessimus, annuimusque et concedemus per praesentes eidem Georgio Archiepiscopo, et dicto Decano suo, vt contra quemlibet vestrum, minimum contra hoc mandatum facere attentantem, iure Ecclesiastico agat, ac omnibus viis et modis, praemissis omnibus faciendis, etiam per grauamina ecclesiastica contra vos procedat, et vos ad obseruanda praemissa compellat, auctoritate etiam nostra et potestate eidem in hac parte plenarie attributa, et iurisdictione sua mediante. Aliud igitur in his nullatenus facere praesumatis: praesentibus perlectis exhibenti restitutus, Datum Budae, feria IV, post Dominicam Laetare. Anno 1523.“

Hanus, Lutheri Sectator. — Doctrinam per libellos Lutheri ingestam sufflamarunt Monachi Apostatae (inter quos Georgius Silesita, ordinis Praedicatorum, antesignanus fuerat) qui in Transiluaniam illapsi, primum clam in aedibus Hechtii (Hungaris Csukás) cuius praepotentis, tum vbi Marcum Pempflingerum Comitem Nationis sibi fauentem experti essent, palam quoque, ac ex suggestu doctrinae Lutheranae capita populis, rerum nouarum, ac licentiae cupidis, commendarunt. Machinatione hac comperit Mathias Colmatinus nouitiae doctrinae magno se conatu opposuit; ipso defuncto Petrus Tonheuser, Vicarius Archiepiscopi Strigoniensis, videns se in reprimendis Nouatoribus operam perdere, quin hos etiam in ius Patronatus temere inuolare, literis ad Georgium Szakmariam Metropolitam datis, consilium opemque in re tam ardua, implorauit. Archiepiscopus Budae, in Comitibus celebratis, ad Regem et Ordines Regni, quid in Transilvania ageretur, singillatim referens, praemissas literas retulit. — Iisdem viis ac vehiculis est ad incolas etiam Germanos Hungariae, tum Slauos ac demum etiam Hungaros doctrina Haeresiarum propagata. — Caeterum Sententia decreti V, art. 54. et VI. artic. 4. occasionem dedit Luthero, epistolam ad Mariam Reginam Hungariae, Ludouici II. viduam anno 1526. destinandi, causamque cladis Mohacsianae in Episcopos Hungariae coniciendi; cum tamen, quod ordinum totius regni suffragiis constitutum est, solis Episcopis tribui nequaquam debeat; quin imo haec oborta quod est ad religionem dissensio, ad cladem Mohacsianam contulit plurimum: certe, si illa non obstisset, status et ordines Imperii Germanici addictas Ludouico Regi suppetias tulissent. En doctrinae Lutheranae praecoces fructus.

- 10.** *Idem Ludouicus Sacerdotes, in superiori Hungaria, carni blandientem Lutheri doctrinam amplexos, comprehendi, Agriam mitti, ac pro merito plectendos praecipit. A. 1525.*

Ludouicus Rex Hungariae etc. Intelligimus plerosque esse in isto comitatu Vestro (Sarosiensi) ecclesiasticos praesertim viros, qui sectam Lutheri professi, publice atque passim seminarent, sicque christianam gentem a vero Christi cultu seducerent: quorum errori atque perfidiae Nos ex debito regiminis ac professionis nostrae occurrere, atque de medio Christicolarum, ne contagione sua animos eorum inficerent, et ne rudis plebs dogma aliquod a christiano nomine alienum imbiberet, submouere volentes, fidelitati vestrae, et vestrum cuilibet harum serie firmissime, sub poena indignationis nostrae mandamus, quatenus statim visis praesentibus, omnes tales in bonis vestris perquiri facere et captos Agriam ad vicarium Ecclesiae Agriensis examinandos et puniendos mittere debeatis, autoritate nostra regia, praesentibus vobis in hac parte concessa mediante. — Datum Budae, die dominico post festum Paulli I. heremitaee. Anno Domini 1525. — Apud Wagner Dipl. Sáros p. 31.

- 11.** *Idem Ludouicus eodem in argumento ad Ciues Bartenses scribit. A. 1525.*

Ludouicus etc. Quum nos animaduertissemus, haeresim hanc Lutherianam in perniciem animarum Christi fidelium in dies augeri ac serpere; publico edicto nostro regio ediximus, nequis sub poena capitis et amissione omnium bonorum, sectetur Lutherum, et foueat partes, et dogmata, librosque et traditiones eius teneat. Quum autem, non sine magna displicentia, intelligamus, isthic in medio vestri quemdam Magistrum Cracouiensem, natum tamen in ista ciuitate, aliosque plures esse, qui haeresim et sectam Lutheranam, in contemptum ipsius publici edicti nostri manifestum, profiterentur, adeoque huic sacrae religioni christianae se opponerent, vt vel christianos pessimis erroribus a diuino cultu, suisque piis operibus reuocarent, quod non secus ipsis, quam vobis a nostra Maiestate imputari potest; cum etiam vos surdis auribus edictum nostrum pertransire ausi sitis; mandamus itaque fidelitati vestrae, sub poena capitis, amissioneque omnium bonorum vestrorum, harum serie firmissime, quatenus statim, visis praesentibus, praedictum magistrum, aliosque vniuersos, haeresim ipsam Lutherianam profitentes, de medio vestri exquirere, eosque, si secularis conditionis fuerint, per omnia tormentorum genera puniri facere; si vero ecclesiasticae, vicario Agriensi praesentare, modis omnibus teneamini. Nam vbi intellexerimus, vos ipsos haereticos in medio vestri fouere, vel impunitos dimisisse, ipsisque ad spargendam inter Christianos ipsius Lutheri pestiferam contagionem fauere, sciatis nos poenam praemissam a vobis sine dubio et sine vlla miseratione exigere. — Datum Budae, sabbato proximo post festum Purificationis BB. V. Mariae, anno Domini 1525. — Ibidem p. 152.

12. *Georgius Zathmár A. Episcopus Strigon. adiunctorum Transilvaniensium intuitu, iurisdictionem Decani Brassouiensis ampliavit. A. 1525.*

Nos Georgius, miseratione diuina Archiepiscopus — Salutiferum est et conueniens, ut curam ouium Christi, iurisdictioni spirituali nostrae Strigoniensi subditorum, quae sunt in partibus, his committamus, qui sunt virtute, doctrina euangelicae veritatis, disciplina praediti. Hi enim curabunt omni cum studio, diligentia et vigilantia providere, ne fidei eorum creditae oues a vero pastore aberrantes, ab aduersarioque humani generis seductae, perichitentur. Ut autem tu, qui es in Decanum nostrum Brassouiensem solito more electus, curam ouium, tibi commissarum, et sedulam et diligentem habere possis; damus et concedimus tibi auctoritatem, omnes et singulas causas ciuiles et criminales, ad forum nostrum ecclesiasticum in et sub dicto Decanatu Brassouiensi spectantes, audiendi, cognoscendi, et sine debito terminandi, sententiasque, per te in eisdem latas exequendi; item visitandi, excessus inquirendi, et crimina corrigendi, et puniendi, censurasque ecclesiasticas infligendi ac promulgandi; confessiones audiendi, et aliis, ad hoc idoneis, committendi, etiam in casibus, sedi nostrae Strigoniensi reseruatis; nisi adeo graues et enormes existerent, propter quod eadem sedes nostra foret consulenda; a sententiis, excommunicationibus maioribus et per participationem contractis, absoluendi in forma ecclesiae consueta, et poenitentias salubres, pro modo culpa, imponendi, participationi fidelium et communioni S. matris Ecclesiae restituendi; nec non quibuscunque catholicis Episcopis, gratiam et communionem sedis Apostolicae habentibus, clericos districtus Brassouiensis praedicti, ad omnes, etiam sacros, et presbiteratus ordines, ab eisdem suscipiendos praesentandi et ordinandi, atque ab eisdem sacros liquores accipiendi, ecclesias violatas reconciliandi, et gerendi, quae alias Decanis Brassouiensibus concedi a sede et ecclesia nostra Strigoniensi consueta fuerunt. — Datum Budae in Dominica Misericordia (XXX. Aprilis) anno Domini 1525. — Apud Benkő Milkou. Tom. I. pag. 241.

13. *Ladislaus Szalkanus, Archiepiscopus Strigon. ciuium vrbiū montanarum, ac Neosoliensium, in errores Lutheri lapsorum, vti et Budensium, salutē consulit, A. 1525.*

Conquestus es nobis saepius per literas tuas et tandem personaliter, quod in synodo nostra, Strigonii proxime celebrata, publice praesidentibus eiusdem, lamentatus, sectam et haeresim Lutheranam damnabilem tantum virium in locis illis montanarum sumsisse, et adeo mentes Christi fidelium a discipulis Lutheri, institutis eiusmodi pestiferis imbutas esse, ut doctrina Euangelica et religio nostra catholica passim iam istic coeperit hominibus esse contemptui. Inter alios autem sectae Lutheranae professores, significaueras nobis quemdam Conradum presbiterum, Plebanum sancti Georgii Budensem, istic esse, qui concionibus suis prauis, et haereticis, populum Dei a vera Dei religione auerteret. Hi nunc, ex dispositione Diuina, hic Budae deprehensi, sunt sub custodia. Volumus itaque et tibi sub excommunicationis poe-

na committimus, prout etiam Plebanis Crempniciensibus et Zoliensibus per alias literas nostras commisimus, quatenus cum documentis tuis omnibus et probationibus, quas ad conuincendos hos, Conradum et Johannem Czyslingh, super concione eorum haeretica habere poteris, vna cum praedictis plebanis Crempnicen. et Zolien. ad nos statim, visis praesentibus, sine mora vlla venire debeas. Si enim haeretici et errorum Lutheranorum professores comperti ipsi fuerint; eos, vt demerebuntur, puniri faciemus, nec patiemur in Ecclesia Dei eiusce modi haeresim augeri. Aliud poena sub praemissa facere non praesumas. Ex Buda, in Dominica Rogationum, anno Domini 1525. — Ladislaus, Archiepiscopus Strigoniensis m. pr.“ — E tabulario Neosoliensi.

Ciues etiam Germanos Budenses, Lutheri dogmata inter primos adoptasse, plurima sunt indicia: Seuerinus Sculteti, minister Bartfensis memorat apud Walaszkiem in Tent. p. 63. „Scribit quodam loco D. Thomas Faber, m. p. successor D. Leonardi Stoekelii in ludirectoratu Bartfensi, et praceptor noster charissimus, quod audierit a senibus fide dignis, adhuc sub Ludouico II. Rege Vngariae, circa annum Christi 25. Budae coepisse Euangelium; sed inde pulsos esse Euangelii professores; inter quos et Simon Grynæus et Vitus Vinsherrius, viri excellentia docti, qui scholae Budensis, et fortassis etiam Bibliothecae, relictæ itidem a Mathia Rege, praefecti fuerant. Relicta Vngaria redierunt in Germaniam. — De eodem Grinaeo praeterea Melchior Adami haec et habet: „Eum Windobona, vbi Graecas literas legere iussus erat, Budam esse vocatum; vbi cum aliquot annis scholae praefuisset, atque religionem Euangelicam amplexus; accusatum a monachis, in carcerem esse coniectum; ex quo tamen nobilitatis Vngariae intercessionibus eum tandem liberauissent. Ex Pannonia igitur Wittenbergam concessisse; ibique multa cum Luthero et Melanchtone, super Religionis negotio et aliis rebus, contulisse.“ Ibid.

14. *Idem Ladislaus A. Ep. Saxones Lutherisantes, coërcere nititur. A. 1526.*

Nos Ladislaus D. gr. Archiepiscopus Strigoniensis (prolixas ad Decanos Cibinensem et Coronensem dat literas, seuerissime praecipiens, vt eos, qui libros non redditos Lutheri legerint, emerint, vendiderint, aut eius doctrinam amplexi fuerint, et ab Ecclesia Romana secessionem fecerint, sacrorum communionem interdicerent idque diebus Dominicis et festis, cum pro concione dicturi essent, ex suggestu vulgarent). Datum Budae. A. 1526. — E collectaneis Eder.

Martini Lutheri nouitium dogma in infaustum conflictus Ludouici II. Regis Hungariae aduersus Turcas ad Mohács exitum influxisse Cochlaeus, scriptor synchronus apud Pray Annal. V. p. 96. testis est: „Non solum plebs et rustica turba, verum etiam plerique optimates, ac nobiles, trahebantur in fauorem noui Euangelii, atque in odium antiquae religionis, et cleri. Vnde, quum absque seditione et tumultu nouitas illa prohiberi aut tolli non posset; principes et ordines imperii concluderunt suspensiuæ: vt quisque in causa religionis ita se gereret, et in terris suis ageret, sicut confideret, iustificare se coram Deo, et coram caesarea Maiestate posse. Hinc suspensis in hunc modum animis, cum nulla esset certa pax, aut securitas, factum est vt nemo Germaniae Principum opem tulerit Regi Hungariae, ac Bohemiae, Ludouico, in cuius fines Turcarum Imperator magnis copiis iam ingressus erat; nam et domi nihil erat securum a seditionis subditorum animis, et omnis miles a Luthero inuoluntarius iam pridem redditus fuerat ad proficiscendum contra Turcas; scripserat enim ille: Quod praeliari aduersus

Turcas, sit repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras, per illos; scripserat, nos hactenus nihil habuisse prosperum aduersus Turcam, et vires eius, atque imperium nostris bellis aucta esse in immensum; scripserat: non licere Christianis bellare, sed vim et iniurias pati; scripserat denique: Turcam esse decies probiorem, ac prudentiorem Principibus nostris, ideo nihil prosperitatis a nostris expectandum esse; nec quidquam esse contribuendum contra Turcas. Derelictus itaque ab omnibus Germaniae Principibus pius, innocens, ac inelytus rex Ludouicus, Caesaris nostri sororius.“

15. *Stephanus de Werböcz, Regni Palatinus, Ciues montanarum ciuitatum, per concionatores Lutheranos ad seditionem excitos, componere studet. A. 1526.*

Nos Stephanus de Werbewcz, Regni Hungariae Palatinus et seruus, Comanorum Iudex memoriae commendamus, — quod cum superioribus diebus intestina quaedam seditio et tumultuaria, perniciosaque per inferioris status et conditionis homines aduersus superioritatem in ciuitatibus montanis, videlicet Cremnicien. Schemnicien. Bistricien. insurrectio facta, concitataque fuisset adeo, vt authores et ductores eiusmodi seditionum rudem et simplicem populum blandis interdum sermonibus, saepe numero verò terroribus et comminationibus, suis factionibus adhaerere, in vnumque eos coniurare, et confoederari, eiuscemodique confoederationem etiam iuramento firmare coëgissent; vnde secutum extitisset, vt inani, vanaque spe — seducti, non solum ciues, et inhabitatores praedictarum ciuitatum, a quibus stipendia consueta semper habuerunt, non recognoscere, verum etiam in camerarios Regios temere insurgere, domum seu cameram suam regiam armata manu inuadere, ipsisque Camerariis rebellantes, et eos non ad solitam iustamque et debitam, sed inconsumtam quamdam, imò talem qualem voluissent, laborum suorum restitutionem atque solutionem compellere, et literas quoque regias ad eos, vt desisterent, crebro datas, contemptui habere coepissent. Serenissimus Princeps et Dominus D. Ludouicus, D. gr. rex Hungariae et Boh. etc. dominus noster gratiosissimus, frequentibus querelis et supplicationibus fidelium suorum, tum praefatorum ciuium et inhabitatorum praescriptarum ciuitatum montanarum tum vero camerariorum et officialium suorum impulsatus, pieque motus, ad reprimendam huiusmodi seditionem detestandam Lutheranam etiam sectam, et haeresim pestiferam, quae interea in ipsis ciuitatibus et circum circa easdem, et praesertim in medio praedictorum seditiosorum, ex praemissa ipsa venditata licentia, ac quorundam haeresiarcharum concionatorum subdola seductione, atque dogmatizatione irrepserat pariter et inoleuerat, eradicandam et extinguendam, nos vna cum magnifico D. Gaspar de Rajka, Comite Temesiensi, duxerat deputandos. Dum itaque ad hanc Bistricen. alias Nouizolii dictam ciuitatem cum pleno mandato et auctoritate Suae Majestatis venissemus, partibus ambabus, hoc est iudicibus et iuratis ciuibus praetactis ciuitatum montanarum ab vna; nec non plurimis rectoribus et montanistis earundem, ciuitatis scilicet oppidi Hodrych parte ex altera, — coram nobis comparentibus ac vltro citroque et in alterum querimonias, propositiones, obiectiones et allegationes nonnullas proferentibus, illisque per et eundem D. Gaspar, ac

egregios et nobiles, plerosque viros huius Zoliensis Comitatus, nobiscum in discussione, et examine praemissae contentionis et differentiae pariter constitutos et con-sedentes, intellectis et calculatis, ac ad vnguem ruminatis, licet videbantur quidam articuli, per praenotatos rectores et laboratores producti, pro eorum parte ad rem aliquid conducere; nusquam tamen visum fuerat, vel naturali, vel positua siue ciuili lege, aut canonico iure admittendum et tolerandum, vt ipsi propria temeritate vel conspiratione in dominos insurgere, et ab eisdem illam tumultuarie, coactioneque magis, quam petitione exigere; et, quod potissimum est, camerariis et officialibus vtriusque maiestatis rebellare, in domum seu cameram suarum Maiestatum armata, violentaque manu irruere, eosdem camerarios ad inconsuetam, imo iniustam solutionem abusiuo modo compellere; literas item regias vilipendere, et contemptui habere, potuissent aut debuissent. Quamuis et facientes, et consentientes pari poena sint puniendi, ne tamen seueritatem iustitiae lenitate misericordiae, non temperasse iudicemur, cum et alioquin simplicem et rudem populum fraudulenta persuasione, mortisque et verborum comminatione, per authores et capita seditionum praenarratarum deceptum, atque seductum, Lutherana etiam haeresi per praeallegatos concionatores imbutum, ac deprauatum, euidenti sufficientique testimonio, et alias ex rei ipsius notorietate palam agnouerimus: sana proinde et matura praefatorum Gasparis de Ráska, nostri in hac parte collegae aliorumque nobilium huius Comitatus Zoliensis, deliberatione et discussione praehabita seductores, capitaque et authores, praemissae seditionis, qui intercipi detinerique poterunt, vltimo supplicio, capitalique sententia feriri et exterminari facientes; qui vero euaserunt, et aufugerunt, nota perpetuae infidelitatis, et confiscatione omnium rerum ac bonorum ipsorum condemnantes; reliquis autem vniuersis et singulis, qui tempore latae sententiae proscripti et publice pronuntiati non fuerunt, auctoritate regia — gratiam facientes, eosque super cunctis — quorumlibet malorum actuum generibus, in confoederatione praemissa hactenus per ipsos illatis et irrogatis, sub conditionibus infrascriptis quittos, expeditos, — reddentes, commisimus etc. Datum in Ciuitate Bistriciensi praedicta in pro festo beatorum Tiburtii et Valeriani Martyrum, anno Domini millesimo quingentesimo XX. sexto.“

Ex authographo ciuitatis Neosoliensis. — En secessionis Lutheranae amarus fructus!

16. *Capitulum Cibiniense, vim, iniurias, technas, quas Catholici a Lutheranis patiuntur, Archiepiscopo Strigoniensi percenset. A. 1526.*

Capitulum Cibiniensis Ecclesiae. — In ciuitate Cibiniensi, vbi fundamentum est Lutheranae haeresis, in domo Magistri Joannis Csukás (Hecht) facta est quaedam schola per quemdam scholasticum; vbi canitur symbolum Nicaenum Germanica lingua, et aliae cantilena, Missam et alia officia Diuina concernentia, vxor et verrulae pueri et tota familia canunt, et nituntur Missam facere Germanicam. In domo eiusdem fouetur vnus apostata, qui fuit ex ordine Praedicatorum, nomine Georgius, qui

dicit se absolutum ab habitu et religione, tamen hactenus non exhibuit absolutionem praedictam, quam prae se ferebat. Iste irrequisito Pastore Plebano, in Ecclesiis filialibus praedicat, seducens populum ab obedientia, a ieiuniis, et praeceptis Ecclesiasticis, dicendo illa, quae placent populo; volens se ingerere ad officium Praedicationis, per pecuniam non accipere ita, ut possit plebem seducere; is missus est per Ambrosium Silesitam, quemdam praedicatorum Cibiniensem ex partibus illis, ubi degit Lutherus, ut populum retrahat ab Ecclesiae Romanae obedientia et suorum praedicatorum Ecclesiasticorum. Idem Apostata manifeste gloriatur, se accepisse mandatum a Domino Magnifico Iudice Regio, ut Cibinii maneat, donec ipse de Buda redeat; cum tamen Magistratus totius civitatis Cibinii decreto suo, ad petitionem Dominorum Capitularium iusserit, ut civitate exeat; ipse vero nihil curavit, et dixit animo impropere: et si crepent Plebanus et Decanus, ac etiam Domini Senatores, ad despectum eorum ego Cibinii manebo; timenda est seditio breui. Adueniunt plerique istius pessimae sectae Lutheranae homines, Professores, Clerici et Laici, in Civitatem Cibiniensem: nam ibidem fouentur et diliguntur; extra civitatem vero nulli per totam Transilvaniam admittuntur; illi propter despectum Praelatorum Ecclesiasticorum ibidem honeste, a Cibiniensibus, tractantur. Senatus Cibiniensis sollicitus apud Plebanum, ut huiusmodi praedicatores ad praedicandum admittantur, et cum non possit eis resistere Dominus Plebanus, necesse habet, eos admittere ita, ut isti Prophetae, aut mali Praedicatores, populum in errorem ducant. Idem Apostata in conuiuio mercatorum, et civium informat et manifeste, Euangelium fuisse absconditum plusquam 400. annos. Sacerdotes dicit, nullam veritatem praedicasse; Christianos esse liberos, libertate Evangelica; non esse obnoxios inuentioribus humanis, et statutis Patrum; etiam per huiusmodi sacrilegas doctrinas ipsi Lutherani in praedicto Cibinio venerantur a Mercatoribus fere omnibus velut idolum, et tamen trahuntur cum optimo affectu ad conuiuia, etiam ad altercationem usque; cum quo? isto vel illo civi debeant cibum capere, ex qua officiositate ipsi coeperunt cornua erigere. Item destructa est fere iurisdictio Ecclesiastica: nam paucissimi illam experiuntur, quandoquidem omnes propemodum vigore iussionum et minis ultimi supplicii inferendi, forum declinant dicentes, se habere iudices seculares, se nolle coram sacerdotibus litigare, et in causis mere spiritualibus, ut matrimonial. et inter clericum et laicum; fundamentum istius dissidii quis sit, Orator dicit. Item: Oratorem praesentem iste Magistratus constituit priuare beneficio suae Plebaniae sua duntaxat auctoritate fruiturus. Apostatas tolerant, artificia mechanica eos adsciscere permittunt, etiam apostatis in sacris Ordinibus, vel subdiaconatu existentibus, et eis magnam habent complacentiam. Resonant Cantilenam solitam in die Natiuitatis Domini, et totius eiusdem solemnitatis laudem, in maximam iucunditatem decantant. Lutherani mali homines Cibinienses, transmutarunt in linguam Germanicam, in non modicum scandalum immiscentes scurrilia verba, cum tamen illud canticum sit, a principio iuste ac deuote in praeconium recenter nati pueri, Filii omnipotentis Dei, contextum. In Ecclesia beatae Elisabeth, in civitate Cibiniensi, est quidam Monachus griseus,

indoctus, et fere idiota similiter Silesita, qui in omnibus Sermonibus debachatur in statum Ecclesiastici Ordinis. Lutheranus hic fouetur, ab ipsis negociatoribus, velut lucem propinans, cum tamen fere omnes suae praedicationes tenebrae sint et errores; nil, nisi venenum Luthericum prae se ferentes. Vocamur ad praelium in Turcas, et mandatur nobis sub poenis, in congregationibus regni transilvaniensis scriptis, hoc est sub poena capitis et omnium honorum videlicet, belligerare debeamus contra libertatem Ecclesiasticam; non curantes facere huiusmodi constitutiones contra clericos, cum tamen ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, sicque multae animae ibunt in perditionem, ex Pastorum negligentia. Petunt humiles Capitulares Reuerendissimae Dominationis Vestrae, salutare ac acceleratum remedium: The-saurarius et alii regni aulici in curias Plebanorum descendunt, victum ibidem pro se, et pro iumentis distrahunt, consumunt, vi etiam rapiunt; Clericis dicas imponunt, eosque mirabiliter vexant, minantur etiam honorum spoliationem, excommunicatio vero apud nos exstincta est, et pro nihilo reputatur. Plebanus Cibiniensis, Reuerendus Mathias Ramaschi, non auderet sub vitae priuatione aliquem renunciare excommunicatum. Decanum Capituli Cibiniensis, Petrum Thonheuser, Pastorem Horrei Maioris, hoc est Vicarium reuerendissimae Dominationis Vestrae, quidam negociator Cibiniensis, vno aut altero equite in campo fecit circumueniri, angustiari, terreri, et molestis verbis, tantum non verberatum, equites ipsum relinquerunt. Ecclesiam quamdam parochialem in paruo Horreo dominus Magnificus, dominus Regius Iudex, Marcus Pemflinger, fecit violari; fores eiusdem violenter demoliendo, nulla Reuerendissimae Dominationis Vestrae Vicarii habita autoritate. Nam adeo inualuit ista pestis Lutherana, vt etiam in ciuitate, vbi Lutherus degit, testibus de hys partibus venientibus et nobis referentibus, magis saeuire non possint. Cibinienses seducunt populum, in villis circum circa, et in sedibus Saxonicalibus, inficiendo eos, dicta haeresi perfida, ita vt rustici insultent Pastoribus eorum. Ceremonias illas sacro sanctas in festo Palmarum et magnae sextae feriae, omnino despiciunt, et benedictiones comestibilium die Paschatis nihili facientes. Villam vnam Christianam nomine Bongarth, ciues Cibinienses deuastarunt, et Saxones mandarunt, vt dictam villam exirent, et ita indirecte Plebanum plebania sua spoliarunt, qui prope diem cogitur stipem mendicare. Mathias Armbruster, Consul Cibiniensis, cum suis subditis, Petrum Pileatorem, Pastorem Bongarthensem, vi eiecerat, et clientem suum, Georgium de Olzona in locum eius suffecerat. Oblegia consueta, in quatuor festiuatibus anni, Sacerdotibus non dant; sed nec pullos gallinaceos, decimales, imo, quando Domini Capellani Cibinienses, de more antiquo, alias laudabiliter obseruato, vadunt pro dictis pullis colligendis, probris eos afficiunt, et verba stulta euomunt. Die sanctissima Corporis Christi, et per totam octauam prout ordinauit sancta Mater Ecclesia, Plebanus Cibiniensis solennes facit processiones, cum corpore Christi, mane in summa Missa, et sero in Vesperis. Tunc quidem Cibinienses nonnulli blasphemiam magnam perpetrarunt, et aliqui dixerunt: Sacerdotes nostri credunt, Deum factum esse coecum ex quo tot luminaria accendunt. Alii dixerunt: Sacerdotes nostri arbitrantur,

Deum esse puerum, qui velit instar puerorum duci, et portari in brachijs vetulorum, circum circa per ciuitatem, concludentes esse stultitiam et sacerdotum fraudulentorum deceptionem. Detrahunt sanctissimae beatae Mariae Virgini; exequias mortuorum explodentes; horas canonicas esse stultam temporis contritionem; volentes sanctimoniales et alias personas a seruitio diuino retrahere, dicentes: Christum docuisse, nos tantum orare, Pater noster, qui es in coelis, etc. Et nunc in domo Magnifici manet apostata, quia de domo Domini Magistri Joannis Csukas eiectus est. Reuerendissime Archipraesul, his molestiis fatigati oramus per viscera misericordiae Dei nostri, succurrat nobis suo patrocinio Dominatio Vestra, qui etiam nimis attriti iniuriis hiscere vix valemus, seu hiare. Quandoquidem, si modo reuerendissima Dominatio Vestra auctoritatem suam silentio praetergressa fuerit, postea super reuerendissimam Dominationem Vestram et super nos indignos Capellanos fulminabitur illud verbum: Facti sumus opprobrium hominum, et abiectio plebis." — Datum Cibinii VI. Julii Anno 1526." — Apud Haner operis citati p. 167.

Querelis his motus Ludouicus, Solymano Turcarum Sultano, in iugulum Hungariae appropinquante, conquirendis viribus vtut occupatissimus, prius tamen quam Buda discederet, Pemflingerum datis XVII. Julii ad eum literis, „officii admonuerat, annexae gratiae regiae promissione, si deinceps sectae illius homines omni studio, viribusque persequeretur, et iniuncta poena afficeret. Non poterat mandato parere, quia Regem potius hostem experiri, quam conscientiae saae deesse volebat Comes; ne tamen rebellionis argui quiret, cum Rex per Joannem Comitem Seepusiensem, prouinciae Vayuodam, omnes Pastores et Scholasticos per Transiluaniam, relicto tantum vno presbitero pro duabus Ecclesiis, sub amissione capitis et confiscatione omnium bonorum, ad bellum contra Turcam euocauerat, arrepta hac occasione, expeditionis bellicae causa ad Regem proficiscebatur; religionis negotium ad reditum vsque differens." Idem Haner l. c. p. 179. — Conserta, copiarum inopia, concordiaeque defectu, infelicissimo euentu, ad Mohacsium pugna, Regeque in palude ad vicum Selye absorpto, Regni inter Ferdinandum Austriae Ducem, ac Joannem Zapolyam, Vaiuodam, inauspicata seissione, maximum Religionem et Ecclesiam Catholicam in Transilvania Pastoribus exhaustam, mansit discrimen. Profanis militibus, Zapolae sequacibus, ipso dissimulante, Episcopatus occupantibus. Transiluanensem Franciscus Dobó inuaserat. Mox bicipitem inter Joannem Statilium, Zapolae legatum, et Nicolaum Gerend, quem illi Ferdinandus opposuerat, factum, debite curare neuter, is plurimum absens, alter in prouinciam haud admissus, potuit; inter aemulos destitutam Lutheri asseclae, e ditone, quam iam corruperant, Strigoniensi, in Episcopi quoque Transiluanensis dioecesim penetrarunt; Isabella rerum potita, aut potius Petrouicio, qui eam circumsidebat, connuente, Caluini etiam sectatores in eam prouinciam sese insinuauerant, radicesque egerant ita, vt mox et Georgii Martinusii Episcopi, et Principum Báthoriorum operam luserint. Ex his liquet vna, quibus etiam in Hungaria viis, artibus, atque patrociniis hoc disturbiorum tempore, in malum eius maximum inualuerint.

17. *Martinus Lutherus, Mariae Reginae Viduae, submissis psalmis quatuor a se versis, lenocinatur, et catholicos calumniatur. A. 1526.*

M. Lutherus — ad Mariam Reginam, Ludouici II. viduam — Constitueram mecum, piorum hominum impulsus consilio IV. hos psalmos Maiestati Vestrae inscribere; qui commonefacerent, vt Maiestas Vestra sanctum Dei verbum alacriter, et hi-

lare porro pergat, in Hungaria promouere. Secunda quippe fama ad me peruenit, Maiestatem Vestram ad euangelium esse propensam; attamen ab impiis Episcopis, qui magna potestate in Hungaria praediti, et maximam eius partem possidere dicuntur, admodum impediri et auerti, vt effusi etiam nonnullius innocentis sanguinis auctores exstiterint, ac in veritatem verbi Dei crudeliter desaeuierint. — Kalendis Decembris. Anno 1526.“ Apud Kollár pot. legislat. p. 124.

Quantum est inter euangelium ab Apostolis, et a M. Luthero propagatum, discrimen. Illi signis, vitae suae sanctitate illud fundarunt, quod Lutherus verso ad genium suum euangelio, lenociniis et calumniis satagebat contaminare. Episcopos enim nostrates innocentis sanguinis effusi auctores fuisse, in veritatem verbi Dei desaeuisse, Hungaros se Dei defensores in litiis professos fuisse, impudens calumnia fuit. Antesignani sui notam sectati sunt Aetholici: Calumniare audacter, semper aliquid manebit!

18. *Paulus de Wárda, A. Ep. Strigon. datis ad Parochum Neosoliensem literis, in Lutheranos inquiri iubet. A. 1530.*

Paulus de Wárda, Dei et apostolicae sedis gratia, Archiepiscopus Strigonien-
sis, primas Hungariae, legatus natus, ac summus cancellarius regiae Maiestatis etc. Discretionis vestrae in solidum, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, districte praecipimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, statim, citra vllam moram personaliter ad ciuitatem Scibniciensem accedatis, ibique ab omnibus, vtriusque sexus hominibus, fide dignis et catholicis, recepto ad sancta Dei euangelia iuramento corporali, seorsim inquiratis, et interrogatis; si sciat pro certo aliquos ex plebanis et Sacerdotibus ac clericis, cuiuscunq;ue status et dignitatis, existant laborare haeresi Lutheriana; si palam et publice hanc damnatam sectam doceant, et praedicent; si dies ieiuniorum, ab Ecclesia statutos, obseruent; si ab esu carniū et lacticiniorum, et similium rerum, quarum vsus diebus ieiuniorum et quadragesimali hoc tempore prohibitus est, abstineant; si mulierculas focarias loco vxoris publice teneant; vel, quod deterius est, si in facie Ecclesiae matrimonium contraxerunt; et generaliter in quibus articulis fidei nostrae christianae errant, et falsa docent; et post haec dicta et attestaciones eorundem testium fideliter conscribatis, conscriptaque clausa et nemini reuelata, praesentibus etiam inclusis, statim, absque vlla crastinatione, ad nos vel Vicarium nostrum in spiritualibus, mittere debeatis, et teneamini, et nichilominus illos, qui inuenti fuerint in hanc labem et haeresim Lutheranam incidisse, ad terminum reportationis huiusmodi attestacionum, ad audiendam iudiciariam nostram deliberationem, cum solita certificatione, in nostram praesentiam citetis peremptorie. — Datum Strigonii V. die mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo.“ Ex archiuo Neosoliensi.

19. *Idem Archiepiscopus etiam Magistratum Neosoliensem, eius rei gratia, humanissime requirit. A. 1530.*

Paulus etc. Prudentibus et circumspectis Iudici, et Juratis ac vniuersitati Christi fidelium ciuitatis Neosoliensis, salutem in Domino. Quam quam rectissime sciamus,

dominationum vestrarum progenitores ac maiores earundem, in vnitae sanctae Matris Ecclesiae semper vixisse, et veram Christi, Saluatoris nostri, fidem sincere ac religiosissime, iuxta ritum et consuetudinem sacrosanctae Romanae et vniuersalis Ecclesiae ac sanctorum Patrum instituta coluisse; intelleximus tamen, quod non sine graui animi nostri dolore referimus, inueniri quosdam in ciuitate ista Nouizoliensi, qui, falsis doctrinis, quorundam plebanorum, et praedicatorum, ex communitate dominationum vestrarum infecti non recte cum sacrosancta matre Ecclesia sentirent, nec fidem nostram Christianam religiose ac pie secundum Deum, iuxta sanctorum Patrum constitutiones seruarent, sed lapsi in damnatam haeresim Lutherianam, toto in orbe christiano interdictam et explosam, tamquam ab Ecclesia catholica praecisi errant; quare nos abominationi et errori detestabili, dispendiisque salutis animarum, pro debito officii nostri pastoralis occurrere ac mederi volentes, requirimus, hortamur, et monemus vos per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi, perque fidem et religionem veram, ac salutem maiorum vestrarum, vt tales haereticos et in haeresim sacrilegam delapsos, vosquoque requiratis, hortemini et moneatis, ac omnibus remediis etiam carcere et aliis id genus poenis sectam illam blasphemam, falsam et haereticam abiurare et in vnitatem sanctae matris Ecclesiae redire compellatis; presbiteros et alias personas, qui sectam eandem profitentur, docent, aut publice in ambone praedicant, vinctos ad nos in compedibus ferreis mittatis; quod si ex hys, qui Lutherianam sectam profitentur, asserant, hanc sectam esse veram et catholicam, parati sumus eos audire. Et, si recte eum Ecclesia senserint approbabitur; sin secus aperiemus illis veritatis viam et ab errore reuocabimus. Datum in arce nostra Strigoniensi. Feria tertia proxima post Dominicam Laetare (V. Aprilis) anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo. Paulus Strigoniensis m. p. — Indidem.

20. *Idem Parochum Bistricensem, quid et quomodo contra Lutherisantes docere debeat, instruit. A. 1530.*

Paulus etc. — Intellexeramus superioribus diebus, quosdam in montanis illis pestē Lutheriana infectos esse, et a vera christiana religione aberrasse. Nos ex debito pastoralis officii nostri per literas nostras hortati sumus prudentes et circumspectos viros, Judicem et Juratos, ac totam communitatem illius ciuitatis Bistriciensis, vt ipsi, veram Christi religionem et eius praecepta ac sanctorum Patrum vestigia sectantes, alios, si qui essent, qui a vera religione Christiana seducti essent, in viam verae fidei Christianae reducerent. Ob hoc Christi fideles ciues ciuitatis Cremniciensis miserunt ad nos, et sanctam matrem Ecclesiam, et declarantes; se esse vere Christianos, ac fidei nostrae orthodoxae cultores, nec in minimo quidem ab euangelica veritate, et sanctorum Patrum traditionibus dissentire, velleque in omnibus praeceptis Ecclesiae se subiicere. Misimus Plebano et concionatori ipsorum certas literas nostras, sanam et religiosam doctrinam et informationem continentes, quomodo praecepta diuina et euangelicam veritatem, ac doctrinam Apostolorum Christi fidelibus

praedicare debeant. Quas et vobis etiam misimus, vt secundum hanc informationem nostram gregi Dominico, fidei vestrae commisso, praedicare debeatis. Ex arce nostra Strigoniensi, feria sexta proxima ante festum Beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum, anno Domini 1530.“ Indidem.

21. *Idem refutato capitali Lutheri dogmate, saluberrima fidei ac morum praecepta praescribit. A. 1530.*

Paulus etc. Quoniam teste D. Bernardo nihil magis temerarium, magis, magisque praesumptuosum in Christianismo, quam antiquum Ecclesiae ritum quemque pro suo sensu et arbitratu conuellere, traditiones sanctas abolere, ceremonias tollere, vsum diuturna consuetudine approbatum, rescindere, et hys commenta noua superinducere. Volumus itaque vt nichil, praeter verbum Dei et doctrinam, — iuxta tamen sensum et interpretationem Doctorum ab Ecclesia receptorum, et approbatorum — populo fideli, reiectis et ablegatis omnibus sycophantiis — — Calumniis — Sabellianorum, Nestorianorum, Donatistarum, Manichaeorum, Waldensium, Wycliphistarum, Hussitarum, — Anabaptistarum, Oecolampadianorum, Wyglaucianorum, Knominianorum et id genus portentorum praedicetur, publicetur et diuulgetur. Statuimus et ordinamus, vt sacerdotes et ministri altarium, qui quotidie in Ecclesia Dei praesto ad orandum et offerendum pro populo, veluti caeteris mundiores esse debent, a conuictu feminarum prorsus abstineant. Si enim, vt Apostolus inquit, ab vxoribus, vt expeditius orationi vacetur, cessandum est, ministris Altaris, quibus cotidiana orandi pro peccatis incumbit necessitas, nunquam vtique coniugali officio vacare permittitur. Statuimus praeterea et ordinamus, gloriosissimos Christi athletas, qui exuti mole corporea, ad amoena nos paradisi praecesserunt, vti veros et indubitatos nostros ante tribunal Christi patronos, et interpellatores, summo religionis cultu, studiisque et deuotione pientissima ab omnibus coli, reuereri, et obseruari. Statuimus et ordinamus, vt nemo prorsus concionatorum dioecesis nostrae asserere praesumat, per solam fidei professionem sine bonis operibus eos, qui iam ad aetatem discretionis peruenerunt, saluari posse; habundare enim nos Apostolus vult in omni opere Dei semper, eosque solos, vitam aeternam consequuturos, qui non solum bonae professionis, verum et vitae, ac conuersationis, reperti fuerint. Quia ieiuniis, et abstinentia cibi ac potus corpora humana temperantur, vti pigriora circa desideria carnis effecta possint digna inueniri resurrectione futura: statuimus, vt omnes dioecesis nostrae fideles ieiunia ab ecclesia Dei indicta diligenter, et studiosissime obseruent, ab esuque carnum, statutis ieiuniorum huiusmodi diebus, prorsus abstineant. Statuimus et ordinamus, vt festa, quae per statuta nostra synodalia quo deuotius et liberius diebus eisdem orationi vacetur, et ad verbum Dei audiendum conueniatur, in honorem Dei ac Sanctorum eius, instituta sunt, summa veneratione, cultu et obseruantia custodiantur. Statuimus et ordinamus, vt omnes dioecesis nostrae fideles, semel saltem in anno, iuxta statuta conciliorum et generalem Eccle-

suae Dei consuetudinem et obseruantiam per confessionis vocalis et Poenitentiae salutaris remedia omnino et impraetermisse purificentur. Cum Praelatis Ecclesiarum id inprimis, iuxta Apostoli sententiam, cordi esse debeat; vt obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, fructus labiorum confitentium, nomine Dei in Ecclesiis, curae eorum creditis, iugiter et sine cessatione, summa animi deuotione, fieri, peragi, et exerceri faciant; statuimus et ordinamus, vt omnes orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, ceremoniae ecclesiasticae, cultusque diuinus, ab olim in ecclesiis, iurisdictioni nostrae subiectis, et in honorem Dei, et Sanctorum eius ad deuotinam fidelium excitandam seruari solitus, diligenter et irrefragabiliter, nunc quoque et in posterum absque vlla diminutione, seruetur; quo quietam et tranquillam vitam cum omni sanctimonia et pietate agentes, iram et indignationem Dei omnipotentis, quam delictis nostris exigentibus, incurrimus, pluribusque iam annis propterea flagellamur, auertere et gratiam ac fauorem, misericordiamque eius promereri in tempore opportuno valeamus. Datum ex arce nostra Strigoniensi feria sexta proxima ante BB. Philippi et Jacobi Apostolorum (XXIX. Aprilis) Anno Domini millesimo, quingentesimo trigesimo. Paulus Archiepiscopus Strigon. m. pr. — Indidem.

Joannes Zapolya, in bonis Ecclesiasticis secularibus alienandis liberalissimus, religioni Catholicae mortem vsque institit; contra Latheri asseclas tulit seueras etiam quasdam sententias, quae interciderunt; ast illas executioni non dedit. Hist. Diplom. Euangelicorum fol. 14.

22. *Ferdinandus Rex Hungariae, Esaiam, Apostatam Monachum, a Bartfensibus concionatorum acceptatum, capi, atque Agriam mitti iubet. A. 1534.*

Ferdinandus etc. Intelleximus, apostatam quemdam; Esaiam nomine, ex Marchionatu nostro Morauiae, ob peruersos mores, et prauam eius doctrinam, turpius expulsum, a vobis in concionatorem vestrum assumptum esse, quod nobis non parum displicet; cum manifeste vobis constet, illum dogmati peruerso, quod incredulam plebem venenatis aculeis seminare non erubuit, aliis plurimum nocuisse. Quare quiduis potius attentandum fuisset, quam ab aliis iustissima causa reprobatum a vobis probari et acceptari. Quum autem mens nostra sit, nequaquam huiusmodi criminis notatos in regno isto nostro et sub potestate nostra sufferre aut pati; ne ex prauo principio ea sequantur, quae et communi regno, et vobis caeterisque fidelibus nostris queant incommodare, aut irreparabile damnum aliquando generare; idcirco fidelitati vestrae firmissime committimus et mandamus, vt iam dictum Esaiam concionatorem, mox visis praesentibus, e vestigio capiat, et sic captum, et bene munitum ad ven. deuotum, nobis dilectum Michaëlem D. Praepositum Colocensem, Vicarium Agriensem mittatis, eique illum praesentetis. Secus obtentu gratiae nostrae minime facturi. Datum in arce nostra Regia Praegae, die septima mensis Junii anno Domini 1534. Regnorum rostrorum Rom. 4. aliorum 8. Ferdinandus m. p. Ad mandatum suae Maiestatis Joannes Maius. Apud Wagner Dipl. Sáros p. 496.

23. *Gregorius Simontornyensis, novitiorum dogmatum praeco, Gregorium Caelium, ordinis Paulini decus, ad defectionem a fide sollicitat. A. 1534.*

Frater in Domino dilectissime! Gratia et pax a Deo Patre per Jesum Christum, vt tuae dominationi adiiciatur, vobis omnibus postulo. Vt postillam patris Lutheri dominatio vestra habeat, admoneo. Nam sol hic ea postilla librum elegantiore non vidit. Vale Anno 1534." Apud Benger.

Pax tibi, frater. Libenter legerem postillas, quas mihi vltro et satis amice persuades, nisi — monstrum essent. Verum quum mihi proletarii non multi placeant, adduci non possum vt ingenium cuius committam. Deo gratias, qui mihi veritatem in sensu scripturae sacrae aperuit, quae me caeterum dirigat in negotio fidei ac salutis, vt non opus sit damnatis quorundam postillis, mere mendacibus, mere vanidis. Ab auctore illo, quem commendas, publicis Ecclesiae ac sedis apostolicae interdictionibus prohibeor, alioquin forsitan, tua dumtaxat commendatione, dum modo legendi facultas occurreret, legerem. Nolo enim cum mulierculis Salamoni facere commercium, ne abducatur. Dicam apertius: nolo Germanica illuue inquinari; eo quod timeam Dominum, qui mihi proposuit, non Lutherum desertorem sed Petrum Pastorem, cui dixit: *Pasce oues meas.* Ego ex his ouibus sum, qui pascor institutis Christi, et summi Pastoris eius; maxime cum scriptum sit: *Prou. 22. „Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.“* Termini antiqui decreta Pontificia sunt, quae transgredi fas non est, omni auscultanti ad Christum, et ad pastorem eius. Te vero homo, amice, quisuis es, ob fauorem, quem in me singularem geris, et amo et obseruo, oroque Dominum, vt viam sincerio rem mandatorum Dei inuenias et percurras. Vale et nube felix, dilectus peccatore viue. Ex Gombaszegh tertio Circumcisionis Domini die. Anno 1534. — Ibid.

24. *Idem Gregorius placita Lutheri exultat et commendat. A. 1534.*

Gregorius Musophilus a Simonytornya, sincerioris Theologiae alumnus, secretarius reuerendi et magnifici Domini Emerici Bebek, tuus frater deditissimus. Accepi mi frater, literas tuas, amoris sinceri, fraternique plenas, quas dispeream, si non ex animo, libenterque legi. Vt tamen ingenue fatear, quod sentio, video te decretis pontificiis plus iusto addictum esse, et paternas mordicus tenere traditiones. Sanctissimi enim patres nostri, qui D. Petro successerant, relicta veritatis via, vt Petrinis vtar verbis, fecerunt sibi decreta et extrauagantes; nescio, quas; et vereor ne in campis Elisiis apud inferos cum diis manibus vsque in hunc diem vagentur, citra vllum refrigerium; nam teste Petro, seducti sumus per magistros mendaces, vt Israelitae per pseudo prophetas. Non enim pontificia iura, sed suum filium dilectum paterna vox de coelo audiri iubet. Vbi vero, frater deditissime, nequis tuum ingenium scriptis fratrum tuorum — credere, videris, vt pace tua dixerim, nimis esse pusillanimis. Si enim Spiritus S. cuius sint Spiritus, probari praecipit, audenter, mi amice et animo Herculano omnia scripta tuorum confratrum ad scripturam S. velut

ad Lydium lapidem, exigas, rogo. Ad scripturam enim S. tanquam ad anchoram, nobis est confugiendum. Non enim papistica instituta, sed scripturas S. Christus scrutari nobis mandauit. Statuta enim, iura, decreta, extrauagantes, et vt vno verbo complectar omnia, omnes humanas traditiones, fortiter et strenue Apostolica conuellunt scripta; Christusque inprimis eneruat, Matth. 15. inquiens: „Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus coelestis, eradicabitur.“ Metuis colluue Germana infici; sed interim non formidas Antichristi discipulum agere; Lutherum desertorem obiicis? bene dicis: Si Antichristianae factionis transfugam intelligis. Salamonis in prouerbiis sententiam, vt accipio, non tenes probe; nam pontificia decreta et id genus nugarum, nunquam illi sapientissimo in mentem venerunt. Si vero concilia, Patres, vniuersitates, et eremitas veteres, mihi occinis, ego tibi insuero Christum et Euangelium eius. Si pergis conciliorum auctoritate me onerare; ego tibi, frater mi, tanquam homini amico, commonstrabo omnia, post Apostolorum aeuum, errasse concilia. Nam in Nicaena synodo vnus et vnicus Pafnucius, et quidem monoculus, plus damna ecclesiastici coelibatus, quam 80. et aliquot episcopi, perspexit. Si vero futura concilia praestolaris, pereundum erit nobis, si differatur pietas, quousque omnes aduersarii nostri persuasi erunt. Pro eo enim, quod dilectionem veritatis non recipimus, vt salui fieremus, emisit Deus efficaciam illusionis, vt credamus mendacio, qui veritatem non suscepimus: Ducti enim sumus ad simulacra muta: nam si Papa stat, Christus cadit; si Christus stat, Papa cadit. Apud germanam illuuiem — Papistica tyrannis labefactata est: nam Imperium Germanicum electores illos archiepiscopos, hoc est apostolos Antichristi, in aeuum abiecit, ne quid in re saeculari decernant. Amice, quamuis te nondum in carne viderim, libenter tamen ob diligentiam tuam, quam in musas et literas sacratiores praetefers, complector et vtinam possim ore ad os loqui, vt intelligeres papistas, omnia sacra profanasse et omnes haereses in sese recapitulasse. Nam si hactenus nondum tenuisti, nunc accipe mi amice, Papam Antichristum esse; et omnes creaturas eius, sectasque esse Antichristi Apostolos, et discipulos, a quibus totus orbis seducitur. Vale, frater animo meo amantissime, et monitus meliora sequaris, et viam meliorem alacriter percurras. Nam ego noui, in quo valetudinario iaceas. Commendo te gratiae Dei. Datae in desertis Hungariae in pro festo Epiphaniae. Anno 1534.“ Ibidem.

25. *Gregorius Caelius ad praemissa docte respondet. A. 1534.*

Accepi tuas hyperaspites, imo meas correptiones, homo amice, quibus blande admodum perinde ac scorpius apocalypseos, cum primis humana facie ludis. Ceterum autem, Deum immortalem! quam noxius sis! quantumue veneni aculeata cauda suffundas, incredibile est. Grauis tuae blasphemiae spicula tincta veneno, quibus velut alter Goliath in immensum euectus, tumide gloriaris; iactas verba; is, redis; nec spatio caperis; vibras hastile; execraris, carpis, sugillas, laceras, damnas, ac si nunquam tibi Pauli praeceptum occurrisset, quo festiuiter ait: „Nolite ante tempus iudicare, quoad veniat Dominus, qui illuminaturus est abscondita tenebrarum, et

manifestaturus secreta cordium.“ Nihil omnino attendens, quid idem Dominus, Iudex viuorum ac mortuorum, caueat praecipuis in praeceptis, dicens: „Nolite iudicare, et non iudicabimini. Neque enim hoc maius sequi poterit malum. Care Frater! longe aberrare te a vero scopo, video, quod in sermone statuas regnum Dei, et non magis in pietate, cui contrarium adstruxit Paulus, dicens: „Non in sermone esse regnum Dei, sed in virtute.“ In fide gloriamini vos vniuersi, qui in studio Lutherano statis otiosi, acerbissimi homines, quos iam pridem euomuit ex ore suo Christus, vt abiretis in reprobum sensum; vt contumeliosi effetis in Superos primum, deinde in pium quemque. Sed insana valde temeritas est, et intolerabilis arrogantia ea gloriari, quam quis suamet impietate sustulit, a seque abdicauit. Et quis vnquam fidem sine pietate ac sanctis operibus praesetulit? Nunquam fides tam infida fuit; nunquam tam contumeliosa, nunquam tam blasphema, nunquam tam vaga libidine saturata. — Qui habet sensum intelligat: quia magni Antichristi praecursores ii sunt haeretici, quos modo seculum habet. Vtinam non esses vnus ex eis, qui iugum iam pridem a ceruice excussisse videris. Ceterum, sanctissimi, ais, Patres, qui D. Petro successerunt, relicta veritatis via, fecerunt sibi decreta, summularia, extrauagantes: quos impie vereris etiam, ne campis in Elisiis vsque hunc in diem apud inferos cum diis manibus vagentur, per quos seducti sumus, vtpote magistros mendaces, vti Israëlitae per pseudo Prophetas. Quid hoc est, frater! quod ais? Cur in diuos patres veheris? Cur funesto probro insimularè eos non metuis? Non verbera in os patrem carnis tuae; et inexpiabile facinus est: sanctissimos spirituum progenitores infamare, inelubilis noxa est. Illi, magnifica gloria recepti, Deo reddunt cantica et nos miselli homurciones, contra mutire adhuc audemus? sed forsitan inconsiderate haec iniuria tibi excidit, aut felicius me tentare voluisse, credo: Dilectum filium paterna vox e caelo audiri iubet; sed nec columnas reuicit, quibus abunde largitus est spiritum suum Christus, vt communiat vniuersum aedificium; alioquin labefactetur necesse est. Da mihi verbum in pontificiis decretis, quod pietatem abroget, fidem rescindat; et eiurauit. Pro crimine mihi ducis, quod non in quemuis committam ingenium? Hoc non crimen, sed summa religio est; vtinam sic protoplastes ille fuisset pusillanimis, vt nunquam impostori aures praebuisset! minus equidem gemeremus. Nunc vero ad maximam temeritatem quantum mali accesserit vides. Tunc me terra dehiscat, quum in mentem venerit, vt factioni Lutheranae consentire velim. Ceterum impudentia summa est, iactare, post Apostolorum tempora neminem neque rectius, neque sanctius de christianismo sensisse, tuis monstris horrendis, apostatisque fratribus, quibus iam lumen ademptum est. — Aio: scrutari iussit Christus scripturas sacras, quod eae ipsae testimonium perhibeant de ipso, quo citius fide recipiatur; sed numquid non fidei sacramentis semel initiatos, vult pasci, et sanctorum postillis eorum, qui puritati steterunt? An non stabulario, datis prius duobus numismatibus, ait: „Quidquid super erogaueris, quum redux rediero, reddam tibi? — Nobis alius non erit Stabularius, quam quem praefecit Christus, quem et attendi iussit ab omnibus in eo verbo: „Pasce oues meas.“ Si curam praesidentiae pastori iniungit; citra du-

bitationem iniungit et obedientiae munia subditis. Sed vos rebelles estis, dura ceruice, et incircumcisis cordibus atque auribus, vt meditemini ac auscultetis contra legitime praesidentis auctoritatem, cui falso Impostoris titulum tribuitis; tametsi non sine praeiudicio manifestaue damnatione vestra. Sed decreta pontificia vobis odio sunt, quia sanctissima sanctissime a Spiritu Dei in moderamen vniuersalis Ecclesiae data. Vos autem non estis huiusmodi, qui iugum sacrosanctae obedientiae (obedientiae, inquam, quam Domini iussu summo, et ei Romano Pontifici, Petri successori debemus omnes) vobis ademistis, dicentes ex actis Apostolorum: „Magis fore obediendum Deo, quam hominibus.“ Atqui hoc titulo quam nihil non impie agatis, curam carnis in desideriis facientes, kœe clarius constat. Homo, amicus sum, libere apud amicum loquor: quidquid ad Scripturam sacram adiecit Spiritus S. postea, siue ad publicum regimen, siue ad morum correptionem sint decreta, sint summularia, sint extrauagantes, sint alia sufficit, nobis non esse Lutherana, ideoque recipienda. Manifestissimum mendacium est, et fumus putei abyssi, vniuersas hominum traditiones, apostolica conuellere scripta, quum illae pro his sint, et haec pro illis, vt agglutinavit Spiritus Christi, cuius directione moderatur regiturque Ecclesia. Male allegas ex Matth. 15. „Qmnis plantatio, quam non plantauit pater meus coelestis, eradicabitur,“ in hominum Sanctorum traditiones; quam magis debueras in vos et eiusmodi haereticos, eam adducere auctoritatem, qui plantatio non Patris coelestis estis, sed nescio cuius? Dicam aperte: altitudinis Satanae. Eratis quidem plantatio Dei, donec pie sentiebatis, agebatis pie; sed modo non estis. Illuuië enim Germana infecti estis, et in aliena conuenticula, hortulosque carnis, quos non agnoscit Deus, transpositi estis, vt Ecclesiae sanctam ciuitatem foris circum eatis, nec ingrediamini famelici. Neque enim vobis ad pastum est sanctum Dei euangelium, quod cibus filiorum sit, cum quibus stat Christus. — Ego futura concilia nihil praestolabor, cum in praeteritis abunde decretum sit, quidquid erat decernendum. — Stat Dominus cum vicario suo, SS. Dno nostro Papa, nec cadit; cuius minister primus et praecipuus mihi Papa est, sacrosanctae Romanae sedis Episcopus, a quo teneo omnia post Christum, qui est Pontifex maximus, secundum ordinem Melchisedech, nec erro. Sed iam receptui canam, iam vela complicabo, tametsi inuitus, quod scribendi otium non sit. — Hoc vnum pro celeumanatico habe: non papistas, vt tuo verbo vtar, sed Lutheranos sacra profanasse omnia, omnesque haereses in se recapitulasse. — Vale et, si sapis, sequere sanctiora. Datum ex Trimontio V. idus Januarii, 1534.“ — Indidem.

Ex hac disceptatione complura liquent: 1) Non fuisse scripturam Sacram, sub scanmo ita absconditam, latentemque, vt Luherus commentus est, nec linguas orientales et classicas penitus ignotas. 2) Illos pingues monachos non fuisse ita crassos asinos, quales a Luthero, huiusque asseclis finguntur. 3) Quam vesani fuerint illi caulli, quorum ope simpliculis fucum fecerant. 4) Eorum catapultum a principio fuisse ad impugnandos Catholicos: Calumniare audacter semper aliquid haeret.

26. *A Ferdinando I. ratione religionis et Ecclesiae Catholicae sanciti articuli ab anno 1527—1564.*

Decreti II. Posonien. Anno 1536. art. 15. „Quum Reuerendissimo D. Archiepiscopo Ecclesiae Strigoniensis, ex eiusdem Ecclesiae antiquis priuilegiis, tanquam summo et secretario cancellario Regio, iure competat, vt ipse, iuxta formam generalis decreti regni, tanquam personalis Maiestatis Regiae praesentia, vnus ex iudicibus regni ordinariis esse censeatur; tum igitur ex eo, tum etiam, quod sit et Hungariae Primas, Maiestas Regia inter Dominos Locumtenentem, et caeteros ecclesiasticos consiliarios ac Iudices regni ordinarios eum faciat ordinem, vt idem D. Strigoniensis et in consilio et in iudicio, pro suo et Ecclesiae suae honore, vt conuenit, sua libera fungatur auctoritate.“

Art. 51. „Immunitates Ecclesiarum parochialium semper obseruentur; nec cuiquam, sub poena, in generali decreto expressa, eas audeat violare.“

Decretum IV. Poson. anno 1537. art. 19. „Regia Maiestas Ecclesias Dei, quae in manibus Laicorum habentur, mature liberare dignetur; et ne aliquam earum cuiquam in futurum inscribat.“

Decretum V. Nouisol. Anno 1542. Artic. 3. „Beneficia ac alia quaelibet iura possessionaria, nec non decimae, et alii prouentus Ecclesiarum Dei etc. Dominorum Baronum, nulla inscriptione per Regiam Maiestatem cuiquam obligata vel donata inter Dominicam Palmarum, sub nota infidelitatis suis Dominis restituantur.“

Art. 41. „Quia autem pro sceleribus nostris, quae singulis ferme horis et diebus committimus, Deus sit omnium primus placandus: ideo opus esse censuimus, ad castra ecclesiasticas personas etiam mitti debere. Teneantur igitur Monachi, cuiuscunque ordinis et professionis sint, duos Fratres ex singulis monasteriis eorum mittere, qui Euangelium Dei Castrensibus praedicent, vitia corrigant, confessiones audiant, et pro fide christiana fideliter tuenda vnum quemque animent et confortent.“

Decr. VII. Nouizol. A. 1543. art. 23. „Decreuerunt autem Domini et Status seruandam esse libertatem Nobilium et personarum Ecclesiasticarum, ne quis scilicet militum vel capitaneorum ad eos, Dominis inuitis, condescendat.“

Decret. XI. A. 1548. Poson. Art. 5. „Inprimis quoad negocium Religionis: Omnes Ordines et Status Regni nostri vna voce sentiunt: cultum Diuinum et Religionem ad pristinam normam esse redigendam, et haereses vndique tollendas, iuxta admonitionem suae Regiae Maiestatis. **Art. 6.** „Id autem ita recte fieri posse existimant: Si omnibus Ecclesiis Praelati, siue sint Episcopi, siue Praepositi, siue Abbates, viri ecclesiastici et doctrina praediti, quam primum praeficiantur, qui et ipsi doceant verbo et exemplo, gregem sibi commissum, et Vicarios suos, ministrosque sibi subiectos, eorum officium exercere faciant; mittantque sine mora in omnes partes Archidiaconos, Vice-Archidiaconos, et alios, quorum interest, ad docendam plebem. Quibus, si ipsi forte pro se sufficientes non sunt, Praedicatores boni adiungantur, vt vbique vetus Religio, pristinusque Dei cultus restituatur. Parochos etiam

in omnibus oppidis et villis tales constituent, qui veram doctrinam sapiant, et eamdem doceant, Sacraque administrent, iuxta ritum sanctae Ecclesiae Catholicae. Idem etiam Praelati, pro facultatibus ipsorum scholas erigant, in quibus bonae literae, ac vera Religio repullulet; Praedicatorumque boni per Regnum dispergantur. Sacerdotes autem non creentur nisi probatae vitae ac doctrinae viri; his sacerdotia ecclesiastica, beneficiaque conferantur. Ipsi autem Praelati, penes Ecclesias ipsorum iugiter resideant, et vnusquisque siue Praelatus, siue alius vir ecclesiasticus vnum tantum beneficium possideat, non plura; siquis Praelatus publicis muneribus occupatus penes Ecclesiam residere non posset, vicarium sufficientem et ecclesiasticum loco sui continue teneat penes Ecclesiam. — Art. 7. Vt autem facilius et citius boni et docti viri per Regnum dispergantur dignetur Maiestas sua Regia iis, qui in Gymnasiis bonis literis operam dant, gratiose prouidere, ita vt studia ipsorum continuare, et perficere possint. — Art. 10. „Praeterea cum hactenus multis in locis, ex licentia multorum Dominorum et Nobilium homines idiotae, et plerumque mechanici, et alii, Praedicatoris fungi officio veriti non sunt, videtur Ordinibus, et Statibus regni, vt Praedicores, Archidiaconi, Vice-Archidiaconi, et alii, qui modo supradicto ad reformationem religionis per Praelatos emittentur, diligenter tales prohibere, et ad pristinam, veramque religionem redigere curent. Qui si resipiscere nollent, tum de bonis illis eiiciantur, et ex merito puniantur. Domini autem terrestres, non solum id non impediunt, sed ipsos Praedicores et alios ministros verbi Dei, per Praelatos emissos, iuuent omnibus modis, ad exercendum officium ipsorum. Si quis ex eis aliter facere intelligatur, ad primam requisitionem suae Maiestatis vel in eius absentia, Domini Locumtenentis, personaliter, vel per procuratorem comparere teneatur, et iure conuictus a merito puniatur. — Art. 11. „Anabaptistas et Sacramentarios (Caluianos) iuxta admonitionem Regiae Maiestatis, qui adhuc in regno supersunt, procul expellendos esse, de omnium bonis, Ordines et Status Regni statuerunt. Nec amplius illos, aut quemquam illorum, intra regni fines, esse recipiendos.“

Decretum XII. Anni 1550. Art. 12. „Quod sua Maiestas diserte simul, et pie fideles suos hortari dignata est ad vnionem fidei et Religionis: agnoscunt in hoc quoque Ordines et Status regni singularem in Deum optimum, maximum, Regiae Maiestatis pietatem, et in subditos clementiam, arbitranturque secundum benignam et paternam admonitionem suae Maiestatis enitendum esse omnibus modis, vt sancta et Catholica fides et Religio, Deique optimi, maximi (iuxta veterem Sanctorum Patrum doctrinam) longo tempore per vniuersum orbem Christianum recepta atque approbata vbique in Regno restituatur; euulsisque vndique haeresibus et impiis doctrinis sanctae Romanae, et Catholicae Ecclesiae (quae vnica et sibi perpetuo constans, errare non potest) omnes ex omnibus Ordinibus et Statibus Regni perpetuo adhaereant, ac velut membra in vnum corpus conglutinentur, vt sic vera et solida animorum coniunctio, vnioque in regno, et exinde Dei optimi, maximi misericordia, in dies magis augeatur.“ Art. 13. Vt autem id citius et facilius fiat, videtur secundum eandem Regiae Maiestatis piam adhortationem, vt Episcopi et Prae-



lati, qui vel solo etiam titulo (vt nunc sunt tempora) eandem dignitatem possident, primum moribus, et exemplis, deinde vero doctrina, et praedicatione, muneri ipsorum, quantum fieri poterit, insistere ac inuigilare debeant, idque vel imprimis curare vt Religionem, cultumque diuinum, sub eorum dioecesibus disseminent vbique, secundum primam Catholicae Ecclesiae normam gregemque sibi commissum ab erroribus et malesanis doctrinis auocare, ac tanquam e tenebris ad lucem reducere contentur piis eorum concionibus, doctrinaque a Sanctis Patribus deprompta. Idem etiam Vicarios, Archi-Diaconos, Parochos, concionatores tales vbique curent constituere, et omni studio vndique conquirere, a quibus hoc idem eorum pastorale officium ipsis Episcopis, vel absentibus, vel legitimis aliis impedimentis praepeditis, rite peragatur; neque quidquam praetermittatur, ex quo Diuini cultus, pristinaeque ac verae Religionis detrimentum, atque inde animarum iactura sequatur.“ — Art. 16.

„Praeterea quum nulla ratione possent Episcopi munus rite exercere, nisi patienter audiantur ab iis, ad quos docendos missi sunt, tum ipsi, tum ipsorum ad id electi ministri; ac nisi plebs subdita pareat eorum doctrinae praeceptisque, et non desinant hi, qui plus caeteris videantur posse, moliri aliquid contra ipsorum pios conatus; neque solum concionatores ad docendum missos, libere admittant; verum etiam teneantur pro viribus defendere; videtur idcirco is modus adhibendus esse, vt seculares omnes sine vlla controuersia aut disputatione, contentioneque obediens (vt par est) sese praebeant eorum Episcopis, et ad id per eos delectis Ministris in his videlicet, quae ad Deum, eiusque cultum spectant, neque contra eorum doctrinam quouis modo, aut quouis ratione sese audeant efferre; sed siquid deliberatione egerint aut in disputationem vocari posse, ipsis, vel eorum forte alicui videretur, relinquat id totum generali Concilio dirimendum; in quo, si quae in fide et religione reformanda esse videbuntur, Diuina inspiratione informatum iri sperandum est. Interim autem veteribus Sanctae Ecclesiae Catholicae institutis insistendum, nec cuiquam, quouis praetextu, ab illis quoquo modo videtur esse discedendum.

Decretum XIII. Posonii anno 1552. Art. 7. „Quod ad negotium Religionis attinet, ad quam sua Maiestas Regia fideles suos clementer hortata est, Status et Ordines breuiter respondent: Fuisse in duobus proximis conuentibus ex admonitione similiter Suae Maiestatis, satis in ea re tractatum, et conclusum, tum pro rite exercendo officio Praelatorum et aliorum ecclesiasticorum hominum, tum etiam pro obedientia, quae ipsis ecclesiasticis ab hominibus saecularibus debetur. Super qua eiusmodi conclusione exstare articulos confectos, in quibus articulis Ordines et Status Regni sine augmento vel diminutione vlla nunc quoque persistunt. Restare igitur tantum modo, vt sua Maiestas articulos ipsos ab vtroque Ordine tam Ecclesiastico quam seculari, obseruari curet; et si altera pars obediens non esset, vel aliquis hos articulos non obseruaret, Maiestas sua secundum praefatos articulos in eos procedat.“ Art. 25.

„Judicia etiam Ecclesiastica, processusque per censuras, per Iudices Ecclesiasticos fieri, inuocatoque auxilio brachii saecularis, ad effectum perduci continue debeant, modo et ordine super his ab antiquo obseruato, ita tamen, vt quo tempore

secularia iudicia propter bella celebrari non possunt, etiam ecclesiastica iura sileant.“
 Art. 42. „Praelaturas et alia beneficia Ecclesiastica in regno vacantia Sua Maiestas, vt clementer obtulit, primo quoque tempore Vngaris bene meritis et Ecclesiasticis conferre dignetur, similiter etiam Baronum officia.“

Decretum XIV. Sopronii anno 1553. Art. 7. „Quod ad Religionem et decimas Ecclesiarum; pro arbitrio Dominorum Praelatorum arendandis attinet: Se in his, quae ad Religionem spectant nihil dissentire ab iis, quae proximis conuentibus super ea re tractata et conclusa, ac per sacram Regiam Maiestatem approbata et confirmata fuerant; quemadmodum super his plura in articulis eorundem conuentuum exstant conscripta; quandoquidem, siquid etiam in his ipsi vellent innouare, nullam Comitatum nuncii ea de re auctoritatem sibi a fratribus, a quibus huc delecti, concessam habeant; arbitrari autem aequum esse, vt Praelati secundum contenta articulorum praedictorum conuentuum maxime autem anni 1548. et Seculares quoque in omnibus officiis eorum satisfaciant. Si qui autem contra ipsos Praelatos et Concionatores ab eis delectos ausu temerario palam insurgere, et ipsos vituperare, contumeliis, verberibus, aut nece afficere, vel Ecclesias Dei in contemptum Diuinae Maiestatis destruere, diripere, profanare et spoliare, imaginesque in Ecclesiis frangere, aut incendere praesumerent, tales comperta rei veritate pro delicti merito, iure mediante, per eius Maiestatem puniantur, modo et ordine super his in articulis praedicti Conuentus anni 1548. expresso.“ Art. 24. „Quod autem de editione, impressioneque erroneorum librorum per Maiestatem suam mentio facta est, Status et Ordines super ea re pro parte ipsorum nihil statuere potuerunt, quum in eorum bonis nusquam id fieri, sibi constare, affirmant.“

Decretum XV. Poson. anno 1554. Art. 7. „Quantum ad Religionem attinet, statutum est, vt tam Domini Praelati, et aliae Personae Ecclesiasticae, quam alii Status seculares, iuxta priorum conuentuum constitutiones, superinde confectas, sese gerant; et officio vtrique eorum satisfaciant.

Decretum XVII. Poson. Anno 1556. Art. 25. „In negotio Religionis statutum est, vt iuxta constitutiones proximorum conuentuum, tam Domini Spirituales quam etiam laici studeant officio vtrinque eorum facere satis; neque alterutra pars in alterius officium se ingerat: quemadmodum pietas in Deum Optimum maximum sane requirit. Art. 26. „Statutum est, vt Anabaptistae omnes de omnium Dominorum bonis, ac Nobilium, caeterorumque possessionatorum, infra spatium quatuor hebdomadarum, sub grauissima Regiae Maiestatis indignationis poena, e regno penitus eiciantur.

Decretum XVIII. Anni 1557. Art. 9. „Judicia Ecclesiastica in omnibus causis, quae forum spirituale concernunt, sine intermissione, per Vicarios Dominorum Praelatorum, iuxta contenta priorum mandatorum et constitutiones, more alias obseruato, teneantur. Art. 10. „In negotiis Spiritualibus et Ecclesiasticis, hoc imprimis iustum et necessarium videtur: vt sicut priuilegia et libertates omnium Regnicolarum obseruari, et inuiolata esse debent, ita etiam libertates et immunitates, priuilegiaque

Ecclesiastica ab omnibus inuiolabiliter obseruentur; vt Domini Praelati, et reliquae Ecclesiasticae personae officio suo commodius et liberius incumbere valeant: signanter autem Visitatores, Archidiaconi, Vice-Archidiaconi, et eorum substituti in visitandis Ecclesiis et Dioecibus progredientes, libere vbique admittantur, vt suum officium exercere cum omni facultate et iurisdictione ecclesiastica, secundum priorum Dioetarum constitutiones possint, et valeant sine impedimento, per Patronos locorum, seu quoslibet alios praestando. Et ne prohibeantur inquirere et punire vitia, prauitatem seu delicta sacerdotum. De reliquis etiam huiusmodi rebus, et negotiis Ecclesiasticis constitutiones priores et praesertim anni 1548. per omnia obseruentur et rata habeantur; vbi etiam peruersissima illa Anabaptistarum secta eliminari debet iuxta constitutiones praemissas. Plebanis etiam et aliis ecclesiasticis personis cuiuscunque status, libertas sua in omnibus obseruetur, ac inter alia, ne post mortem illorum pro se occupent vel accipiant Patroni res et bona illorum, siue testati, siue intestati decesserint; sed neque etiam Praelati, Fratribus suis superstitibus eorum, qui decesserint, bona huiusmodi pro se occupent. — Art. 11. „Si bona quaequam et possessiones ac prouentus Ecclesiastici ab Ecclesiis, quibus semel dicatae et ad quas possessae fuerant, per violentiam forte aliquorum vel vtcunque, indebite auulsae ad manus alienas peruenissent, siue illi sint patroni earumdem Ecclesiarum siue alii; contra tales violentos et indebitos occupatores iuris ordine procedi, et bona huiusmodi iuridice repeti debent, iuxta contenta decreti. Si autem Plebani et Rectores ipsi beneficiorum hoc facere nollent, aut non possent, aut non auderent; tunc Praelatis quoque et Superioribus eorumdem beneficiorum idem semper liceat.“ Art. 15. „Pisetauius Archiepiscopi Strigoniensis, tanquam contrascriba apud Cameras montanarum Ciuitatum Regis, ad exercendum suum officium admittatur.

Decretum XIX. Poson. An. 1559. Art. 40. „Ecclesiastica iudicia, in quibuscunque causis ad forum et sedem spirituales pertinentibus, iuxta continentias Decretorum Mathiae et Vladislai Regum et aliorum quoque, per Vicarios Dominorum Praelatorum continuo in terminis suis adiudicentur.“ Art. 41. „Statutum est praeterea, quod iuxta constitutiones superioris Conuentus Anni 1557. et etiam aliorum, Domini Praelati Archidiaconos suos ad visitationes peragendas emittant; Synodos celebrent, aliaque ad eorum officia spectantia in rebus Ecclesiasticis obire non omittant; ac tempore Synodi, vel conuocationis generalis, siue particularis, teneantur omnes Plebani et Presbiteri qualescunque, tam ex bonis Dominorum, et Nobilium, quam ex ciuitatibus liberis, ad conuocationem Praelatorum suorum, quorum Dioecesi subsunt, pro accipienda salutari doctrina, sine omni renitentia conuenire. Quod si vero aliqui forent, qui Plebanos ipsorum ad vocationem Episcopi et Praelati sui, manifesta contumacia ducti retinere, neque illos praemoniti et requisiti, ad synodum ipsam dimittere vellent; contra tales, siue Domini siue Nobiles sint, siue vero ciuitates, Sacra Maiestas Caesarea pro tutandis, conseruandis, et manutenendis libertatibus, et iuribus ecclesiasticis, munus et officium Principis Christiani, quod Suae Ma-

iestati, vt Regi Vngariae incumbit (quemadmodum se gratiose obtulit) peragere, et exequi dignetur.“

Decretum XX. Poson. anno 1563. Art. 31. „Quod vero Sacra Caesarea et Regia Maiestas fideles suos Status et Ordines Regni, non minus benigne, quam summa cum diligentia monet atque hortatur, vt exortis vniuersa aetate diuersis et impiis pariter et absurdis haeresibus atque sectis, in religione veroque Dei cultu, vnionem, Christianam charitatem et doctrinam per Apostolos et Sanctos Patres Ecclesiae traditam, ac totius orbis consensu approbatam sequantur: Status et Ordines Regni Sacrae Suae Maiestati pro hac illius clementia et pietate, quae non minorem de aeterna, quam temporali ista fidelium subditorum salute habet sollicitudinem, immortales agunt grates. Et quia etiam alias simili modo per sacram Maiestatem Suam fuerunt admoniti, pro clementi eiusdem admonitione his in rebus discernere non omiserunt. Statutum est, vt omnia et singula, quae in superiorum, signanter tamen 1548. 1552. 1554. Annorum articulis super negotio religionis publice et vnanimi consensu fuerunt decreta, in posterum quoque firmiter et inuiolabiliter obseruentur, nullusque contra ea, sub poena ibidem statuta, quidpiam attentare audeat.“ Art. 32. „Et quia, vt plurimum capitanei et praefecti, militesque Suae Maiestatis, concionatores haereticos, non legitime missos, ob prauam et impiam eorum doctrinam aliunde pulsos, ad se recipere et in arcibus, bonisque regiis plerumque fouere consueuerunt; idque non sine ingenti animarum Christianarum faciunt iactura atque dispendio: dignetur Sacra Maiestas Sua caesarea pro officio suo imperiali, pariter et Regio, quoque veram et sanctam religionem tueri, et defendere tenetur, in tales animaduertere, eadem poena, quae capitaneis et praefectis locorum finitimorum, qui quaestum victualibus exercent, superius est constituta, id est officiorum priuatio.“ Art. 42. „Et quoniam his proxime annis exortae sunt horrendae in Deum et sacrosancta eius Sacramenta blasphemiae (Caluinianorum) quibus plerique maledicendo vt consueuerunt, certumque est, vel his solum iustam in nos Dei iram prouocari: Statutum est; vt tales, qui scilicet in creatorem Deum, in Baptismum, et animam, ac aliis similibus modis maledixerint, ab audientibus blasphemiam coram suis Iudicibus accusentur, et habita probatione, prima vice publice caedantur; si vero blasphemiam altera et tertia vice repetierint, altera quidem baculis pulsantur, tertia vero non minus, quam homicidae ipsi, vel alii malefactores, puniantur; audientes vero blasphemari et non accusantes, puniantur exactione trium marcarum.“

Errorum Lutheri et Caluini, vt hic innuitur, potentissimi propagatores facti sunt, Capitanei, Nobiles, ac magistratus ciuiles, vitae licentia, bonorumque ac iurium ecclesiasticorum cupiditate, fascinati; desiderijs suis carnalibus blandientes concionatores ad aulam suam, in obuersum legis, receperunt; ad eos audiendos suos etiam subditos coegerunt; taliterque peruersis, iure suo patronatus, Ecclesias a catholicis fidelibus ademptas, tradiderunt; hinc multae lachrymae.

27. *Philippus Melancton, Lutheri Primipitus, ad Thomam Nádasdium epistolam dat, ut ecclesiastice purius doceatur. A. 1537.*

Illustris Princeps! Etsi ignotus sum Celsitudini tuae, tamen petenti Mathiae (Deuai) ad te literas non inuitus dedi. — Intellego autem ex Mathia, te magno sumtu scholam constituere, et optimarum artium studia excitare. Quae res quum per se magnam laudem meretur, tamen hoc tempore cum belli cladibus literae variis in locis delentur, multo ampliori laude digna est. Videris enim prospicere posteritati, vt, quum alibi deletae fuerint bonae artes, tamen seminaria reliqua sint, conseruata tua virtute, vnde iterum propagari in Pañnonia doctrina vitae vtilis possit. Itaque hac in re praecipua bene mereri de Patria, et singularem prudentiam iure probamus. Ego vero etiam omne delector. Quum etiam tali tempore cogites de studiis; ostendis, te non desperare pacem et meliorem statum Pannoniae. Quis enim, si arbitretur perpetuam futuram dilacerationem regni, aut venturam Patriam in seruitutem, adiiicere posset animum ad scholas exstruendas? Proinde hoc tuum consilium, quasi diuinationem quamdam futurae pacis, interpretor. De qua idem, vt sentiam non leuibus argumentis moueor; ac saepe Mathiae dixi, me bonam spem habere, futurum vt aliquando, post iterum fiat tranquilla Pannonia, et quidem eiectis Turcis. Quare quod pio et vt reor, diuino consilio moliris, vt ruentibus studiis opem feras, hoc institutum nec abiicias, nec te deterreri, temporum difficultatibus sinas. Spero etiam tuis conatibus Deum adfuturum praesertim si dederis operam, vt ecclesiastice purius doceantur. Neque etiam dubium est, haec bella et hanc Turcicam seruitutem esse peccatorum nostrorum et idolatriae poenam. Quum autem tantoperè faueas honestis artibus, quaeso, vt me quoque complectaris inter caeteros studiosos. Olim Graeci Herculem addiderunt Musis, earumque Ducem vocabant, significantes, defendi oportere literas auctoritate bonorum Principum. Constat autem maiores vestros Paeonas ab Hercule ortos esse. Quare gentilitiam et domesticam virtutem putabis esse, tueri literarum studia. Et est praeclarum imitari Maiores. Sed haec fortasse prolixius, quam conueniebat. Mathiam Tibi commendo, vjrum optimum, praeditum egregia doctrina, prudentia et pietate. Joannem Siluestrum, etiam hominem doctum Celsit. tuae commendo. Deus seruet Celsit. tuam ad salutem publicam. Lipsiae nonis Octobris, anno 1537. Addictissimus Philippus Melancton.

Apud Klanit. de Toleran. p. 82.

Martini Lutheri ad D. Franciscum de Réva, Comitem Thuroczensem, contra Sacramentarios, epistola. A. 1539.

Generoso et clarissimo Viro Domino Francisco de Réva, Comiti Thurociensi, Domino suo, in Christo obseruandissimo, gratiam et pacem in Domino. Etsi literas tuas, Vir clarissime, inter multas occupationes scripsisse, te videam; ipse quoque miratus tamen sum; quomodo tanta argumenta tibi ex Zwinglio inhaeserint, in re sacramentaria, et valde doleo istis argumentis ista moueri; sed cum ipse quoque sim

occupator modo, quam vt prolixius mihi liceat scribere; interim per Christum et salutem Tuam te oro, ne corruas in hunc errorem, quod solum panem et vinum in Sacramento, et non corpus et sanguinem Christi credas: Nam argumenta tua sunt Zwinglii, contra quem nos multa scripsimus, sed vernacula lingua, et multos, Dei gratia, conuertimus. Quid enim absurdi est credere, corpus Christi simul in coelo et in sacramento esse? Joh. III. cap. dicit: nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo; filius hominis, qui est in coelo.“ Si tum fuit in coelo, quum in terra ambularet, quomodo non simul erat in diuersis locis? Cui ista sunt incredibilia, quomodo credet eum esse hominem? Quomodo sit (fuerit) in vtero Virginis Deus essentialiter? Quomodo vna persona simplicissima Diuinitatis, incarnetur exclusis duabus reliquis? Mystera fidei verbo sunt tradita et accepta, non ratione comprehensa aut iudicata. Valde, imo totum ratio est, quae dictat, idem corpus non posse diuersis in locis esse; sed ratio est coeca, et quod ei est impossibile, Deo est facillimum. Mihi non est corpus meum in coelo et in terra; sed quis sum ego? Mihi non est corpus meum in parua particula panis; sed quis ego? Deo non est impossibile omne verbum. Non qui comprehendit, sed qui crediderit, saluus erit. Et iterum: Si non credideritis, dicit Esias. cap. 7. non intelligetis, nec permanebitis.“ — Miserrimus sit ille Deus, qui non dicit, aut facit, quod nobis incredibile sit; sic enim nullum habebimus articulum fidei, si iudicio nostrae rationis aestimandus fuerit. Sed occupatus cogor hic sistere, iterum atque iterum rogans, vt in veteri fide Ecclesiae perstes, donec cum tempore argumenta tua copiosius soluero. Verbum Dei: hec est corpus meum; te non fallit; ratio tua et hominum sapientia mendax est, et fallit. Christus Dominus te seruet, et dirigat Spiritu sancto suo. Amen. Datae Wittenbergae 4. Aug. Anno 1539. Tuae Excell. deditus Martinus Lutherus.“ — Ex epistola D. Martini Lutheri, ad Generosum et clarissimum Virum D. Franciscum de Réwa, Comitem Thurocensem Hungarum olim data, nunc vero per M. Georgium Horváth, quondam in Hungaria Franciscanum, iam autem Proselytum Euangelio-Lutheranum nonnullis accessionibus vulgata. Vitembergae, et Seruestae, apud. Samu. Godrf. Zimmermannum 1754.“

Franciscus de Frangepan, Episcopus Agrien. de concordia fidei, et subsidio contra Turcas conferendo, Ratisbonae, frustra tractat. A. 1541.

Franciscus a Frangepanibus, Episcopus Agriensis, RR. Domino Friderico Nausea Episcopo Viennensi. Literas tuas vna cum opusculis quibusdam sane doctissimis, recepi, quae mihi per gratiae fuerant. Verum quod ad res religionis attinet; nunc nihil mea interest: delecti enim sunt doctissimi homines, ytriusque partis, Catholicorum scilicet, et Protestantium, qui haec negocia ad amussim tractent, et discutiant. Id autem oneris mihi iniunctum est, vt vna cum Magnificis collegis meis, de calamitatibus regni Hungariae, et cum Catholica Caesarea Maiestate, et cum illustrissimis Imperii Principibus agam; id quod pro viribus Deo dante, perficere corror. Interim tamen optarem te adesse, vt in hoc celeberrimo conuentu cum his doctissimis

viris agere posses de his, quae christianam pacem et concordiam fidei concernunt. Crediderim enim tuam praesentiam catholicorum rebus admodum profuturam, et me tibi ex corde offero. — — Datum Ratisbonae die II. Martii 1541." Apud Pray H. S. P. I. p. 216.

Concordiâ fidei irrita subsidium etiam Regi Ferdinando contra Turcas negatum.

28. *Lutheranorum in catholicos usurpatae violentiae et immanitatis documentum. Anno 1542.*

Sacratissime ac inuictissime Rex (Poloniae) Humiles XIII. ciuitatum Plebani, S. M. V. assidui exoratores et capellani, cum reliquis fratribus eorum — imprimis gratias agunt, et habent maximas, perpetuo duraturas, regiae Celsitudini Vestrae — quod his impetuosis ac belli ferocibus eorum temporibus M. V. R. pro innata clementia sua eos in suam recepit gratiam ac protectionem, ac ab innumeris taxationibus, aggrauationibus, et oppressionibus tam personarum quam rerum eorum, periculis liberauit. Ad eius maiestatem iterum atque iterum prone, tanquam ad Dominum ac patrem subditorum suorum clementissimum humiles confugiunt, orantes et supplicantes, ne sacerdotes et capellanos suos, sacris deditos, contra omnem iurisdictionem Ser. M. V. ignobili ac seculari, ac elatae mentis homini, patiat subiectos, ac laicis peius tractari. Contigit his diebus, quod Georgius Pauschnerus, arcis Scepus. praefectus, qui nec V. M. R. subiectis ex XIII. ciuitatibus pepercit laicis, nunc etiam parochos fraternitatis persequitur; verentur, ne et in ipsos XIII. ciuitatum plebanos, cui exosae sunt spirituales personae, manus extendat violentas. Nam quibusdam fratribus fraternitatis eorum, ex arce boues dedit saginandos, et exhiemandos annos tres; additurus etiam porcos, vt bubulcos et subulcos sacerdotes habeat; in consuetudinem ducens, vt quilibet arcis praefectus imposterum ex pastoribus animarum, salua pace et venia regiae Celsitudinis vestrae, pastores faciat bouum et scropharum. Nunc venerabilem, aetate senem parochum de villa Isaac, iam manus prae aetate trementem, octuagenarium, fratrem eorum charissimum, qui 33. annis in villa Isaac vno praesedit loco, ob leue verbum, a parochia sua vi extrudere conatur; cui omnes fruges anni praesentis extriturari fecit; quem iure apud praelatum suum requirere potuisset; vt tantum sectae suae hominem, apostatam pro libitu suo, intruderet; quum tales nunquam inter nos passi sumus, auctoritate Celsitudinis V. freti. Stipendiarii arcis Scepus, quos Pauschnerus ven. seni, pro eius aggrauatione maiori, in domum plebanatus illius posuerat, nocte ei cistam frangentes, ac picearium argenteum cum 200. denariis auferentes, deinde ei omnes claues domus accipientes, nihil prorsus suae potestati relinquendo, ab eis vitae necessaria mendicare cogitur quotidie. Haec omnia facienda quum D. Pawschnerus suo Vice-Castellano, Nicolao Bornemisza, et Joanni Pellioni, notario suo serio commisisset; equester cum quibusdam suis, vt ferebatur ad M. D. Thurzonem, dominum suum profectus est. In cuius absentia idem Vice-Castellanus, per D. Vicarium seu officialem D. Praepositi, cum nonnullis canonicis et Iudice Curiae praepositalis requisitus et rogatus, et

admonitus, vt a talibus, suae iurisdictioni non subiacentibus, cessaret; ast illè, istud a D. Pawschnero sibi commissum serio, aiebat: nec quemquam aduerteret, praeter Pawschnerum, qui pro eo responsurus esset; deinde idem Vice-Capitaneus, per DD. nobiles cum mandato regio, requisitus, nec illud videre proterue voluit; sed in proposita malitia induratus permansit. Postremo vero, omni adhibita diligentia, quum nihil prorsus effiere possent, contra tantam hominis violentiam tam coram capitulo venerabili, quam sede nobilium protestati sunt; quarum protestationum copias cum praesentibus Celsitudini V. R. mittunt. Haec sunt Serenissime et inclytissime Rex, D. Clementissime, quae Celsitudini V. R. humiles Capellani S. M. V. XIII. Ciuitatum in Scepus. plebani conqueruntur; humillime et prouincialiter rogantes, ac supplicantes, vt suis literis apud Sacratissimam Rom. Bohemiae, ac Hung. regiam Maiestatem succurrat, vt sacerdotes Celsitudinis suae Regiae ac Sacratissimae M. V. humiles Capellani, in pristinis, et ab antiquo priuilegiis, ac libertatibus eorum obseruatis, a diuis Imperatoribus ac regibus gratiose concessis, conseruentur, ac a tali audacissimo turbatore liberentur; vt Deo altissimo quietiori corde seruire possent, pro Celsitudine vestra Regia, reginalique Maiestate, et liberis omnibus, perpetuo supplicaturi." Anno 1542. — Apud Wagner. Scepus. P. II. p. 230. sqq.

29. *Documentum eius alterum anno 1542.*

Franciscus de Réwa in causis, in praesentia Palatinali vertentibus, Iudex specialiter deputatus, amicis suis reuerendis, Conuentui Ecclesiae S. Benedicti de iuxta Gron salutem, et amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis, in persona reuerendi D. Nicolai Olahi, custodis Ecclesiae Albensis, et Commendatarii Abbatae de Thapolcza, secretarii et Consilarii regiae Maiestatis, quomodo annis superioribus, post mortem videlicet Serenissimi Principis, condam Domini Ludouici regis, pie memoriae, magnificus D. Sigismundus Balassa de Gyarmath, abbatiam ipsius exponentis, Thapolcza vocatam, in Comitatu Borsodiensi habitam, simul cum vniuersis iuribus possessionum, ad eandem Abbatiam pertinentium pro se occupasset; quam quidem Abbatiam, simul cum omnibus pertinentiis praenominatis, licet idem Sigismundus Balassa, iuxta contenta articulorum publicorum constitutionis Nouizoliensis, ad terminum, in eisdem articulis restitutioni bonorum occupatorum designatum, eidem exponenti, remittere ac resignare debuisset: non curatis tamen articulis ipsius constitutionis publicae, idem Sigismundus Balassa abbatiam ipsam Thapolcza — remittere recusasset; — Proinde amicitiam vestram harum serie rogamus, et hortamur diligenter; quatenus praesentes literas nostras annotato Sigismundo Balassa per vestrum testimonium fidedignum exhiberi et praesentari faciatis — dicatque et committat eidem verbo nostro, vt ipse dictam abbatiam — restituat. Qui si id fecerit, bene quidem alioquin. — Datum Posonii, die dominica proxima post festum Catharinae. Anno Domini, millesimo quingentesimo, quadragesimo secundo." — Ex authographo.

Ferdinandus, pro singulari suo cultum catholicum tuendi studio, de his certior factus, oportunitate malis his tollendis medicinam adhibere satagebat. Animadvertendum hic: Lutheranos praetendere semper: catholicos ipsis infestos fuisse propter dogmata, quae pro conscientiae suae instinctu professi sunt: cum tamen non ita propter dogmata, quam propter facta violenta, catholicorumque oppressiones, vi et potentia, fuerint eisdem iniuri. Certe Coronae in Transilvania, Joannes etiam Honterus, Paulo Benchnero, Archipresbitero, renitente, ab urbe relegato, fixit pedem. Timon. Epit. Chron. p. 292.

30. *Idem Ferdinandus bona capituli Scepus, contra vim ac violentiam Lutherisan-tium, per Alexium Thurzo, Locumtenentem suum, defendi iubet. A. 1542.*

Ferdinandus I. — Spectabili ac Magnifico Comiti Alexio Thurzo de Bethlem-falva, Judici Curiae et Locumtenenti nostro, ac Egregio Mathiae Loboczky de Ken-nenycze, nostro Consiliario, fidelibus dilectis, salutem et gratiam. Quoniam nos fideles nostros honorabiles, Capitulum Ecclesiae Scepus, bonaque omnia in nostram recepimus protectionem et tutelam, in personaque nostra, eadem tutelae vestrae duximus iniungenda, prout iniungimus, mandantes vobis, ut ipsos Capitulum ac bona eorum vniuersa, quae bono iure possident, contra omnem violentiam illegitimamque im-pe-titionem atque infestationem curetis tuenda, auctoritate nostra regia praesentibus vo-bis in hac parte plenarie concessa. — Datum Viennae, IX. Maii MDXLII. — Apud Wagner. Anal. Scep. P. I. p. 377.

31. *Praelatus Scepus. ad instantiam Leibitzensium, acceptis tribus florenis auri, Georgio Lewdischer Lutherano, parociam administrandam confert. A. 1542.*

Joannes Horváth. praepositus Ecclesiae Scepusiensis, Canonico Vicario, necnon Varallensi Parocho. — — Credimus D. V. non latere, quomodo Ciues Laibiczenses inturbant testamentum ven. quondam Jacobi, parochi Leibitzensis; eidem igitur committimus D. Venerabili praesentibus, ut si iidem ciues parochum elegerint aliquem, eum, sine voluntate et annutu nostro, nullo modo audeat confirmare. Bene valeat eadem. Datum ex arce Dunauitz, 24. Junii anno Domini 1542. — Ibidem.

Nos Joannes Horváth de Lomnitza, praepositus Ecclesiae Scepus. M. R. consi-liarius et Secretarius etc. dilecto nobis in Christo Honorabili Georgio Leudischer, de Leutschouia, presbitero iurisdictionis nostrae Spiritualis, praedictae Ecclesiae Scepus. Salutem in Domino Sempiternam. Accepimus, Ecclesiam, ad Honorem B. M. V. de-dicatam in oppido Leibitz existentem, per decessum Hon. Domini quondam Jacobi de eadem Leibitz, ultimi et immediati rectoris eiusdem, de iure et de facto vacare. — Nos itaque tuae fidei, tamquam verae et idoneae personae, Ecclesiam praedictam per praesentes committimus et conferimus, ut curam animarum, et administrationem omnium Sacramentorum, eiusdem Ecclesiae, tam in Spiritualibus, quam in tempo-ralibus populo praestes, per articulum vnius anni, a die datarum, verboque Dei eosdem doceri cures. — Dat. ex curia nostra praeposituali XIII. Julii anno 1542. — Ibidem pag. 234.

Sed, subiicit idem auctor: impeditus fuit Laidischer haereticus, ne subsisteret Leibitzii, tum a Goorgio Mollero, Seniore Leutschoviensi Parocho, tum etiam a Lublouiensibus Capitaneis, minatis eum captiuare, missisque Walachis ad eum quaerendum, et captiuandum. Quod aduertens, recessit ad Topritz." Ibid.

32. *Idem Ferdinandus Plebanos et fideles terrae Scepus. vniuersos, a nouis improbatue religionis sectis, per Praelatum et Comitem Scepus. defendi iubet. A. 1543.*

Ferdinandus. — Exponendum nobis curarunt, fideles nostri honorabiles, deuoti nobis dilecti, 24. parochi regales, cum toto clero terrae Scepusiensis, quemadmodum nonnulli existerent, nouis Sectis improbatue religionis addicti, qui simplicem atque credulam apud eos plebem in erroneas de sancta et catholica fide nostra opiniones et persuasiones miris modis, simulatoque Sanctimoniae fucō, abducere conarentur, idque in maximum sane scandalum et perniciem tum verae pietatis nostrae, tum omnium Christi fidelium seductionem: supplicantes proinde nobis, quam humiliter, vt eos in veteri ritu religioneque! sanctae ecclesiae catholicae, in qua hactenus incorrupti et constantes permansissent, clementer manutenere dignaremur: ita vt ne vel ipsi a damnatarum sectarum studiosis, vel eorum subditi nouis doctrinis, a veritate scilicet christiana longe alienissimis, ab istius modi perversissimis hominibus seducerentur: praeterea: vt ne aliquem, tali secta, seu haeresi infectum eis praeficiendum permitteremus, neue tales inter eos versari, aut a corrupta plebe in parochos eligi, aut a praelatis vllomodo confirmari pateremur: quin potius eis contra tales quoscunque necessario et oportuno remedio clementer adesse vellemus: Nos itaque, considerata aequitate simul ac pietate petitionis istorum plebanorum, clerique vniuersi terrae Scepus. et ob id gratiose admissa et exaudita, vobis omnibus et singulis, et cuilibet vestrum fidelitati, maxime vero praelato et comiti Sedis Scepus. harum serie, strictissime praecipientes mandamus, quatenus pro auctoritate nostra, vobis in hac parte attributa dictos parochos, cum vniuerso eorum clero atque subditis, in antiquo sanctae et catholicae religionis atque fidei nostrae cultu laudabilibusque ritibus et observationibus, manutenere ac defensare, illisque, quum opus fuerit, et quotiescunque requisiti fueritis, tam Spirituali, quam brachio saeculari, aduersum damnatae religionis et doctrinae sectatores quoscunque, a sedibus eorum repellendos, et extirpandos, auxilium debitum et oportunum praestare debeatis: secus sub indignatione nostra gravissima minime facturi. Datum in nostra et imperali ciuitate Noriberga, die 21. Aprilis, anno Domini 1543. Regni nostri Romani 13. aliorum vero 17. Ibid. l. c.

Non eandem constantiam praesetulit in Transilvania Isabella, Joannis Zapola vidua et Joannis Sigismundi mater, quae teste Benkó, Ep. Milkow. Tom. II. p. 467. comitia vniuersalia anno 1543. mensis Febr. indixit: vt de regni conseruatione, et religionis negotio consultaretur, quo inter alios Lutheranorum dogma profitentes, Honterus quoque et Coronenses euocabantur; sed nihil paene in iis pro religione sancitum est. Quantum enim Martinus Waradinensis Episcopus Lutheri asseclis aduersabatur; tantum illis Petrus Petrouich — alter orphani Regis tutor, item Vrbanus Battyányi, et Michael Csáky, reginae consiliarii, obsecundabant. Atque ita comitiis feliciori, quam sperabatur, Lutheranorum dogmatum successu finitis, caeterae quoque Saxonum vtriusque dioeceseos

ecclesiae Romanam dereliquerunt. — Postquam Barzensibus etiam licuit redire sospitibus, ad eum ferme modum, quo in comitiis Reginae exposuerunt, dogmata sua in formam libelli referenda, constituerunt, huncque laborem Hontero commendarunt, qui haud spretis Glazii (collegae sui Coronensis) et M. Valentini Wagneri — aliorumque praecipuorum virorum consilio, demandatum sibi negotium confestim perfecit, opusque, cui titulum praefixit: *Reformatio Ecclesiae Coronensis, ac totius Barzensis Prouinciae anno 1543. forma 8. typis excusum* edidit. Quod laudauit ipse quoque Lutherus magnopere in epistola ad Pastorem Cibiniensem Ramaschium anno 1543. Witteberga scripta. Milchou. Epp. p. 375. Tom. II.

33. *Murtini Lutheri epistola ad Pastorem Cibiniensem scripta. A. 1543.*

Venerabili in Domino viro D. Mathiae Ramassi, pastori Cibiniensi et Decano eiusdem capituli. — Obtulit mihi tabellarius tuus, mi Mathia, vnacum litteris tuis, libellum de reformatione Coronensis Ecclesiae et totius Barzensis prouinciae typis Coronae excusum, quem volui ad te mittere; sed tabellarius dixit, isthic abundare apud vos exemplaria, voluitque penes me retinere; omnia enim, quae tu a me petis, in isto libro offendes melius, quam ego scribere possum. — Sabbatho Aegidii. Anno 1543. Ibidem p. 375.

Immanitatis, cuius arguitur Martinus Episcopus, teste Timone Epit. Chron. p. 298. causa haec fuit: Aedituus Varadinensis, mulieri ante quamdam imaginem Sacram in templo Varad. de genibus preces fundenti, colaphum inieperat: ideo iussu Martinus combustus. In comitiis Transilvanis grauis fuit nemini, omnibus in ius vocatis, in lares suos impune dimissis. Quod cum cernerent Lutheri asseclae, ad maiora audenda incitati: Cibinii quidem Joannes Surdaster pertinacissime Lutheri sacra procurabat; Coronae vero Honterus expulso decano, possessiones ecclesiae ereptum ibat. Ad inescandos Valachos Graeci ritus, quorum non pauci Coronae habebant, Valentinus Wagner rudimenta nouelli cultus Dei eorum sermone emisit. Sed sagaciores Valachi, quamquam graeci ritui dediti tabellariis illis, neque Romanam neque Constantinopolitanam fidem sapientibus, refugiebant.

34. *Ferdinandi Regis mandatum, ne Plebanum nouum in Müllenbach electum, oeu haereticum, pateretur, Nicolaus Bornemisza, arcis Scepus. Praefectus, eludit. Anno 1543.*

N. Bornemisza. — Se illa minime facere posse: nec se quidquam attentare velle absque informatione et voluntate domini sui, D. Joannis Thurzonis; — Dominus, qui illuc locauerat, illum, et cuius nutu et auctoritate ad eandem intrauerat, illius auctoritate etiam exeat. — Anno 1543. Apud Wagner. Scepus P. II. p. 236.

Nihil non egerant Parochi XXIV. terrae Scepus Regales, vt Lewdischerum e parochia etiam Mülbach exturbarent. Sed praefatus Bornemisza eundem aperte defendit,

35. *Eiusdem Nicolai ad Joannem Horváth, Praepositum Scepus. Lutherisantem, in gratiam Euangelicorum apologia. A. 1543.*

R. Domino Joanni Horváth, praeposito Scepus. R. M. Consiliario, et Secretario. — Intellexi a parochio oppidi Müllenbach, quod XXIV. plebani regales, multum

contra ipsum instant, et volunt illum sua parochia eiicere, adnitentes literis regiae maiestatis, quibus mandatur, vt schismatici et erronei homines puniantur. Hic nullam aliam nouam doctrinam, vel inuentionis genus intelligo, praeter euangelicam et christianam, atque sanam doctrinam, nec potest homo euangelicus aliud eloqui; si vere fuerit euangelicus; quam id, quod a Christo et Apostolis eius est praedicatum, et nobis commendatum: Si enim esset de farina, et farragine Anabaptistarum, posset sine scandalo, ab eadem ecclesia seiungi; quum autem profiteatur verbum Dei et praeconem agat euangelicum, non video, vt ille miser exulet; quum illos, qui illum confitentur coram hominibus, et eos coram Patre se confessurum, et eos, qui eum coram hominibus negant, negaturum se coram Patre et Angelis Dei, promittit; eadem D. Vestra aduertat, si sit dignus exilio et persecutione. Quamquam si Dei fuerit voluntas, crucem subterfugere poterit minime, odio habitus omnibus, sed propter verbum et nomen Dei recepturus aeterna praemia, si perseveraverit vsque in finem, et certamen concertauerit; stadium functionis suae cucurrerit, brauium adeptus est; ea propter D. Vestrae R. tanquam Domino meo confidentissimo, supplico, dignetur illum, in gratiam et clientelam recipere, eumque ob iustitiam contra potentiores et dentatos defendere, quo in dies pullulet verbum et proferat bona illa arbor fructus dignos, ne verbum non euulgatum redeat frustra. Confido D. V. reuerendam, iustitiae et Dei causa patronum, maecenatemque exhibere, quod eo ipse, quoad vixero, eidem inseruire studebo: relationemque gratiosam expeto. Quam Deus, vt felicissime conseruaret, precor. Datum ex arce Scepusiensi 8. Junii, anno 1543. V. D. K. deditissimus Nicolaus Bornemisza.“ Ibid. p. 236. sqq.

Subiicit idem Wagnerus l. c. p. 238. „Causae Lewdischerianae Mollerum, praedictorum Parochorum Seniores, frustra repugnasse; nam potentiorum denique fauore nixum Georgium, in Parochia Müllenbachiensi restitisse, primumque fuisse, qui e fraternitate XXIV. Regalium Lutheranorum dogma professus est.“ Quam tenuiter versatus fuerit D. Bornemisza in doctrina Euangelii, aut quam male nouerit Lutheranos, e supplicatione, quam idem Mollerus iterauit ad R. Maiestatem patet.

36. *Molleri, Parochorum Scepus. senioris, ad regiam Maiestatem contra has technas iterata supplicatio. A. 1543.*

— Sunt nonnulli, qui, nouis intendentes doctrinis, Eucharistiam esse adorandam negant, et dicunt idolatriae esse peccatum, illam adorare; qui nec sub vna specie communicare volunt, etiam si nunquam communicare deberent; dicunt se sub sacramento iurasse, se nunquam velle sub vna communicare specie, quum adhuc nullum communicauimus sub vtraque, nec volumus contra concilii Sacri Constantiensis, et Basileensis praeceptum, quemquam communicare. Quum autem in hac elapsa quadragesima, in plebem nostram ex Germania irrepserunt, qui nec confiteri volunt, ex quo sub vtraque specie eos communicare nolumus; maiores nullos habere volunt, nisi ducem Wittenbergensem; talibus, quum sint pauci, vt obuiari possit, decretis et mandatis Sacratissimae Maiestatis Vestrae, per Deum ipsum obtestantur, et rogant plebani,

XXIV. regales, vt Maiestas Vestra serio mandet, vt ecclesiae obtemperent, aut loco cedant. — Anno 1543." Ibidem p. 238.

Nihil quidem diligentiae intermisit Ferdinandus, ut torrenti huic occurreret; ast quia officiales sui non obdierunt, regnumque imminentibus vndique hostibus, periclitaretur; id, quod summo studio satagebat, efficere haud potuit. Felicior fuit Rex Poloniae, qui 13 oppida Scepus, in pignore tenta, in auita religione conservavit. Impedimento fuerat eidem Ferdinando etiam infruictus curionum sacrorum Spiritus, potissimum ordines religiosos professorum; qui votis repudiatis, religioneque catholica deserta, ad protestantismum descuerunt: „Cives quoque Bistricenses, notat Timon. Epit. Chron. p. 292. ad Sacra Lutheri transierunt, duce Matthaeo Teutschero, desertore cuiusdam sacri ordinis, qui, postquam ne in coenobio quidem, cui praeerat, continenter, sobrieque vixit; accepta muliercula, vtramque praeturam sacram et profanam exercebat; nec alio quam plebani nomine appellari volebat.“ Lutherani meros tales Apostolos habuerant!

37. *Joannes Horváth, Praepositus Scepus. Lutherizans, a Ferdinando Rege beneficio priuatur anno 1544.*

Laurentius (nominatus Praepositus) ad Capitulum Scepus. — Misistis ad nos Balthasarum Literatum, Canonicum vestrum, quae per eum nunciastis, ea ad amussim intelleximus; cui de omnibus rationem fecimus: sunt enim nonnulla negocia, quae nos scribere oportuit, ut clarius intelligere valeatis. Notum est vobis, quod Regia Maiestas hac praepositura nos donauit; quod ex literis eiusdem R. Maiestatis intelligere potuistis, qua enim de causa priorem Praepositum eadem priuauerit, ea apud suam Maiestatem haud clam sunt. Credimus enim nos, quod immerito nil quidpiam egit, sicut iustus et verus princeps. Sed intelleximus, quod prior Praepositus vos seducit. — Tali igitur seductioni locum nec detis; sed seruate vosmet ipsos ad ea, quae vobis a regia Maiestate commissa sunt et a nobis. Quare rogamus vos, nihilominus et committimus, vt a talibus vosmet ipsos abstinere velitis, et sitis obedientes. — Homini nostro informationem dedimus, quod super hoc sibi facere oporteat.“ — Ex Porno 31: Januarii 1544. Laurentius Kretsmár olim Praepositus Albensis. Ibid. p. 250.

Huius rei Klanitzius de Tolerantia p. 63. ta meminit: „Joannes Horváthius; iuratus ante Euangelicorum Hostis (?) de religione eorum melius instructus, anno 1544. resignata Regi Ferdinando I. praepositura, deletaque ex insignibus suis mitra episcopali, duxit vxorem Agnetem Jost, Leutschouensem; hac mortua Annam Vicecomitis Francisci Polyankay filiam; cuius et haeredem, tutores, Maximilianum Imperatorem et Stanislaum Thurzo, testamento reliquit.“ — Anno hoc 1544, vt Chronica Leibitziana habent apud Wagner Scep. Tomo II. p. 34. R. et Cl. Vir Bartholomaeus Bogner vocatus est Leutschouiam ad munus concionandi, sub praefectura D. Ladislai Polirer, vbi euangelii lumen refulsit, ille fuit primus euangelicus praedicator.“ — Eodem teste Timone l. c. p. 300. Scripsit M. Lutherus epistolam ad Eperiesienses: — disceptabant adhuc nouelli Lutherani de Missa, num ea omnino esset abolenda; quumque aliqui adhuc illam partem, quam canonem Ecclesia Romana appellat, retinere vellent, Lutherus, pro sua auctoritate, prorsus repudiandum esse statuit. Praeterea commentus est, neque in Dioecesi Mediolanensi in vsu esse, vt sacra hostia inter litandum attollatur. Maxime autem inuehitur, non sine Diabolo, in Deuauum, qui ritus quosdam, a suis valde diuersos doceret, exerceretque. Wallaszkius in Consp. rei liter. p. 116. notat, eum iam

ante annum 1544. ad Heluctios transiisse. Producit etiam nonnulla verba epistolae ad ministros Ecclesiae Eperjes. et vicinorum locorum anno 1544. feria 2-a post: Quasi modo geniti, Viteberga datae: „Quod de Mathia Dévai scribitis, vehementer sum admiratus: quum et apud nos sit ipse adeo boni odoris, vt mihi ipsi sit difficile vobis credere scribentibus. Sed vtut sit; certe a nobis non habet Sacramentariorum doctrinam.“ En scissionem nouitii dogmatis!

Martinus Kechety, Bathoriorum cognatus, Episcopus Weszprimiensis, arduis legationibus, in rebus Ferdinandi I. Regis ad Transiluaniam, Bohemiam, Stiriam Imperiumque Germanicum functus, coepit anno 1539. Eidem a Zapola oppositus Joannes Lascus, cum sedis episcopalis compos fieri non posset, anno 1540. in Poloniam secessit, ad Sectarios Lutheri desciscens. Ipse quoque Martinus, nescitur, qua causa, anno 1548. ad sectarios transit, Antonii Drugeth filia in vxorem accepta. Ex diario eiusdem necdum vulgato. Haec fuit tempestatis illius calamitas!

38. *Idem Ferdinandus Franciscum Révayum, ob tumultus, vt haeresi in superiori Hungaria radices agenti, pro viribus obsistat, hortatur. A. 1544.*

Ferdinandus. — Quemadmodum magnae nobis curae ac prouidentiae esse debet fides, observatio religionis et cultus Dei O. M. sanctaeque matris Ecclesiae nostrae, a diuis patribus veluti per manus tradita, instituta; ita nihil magis nobis in voto est, quam vt ea omnia vltcrius sub imperio, diuina ordinatione nobis credito, sincere, pie et recto ordine, per omnes subditos nostros, obseruentur; vt prolatata Dei, qua a multis iam annis ob scelera communia, vexatur, indignatione, et pericula, iam iam imminetia, procul vitari, et resp. christiana in pacem, quietem, et tranquillitatem, Deo nobis propitio, pristinam reponi possit. Id autem nobis et sponte, ex dignitate et officio nostro regio facere volentibus, fideliumque nostrorum omnium ordinum istius regni Hungariae, ex conuentu Neosoliensi, cui etiam tu, vt scis, interfuisti, missae supplicationes non minimum addiderunt incitamentum. Supplicatum enim, vt scis, fuerat humillime, vt haereses illas, quae vbique in regno nostro non pullulare modo, sed etiam iam inualuisse dicerentur, extirpandas esse, iuberemus; et eos, qui a vero Dei cultu ecclesiaeque orthodoxa diuersis falsis, in pessimum aliorum Christi fidelium exemplum, imbuti essent doctrinis, nisi resipiscerent, et ad veram religionem, atque a tot seculis approbatae Ecclesiae institutionem reuerterentur, omnibus remediis arcendos, puniendosque curaremus. Quamobrem volumus, et fidelitati tuae firmissime, sub indignationis nostrae poena committimus, quatenus, si quos tales in isto regno Hungariae esse cognoueris, qui haeresim, falsamque doctrinam, a vera Dei, ecclesiaeque permanente doctrina veterique institutione alienam aut sectari, aut docere audent, eos sine cuiuspiam personae, quaecunque haec, et quocumque in magistratu et dignitate sit posita, delectu absque omni et fauore perquirere et omnibus oportunitis modis castigare, debeas et tenearis. Nam si secus feceris, praeterquam quod Deum O. M. grauiter offendas, nobisque — obsequium ingratisimum praestabis. Secus ergo nequaquam sit facturus. Datum Pragae prima Iulii, anno Domini 1544. Apud Schwantner, Tom. II. p. 419.

Ast, a se hanc castigationem inchoare debuisset Révaius, de quo s. l. Timon. notat chron. pag. 302. „Hoc anno ad extorquendam eidem Révaio praeposituram Thurocensem,

iussit Ferdinandus Rex per Paulum Wardaium, A. Episcopum Strigon. et Albertum Peregum, Praepositum Quinque-Ecclesiensem refundi illi expensas, quas in expugnanda arce Thuroczeni fecerat."

39. *Res religionis in Transilvania adhuc in deterius lapsae. A. 1544.*

„Prouentus Episcopales et aliorum castrorum, suae Maiestatis de voluntate administrantur, per D. Thesaurarium ad necessitates suae Maiestatis; si placet suae Maiestati, vel ad manus proprias, et hoc ex ea causa, ne prout hactenus, per officiales dissipentur, quibus certa salaria instituantur; et ab omnibus officialibus ratio exigetur; et qui prouentus suae Maiestatis dissipauerint, puniantur. Item: supplicant Domini regnicolae maiestati reginali, quod bona episcopatus nemini conferat, inscribat, nec pignorare dignetur; alienata vero reuocet in statum pristinum. Item: Maiestas reginalis bona capituli Orodensis de manibus Michaëlis Horváth excipi et Ecclesiae restituat. Beneficia autem Ecclesiastica Maiestas sua bene meritis conferat, qui Ecclesiae Dei seruire sciant, et pro Maiestate sua et filio suo Deum exorare, iuxta constitutionem in Comitibus in oppido Vásárhely celebratis, quo tempore episcopatum Maiestati suae dedimus.“ Ex actis comitiarum A. 1549. pro festo B. Petri Apostoli ad Vincula indictorum decretis.

Bonorum horum episcopatum secularizatio coepta est in Conuentu Vásárhelyensi anno 1543. celebrato; post obitum Statilii episcopi Transilvaniensis, qui accidit 1542. qui nullum decennio successorem accepit.

Idem Ferdinandus inualescenti etiam apud Ruthenos, leuissima de causa, repudii, et causarum matrimonialium ad forum seculare, trahendi consuetudini se opponit. Anno 1552.

Ferdinandus, diuina fauente clementia, Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis, Magnificis, egregiis, nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis, vniuersitati populorum Ruthenorum eorundemque officialibus, salutem et gratiam. Exponitur Maiestati nostrae per Venerabilem ac religiosum Ladislaum Episcopum, in claustro B. Nicolai Confessoris circa oppidum nostrum Munkács, more Graecorum fundato, quomodo essent inter vos, ex plebe videlicet ista Ruthenica complures, qui vxores repudiare et a se dimittere, et e contra vxores, quae a suis maritis, diuortium facere vel leuissima de causa saepenumero nulla ab eo, vel ab aliis episcopis, personisque ecclesiasticis, ad quos dispensatio huiusmodi iuxta eorum consuetudinem et ecclesiae ritum pertineret, petita licentia; sed solum modo a nonnullis ex vobis, solutione exigua, summae pecuniarum, eis facta, licentia huiusmodi impetrata; quod in magnum scandalum, detrimentumque, perditionem animarum talium vergere dignosceretur, praesentes; ac proinde pro parte ipsius exponens exstitit nobis humiliter supplicatum, vt in hac re de condigno iuris remedio prouidere dignaremur. Cum igitur indignum sit, profanos homines sese in auctoritatem ecclesiasticam quouis modo miscere, praesertim

vero dispensando maritis vel vxoribus, vt diuortium inter se faciant, idque propter pecuniam, quo vix vllum maius extat peccatum; fidelitatibus vestris, et vestrum singulis harum serie comittimus, et mandamus, vt praemissis sic se habentibus, posthac nullo modo vos, aut quisquam vestrum se ad dispensandum huiusmodi homines, vel mulieres, diuortium facere volentes, ingerere praesumatis, sed praefatum exponentem, caeterosque episcopos et alios ecclesiasticos, quorum id interest, autoritate eorum frui, gaudere in his et aliis huiusmodi, quae ad forum spirituale spectant, modis omnibus permittere, ac per vestros, quorum interest, permitti facere debeatis, et teneamini. Nam alioquin concessimus praefato Exponenti liberam facultatem contra vos, et aliquos vestrum, qui secus fecerint, iuxta eorum iura et consuetudinem procedendi, cui etiam Nos, tanquam Ecclesiasticorum iurium defensores, auxilio nostro pro talibus puniendis, iuxta eorundem merita, pro necessitate affuturi sumus. Secus nullo modo facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutus. Datum Posonii die XV. mensis Martii anno Domini MDLII. — Ex MSS. Analectis Caroli Wagner.

Ex principio Lutheranorum sunt haec agitata, qui matrimonio, a Christo restaurato, dignitatem sacramenti detrahentes, illud leuissima de causa separarunt; ad causas pure saeculares degradarunt; viris duas etiam vxores, tacite, concesserunt, vti Philippo Hassiae Principi, Reformationis Antesignano: ita omnino Euangelii de sub scamno protractores!

Ceterum fuit annus 1553. in sequelam comitorum celebratorum Ecclesiae Catholicae fastissimus: Ferdinandus enim Religionis, quae intestinis dissidiis ac bellis, pastorum defectu, labascebat, peculiarem sumpsit curam: Strigoniensique Ecclesiae Nicolaum Olahum, Agriensi Franciscum Ujlakium, Transilvaniensi Paulum Bornemisza, Varadiensi Stephanum Zaberdinum, Quinque-Ecclesiensi Antonium Verantium, Vaciensi Blasium de Varadino Petri, Jaurinensi Paulum Gregorianczy, Antistites dedit, viros doctos et zelantes. Stephano autem Dobo, et Francisco Kendy, Vaiuodis Transilvaniae renunciatis, praeter mandata, secundum quae prouinciam administrarent, religionem insuper, post nouitia Lutheri et Caluini inuenta, a Blandrata Isabellae medico, Socinianismo inquinatam, sartam tectamque seruari, imperauit: Documentum vide Pray Annal. P. V. pag. 488. — Quod constans Ferdinandi in religionem auitam studium, qui Lutheri et Caluini doctrina imbuti erant, auersati sunt adeo, vt Petrouicsio, a Solymano Transilvaniae praefecto designato, cum Moldauis ac Valachis accersito, Ferdinandi statuta in Conuentu Sebesiensi abrogatis, Episcopi ac Capituli Albensis bona occupauerint, Capitulum demoliti sint, ipsumque Paulum Bornemisza solum vertere coegerint. Vt infra. Sic arma contra Spiritum Religionis Christianae, ab A catholicis in defensionem, propagationemque confessionis suae in Transilvania, primum conuersa.

40. *Res Catholicae post obitum Joannis Zapolae per Georgium Martinusium, et Statilium Episcopum Albensem supportatae, his defunctis, Petro Bornemisza episcopatu exturbato, periclitantes. A. 1554.*

Petrus Bortnemisza Episcopus — Thomae Nádasdi curiae Regiae Judici. — — Tui Tünderi, Siculi, nunquam sedatum animum habere volunt, exercitant mentem, et omnes sensus suos: noua semper agitantes vt ille, qui saxum suum apud inferos vertit sine fine. — Nos hic extremum periculum imminere formidamus huic regno, et nobis, propter Reginae (Isabellae) cum filio Joanne iam in hoc regnum ingres-

sum. Praedicatur a Petroicisio, Imperatorem Turcorum, confecta pace cum Persa, ad festum Pascae Constantinopolim rediturum, Transiluaniam et totam Hungariam inuasurum, in suamque potestatem redacturum; cogendo contra nos Moldauam, Transalpinensem, Tartaros, Turcas, Temesuarienses, Lippaiensis. — Veniam ad Regiam Maiestatem, si secundo vocauerit, vt nunquam posthac in hoc benedictum Regnum redeam, in quo horror, metus, ac perpetua anxietas inhabitat. — Datum ex arce Gyalu die XV. Febr. anno Domini 1554. Pray Hierar. sacrae. Parte II. pag. 236—7.

Fuit Petroicisius Joannis Zapolae cognatus, ideo Tutor Joannis Sigismundi, eius Filii factus, ac praepotens, Apostata, vt Szegedius notauit Rub. P. II. p. 139. cum Martino Kalmancy, primum ad Lutheri, dein ad Caluini castra transiit; Episcopum Transilvania eiecit; bona Ecclesiarum fisco addixit, parochis stigmata inuri, et qua parte caput eorum radi solēt, cutem detrahi iussit; multos eorum crudelitate sua in terram Turcicam, aut in solitudinem ire compulsi; nonnullis sacrilegas nuptias persuasit; sacram suppellectilem templi Claudiopolitani, dirutis aris, contractis status, diripuit; expulsis e monasterio Kolosmonostoriensi monachis, quatuor ex ciuibus Claudiopolitanis pro expeditionibus iuridicis constituit. — De Kalmantio vero, vulgo Sánta Márton, haec subiungit: (Ibid. p. 140). Hic olim Canonicus, primus subin Debrecinensium in Caluinismo Magister, teste Hanero, anno 1554. producto in plateam porcorum lintre, Debrecinensium infantes, in eo immersos, abluabat hac Baptismi forma: „Haec est libertas Christiana.“ Teste autem Pazmano, multis annis in virili habitu circum duxit secum puellam ad vsus nefarios. — En primitias reformatae Religionis in Transilvania et Hungaria! Confer cum neophitis Apostolicis!

41. *Ciues Eperjesienses concionatores nouae doctrinae tumultuarios et blasphemos sibi eligunt Parochos. A. 1554.*

Ferdinandus — Misimus isthuc in medium Vestri hos fideles nostros, egregium Joannem Desewffi, ac Andream Tharnóczy, aulae nostrae Regiae familiare; per quos certis de rebus, ad quietum pacificumque istius ciuitatis nostrae Eperies. statum, ac vestrum omnium pertinentibus, vobis nunciauimus. Comittimus itaque vobis, vt verbis eorum plenam fidem adhibere, et quae nostro nomine vobis iusserint, absque mora exsequi debeatis. Secus non facturi. Datum Viennae, die 24. Mensis Januarii, Anno Domini 1554. Ferdinandus m. pr. Nicolaus Olahus Strigonien. m. pr. — Jussa nunciorum: Vt, ad euitandos tumultus, qui saepe malorum hominum et concionatorum praua doctrina, quae sub specie nouae religionis apud imperitos latere solet, in maximum totius populi excidium tandem erumpunt, parochum sibi deligant virum ecclesiasticum, et probae vitae, minimeque blasphemum aut tumultuosum, praesertim contra venerabile Sacramentum, ac Dei param Virginem Mariam, Sanctosque Dei electos; vtque monachos in eorum monasteriis, si qui sunt, vel erunt, eorum diuina officia exercere, concionarique patiantur; neque imagines Sanctorum potissimum in Ecclesiis ac cimeteriis, scelestis manibus mutilent. — Monachos, ecclesiasticosque homines, non tamen scelestis infectos dogmatibus, qui inibi sunt aut constituentur, sine cuiusquam molestia, viuere et officium exercere suum

sinant. — Datum in eadem Ciuitate Eperies 8. die Martii, Anno 1554. Joannes Desewffi, Andreas de Tarnócz.“ — Apud Wagner Dipl. Sáros. p. 172.

42. *Philippus de Melunchton nouitiam turbulentam in Hungaria doctrinam sufflaminat. Anno 1555.*

Illustri ac Magnifico Viro, Domino Thomae Nádasdi, Palatino Regni Hungariae. Etsi non potentur tota Europa Turcae, et inclinationem regni Turcici multa significant impendere; tamen propter peccata multiplicia in hac parte — metuo grassaturos esse Turcas diutius. Et caeterae gentes, ingratae Pannoniis, vos non adiuuant. Orandum est igitur Filius Dei, qui stat, vt Daniel propheta scripsit, pro filiis populi sui, vt tegat Ecclesiae suae reliquias, nec sinat penitus deleri pios coetus, qui Deum recte inuocant. Huius Illyrii, Joannis Drugnerii, patriam Crisium, quam gubernasti, quum Turcae teneant; ipse Joannes ad Te potissimum accedere decreuit, quem scit dolore singulari adfici, propter eius oppidi exsules et communem gentis calamitatem. Poterit seruire in Ecclesia aliqua. Quare te rogo, vt huic exsuli, opem feras. Ita tibi Deus tuos leniet dolores. Bene et feliciter vale. In festo Jacobi, filii Zebedaei et Salomes. Anno 1555. Philippus Melanchton.“ Apud Klanitium de Tolcran. pag. 39.

43. *Isabella Regina, cum filio suo in Transiluaniam reuersa, conuentus anno 1556. celebratus, bona ecclesiastica confiscanda decernit. A. 1556.*

„Dum autem Domini regnicolae ingentes gratias nobis, filioque nostro illustrissimo egerunt super beneuolo sibi per nos dato responso, promittentes, sanguinis quoque effusione, et vitae periculo obsequentiam debitam, et integram fidem contestaturos; id vnum praecipue a nobis, filioque nostro illustrissimo ardentibus suffragiis postulantes, vt bona Episcopatum et Capitulum, Conuentuum, Praepositarum, aliarum item Ecclesiasticarum personarum, non reddantur illis, quibus adempta sunt, quin potius, quemadmodum nobis, filioque nostro illustrissimo paribus votis et obsequentia per ipsos nobis oblata et deputata existunt, ita in bonum et necessitates regni publicas, et dignitatem nostram filioque nostri illustrissimi, exponantur. Nos igitur statuimus super cunctis bonis Ecclesiasticis cum Consiliariis nostris beneuole conferre et mature deliberare, an bona atque emolumenta huiusmodi Ecclesiastica reddere illis, a quibus adempta sunt, an in vsus nostros, aut publicos retinere debeamus. Negotium tamen Capitularium ad comitia proxime futura dominorum regnicolarum distulimus, de quibus tandem ad plenum deliberabimus.“ — Articulus vltimus conuentus anni 1556.

In horum sequelam breui post omnia bona, fundique Ecclesiastici Fisco regio addicti sunt et Cathedra Episcopalis in sedem Principum Transilvaniae conuersa.

44. *Idem Ferdinandus Ecclesiae Agriensis, post obitum Vjlakii vacantis, singularem, instructione salutari data, curam habet. A. 1556.*

Instructio Sac. Rom. Hung. Boh. etc. regiae Maiestatis, Reuerendo Georgio Body, electo episcopo Csanadiensi, super administratione in spiritualibus et ecclesiasticis rebus, Episcopatus Agrien. Viennae XVIII. Sept. anno MDLVI. Quum sacra regia Maiestas D. noster clementissimus, inter reliquas curas atque sollicitudines praecipuam esse semper putauerit, vt Ecclesiis Dei de idoneis et sufficientibus Pastoribus prouideatur; eam ob causam in praesentiarum quoque diu et multum cogitauit, vt vacanti sedi Agriensi de idoneo episcopo, qui et doctrina, et pro praesentium rerum statu, re quoque militari excelleret, prospicere possit, sed quum tam cito maiestas sua personam eiusmodi ad manum habere non potuerit; voluit ad tempus saltem vicegerentem Episcopi, aut administratorem episcopatus Agriensis in Spiritualibus constituere: ne videlicet ecclesia ipsa accephala tanquam sine capite, cum magna domini cultus diminutione et animarum periculo maneat. Confisa itaque Maiestas sua de fide ac fidelitate, atque sufficienti eruditione, morumque singulari integritate, fidelis sui, R. Georgii Body, electi Episcopi Csanadiensis, eundem tanquam personam idoneam, et benemeritam, ad administrationem in rebus spiritualibus episcopatus Agriensis gratiose promouere dignata est, conditionibus infra scriptis: Primum omnium S. Rom. Regia maiestas vult, atque committit praedicto Georgio Body, administratori episcopatus Agriensis, vt omnibus viribus admittatur, quo vniuersa illa dioecesis Agriensis, in sancta et catholica religione conseruetur, atque tam Agriae, in loco videlicet Cathedrali, quam Cassouiae, et alibi in ciuitatibus etiam regijs, iuxta temporis exigentiam et ipse per se concionetur, et per alios concionari facere, non intermitat; ac RR. in Ch. P. D. Nicolai Olahes, ecclesiae metropolitanae Strigonien. Archiepiscopi, cuius iurisdictioni ecclesia Agriensis subiacet, paternae exhortationi et commissioni solito more pareat, atque obtemperet; ac siquid grauioris causae in rebus spiritualibus emergerit, ipsius consilium et auxilium semper imploret. Quoniam autem communis plebs ita in officio contineri poterit, si ecclesiasticae doctrina et vita probata caeteris bono exemplo fuerint; idcirco praedicto administratori dat Maiestas R. vna cum praefato Domino Nicolao A. Episcopo plenariam potestatem, vt illos sacerdotes, qui praua doctrina vel haeresi Lutherana, aut alia quapiam infecti fuerint, aut, si in catholica religione perseuerantes, turpi et inhonesta vita aliis malum exemplum praebuerint, vbique in dioecesi Agriensi, auctoritate ordinaria secundum sanctiones Patrum, et decreta canonica, ac legitimis seruatis processibus, iuxta vniuscuiusque demeritum animaduertat, eosque punire possit et valeat. Vbi autem ipse ad alicuius personae punitionem sufficiens non esset; committit sua Maiestas praefectis suis Agriensibus, modernis ac futuris, vt ad inquisitionem praefati administratoris, in talibus reis puniendis, eidem omni auxilio adesse deberent; sub grauissima indignationis suae M. poena. Praeterea vult etiam M. sua regia, vt vicarius Agriensis, pro tempore constitutus, et totum Capitulum Agriense, ab ipso Georgio Body, tan-

quam Administratore episcopatus et eorum superiore, dependeat, eiusque salutari-
 bus admonitionibus pareat. Insuper dat M. regia illi facultatem, vt rationabili ex
 causa, Eum, quem magis idoneum viderit, ad officium vicariatus, more solito,
 promouere possit. Dignitates et canonicatus, quibuscunque ex causis, in praedicta
 ecclesia vacaturos, ipse non conferat, sed personas, quae doctrina, eruditione, et
 moribus sufficientes esse, ac sibi idoneae, et bene meritae videbuntur, maiestati R.
 praesentet ac commendet, atque a sua Maiestate ea iure exspectet: Sua enim M.
 commendationis ipsius habita ratione illas promouere non grauabitur. Rectoratus
 autem sacellorum altarium, quos alias episcopi contulerunt, quibuscunque ex causis
 vacaturos, et ipse deinceps personis ecclesiasticis et idoneis vt conferat, M. regia
 admittit. Est insuper contenta R. Maiestas, vt dictus administrator decedentium sa-
 cerdotum, tam Canonicorum, quam aliorum testamenta atque dispositiones legitimas
 confirmet; res autem et bona ab intestato decedentium, iuxta dictamen conscientiae
 suae, in vsus Ecclesiae, et consanguineorum talium decedentium et pauperum secun-
 dum canonum praescripta, conuertere debeat. Curare etiam debeat idem admini-
 strator, quo diuina officia, vtpote maiores Missae, vesperae, et aliae horae canoni-
 cae, aliaeque Missae votivae iuxta foundationes antiquas, in eadem diligenter et sine
 aliquo defectu, quantum fieri potest, pro praesente ipsorum statu, deuote, ac cum
 decore, celebrentur, et peragantur. Sed quoniam id minime fieri poterit, si canonici
 et aliae personae ecclesiasticae ibidem non resederint, propterea vult regia M. ipsi
 quoque administratori committit, vt, quaecunque tandem sint illae personae eccle-
 siasticae, absentes solito more per affixas ad residentiam reuocet, et eas, quae non
 comparuerint, nisi aut in gymnasiis aut in aula nostra, aut alias ob legitimas causas
 abfuerint, beneficio priuare possit. Similiter etiam Parochos in bonis, ad ecclesiam
 Agriensem pertinentibus, et etiam si fieri poterit, in tota dioecesi Agriensi, qui vel
 haeresi infecti, vel turpi vita maculati essent, non modo parochiis priuet, sed in
 personis etiam suis, secundum canones diuorum Patrum, puniat et alios idoneos sub-
 stituendi habeat facultatem etc. — Datum vt supra, Ferdinandus. Apud Pray. Hierar. P. II. pag. 298.

45. *Parochorum Scepus. contra excessus Lutheranorum, ad Ferdinandum R. H. gra-
 ues querelae. A. 1556.*

— „Quod quamuis ipsi habeant ius suum patronatus, potestatem videlicet praesentandi ad instituendum idoneum, seu idoneos ad parochias vacantes; attamen forent plerique ex optimatibus, et nobilibus huius provinciae fere primariis, summi catholicorum osorès, qui sic praesentatos idoneos ecclesiarum pastores, praesertim catholicos, malitiose recusarent admittere, praesentatos vero seu institutos, veteris ecclesiae vestigia sequentes, ob leues, immo nihili causas, turpiter eiicerent, ac loco eiectorum Lutherana tabe, aliaue haeresi infectos; substituere, ipsique articulos praescribere, ecclesiarum reformandarum officium, scripturarumque interpretandarum ius et facultatem assumere; deque decedentium presbiterorum substantiis par-

tem, immo totum sibi vendicare; in eaque, quae sui non essent officii, ingerere sese, non formidarent; pro sua summa habentes, se agi euangelici spiritus sinceritate, et quum decimae non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutae, et ad dandas decimas tam minutas, quam maiores, ad sustentationem ministrorum Dei omnes teneantur; forent tamen nonnulli, qui in earumdem decimarum, aliorumque census, prouentuumque ecclesiasticorum, eorumdem ecclesiis antiquitus dedicatorum exsolutione varias difficultates et prorogationes de industria non solum ipsi facerent, verum etiam et alios priuatim ab eorum exsolutione retraherent. — Datum feria V. proxima ante festum B. Michaëlis Arch. anno Dom. MDLVI. — Apud Wagner. Scepus. P. I. pag. 258.

Georgius Draskovich, Episcopus Quinque-Ecclesiensis ab anno 1557—1563. cuius iam Nro 6. meminimus illustrauit Ecclesiam Hungaricam ad Synodum Tridentinam ablegatus; inde redux, acta eiusdem ex datis vltro citroque literis, in ordinemque redactis, in Historiam Concilii Tridentini adornauit; quam RR. Georgius Pray se vulgaturum addixit, sed fidem fefellit. Commonitorium Vincencii Lirinensis in idioma Hungaricum vertit, et 1561. vulgavit Viennae: alia eius opera adnotauit RR. Balth. Kerchelich. Hist. Zagr. p. 208.

46. *Nicolaus Olahus A.-Episcopus Strigon. suam iurisdictionem super 13 oppidis, Poloniae regno impignoratis, tuetur. A. 1557.*

Nicolaus Olahus. — Omnia ea, quae nobis discretus vir, M. Wenceslaus, de Lomniza Parochus, nuncius vester, communi vestro omnium nomine — de persecutione vestra, de decimis violenta manu per officiales castrum Lublow duobus iam annis ablatis, — et quod vos penitus a iurisdictione nostra Spirituali et subiectione ecclesiae metropolitanae Strigon. auellere conarentur, proxime exposuit. Quamuis autem negari non possit, praedictas XIII. civitates terrae Scepus, vna cum iurisdictione temporali a Ser. Rege Poloniae possideri, attamen iurdictio Spirituality illarum ab obedientia et subiectione ecclesiae metropolitanae Strigon. et per consequens nostra, non alienata est, nec potuit alienari. Quare discretionem vestrae et vestrum cuique in virtute sanctae, salutarisque obedientiae districte committimus et mandamus, quatenus huiusmodi violentiis, atque indebitis postulationibus et mandatis praefatorum officialium castrum Lublow minime pareatis; neque vos a iurisdictione ecclesiae metropolitanae Strigon. matris vestrae vllis vnquam minis aut terroribus abstrahi permittatis; sed in fide et constantia, ad instar praedecessorum vestrorum perseueretis. — Et quamuis ea cura specialiter et immediate ad praepositum Scepus. praelatum vestrum pertineat; tamen nos quoque Dei auxilio ac S. Maiestatis R. D. clemertissimi, autoritate freti, vos omnes pro viribus nostris, sub tutela libertatis et iurisdictionis nostrae praefatae Ecclesiae Strigon. conseruare, manutenereque admitemur, nec aliquid, quod ad defensionem vestram pertinere putabimus, praetermitteremus. Datum Viennae apud aedes nostras, 20. die mensis Nouembris anno MDLVII. — Ibidem p. 289.

Scriptis hoc in momento ad Sigismundum Regem Poloniae: ibidem pag. 290.

Franciscus Thurzo de Bethlemfalva, administrabat Episcopatum Nitriensem ab anno 1534—1557. quo, ne in minoribus constitutus, sacerdotii ordinem suscipere cogeretur, episcopatum deseruit, et ad sectarios transiens, vxorem duxit. Istváni l. c.

47. *Decretum Ferdinandi I. ad Comitem Thurotzensem, circa negocium religionis catholicae promouendum. A. 1558.*

Ferdinandus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Ungariae, Bohemiae etc. Rex, infans Hispaniarum, Archidux Austriae etc. Fideli nostro magnifico Michaeli Révay, Comitatus de Thurócz, salutem et gratiam. Constare tibi pro certo scimus, in aliquot iam diaetis, et congregationibus publicis Fidelium nostrorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, Nobilium, et uniuersorum statuum, ac ordinum regni nostri Ungariae, Te praesente, pie, et christiane statutum, per nostramque mattem clementer confirmatum esse, ut ad placendam, et auertendam iram, et indignationem Dei omnipotentis negotium Religionis, nostra hac aetate in varias haereses, et sectas perniciosas, ac iam olim condemnatas, proh dolor! diuisae, ad veterem sanctae Ecclesiae Catholicae observationem, sanctorumque Patrum doctrinam per uniuersum orbem christianum receptam, et approbatam, ubique in regno nostro Ungariae restituatur, ut hoc pacto Diuina benignitate, nobis conciliata, status quoque regni componatur, et in melius reducatur. Non enim dubitandum est: Uniuersa ea mala, et pericula, quae regnis, et provinciis orbis christiani accidere nunc solent, ex hac praecipua et speciali causa evenire, quod sancta vetus et catholica fides et religio Dei opt. max. cultus et veneratio novis subinde sectis introductis, et pullulantibus negligatur, et contaminetur. Ob quas quidem causas nos tum sponte nostra, quibus utpote verae catholicae, et christianae religionis observatio ante omnia semper cordi fuit, tum vero ad humillimam ipsorum statuum et ordinum dicti regni nostri supplicationem, omnibus fere Ecclesiis ditioni nostrae subiectis, Praelatos sive Episcopos, qui ad hoc idonei videbantur, praefecimus eo potissimum fine, ut ipsi primum praedicatione, et doctrina verbi Dei, deinde moribus, et exemplis gregem sibi commissum, iuxta ritum sanctae Romanae, et catholicae Ecclesiae instituant, et doceant. Quos quidem Praelatos, tametsi etiam hactenus officium eiusmodi ipsorum pro eorum viribus partim per se, partim per suos vicarios, et Anchi-Diaconos ac Visitatores non praetermisisse sciamus: nunc tamen denuo specialiter nostri in praesentia vocatos hortati sumus, illisque serio commissimus ut quanto magis labem hanc Religionis, vires et incrementa passim sumere conspiciunt, tanto ardentius ipsi quoque veterem sanctamque religionem et cultum diuinum in eorum Diaecesibus ubique secundum pristinam catholicae Ecclesiae normam, piis eorum concionibus, doctrinaque a sanctis Patribus desumpta reformare, damnatas sectas, et haereses, signanter Anabaptistarum, sacramentariorum, et aliorum, procul arcere contendant. Quod ut rectius fieri valeat, necessarium imprimis fore videtur, ut iuxta contenta Articulorum praescriptarum Diaetarum concionatores illi, qui in nullis sacris ordinibus constituti a nemineque Praelatorum legitimorum missi, vel approbati, homines ple-

rumque idiotae, et mechanici, multis in locis officio praedicationis fungi, ritusque ac ceremonias et Sacramenta Ecclesiastica, ipsum etiam venerabile et sanctissimum missae sacrificium subsannare non verentur, si respiscere nollent, iuxta Ecclesiasticam disciplinam coërceantur, et a nemine Dominorum terrestrium, vel Praesidium locorum sub poena, in ipso decreto expressa foveri debeant, ut remota omni controversia, et contentione, quae nihil aedificare, sed miseram plebem in errorem ducere solet, veteribus sanctae catholicae Ecclesiae doctrinis, ac Institutis ubique pareatur. Quo circa fidelitatem Tuam harum serie requirimus, Tibique firmissime mandamus, et comittimus, ut si aliqui forte Anabaptistae, et Sacramentarii, de quibus antea in articulis conventuum Anni MDXLVIII. et MDL conclusum est, in bonis tuis essent, tales statim intra spatium viginti dierum, a die exhibitionis praesentium, ableges et expellas. Aliarum etiam haeresum et sectarum, olim in conciliis sanctorum Patrum damnatarum, concionatores, qui a legitimis, et ordinariis eorum Episcopis ac Pastoribus nec ordinati, nec missi sunt, et eos, qui caeremonias sanctae romanae et catholicae Ecclesiae ab antiquo observatas, et praeserim sacro sanctum missae sacrificium contemnunt, si in bonis et possessionibus tuis inuenirentur, illos, nisi respiscant, et domino Archiepiscopo eorum legitimo pareant, contra ipsum Archiepiscopum, ipsiusque ordinarios Archidiaconos, et visitatores defendere, et in Ecclesiasticam auctoritatem, vel functionem te ingerere, sub ea poena, quam decreta Regni contra eo, qui damnatis sectis adhaerent, vel eas defendunt, sanxerunt, nullo modo praesumas. Nam alioquin scias, quod ipse Episcopus, Praelatus Tuus legitimus, plenariam habet auctoritatem atque a nobis comissionem, ut iurisdictione sua Ecclesiastica contra sanctae Ecclesiae catholicae inobedientes libere utatur. Secus igitur sub indignationis nostrae caesareae poena facere non audeas. Praesentibus perlectis exhibenti restitutus. Datum Viennae vigesima quarta die mensis Julii Anno domini milesimo quingentesimo quinquagesimo octavo.“ Ex archiuo Archicapituli Strigon. L. 1. S. S.

Isabella, Joannis Zapola vidua, immunitates Episcopi ac cleri vniti Munkácsiensis vindicat. A. 1558.

Nos Isabella, Dei gratia Regina Hungariae etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod nos cum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem, nobis pro parte fidelium nostrorum honorabiliun Lariona Episcopi et caeterorum fratrum Monachorum, in claustro Ruthenorum, diuo Nicolao consecrato, prope oppidum nostrum Munkács habito, commorantium factam, tum pia intentione motae eosdem Larionam Episcopum et caeteros monachos, in praescripto claustro commorantes, iuxta annuentiam diuorum Hungariae Regum, Praedecessorum nostrorum a solutione quarumlibet contributionum censuum et taxarum, tam ordinariarum, quam extraordinariarum, item quorumlibet operum, et seruitiorum exhibitione, in perpetuum clementer eximendos, et supportandos, duximus, imo eximimus, et supportamus, praesentium vigore, quo circa

vobis fidelibus nostris Magnificis, Egregiis et Nobilibus, Comiti, Vicecomitibus, Comitatus Beregh, item Praefecto, Castellanis, Prouisor Arcis nostrae Munkács, dicatibusque et exactoribus quarumlibet contributionum nostrarum, modernis vel futuris, praesentium notitiam habituris, harum serie mandamus firmiter, quatenus a modo deinceps, memoratos Larionam Episcopum et reliquos fratres, monachos, in praedicto claustro commorantes, ad solutionem quarumdam taxarum, censuum, et contributionum tam ordinariarum, quam extraordinariarum ac onerum seruitiorumque exhibitionem cogere et impellere, aut eosdem propterea impedire, turbare, aut quouis modo damnificare non praesumatis, secus non facturi. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutus. Datum in ciuitate nostra Alba-Julia, tertia die mensis Julii, anno Domini MDLVIII. Pray. Hierarchiae. S. P. I. p. 392.

Nec tamen hac protectione freti Episcopi Munkácsienses erant firmi in vnione; eorum nonnullos ab eadem resiliisse, videbimus infra.

48. *Idem Ferdinandus exposito regni, ob Turcarum truculentiam, ac Haereticorum peruicaciam, statu calamitoso, de bonis ecclesiasticis alienatis reuocandis, ad scopumque applicandis, clementer disponit. A. 1560.*

Ferdinandus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Boëmiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Dux Lucemburgae, ac superioris et inferioris Silesiae, Wirtembergae, et Thekae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretes, Kiburgi, et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Imperii, supra Anasum, Burgouiae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis, et Salinarum etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod quum Regnum Vngariae Diuina ita permittente ira, in eum videamus redactum statum, vt non solum truculentissimi ac communis totius orbis, et nominis Christiani hostis, Turcae potentia, saeuaque et immani crudelitate, iam inde a plurimis annis afflictum despoliatumque a pristino illo suo splendore (proh dolor) deciderit; durissimumque infidelis Tyranni iugum etiamnum maiori parte sufferre cogatur; verum etiam, quod maius est, reuocatis hoc seculo quorundam infroeni malignitate et libera, peruersaque tetrae mentis in ouile Christi saeuiendi libidine, omnium veterum etiam olim vnanimi totius Ecclesiae Christianae sententia explosarum, damnatarumque haeresum erroribus, diuersarum sectarum, impiarumque opinionum, cautibus, communi condam cum aliis plerisque orbis Christiani regnis et prouinciis, malo, impactum, verae et orthodoxae Religionis periculosum valde naufragium fecerit, atque hinc euenerit, vt plurimae, diuersaque ordinis et instituti Ecclesiae, quibus hoc regnum nostrum inter alias orbis Christiani nationes et numero et insigni Diuino cultu, haud fuit postremum; partim uastatione Turcarum, partim vero impietate haereticorum, et seducti per eos populi

maneant penitus neglectae, maiorque pars illarum funditus desolata; bona vero et iura possessionaria, quibus illae antiquitus a diuis condam Hungariae Regibus, felicium recordationum, ac ab aliis piis et deuotis erga Deum, religionemque Christianam hominibus fuerunt dotatae, partim ex nostra concessione ad beneplacitum facta, partim vero nonnullorum priuata autoritate, in profanis manibus nunc existant, variisque modis, cum maxima diuini cultus, conseruandaeque verae Religionis dispendio, hinc inde distrahantur. Volentes nos igitur, pro nostro officio, quo in hoc supremo dignitatis Imperialis culmine ex Dei clementia constituti, pro defensione, propugnationeque verae fidei tenemur, omnibus modis curare, ne bona ipsa Ecclesiastica semel Deo et eius cultui, consecrata in vsus profanos conuertantur, neue ita officia quoque et ministeria diuina cum grandi Christianarum animarum dispendio, simul intereant, et aboleantur; de maturo consilio et deliberatione nostra, et Dominorum Praelatorum ac Baronum et aliorum consiliariorum nostrorum nobiscum hic nunc existentium, decreuimus, aique deliberauimus, quod vniuersa bona ecclesiastica, exceptis iis, quae ad scholas intertenendas applicauimus, et dedimus, quocumque nomine censeantur, siue ea sint capituli, siue Abbatum, siue Praepositorum, Canonorum, Priorum, Eremitarum, Carthusianorum et aliorum fratrum, Monialium, capellarum, et aliorum beneficiarum ecclesiasticorum, siue donationi nostrae regali, siue Praelatorum subiacta, quae scilicet nos ante praesentium emanationem, quocumque nomine, cuiuscumque homini saeculari contulissemus, et donassemus (quam nos donationem ex nunc reuocamus, cassamus, et nullius roboris esse, vigore praesentis huius deliberationis nostrae pronunciamus) de manibus eorundem hominum saecularium, quorumcunque et cuiuscunque sint status et conditionis, statim et de facto occupentur, atque iis, quorum ipsa beneficia sunt, si viuant, restituantur, aut si non viuunt, in eo casu manibus Archiepiscoporum, et Episcoporum, aliorumque Praelatorum suorum ordinariorum assignentur; ac deinceps vsque ad tempus infrascriptum, per ipsos Archiepiscopos et Episcopos, quibus subiacta, possideantur et gubernentur; ita tamen, et ea conditione, quodsi qui adhuc Praepositi, Abbates, Priores, Canonici, Monachi, Fratres, Moniales, et alii beneficiati supersunt, quorum praescripta fuerunt bona, qui videlicet quum propter Turcas, aut aduersam aemulorum nostrorum factionem, qua regnum istud ultra alias suas afflictiones, nunc mirum in modum turbatur, in loco suae residentiae residere, ac bona beneficiarum suorum propriis suis viribus possidere, prouentusque percipere non possunt, sub nostra tamen ditione degunt; Archiepiscopus vel Episcopus ipse ordinarius aut Dioecesanus, sit iis beneficiatis auxilio in possidendis eiusmodi bonis, ex illorum prouentibus de honesta et necessaria vitae eorum sustentatione providere, atque portionem ipsorum eis integre reddere; bona vero Monachorum, et Monialium, si monasteria, ad quae spectant, sunt desolata vel destructa aliis superstibus adhuc Monachis, et Monialibus eiusdem Ordinis, dare et as ignare debeant. Ipsi vero tales superstites Praepositi, Abbates, Canonici, Monachi et Moniales, et alii beneficiati, in beneficiis eorum cathedralibus vel collegiatis, aut aliis, in quibus beneficium ipsum fundatum est,

adhuc extantibus, vel si non exstant, in aliis propinguioribus; Monachi vero et Moniales in monasteriis ordinis ipsorum exstantibus, vsque ad reaedificationem Ecclesiarum et monasteriorum suorum residere et cultum, atque officia Diuina iuxta foundationem Ecclesiarum suarum, pro eorum sufficientia et viribus peragere teneantur. Casu vero, quo nullus talium beneficiarum nunc superuieret, extunc Archiepiscopi et Episcopi, qui a nobis ius patronatus conferendi beneficia habent, eiusmodi beneficia vacantia idoneis et sufficientibus personis ecclesiasticis, in sacrisque constitutis, vel talibus non existentibus, aliis Clericis, qui ordines sacros mox suscipiant, de facto, et sine mora conferre teneantur. Si vero Archiepiscopi, et Episcopi patronatus a nobis non habent, nos ipsi conferemus his, qui pro beneficiis ipsis apud Nos supplicauerint, vt sic numerus beneficiorum augeatur, atque cultus Diuinus non minuatur. Hoc quoque clementer annuimus, vt ipsi Domini Praelati ex bonis eiusmodi Ecclesiasticis vacantibus, partem aliquam ad erigendas et intertenendas scholas, et ludos literarios, in quibus iuuentus sub Praeceptore non haeretico, aut suspecto, sed Catholico ad profectum religionis Christianae erudiat, conuertere et applicare possint. Ceterum ad tollendum dubium de beneficiis, a Iurisdictione alicuius Episcopi Dioecesanii exemptis, et ad Ecclesiam Metropolitanam Strigoniensem pertinentibus, ita decreuimus, vt curam quidem dispensationis honorum et prouentuum temporalium, Episcopus ipse Dioecesanus modo et ordine declarato habeat, iurdictio tamen ipsa et superioritas, secundum iura, priuilegia et antiquam consuetudinem ipsius Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, penes Metropolitanum ipsum integra semper et illaesa maneat. Quod si vero aliquis Dominorum Praelatorum, bonis istiusmodi ecclesiasticis, praeter ordinem et modum superius declaratum, abuteretur vel in suum proprium vsum, aut alios non pios vsus conuerteret, talem a praedecarata honorum ecclesiasticorum cura et dispensatione, prout ex nunc ita extunc, et prout extunc, ita ex nunc priuatum esse volumus. Quod si autem cum tempore, Diuina miseratione, regnum nostrum Vngariae pacificabitur, et ab hoc praesenti calamitoso, luctuosoque statu, ad quietiorem, tranquillioemque statum reuertetur; extunc eiusmodi bonis, et prouentibus beneficiorum Ecclesiasticorum, sine aliqua cunctatione, et dilatione, ac strepitu quouis iuris, iis, quorum secundum foundationem interest, Praelati ipsi, in quorum manibus tunc, praescripta bona Ecclesiastica erunt, simpliciter et de facto reddere, atque illa capitulis restituere debeant, et de facto teneantur. Imo decreuimus et deliberauimus, harum nostrarum vigore et testimonio literarum: mandantes firmissime fidelibus nostris vniuersis, et singulis Dominis Praelatis, Baronibus, Palatino videlicet, et aliis Capitaneis, Castellanis, Comitibus, Vice-Comitibus, et ceteris officialibus nostris cuiuscunque status et conditionis existant, modernis et futuris, qui vel praesentibus, vel aliis literis nostri mandati fuerint requisiti; vt praefatis Dominis Episcopis vel Archiepiscopis, quorum intererit, in praemissa deliberatione nostra exequenda, et in occupatione de manibus secularium, et Idiotarum, quarumcunque personarum, praefatorum honorum et prouentuum ecclesiasticorum quorumcunque, omni consilio, auxilio, adiuuamine ad-

esse debeant et teneantur, gratiae nostrae sub obtentu, aliud non facturi. Praesentes autem, quas secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae vtimur, impendenti communiti iussimus, post earum lecturam semper reddi committimus praesentanti. Datum Viennae decimo die Aprilis, Anno Domini Millesimo quingentesimo, sexagesimo. Regnorum nostrorum, Romani tricesimo, aliorum vero tricesimo quarto, electionis vero nostrae Imperatoriae tertio. Ferdinandus m. pr. Franciscus Forgách Episcopus Varadiensis m. pr.“ — Ex originali Archiui Regnicolaris.

Lutheri ac Caluini in Hungaria asseclae, Transiluanorum exemplo, ad bona Ecclesiarum promiscue diripienda conuersi sunt; magno regni ipsius detrimento: fiebat enim per id, quod Praelati, quum subsidia in bellum poscebantur, parum iam praebere possent; iniqui autem eorum possessores ea vel inuiti, vel admodum remissi praestarent, magis de constabilienda nouitia religione, quam de reprimendis Turcarum progressibus solliciti. Huic vulnere curando, rex conuocatis Viennam ad peculiarem Conuentum Episcopis, et Magnatibus, priscae religioni addictis, statuit, bona ecclesiastica tam vi erepta quam a se aliis collata, restituenda. Haec Viennae, cum fundi Ecclesiastici ad ius patronatus maiestaticum pertineant, non concitis regni Ordinibus acta. Id exteris, domesticisque heterodoxis occasionem praebuit, Ferdinandum, huiusque successores, oppraessionis religionis protestanticae arguendi; quasi fas vlli vnquam fuerit, cuiuscunque tandem religionis, aliena, bona inuitis Dominis, rapere et vsurpare. — En motuum Religiosorum originem ac fundamentum. — Quantum mutata religio A catholicorum animos, quin et immunitates ac praerogatiuas immutauerit, docuit euentus: qui ad tutandam patriam pauci aut segnes concurrerant, ad censumque belli contribuendum fuerant difficillimi: ad bona occupata, decimasque vsurpata, sibi vindicandas, ad vtrumque, quin et ad viritum consurgendum erant paratissimi: documento sint Hungari, Siculi, et Saxones Transilvaniae. anno 1560. Vide Articulos Statuum Transil. Kolsvárini 11. Nov. 1560.

49. *Jazygum Cumanorum fides Catholica nutans. A. 1560.*

Verantius Episcopus Agriensis ad Serenissimum Regem Bohemiae, Maximilianum. — Paucis his dictis superioribus ciues oppidi Jaazbrinensis, sacrae Regni Hungariae coloni, misere ad me nuncios suos, significantes, quod IV. ex conciuibus suis, Georgium literatum, Andream Hewlgyes, Ambrosium Kothon, et Simeonem Wegházy, vellent Viennam mittere ad Sacram V. R. Maiestatem. — — Cur isthuc conmeare velint, tanta eos necessitate laborare non video; nisi si querimoniam aliquam de me delaturi sint. Nec de me alia causa queri possunt, quam quod eos a professione Lutheranismi inhibeo, simque nonnullis eorum peculiariter molestior: qui quum non ita pridem saeuierint in Sacramentum, quod a parochis ad aegrotum ferebatur; tum etiam modo se in viam Catholicae pietatis minime reuocari patiuntur. — Haec attigi obiter, vt M. V. dignetur clementer scire colonorum horum regionum curam hic a nobis non intermitteri. — — Deum interim O. M. precatus, vt S. V. R. Maiestati et ser. suis liberis, annum hunc nouum, cum quam plurimis in posterum, laetum faustum et felicem concedat, et incolumes perpetuo velit. Agriae XX. die Januarii 1560.“ — Ex MSS. Verantii in Agrien. Bibl. Tomo II. fol. 38.

50. *Lutheranorum circa Agriam motus ac peruicacia. A. 1560.*

Verantius idem ad Ferdinandum Imperatorem. — Quoniam fidei ac officii mei est, de omnibus V. M. Caesaream facere certiore, quaecunque hic in dies incidunt, eiusdem V. C. Maiestatis scitu necessaria; illud imprimis clementer intelligere dignabitur, magna ex parte hoc in loco et in vicinia popularem turbam, et nobilium ac militum ordines esse Lutheranos. Tres autem pagi, ad episcopatum pertinentes, Agriaeque in vno milliario contigui: Maklaar, Nagy Talya et Kis Talya, tres concionatores et vnum scholae rectorem fouere: iique huc commigrauerant ante adhuc quam ego in hunc venissem episcopatum. Habita itaque initio omnium de religione cura ab Episcopatu occupato, accersiueram ad me memoratos Lutheranos, vsusque paternis et piis monitis, vt ab errore desisterent, reuerterenturque ad Romanam et vniuersalem omnium Christianorum sanctam matrem Ecclesiam; docerentque catholice, et cum orthodoxis Patribus sentirent, aliaque id genus plura contendens totis viribus, vt resipiscerent, et ad sanitatem redirent; frustratus tamen hoc meo conatu, quum ad finem interrogati; essent ne Sacerdotes, et quis eos ordinasset; parsque respondissent, quod essent et quod a Philippo Melanchtone fuissent ordinati; pars vero, ab episcopis nostris; sed postea consequuti veritatem ex euangelio, abiecissem se characterem hunc et alium a spiritu sancto accepisse per impositionem manuum Patrum suae Ecclesiae; indignatus sum, et iussi, vt quamprimum ex Episcopatu meo discederent; nisi vellent in perpetuos carceres descendere et alia peiora pati. Interim vero, reuocatus in curiam per C. V. Maiestatem, dilata mihi est ablegatio ipsorum; quia milites etiam cum nobilibus obstabant. Denuo postea huc reuersus, rem vrgerem inceperam. Sed considerato periculo, quod ex militum et nobilium tumultu belli tempore posset huic loco accidere, temperaui summa dissimulatione mihi; quotidie alioqui illis me in communibus sermonibus minante, edicenteque: Quod in bonis meis non essem eos passurus; idque eo solo consilio, vt incerti essent, suarum rerum vltroque quopiam recederent; disposito interim in hoc oppido et parochia et concionatore Catholico, colonisque etiam meis exterritis, ne seductoribus huiusmodi praeberent aures, nisi velint grauissime puniri. Nunc vero tandem nacta occasione praesentium induciarum cum Turcis, sub quibus et tumultus militares non sunt metuendi, et discessionem etiam curandam, quum pro vno vndecim haberi possint, quod exauctoratorum magna sit vbique copia, die huius mensis V. accersitis ad me capitulo, et concionatore meo, ac omnibus fere militum et nobilium primoribus, et notario publico, iussi hos quoque adesse omnes IV. Lutheranos; praefatusque initio, quid ad hoc tempus cum eisdem Lutheranis egissem, quamque pie ac paterne illos monuissem; vt aut resipiscant, et ad catholicam Ecclesiam reuerterentur aut ex episcopatu meo decederent. Neutrum tamen fecerunt, eisque insuper obauditis mandatis, nunc etiam ob oculos meos versarentur: nec desinerent in populo, mihi commisso, disseminare haereses; duo tandem mandata V. C. Maiestatis, alterum ad me alterum ad nobiles et milites, Agriae commorantes, data, in medium produxi, et palam interpretari Hungarice feci. Jubebar autem et ego in huiusmodi haereticos animadu-

tere, et milites cum nobilitate ab eorum dogmatibus abhorrere, ac recedere; nisi et ego, et ipsi gratissime a C. V. Maiestate puniri vellemus. Ibi declarata et exposita V. eiusdem C. Maiestatis voluntate. tria proposita ipsis Lutheranis: Vt aut conuertantur ad catholicam religionem, et ordines nostri sacerdotii recipiant cum beneficiis ecclesiasticis, aut exeant tota mea dioecesi, deposito vel iuramento, vel syngrapho mihi dato, quod in ea nullibi essent mansuri; aut si nec hoc nec aliud facere vellent, mox compedes et custodiam subirent. Ad quae breuissime mihi responso dato, nimirum: Quod iam haberent constitutum in ea possessione vitam agere, quamque nullo genere vinculi velint se obligare ad ea quae exigebam; quandoquidem ipsi non possent aliud facere, quam ire quo vocarentur: quod ad docendum concionandum fuissent a spiritu missi. Ibi ego, facto sine verbis, et omnes assidentes adstantesque alloquutus: in sola perfidia et contumacia haereticorum vim consistere; nec iam vel disputandum cum eis, vel scribendum in eos esse, quod satis iam et disputatum et scriptum sit; restareque vt in contumaces cauterio et catenis agatur. Jussi eos in custodiam detrudi. Accidit autem, vt quum singillatim interrogarem omnes: quis eos ad hos pagos adduxisset? vnus, qui in Kis Tallya officio fungebatur, qui pagus pertinet ad praeposituram minorem meae Ecclesiae, mox respondit: Dominus Michael Heyczey, praesens praepositus; homo loci huius veteranus, ac aetate prope iam ultra senium. Gaudis hoc responso, quod desideraueram fieri, quia sciueram bonum senem hoc Lutheranico naeuo laborare, assurrexi, et omnibus, qui aderant protestatus sum et adnotari feci, vt rem indignissimam: quia a Capitulo etiam fuerat aliquando ante commonitus, moueret Lutheranum parochum ex possessione, ad ecclesiam pertinente; contempsit tamen in hunc vsque diem; nec fratribus parere voluit; sed quia hoc mihi excutiendum erit postea, ad Lutheranos redeo; quibus in hunc modum custodiae traditis, et nobiles et milites valde sunt perturbati, meque agminatim fere aggressi sunt, rogare et adhuc rogant, vt eos, si hic pati nolim, saltem libere abire permittam. Nec adhuc quicquam exorarunt, quia nec ego, sine forti cautione, volo eos dimittere, nec ipsi mihi eam cautionem deponunt, quam ego postulo. Et postremo eo erat ventum, vt intra XX. miliaria Hungarica, circum Agriam quaqua versus se extendentia, nullibi, nec apud dominos Barones, nec apud nobiles, nec apud plebeios homines consisterent; docerentque sine expressa Caesar. V. Maiestatis clementi voluntate et gratia; vtque liceret mihi in eos animaduertere, si intra hos fines aliquando deprehensi; idque cautionis praestarent pro illis pars melior militum, ac nobilium; quod Lutheranorum fidei, quam non haberent, non essem crediturus. Et nunc his teruntur mihi dies de hoc; exspectans clemens mandatum quidnam sim de illis facturus. Milites autem etsi perturbati sint, et me initio terrebant; quod essent discessuri, vt inconditum vulgus; declamauerintque non mediocriter varia; ego tamen, praetenso clypeo mandatorum et voluntatis C. V. Maiestatis, vsus sum artificio, nihil agendo violenter meque hinc excusando, quod ipse etiam cogeret; hinc blande eos alloquendo, ne falsis dogmatibus fidem haberent. Lutheranismum nullum verae doctrinae fundamentum habere; vnam esse catholicam Ecclesiam; in

ea omnibus Christianis esse permanendum; ab ea veram doctrinam petendam; et eius ritu sumenda Sacramenta; neque mirari vehementer, quomodo Eucharistiam a laicis sumere praesumant; caeterum V. C. Maiestatem nunquam Lutheranismi Regnum hoc suum labefactari passuram; iamque esse aggressam ad hanc pestem tollendam et exstinguendam; ideo non tumultuantur; sed aequo animo accomodarent sese V. C. Maiestatis voluntati, cui ne ego quidem contraire volo; etiamsi me in frustra essent concisuri; quod tamen a fide illorum, qua mihi post M. V. essent addicti, non metuerem, vt a nobilibus, constantibus et sui honoris viris studiosis. Non prosequar caetera, nam videntur iam ferre rem sedatius et cum silentio. — — Dignabitur mihi, quam celerrime fieri potest, clementer mandare, quid in hoc negotio erit mihi ac praefectis meis faciendum. Deus O. M. V. C. Maiestatem incolumem et felicem conseruet. Agriae 21. Februarii A. 1560. Ibid. p. 180.

51. *Ciuitates Regiae superioris Hungariae, scrobes et asyla Lutheranorum. A. 1560.*

Ternae mihi nudius quartus redditae sunt literae a Caesarea V. M. cum mandato, ad has superiorum partium ciuitates, in Religionis negotio. Quod mihi valde erat necessarium ad compescendam multorum, quoad eius per me fieri poterit, in hisdem Ciuitatibus licentiam; quum hae eadem ciuitates scrobes quaedam et asyla sint omnium haereticorum, quos ab hoc Dominico grege latissime iam corrupto non solum ego, sed etiam alii plures submouere conantur, qui Catholicae religioni compatiuntur, et nauare operam fideliter student. Atque vti M. V. caesarea clementer dignata est significare mihi etc. Cum D. Zay, sicut antea etiam in seruitio V. C. Maiestatis mihi summe coniuncto ac consentiente ita nunc quoque; spero Eundem seruitute, ac mutua cointelligentia, quam nobis de tuenda his in partibus religione, iniunxit, contentam fore. Cum D. Bebek quomodo sim, adhuc ignoro, qui iam et ereptam mihi decimam securus obtinet, et de soluenda parum cogitat, omnia pollicendo. Ego tamen cum eo omne genus dissidii vito, ne sim ei similis in pessumdanda miserima plebe; ferremque facillime eius ingenii caetera, si modo rapinas possem. — — De his, quatenam etiam Eperjessii Cassouiaeque cum magnifico Domino Petew audiuerimus, ipse referet. — Agriae 8. Octobris 1560. Ibid. p. 57.

52. *Jaszberinienses Cumani Lutherani, igne supposito, monasterium Franciscanorum exurunt. A. 1560.*

Idem Verantius ad Regem Ferdinandum: Quid iam ad impietatem Haereticorum huius Confinii manifestius declarandam restet, postquam igne quoque saeuire inceperunt, nescio; nisi si tandem ad gladios procurrerint, verbo iam, quod erroneis sensibus deprauauerunt, non contenti. Clastrum enim Jaszberinense, de quo saepe alias ad C. Maiestatem V. scripsi, die huius mensis XI. quum ter ante illi faces per ignoratos auctores sui sent iniectae, postremo totum est conflagratum solo templo incolumi relicto. Et, quia ciuium eius oppidi pars non maior, sed ditior, haeresim profi-

tetur, tota huius incendii suspicio haereticis impingitur, idque non leuibus rationibus: quia et hieme proxima hoc ipsum tentauerant, et sunt quidam, qui sunt auditi dixisse: „Malle se Turcas eo potiri clastro, quam Monachos.“ Visi etiam sunt ex eis non pauci, qui ardente clastro, tripudiis saltitarint, quumque alii, qui catholici sunt, mutuo sese hortabantur ad succurrendum Dei et orationis domui; ii et nos deriserunt, et in monachos conuicia coniecerunt, probrisque et maledictis non solum Missas, sed et altaria et omnes cultus sacros prosciderunt. Ex quo facinore, quia nos Christiani futuri sumus et Turcis magno scandalo, qui sua templa pro religione sua honestissime colunt, et M. etiam Vestra poterit fortasse incommodiora quaequam audire, si postquam in suo regno accidit tanta impietas, relinqueretur indiscussa et impunita; eaque propter vbi primum intellexi hunc casum, omnes vtriusque religionis eiusdem oppidi primarios ciues cum iudicibus suis Agriam venire iussi, operam cum R. D. Gregorio Bornemisza. Sacratissimae V. C. Maiestatis Commissario, diligentissimam daturus, vt quibuscumque modis ac rationibus melioribus, fieri poterit reperiantur, iureque puniantur incendiarii; ne in posterum tam enorme exemplum, tam horrenda licentia a quopiam vsurpetur. Quoniam vero hoc meum factum non est paucos offensurum, fientque de me etiam grauiores querimoniae, quas non attentabunt alii, nisi qui eiusdem erunt farinae, his denique naetis laborabunt: Sacratiss. V. C. Maiestati, zelo Dei et catholicae eius Ecclesiae, humillime supplico, dignetur meam in hoc non solum auctoritatem non minuere, sed etiam augere, confirmareque et maiorem facere. Neminem vel pulsaturus, vel occisurus. Si tamen hic vel non erunt, qui post M. V. afflictissimae et iam fere profligatae religioni catholicae adesse ac succurrere possint, idque multo iam acrius, quam quidam arbitrentur, quod malum latissime inualuit, et ad principatum tendit, sic vt concilium quoque, si conatus eis successerint, fiat et arbitrato et auspiciis eorum; profecto, clementissime Imperator, actum erit his in locis de auctoritate Episcopi, et de religione catholica. Verum id rei paullo post, simul ac perduxero ad finem, totum eius processum ad C. V. Maiestatem suo ordine perscribam. Quandoquidem iam et Cassouiae Gallus ille Anaxios, concionator haereticus, de mandato V. C. Maiestatis tenetur, et hic mihi cum aliis duobus est negocium; quorum alterum, quam longissime potero, ablegabo, alterum in vno milliario mihi vicinum apud egregium Fywgedy oppugno; quem quum nec extrudere nec in potestate mea habere possum, quod ab eodem Joanne prohibeor, qui perditissima haeresi et licentia multo maiore laboret, quam conueniat illi, praesertim apud catholicum Episcopum, Sacratissimae V. C. Maiestati humillime supplico, dignetur ad me aliud mandatum suum clementer dare, quo huius etiam ipsius Joannis Fywgedy haeretico concionatori finem aliquem imponam. Quia quum alios non ita pridem hinc extruserim iam ad hunc solum coloni mei concurrunt; quos singulos si punire volucro, paucissimi remanebunt impunes, et fortasse etiam fuga ad alios dominos dilabentur. Quod ne cogamur experiri vtque mali etiam remota causa remoueat effectus, omnino sunt haec pseudo concionatori submouenda seminaria. — — — Agriae 14. Octobris 1560.“

Mox alio scripto eidem Maiestati detexit, Franciscum Mathus, ciuem Jászberéniensem, cum patre suo Blasio, ac Petro literato, nuncupato, eius loci primario ciue, ac totius hæresis Lutheranae in eodem oppido summo et praecipuo auctore, incendiarium compertum esse. Insinuat vna Lutheranos, datis etiam armis, a Turcis templi dimidiam partem sibi adscribi fecisse et dimidiam, quae catholicis sacris seruit, quotidie infinitis probris et impropertiis ac variarum sordium indignitate afficere, quo illos, saltem pios, excluderent talis modi molestiis diuexatos. Petit se auctoritate puniendi, ac medendi emuniri. Agriae XXII. Nouembris. A. 1560. Ibidem Tomo III. Folio 60, et IV. 150.

53. *Antonius Verantius, Agriensis Episcopus, Lutheranos Cassouienses, refutatis eorum erroribus, in confessione fidei catholicae confirmare satagit. A. 1560.*

Nos Verantius. — Religionem vestram nec probo, nec admitto: quia seductori-
bus credidistis, et passi estis vos praecidi ab Catholica Ecclesia, quae est corpus
Christi, et regnum Dei: quamque non ministri laici, sed Episcopi regere debent,
idque illi quidem, qui a D. N. Christo, Sacerdote in aeternum facti, secundum or-
dinem Melchisedech, et per Apostolicas traditiones coepti sunt institui, ac instituun-
tur etiam modo. Vnde et Paulus Act. 20. maioribus Ecclesiae dixit: Attendite vobis
et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et
paulo infra: „Ex vobis, inquit, ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant
discipulos post se.“ Petrus quoque II. sua canonica 2. Cap. „Nouit, ait Dominus pios
de tentatione eripere; iniquos vero in diem iudicii reseruare cruciandos. Magis autem
(hoc est maxime) eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, do-
minationemque contemnunt; audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere,
blasphemantes.“ Et paulo post: Pellicientes animas instabiles.“ Nempe quia mox, Vi-
temberga egressi, aggresses et illiteratas primum omnium plebeculas aggrediuntur,
easque ab ouili dominico rapientes, abducunt post se in errores. Neque hoc ego ex
me dico: Petrus et Paulus clamant ac docent, tales futuros haereticos, qui sunt affli-
cturi ecclesiam, audaces et magistratum contemptores. Quod facile apparet: quia
solis Papis, Cardinalibus, Episcopis, Ecclesiae autoritate praecellentibus, offendun-
tur. Sed sane coeci sunt, qui non perspiciunt, quid isti haeretici agant. Christi enim
Ecclesiam euertunt, vt suam erigant; veteres cultus, ceremonias, orationes, ieiunia,
mortificationes carnis, et demum damnant pia cetera omnia vti traditiones humanas;
immemores, quod et Paulus epist. II. Thessalon. vrgebat ad seruandas non solum tra-
ditiones suas, sed etiam ad obediendum his, quae ipse mandabat; sensim alias ipsi
substituunt de suo capite, nequeuntes non fateri, ordinem et decorem in Ecclesia Dei
oportere esse. Verum ne videar plus iusto esse longior; ite iam, ite ab istis mentitis
ac seditiosis sacerdotibus, similibus vesaniae ac fastui Core Dathan et Abiron: sumite
sacramenta Ecclesiae ab catholicis Episcopis et sacerdotibus, quos elegit Dominus, vt
Aaronem, quem a sacerdote sacerdotem fieri voluit, non a laico. Quippe qui Episcopi
nostrae Ecclesiae vnitati, pro vnius Dei essentia et vnius fidei substantia studentes,
totis viribus; num, quaeso factiones in christiana religione serunt? Num discipulis,
abducendis post se operam pro se navant? quemadmodum isti vestri; loquentes

vobis placentia, de quibus haec et Petrus et Paulus loquebantur: tamque multi adhuc coecutiunt Christiani, et sequuntur hos fontes sine aqua; quique iustitiam et testamentum, hoc est Euangelium Christi per os suum vsurpantes, odio habent ecclesiae disciplinam, extra quam quicumque pro sensu et arbitrato suo diuagantes, a salute, quae in Christo est, in deuia perditionis aberrant. Vnde et iis iuxta Petrum „caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt, quique in erroribus conuersantur, libertatem illis promittunt, quum ipsi sunt serui corruptionis.“ Ego autem catholicus Episcopus existens, nec per laicos patiar vobis sacramenta administrari Ecclesiae, nec doceri vos, ab haereticis concedam, quantum via verbi veritatis, et piis hortamentis apud vos valuerit. Quapropter rogo vos per viscera Jesu Christi, et per eam Ecclesiam, quae in Christo est, quaeque per Apostolos ad nos vsque peruenit, adestque illi semper Jesus Christus, institutor ipsius, et Spiritus S. magnus defensor et consolator eius. Desinite iam tandem non solum a laicis sancta sacramenta sumere, sed etiam ab haereticis verbum Dei haurire; immo nec inter vos quoque intra vestrae urbis parietes contineatis eos iam toties passi incendium, ad asserculum vsque, vt Chore, Dathan et Abiron cum complicibus suis. Nec adhuc ciuitas, in regno nostro aliquando florentissima, plagas tuas agnoscis; nec penitus sacrarum literarum mysteria ac sensus introspicis, qui tibi non ab illis falsis tuis doctoribus, qui te in partes dirimunt, sed a sancta matre Ecclesia sumendi sunt; quum dixerit Christus: vt obedias illi, vt eam audias, et succo eius viuas, vt viuat et fructificat palmas, dum in vera illa vite permanet, quam se esse testatus est Christus; si et in terra gratias Dei abundare et in coelo velis aeternum viuere. Ceterum, quum fratres nostri, Domini Hungari, vestrae ciuitatis incolae, arbitrantur me in eorum quampiam iniuriam, maligne concionatorem ipsorum infestare; rogo eos, ne id de me arbitrentur, quia ago, quae ago, sine omni delectu personarum, ad honorem Dei Ecclesiae, et ad aedificationem omnium, qui pie in Christo et in Ecclesia sua catholica viuere volunt; prohibentes vobis istos, quos nunc habetis, ministros Ecclesiae, aequae generis Alemannici, atque Hungarici: idem enim virus vomunt; quia in iisdem fontibus illud hauserunt, quo tot fascinant animas. Sed Deus O. M. vestras ab eo liberet, vosque meliori luce illuminet, ac felices in Christo et in sua Ecclesia velit. Valet. Agriae, prima Decembris MDLX.

Apud Schnitth. Ep. Agr. Tom. III. p. 49, Qui etiam subiicit: „Surdus auribus haec talia accipere Cassouenses; Lutheri tum addicti: paucis tamen post annis, contemto, damnaioque Lutheri, veluti insigni impostore, certatim placita Caluini, ad Tibiscum inualentis, amplexi sunt ciuium Nobiliores, qui Hungarico sermone utebantur.“ Horum exemplum subin anno 1564. sequebantur Kecskemetienses, Agrienses, demum Debreczinienses et collimitanei; Lutherismo inhaerentibus solis Saxonibus, Germanis et Sclauis. Apud Blaho Conc. p. 31. Schmitth. p. 31. l. c.

54. *Lutheranorum indoles, teste eodem Verantio, epistola ad Modrusiensem Episcopum. A. 1560.*

— Noua hic alia non sunt, Turcis praesertim quietis, nisi quod me exercent Lutherani, et ego eos. Mira tamen perditorum hominum contumacia: nullis enim ra-

tionibus, nulla veritate, quae digito etiam illis ostenditur, dimouentur ab errore, quin potius deteriores fiunt; quanto vincuntur fortius, et euidentius. Quatuor mihi domi sunt in custodia; vnus concionator, reliqui vero ex plebe homines; duri omnes et Pharaone obstinatior. Foris autem oppugno duos, quibus si potiri nequiuero, dioecesi mea tota exigam, vt huiusmodi careat, quantum fieri potuerit, seminariis.
— Anno 1560. Ibid. p. 33.

Ita etiam ad Mathiam Ruchanyth inter alia scripsit: De confessione Galli Anaxii (concionatoris Cassouiensis), quod scribis, teque ais multum super ea cum illo disputasse; credo, quod habueris non leue negocium. — Memineris tamen monere Gallum: vt non ad solum dumtaxat Euangelium, sed ad Ecclesiae etiam maiestatem respiciat. — Agriae, Decembris 11. A. 1560.“ E Veranczianis Tom. IV. fol. 450.

55. *Nicolaus Olahus, A. Ep. Strigon. Lutheri erroribus, indicta Tyrnauiam synodo, semet opponit. A. 1560.*

Nos Nicolaus Olahus, Dei et Apostolicae sedis gratia Archiepiscopus Strigonien-
sis. — Humani generis hostis ille perpetuus, vt primum a veris pastoribus bonum J. Ch. D. nostri semen iactum esse animadvertit; confestim et ipse per ministros suos, vt servator noster ostendit, zizania superseminare conatur. Hinc est, quod dominus noster, qui animarum nostrarum salutem sitit, diligenter nobis a falsis Prophetis, qui in vestimentis ouium veniunt, cauendum admonet. Hac re adductus etiam D. Paulus, omnium et Dominum et magistrum sequutus Christum, ita fratres suos alloquitur: „Attendite vobis et vniuerso gregi; quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.“ Quod sane hoc infelici aeuo, magna Christiani gregis iactura, videmus euenisse. Subintrauerunt enim et clam, per dolum in Christi ouile irrepserunt multi pseudo-apostoli, operarii subdoli, qui se in angelos lucis atque iustitiae ministros transfigurantes, quum tamen interea et doctrina et moribus sint falsissimis praediti, dominicum gregem dissipare, et in errorem inducere, ac postremo pessumdare nituntur. Id nos magno animi dolore cernentes, faciendum nobis pro muneris atque officii ratione arbitrati sumus, vt, quantum per nos fieri posset, omni studio ac diligentia, communi huic, miserabilique malo obuiam iremus, ac ne per nostrorum hominum mentes latius serperet, pro virili nostra parte, omni conatu prohiberemus. Adquam quidem rem perficiendam (Synodum prouincialem indicit). Valete in Domino. Datum in Ecclesia nostra Tyrnauisiensi, in festo D. Adalberti Episcopi et Martyris Anno Domini MDCLX.

Apud Péterfy Conc. P. II. p. 47. Idem hanc in rem refert: „Accurrerunt omni ex parte obedientes filii, intra Coloczensem etiam A. Episcopatum alias numerandi; quem ab obitu Francisci Frangepani, 20 fere annorum spacio, incredibili iactura animarum, gubernatore destitutum Olahus volente Papa, moderatus est. Montanarum autem ciuitatum Curiones, conceptis a Luthero Fabulis ebrii, excusso imperio se subtraxerunt. Anno 1561.“ Ibid. Calviniani vero praecipue propagati sunt Casparis Magoesii, Comitis Tornensis, ex Primoribus Procerum Hungaricorum anno 1564. Capitanei arcis Agriensis, praesidio, cui Petrus Melithus dedicauit Postillam, siue

librum concionum, Hungarice scriptum, Debreczini editum, auideque ab Erronibus lectum. Verantius quidem, pro ratione muneris sui, Magocsium semel et iterum admonuerat, ne iuxta instructionis Regiae ipsi datae articulos se in spiritualia immitteret, nihilominus praeconem in domum suam recepit, amplius fouit, curasque Praesulis elusit. V. Schmitth Episcopi Agriensi. Tomo III. p. 43. Timon. Epit. Chronol. App. p. 637.

56. *Pius IV. PP. Nicolaum A. Eppum Strigon, ad continuandam synodum Tridentinam euocat. A. 1560.*

Venerabilis Frater Stanislaus, Episcopus Varmiensis, nuper ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, Romanorum Imperatorem electum, a nobis missus, noster et sedis Apostolicae nunciatus, tibi a reliquis istarum partium episcopis, testis esse potest, nostrae optimae mentis, et fraternae erga vos caritatis; nos tamen faciendum quoque nobis duximus, vt litteris nostris fraternitatem tuam salutantes, indicaremus, paratos esse nos, pro nostri officii munere, et catholicae religioni et tibi ac reliquis fratribus, quidquid possumus, opis atque auxilii adferre. Cuius rei causa scito, constituisse nos propediem, Deo adiuuante, oecumenicum ac generale concilium celebrare. Quum autem hoc remedio, aut nullo alio, ecclesiae pacem et tranquillitatem, et decorem pristinum restitui posse, existimemus, hoc consilium nostrum Principibus omnibus, quorum apud nos oratores sunt, iam notum fecimus. Quapropter, dilectissime frater iis, quae in cleri tui moribus sunt emendanda, quam commodissime fieri poterit, interea correctis, te ad praestandum Deo et ecclesiae catholicae officium, quum opus fuerit para; sicut quidem de tua praeclara voluntate, nobis persuasum habentes, paratum te fore confidimus. Si qua vero ad rem, quae ad te eosue, qui adhuc tuo regimine gubernantur, pertinent, nostra tibi et sedis Apostolicae auctoritate, opus est, desideriis tuis, quantum quidem cum domino poterimus, benigne et libenter admodum satisfacere parati sumus; sicut ex ipsis quoque nunciis, oratione, literisque cognosces. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 15. Julii, anno 1560. Pontificatus nostri anno primo." Ap. Péterfy Conc. P. II. pag. 47—130.

57. *Idem Ferdinandus Lutheranorum confoederationem, Agriae praesumptam, reprobat. A. 1562.*

Idem Ferdinandus confoederationem Lutheranorum Agriensem, seuerissime inhibet. Anno 1561. Autor diplomatarii Euangelici conceptum decreti huius nos scire non siuit, sed elatos Spiritus illorum, Praesidiariorum, quibus rescripserant Caes. R. Maiestati, exhibet, Dipl. Euang. pag. VI. Febr. anno 1562. Subiicit Szegedius Rub. P. II. p. 165. „Illud in aperto est, abiecto foedere, de seruandis, fouendisue Lutheri dogmatis, post paucum temporis interuallum, plerosque deciuisse, ad Joannem Caluinum, siue quod est multo ampliorem atque Lutherus vitae licentiam suis sectatoribus indulserit, siue quod pagana, rudisque plebecula, Hungara, in Transilvania, et ad oram Tibisci, ad sectam Caluini traducta, puduerit Agrienses praesidiarios, et

vicinam nobilitatem, inter Saxones et Germanos, numerum facere; qui constantes Lutheri adhaeserunt, adhaerentque; et maluerint videri sectatores fidei Hungaricae (quamvis hac pulcherrima appellatione abutantur) quam Germanicae.“

58. *Joannes Sigismundus Zapola, Princeps Transilvaniae, in conuentu Tordensi, omnibus religionibus licentiam et immunitatem addicit. A. 1563.*

Maii XXVIII. die in Comitibus Tordensibus decretum anni MDLVII. in religionis negotio a Regni Ordinibus repetitur, et firmatur; vt quisque eam, quam mauult religionem amplectatur. Sine omni coactione, et in alendis suae fidei concionatoribus, et vsu sacramentorum quisque liber sit, et neutra partium cum altera iniuriis, aut vi certare debeat.“ Apud Mich. Siegler in Appar. Bel. Dec. I. p. 17.

Vsus hac licentia primus ipse Joannes Sigismundus, qui Lutherum sequutus, mox Caluino et demum circa annum 1566. Blandratae dexteram porrexerat, vt perhibet Benkő, Eppat. Milkov. Tomo I. p. 303. Fuit Blandrata confessione Socinianus, vulgo vnitarius, apud Joannem Sigismundum omnia potens; Abbatiam Kolosváriensem vsurpabat.—Directis vero cunctis in Dacia Sacerdotiorum maiorum bonis, quum Senatus Schesburgensis et Rupensis ministris suis decimas surripere aut succidere vellent, inhibuit eos Joannes. Eamdem laudem meritis, — quum Ministris Kisdensibus decimas asseruit, literis datis in Segesvár, feria V. post Dominicam Reminiscere. Anno Domini 1563. Apud Benkő l. c. pag. 355.

59. *Rixae e praemissa indulgentia ortae, ac disputationes irritae. A. 1564.*

In controversiae coenae Domini, vt ministri ecclesiarum, tam hi, qui praesentiae corporis Christi professores essent (Lutherani) quam ii, qui Sacramentarii (Caluini) vocantur, et coenam solum pro signo asseruant, ad oppidum Nagy-Enyed conueniant, ibique in praesentia certorum virorum ex sincero Dei Verbo mutuo disputando, veritatem in lucem proferre debebunt; quorsum etiam Rex personalem suum, vnum e consiliariis missurus est.“ Anno 1564. Festo B. Agnetis. Apud Benkő Milk. Tomo II. p. 483.

60. *Idem Joannes ratione coenae Dominicae dissidentibus, distinctos Superintendentes praestituit. A. 1564.*

Joannes II. D. gr. electus Rex Hungariae etc. Fidelibus nostris reuerendis, honorabilibus, Superintendenti, Decanis, Pastoribus, ac vniuersis ministris ecclesiarum Hungaricalium, in praesenti Synodo Enyediensi constitutis. Salutem et fauorem. Delegauimus ad praesentem Synodum, cum pleno mandato et auctoritate nostra, hunc praesentem nostrum Excellentissimum Georgium Blandratam, Doctorem, nostrum Physicum, virum grauem, eruditum, et in sacris literis non mediocriter versatum, vt colloquiis et differentiis vestris de coena Domini conciliandis intersit, et vniuersas rixas, inciuiles tumultus ac dissensiones in ipsa synodo pro viribus sedare, et compe-scere studeat, atque hac occasione odia, iniuriae, contentiones inter eos, qui veterum

priorum patrum assertionem et verum iudicium pro manifesto verbo Dei sequuntur, praesentiam corporis Christi affirmant, ac inter eos, qui diuersam intelligentiam ex verbis coenae eruunt, sopiantur et subsidiant, vt in Ecclesia Dei floreat vera pax et concordia: Statuimus autem magis e re futurum, si scripto vtraque pars suam assertionem proponat; ita enim arbitramur fore, vt tum iurgia et conuicia, quae nonnumquam ex incandescentibus omnium affectibus subnasci consueuerunt cessent, ac praeter offensionem et scandalum infirmorum, veritas elucescat; quod quidem in vsum et piorum aedificationem maxime vellemus; sin autem id, quod postulamus, sequi non poterit, saltem fiant ordinationes piae in tranquillitatem ecclesiarum, vt Ecclesiae Saxonicae, et quicumque praesentiam corporis in coena asserunt, habere possint vnum certum superintendentem virum grauem, pium, eruditum, gregi Domini inuigilantem, qui in vnitae doctrinae et ceremoniarum conformitate ac disciplina euangelica ecclesias gubernet, et in sotes et inobedientes digna poena animaduertat. Rursus, qui diuersam assertionem, absentis videlicet corporis Christi contendunt, suum habeant superintendentem, cuius cura et vigilantia, solitis ritibus et ceremoniis ecclesiae eorum in disciplina euangelica gubernentur, atque ita distinctis limitibus, functionibus quibuscumque, suis omnibus prospiciant, et controuersiae ac contentiones, passim inter vtramque partem grassantes, vel hoc modo sedentur. Mandamus igitur fidelitatibus vestris, vt ipsum Georgium Blandratam honorifice in colloquium excipere et pro persona, in hac functione a nobis deputata, habere recognoscere et acceptare debeatis; simul etiam hortantes beneuole, vt collatis mutuis sententiis, veram et optatam vniorem atque pacem, in hac coenae controuersia complectamini. Datae in ciuitate nostra Alba-Iulia Dominica quasi modo Geniti, anno 1564.“ — Ibidem.

Ad mala inuouatae religionis accessit taliter etiam scissio iterata. Felicior fuit Croatia et Slauonia, quae paucis inhabita germanis, pastoribus etiam minus nudata, cum auita religione Apostolica pacem quoque, concordiam ac sinceram pietatem conservauit. — His immorandum diutius nobis erat, vt reformatae religionis praetensae in Hungaria et Transiluania ortus, progressus, viae, media, ac mala innotescerent: ea enim nec ad sanctificationem morum, nec ad humanitatis profectum accessit quidpiam.

61. *Maximilianus Rex Hung. ratione Sacratissimae Eucharistiae sub vtraque specie sumendae, ad ciuitatem Tirnauensem literas dat. A. 1564.*

Maximilianus secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex. Archidux Austriae etc. Fidelibus nostris prudentibus ac circumspectis, iudici et iuratis ciuibus, capitaneo, caeterisque ciuibus, et incolis ciuitatis nostrae Tyrnauensis, praesentes visuris, salutem et gratiam. Sacra quondam Caesarea Maiestas, Dominus et Genitor noster colendissimus piae memoriae, pro sua in religionem catholicam, et fideles suos subditos pietate vna nobiscum, et cum aliis quibusdam, Reverendissimis et Illustrissimis Principibus Germaniae, apud S. concilium Tridentinum, proxime celebratum, et etiam apud summum Pontificem per oratores diligenter laborauit de concedenda fidelibus suis subditis com-

munionem Sacro Sanctae Eucharistiae sub utraque specie. Quod etiam ab ipso sacro concilio, ac sancta sede apostolica, certis modis et conditionibus obtinuit, super qua annuentia sanctissimus dominus noster Pontifex Maximus mandatum dedit et nos quoque serie commisimus Reuerendissimo in Christo Patri domino Nicolao Olaho Archiepiscopo Strigoniensi, summo, et secretario cancellario ac Locumtenenti nostro, Fidei nobis, sincere dilecto, quomodo hanc sanctissimi domini nostri, et sanctae sedis Apostolicae, ac Romanae Ecclesiae annuentiam, dicta quondam sacra caesarea Maiestate, et nobis laborantibus, admissam, in sua iurisdictione, et dioecesi publicare et ubique promulgare curet. Quamobrem fidei vestrae et vestrum singulis harum serie firmiter sub graui indignationis nostrae poena committimus, et mandamus, quatenus dum, et quodocunque idem dominus Archiepiscopus — eandem sacram Eucharistiae communionem sub utraque Specie sumendam promulgauerit vel per se — — — Archidiaconos, et Vicarios promulgari fecerit, eidem publicationi in omnibus parere, et obtemperare — — modis, et conditionibus, quibus haec concessio per summum Pontificem facta est, et quibus ipse dominus Archiepiscopus Strigoniensis, tanquam Praelatus, et Metropolitanus vester, secundum dictae quondam maiestatis paternae, et nostram etiam seriam commissionem publicauerit vel publicari fecerit, uti debeatis, et teneamini, nullamque difficultatem in eo facere praesumatis. Secus poena sub praemissa nullo modo facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutus. Datum Vienne secunda die Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. “
Indidem l. c.

Pius IV. Pontifex Archiepiscopum Strigoniensem, eiusque suffraganeos hortatur, ad Statuta Concilii Tridentini obseruanda. Anno 1566. MSS. Kaprinay. Sub B. tomo 60, nro 48. p. 222.

Joannes Sigismundus, Princeps Transilvaniae bona Conuentus Praemonstrat. S. Stephani P. Martyris i et Capituli Warad, saec. Jaribus abalienat. A. 1566.

Nos Joannes Secundus, Dei gratia Electus Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod nos attentis et consideratis fidelitate, ac fidelium seruitiorum gratuitis meritis, fidelium nostrorum Egregiorum Nicolai et Dionysii de Chyak, quae ipsi sacrae primum dicti Regni nostri Hungariae Coronae, ac deinde Maiestati nostrae pro locorum varietate, cum summa animi eorum constantia exhibuerunt et impenderunt, totales portiones possessionarias in oppido Kereszegh, vicum Wernyth dictum, capituli Ecclesiae S. Stephani Protomartyris de promontorio Waradiensi, ac in possessione Iras vocata, alterius capituli Ecclesiae Waradiensis, in Comitatu Byhoriensi, existente, habitas, iuxta publicam constitutionem nostrorum Dominorum Regnicolarum in Comitibus generalibus, Colosuariensibus, pro festo B. Catharinae Virginis et Martyris, in anno Domini 1556. celebratis factam, simul cum aliis bonis capitulorum fisco nostro Regio applicatis, cum cunctis earumdem vtilitatibus, et pertinentiis quibuslibet etc. memoratis Nicolao et Dionysio Chyaki, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis, dedimus, docuimus, et contulimus, imo damus, donamus et congerimus, etc.

Datum Albae-Juliae vigesimo sexto die mensis Mártii. Anno Domini 1566. — E docum. M.SS. Csakianis folio 170.

Georgius Dráskovich, Episcopus Zagrabienensis, ad Antonium Verantium Praesulem Agriensem. A. 1568.

Georgius. — Vicissim D. V. Reuerandissima fraterno et beneuolo animo accipere velit, quod eam admoneam, vt visa paucitate Episcoporum, Hungariae sacrificantium aliaque officia obeuntium (nam praeter R. R. D. Locumtenentem (Paulum Bornemisza) et me nullus est) velit iam tandem sacrificare et ordinare sacerdotes, qui in Hungaria paucissimi sunt, et alia ad episcopalia officia spectantia perficere, quod eandem velle et posse non dubito. Id si intellexero, nihil gratius mihi accidere poterit. Et hoc non ideo scribo, quasi banatum meum excusem, (a quo amicorum et imprimis Dominationis V. R. R. opera me, Deo volente, expleto anno liberum spero fore) sed vt fraterno officio et conscientiae meae satisfaciam. Video enim negotium Agriensium et in spiritualibus, et in temporalibus longe rectius processurum, si D. V. R. R. episcopale munus exerceret, et Agriae potius resideret, quam Viennae. Nam vix crediderim vllum esse, vel inueniri posse vllibi, qui et mores Turcorum rectius nosset, et loci illius defensionem commodius prospicere posset. Sed haec, vt dixi, valde confidenter et fraterno animo scribo D. V. R. R. Ipsa pro sua prudentia consideret, quid honestius et vtilius sit futurum et esse possit. — — Hisce diebus ordinavi subdiaconos, diaconos et presbiteros, et habeo plebem satis obedientem, et religiosam; tum et quae ad defensionem confiniorum pertinent, mihi et curae, et cordi sunt. Hocque studio summo efficere conor, vt omnes meae fidei crediti, et haec confinia et adiacentes prouinciae, quiete ac pace gaudere possint. Deus conseruet D. V. R. R. diutissime incolumen. Zagrabiae VIII. Octobris MDLXVII. — Apud Schmith. H. Ag. Tom. II. p. 54—55.

Ad hunc annum refert Istvánfius defectionem etiam Francisci Forgách, episcopi Varadiensis, Historici, a Caesare, ad Sig. Zapolam; Andreae vero Dudich Sbardellati, a fide; ob insanum Polonae amorem; Antonius vero Verantius anno 1569. ad thiam A. Episcopalem promotus, sacrificauit apud Iesuitas. Epist. Tom. IV. p. 147—202.

Maximiliani Regis in Religionem catholicam, et Ecclesiam Tyrnauensem sollicita prouidentia Anno 1568.

Maximilianus Secundus, Dei Gratia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. Fidelibus nostris Prudentibus et Circumspectis, Iudici, et Juratis, caeterisque Ciuibus Ciuitatis nostrae, et Inhabitoribus Tyrnauensis, Salutem et Gratiā. Quoniam, decedente superioribus diebus, ex hac luce Reuerendissimo quondam Domino Nicolao Olaho Archi-Episcopo Strigoniensi etc. volumus, pro nostra in Ecclesias Dei, Religionemque Christianam, Cura prouidere: ut Copitulum Ecclesiae eius.

dem Strigoniensis in suis Juribus, atque Libertatibus, sub nostra protectione, ab omni vestra, et aliorum Infestatione conseruetur; neque etiam in Negotio Religionis istic, in medio vestri, aut alibi, ulla fiat Mutatio, seu Innouatio; Fidelitati vestrae, et vestrum singulis harum serie committimus et mandamus firmissime, aliud in hoc omnino habere nolentes: quatenus, sicuti antea, viuente eodem quondam Domino Nicolao Archi-Episcopo, ita imposterum quoque, dictum Capitulum Ecclesie Strigoniensis, nulla in re molestare, aut turbare, nullaque iniuria afficere, aut aliquid contra Libertates, et Priuilegia eius attentare; insuper in Negotio quoque Religionis, et Cultuum Diuinorum, nihil prorsus immutare, vel innouare, neque etiam Concionatores alios, quam hactenus habuistis, aut qui deinceps a Capitulo isto, et Plebano vestro ordinabuntur, in medium vestri palam, vel occulte recipere audeatis, nec sitis ausi, modo aliquali, sed cum ipsis Capitularibus pacifice et concorditer viuere, negotiumque Religionis, in medio vestri, in eo, in quo hactenus fuit, statu, relinquere et seruare debeatis et teneamini. Secus non facturi. Praesentibus perlectis, Exhibenti restitutis. Datum Viennae 23. Mensis Martii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo, Sexagesimo Octauo.

Hevenesi Tomo 73. p. 265. Frustra proin de religione et Ecclesia catholica tantopere sollicitum Regem Maximilianum, rerum suarum fautorem faciunt Protestantes, duplici intuitu: 1) quod adeptio regni sceptro, ad Pium IV. PP. scripserit: vt sicut ad intercessionem Ferdinandi laicis vsum calicis concesserat, ita Presbiteris coniugium indulgeret. Dat. Viennae XXVIII. mensis Nov. anno Dei 1564, Apud Lüinig. Lit. Proc. P. I. p. 801. Postquam enim Pius IV. XII. Jan. anni sequentis, Purpuratorum senatum coëgit, in quo postulatum Regis examinatum, ac spectata rei concedendae difficultate: cum nec clerus petiisset, nec Protestantes, sub conditione reunionis desiderauerint, nec ad munus sacrum expedire videretur, illud reiectum est; atque Theologi quidam celebriores repulsam hanc firmissimis munierunt argumentis, quam elucubrationem mox Pius IV. ad Maximilianum transmiserat; hic ponderatis rationibus acquieuit: eo potissimum experimento, quod Ministri euangelici, seductis ex asceteriis Monialibus copulati, cum votorum, ac iuramenti proculcatione, sanctificati adeo non fuerint, vt potius omni fornicationis genere lasciuierint, vt ipsemet ad Papam questus est: „Omne genus, inquit, hominum in haec regna, ac prouincias nostras clamdestine irrepsit; inter quos non desunt, quos nec Augustanae confessionis Principes et status in suis ditionibus tolerare poterant, sed eos eiiciendos atque exterminandos censuerunt.“ Contin. Fleurii tomo XLVII. — Alterum, quod vsum calicis Tyrnauensibus licitum intimauerit: Datum Viennae Austriae die 11. Sept. Anno 1564. apud Klanitz de toler. perinde mox erroris conuictus, destituit: accessione Protestantium ad Ecclesiam catholicam, aut concordia inde neutiquam secuta, sed iisdem peruicacioribus factis, synodumque Tridentinam proteruius damnantibus. Maximilianns proin sectariorum consors non fuit, vt patebit ex sequentibus,

62. *Idem Maximilianus quosdam articulos in bonum religionis et ecclesiae catholicae decernit. A. 1569.*

Decreti II. Art. 25. „In foro Spirituali et Ecclesiastico, prout antea suis modis et temporibus, iudicia semper celebrentur. — Art. 27. „Quoniam vero Procuratores diversis artibus solent causantes huc illuc distrahere, et nonnunquam cum parte

adversa commercium quoddam occultum habere, visum est Regnicolis, vt ad cauendas quaslibet fraudes, Procuratores ipsi, tam in sedibus comitatum, quam coram iudicibus ordinariis, inanes, friuolasque exceptiones, quae nihil omnino ad rem faciunt, sed tantum temporis extrahendi causa praua quadam consuetudine sunt introductae, omittant, et iuramentum praestare debeant, quod vocatur calumniae. Ita videlicet, quod scienter et calumniose nullas causas, quae essent iniustae, suscipient, neque illis contra iura Regni Vngariae patrocinabuntur, neque vlllo pacto cum parte aduersa colludent, sicuti hoc etiam in foro Ecclesiastico, et aliis prouinciis fieri consuevit. Similiter etiam Fiscalis seu Director causarum suae Maiestatis iuramentum praestet calumniae, dummodo non sit duplex et contrarium illi, quod iam Maiestati Suae praestitit, iuretque scienter non suscepturum vel acturum causam aliquam iniustam; nec quam aget, illicitis atque indebitis protelationibus temere in longum protrahet. Si vero illectos aliquibus muneribus contrarium facere et cum parte aduersa colludere comperitum fuerit, ii iure conuicti poenam Aucariorum subeant, et per Maiestatem suam puniantur. Extranei quoque Procuratores in foro spirituali et seculari causas simplicium agentes, multas collusiones, priuati commodi et lucri gratia instituere perhibentur, poenam aucariorum iuxta hoc regnum non formidantes; ideo si aliqui eorum sint beneficiati, amissione beneficii per ordinarium suum de facto puniantur; et siue etiam beneficiati fuerint siue non, vtrique de facto per eundem perpetuis carceribus tanquam falsarii et periuri mancipientur.“ Art. 39. „Curiae etiam Nobilitares Dominorum et Nobilium, et Ecclesiasticorum, iuxta antiquam libertatem regni a condensu militum tam internorum, quam externorum sint exemptae.“

Decr. III. Anni 1569. Art. 43. „Cathedricum Archi-Diaconis soluendum esse, statutum est; iuxta Decretum Vladislai Regis.

Maximilianum Regem, eo etiam quod Lutheranas Sebastiani Fauseri ad populum conciones, incertum, quas ob causas, nonnunquam audiebat, fautorem Lutheranismi insimulatum prodidit Istvánfius, ast mox respuisse. Lib. XXI. pag. 269. Nobis videtur magis errasse in eo, quod articulos lege constitutos executioni dari intermiserit; in specie suum etiam Decr. III. art. 36. „Alia quoque minora beneficia Ecclesiastica vacantia, vel in posterum quoque vacatura, aut quae apud manus seculares haberentur, illa quoque Sua Maiestas Sacratissima, vigore iuris patronatus sui vniuersalis gratiose conferre dignetur, vt clerus in Regno, in tanta Ecclesiasticarum personarum penuria, augeatur. Quodsi vero aliqui Regnicolarum ius Patronatus in aliquibus beneficiis se habere praetendant; teneantur illud, legitime citati, coram Sacra Maiestate Sua probare, iuxta articulos anni 1553. eoque probato beneficia vacantia conferre, et non in proprium vsum reseruare; et nisi illa ipsi conferant, a Sacra Caesarea Maiestate conferantur.“

63. *Episcoporum Zagrab. zelo ac vigilantia, reformatio in Croatia et Slauonia pedem figere nequit, laudante Pio IV. PP. anno 1569.*

Pius IV. Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Georgio, Episcopo Zagrabienſi. Venerabilis Frater salutem et apostolicam benedictionem. Christianae charitatis affectus, pastoralisque seruitutis commune nobis cum venerabilibus fratri-

bus Episcopis nostris, vinculum non sinit nos expertes esse eius laetitiae, quam de illorum virtute conceptum animo percipimus. Itaque cum de tua eximia in Deum omnipotentem pietate, religionisque catholicae, ac diuini honoris zelo multa constanti plurimorum fama sint ad nos adlata, faciendum esse existimauimus, vt non solum quantopere haec nobis grata accidissent, Tibi significemus, sed tibi quoque de eis gratulemur. Vera autem gratulatio est: quam non praesentia temporis, aut necessitas temporalis, extorquet, aut terrena commendat vtilitas; sed quae de sanctis, bonisque operibus susceptis, coelestis mercedis gloriam habent. Quod enim in gubernando, custodiendoque grege fidei Tuae ab omnipotenti Deo commisso eam prudentiam, vigilantiamque adhibes, vt honorum tuorum fama istis Pannonici regni finibus non contenta, huc ad nos vsque perferatur, hoc gaudendum esse in Domino, cognoscimus. Itaque gratias agimus Redemptori nostro, qui inter caetera pietatis suae dona, ita fraternitatem tuam catholicae religionis amore incendit, vt quidquid ad eius conseruationem, prorogationemque pertinere cognoscit, id et diligenter et alacriter exequi non desistat. Quamuis autem, qui adiuuante Deo ita sis animatus, superuacaneum videatur esse magis hortari; tamen, quia te inter caeteras tuas virtutes, fraternae quoque hortationis verba libenter suscipere existimamus, idcirco hortamur. Vt quam ingressus es ad coelum ferentem viam, ab ea ne iter tuum deflectas, donec eo, quo contendis, peruenias. Sit clero, populoque tibi commisso vitae tuae sanctitas regula atque norma, ad quam actiones, moresque suos vterque studeat conformare. Mali vitiorum poenam, Boni virtutum praemium sibi a te exspectandum esse, intelligant. Haereticorum venena, ne gregem tuum inficiant, quanta potes diligentia, vitare contende. Quo minus ea semper agas, quae Deo beneplacita sunt. Nullius Te hominis metus deterreat; nemo mercedem tuam euacuet. A nobis autem omnia fraternae charitatis indicia semper exspectato; de qua nostra propensione cum hoc dilecto Francisco Diaetaleuio copiosius egimus, qui Tibi has nostras literas reddet, cui fidem habebis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 9. Augusti. Anno MDLXIX. Pontificatus nostri anno quarto.“ — Ex codice Vaticano, Nro 6696. fol. 41.

64. *Capituli Zagrab. eodem in merito, tum verbo Dei praedicato, sum scriptis etiam lingua vulgari, cooperatio. A. 1569.*

Nolo hic studia conatusque meos extendere, quos in obsequium catholicae fidei qua Archidiaconus de Bexin, ad reducendas errantes oues, pro praestanda sedi Apostolicae obedientia exantlaui. Sunt labores mei publici; librorum vulgari lingua editorum aduersus Romanae Ecclesiae dogmata, vt putatur, Andreae Dudich, industria scriptorum, atque Varasdini et per Insulam a Praedicatorum, quam molesta exstiterit refutatio, descriptione mea opus non est: dum nescire debet sinistra, quod fit per dexteram.“ Ibidem Nro LXII.

Huic pastorum suorum zelo et labori debent Sclauonia et partes regni inferiores suam

salutem: nam haeresim arcendo vnionem animorum seruarunt, hac vero seruata etiam regnum a iugo Turcarum liberarunt. Quam omnia secus facta in Hungaria! Floruit eodem tempore in sede Episcopali Wesprimiensi Joannes Listius ab anno 1563—1577. Fuit non solum Praesul vigilantissimus, sed rei etiam literariae patronus: Joannes Sambucus opera Jani Pannonii eidem inscripserat.

Idem Maximilianus immunitates et iura Episcopi Ruthenorum vniti, egregie tuetur. Anno 1569.

Nos Maximilianus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, etc. Fidelibus nostris, Egregiis Francisco Zay Praefecto, ac Joanni Szentbenedeky, Prouisori, ceterisque officialibus arcis nostrae Munkács medernis, et futuris salutem et gratiam. Conquesti sunt nobis fideles nostri, Reuerendus Episcopus, et Conuentus Fratrum Ruthenorum, Ecclesiae B. Nicolai Confessoris, prope castrum nostrum Munkács, ritu Graecorum fundatae, qualiter vos moderni officiales nostri, post habitis antiquis libertatibus, et consuetudinibus eorundem, a tempore defunctae Sacrae Regiae Maiestatis paterne obseruatis, equos eorundem item pelles vulpinas, et marturinas, violenter extorqueretis, episcopumque, et suos vicegerentes, in visitatione plebanorum ordinarioꝝ, impediretis, et retardaretis; imo cathedraticum, aliosque prouentus eorum pro vobismet vsurpantes, exigere, eisdem non permitteretis; quin etiam ipsam iurisdictionem, quae ad episcopum ipsum pertineret, contra ius vobis ipsis vsurparetis, disciplinam episcopalem, cum sitis laici, in eos exerceretis; praeterea ad solutionem dicae, aliorumque tributorum presbiteros ipsi subiacentes, vrgeretis, et ad quaeuis seruitia rusticalia compelleretis; in nullis denique eos libertatibus, imo neque sacerdotii, neque dignitatis eorundem habito respectu, conseruaretis, sed potius carceres, verbera et cruciatus eisdem, nisi Vestrae voluntati morem gererent, certo minaremini; soliti etiam decedente Episcopo ipsorum, cunctas res eorundem tam mobiles, quam immobiles, violenter in praedam quasi quamdam conuertere, summa iniuria, damno et oppressione eorundem manifesta. Vnde supplicarunt nobis humiliter, vt eisdem superinde de remedio oportuno gratiose prouidere, neque eos, contra libertates et consuetudines eorum ita misere opprimi permitteremus. Quorum supplicatione elementer exaudita, nolentes amplius exponentes per vos aut alios quosuis ita indignis modis affligi, atque opprimi, fidelitati vestrae harum serie firmissime praecipientes, committimus et mandamus, aliud habere nolentes, quatenus acceptis praesentibus, et praemissis; sicut praefertur stantibus, et sese sic habentibus, praefatos exponentes, in receptis et hactenus vsitatis eorum libertatibus conseruare, et de violenter ablatis rebus suis eosdem quo ad plenum sine mora contentos reddere, atque in posterum a cunctis violentiis et illegitimis impetitionibus ipsorum supersedere modis omnibus debeatis; dictum episcopum et suos vicegerentes, ad ea, quae officii sui sunt, visitationes nimirum Plebaniarum, et alia munia ecclesiastica obeunda libere admittere; cathedraticum quoque et alios prouentus ipsorum eis pacifice colligendos, permittere debeatis; abusum quoque illum, quem in direptione rerum bonorumque

suorum, decedente episcopo eorum induxisse dici mini, tamquam a iustitia et pietate prorsus alienum, tollere in posterum omnino debeatis, secus nullo modo facturi. Datum in arce nostra Poseniensi, XIII. mensis Octobris. Anno Domini MDLXIX. — Apud Pray l. c. p. 394 sq.

Anno hoc, sub tam tolerantis spiritus Rege, A catholicorum tumultuaria indoles in seditione cum ignominia ipsius nationis erupit: confer Articulum III. diaetae. Scilicet: postquam, uti Status Catholici comitaliter anno 1681. regesserant, A catholici Dynastae totius paene superioris Hungariae Domini, Thurzó, Illésházy, Prényi, Nádasdi, Széchy, Drugeth, Battyányi, Szulyok, Balassa, Bochkay, Rakóczy etc. in dominiis suis, subditos suos catholicos, ademptis templis, pulsus parochis, occupatis bonis ecclesiasticis, ad sacra sua nouitia compulissent; ad religionem catholicam exstirpandam, confessionemque suam recipiendam, Maximilianum Regem vi et armis, cogere contendunt. Seditiois Auctores, ut Istvánfius Hist. lib. XXVI. p. 312. notat: Joannes Dobó, et Stephanus Balassa, mutua affinitate iuncti, duas sorores, Blasii Sulyokii filias habentes, et Joannes Sigismundus Transilvaniae Princeps, qui Georgium Bocskay, tertiam eiusdem Sulyokii filiam habentem, ad affines istos, aliosque corumpendos missitabat, fuere. Ast seditio, comperta coniuratione, auctoribus duobus custodiae datis, oppressa feliciter, sed praeludium malorum sequentium fuerat. Vide Forgáchium Lib. XIX. p. 576.

65. *Maximiliani Regis decretum aduersus haereses Trinitariorum, id est nouorum Arianorum, item contra Sacramentarios, seu Zwinglianos, eorumque sequaces. Anno 1570.*

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis etc. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis, Spectabilibus, Magnificis, egregiis, et nobilibus, prudentibus item et circumspectis, dominis Baronibus, Comitibus Vice-Comitibus, Capitaneis, Praefectis, Castellanis, Officialibus, Prouisoribus, et eorum vicesgerentibus. Item ciuitatum, oppidorum, et villarum, tam nostrarum, quam aliorum quarumcunque, Magistris Ciuium Iudicibus et Rectoribus, cunctis etiam aliis cuiuscunque status, dignitatis, et conditionis hominibus, vbiuis in regno nostro Hungariae, et partibus ei subiectis commorantibus, praesentes nostras visuris, vel eorum notitiam habituris salutem et gratiam. Quum intelligamus post exortam in partibus Regni nostri Hungariae Transilvaniae haeresim Trinitariorum, renouatum videlicet Arianismum, esse plerosque non solum, qui libros haeresim illam continentes passim dispergant, et vel etiam publice venum exponere audeant; verum etiam, qui impiae et ante aliquot saecula, totius orbis christiani consensu, damnatae doctrinae applaudentes, aliis quoque illam vel publica praedicatione commendare, vel priuatim in suum eos errorem protrahere non vereantur: haud omittere pro officio nostro Imperiali, et Regio volumus, quin huic tanto, et tam horrendo malo debita ratione quamprimum obuiaremus; ne inter tot et tam graues miseri huius regni nostri calamitates, quas Deum ob maxima et plurima alioquin populi sui delicta immisisse nullum est dubium, maior et grauior in nos, et regna nostra diuinae suae Maiestatis ira

exardeat. Quapropter dedimus in mandatis fidelibus nostris, Reuerendissimo in Christo Patri, domino Antonio Verantio, Archi-Episcopo Ecclesiae Strigoniensis, Primate Hungariae, legato nato, summo, et Secretario per Hungariam Cancellario et Consiliario nostro etc. et aliis personis Ecclesiasticis, in dioecesi Ecclesiae eiusdem commorantibus, vt venditores et dispersores librorum talium, haeresim videlicet Trinitariorum, sed et Sacramentariorum, seu Zwinglianorum, in se continentium, inuestigare, et ab inuestigatis, non solum libros quoscunque, apud illos inuentos, auferre et confiscare; verum etiam assistente illis brachii nostri regalis auctoritate, Bibliopolas eiusmodi, vel qui haereses illas publice praedicant, auxilio fidelium capitaneorum nostrorum, Judicumque, et Magistratum, sub quorum iurisdictione tales reperti fuerint (quibus vt requisiti officium in hoc suum faciant, et mentem, ac voluntatem in hoc nostram seriam fideliter exequantur, his nostris praesentibus strictum damus mandatum) incarcerare, et in corpore quoque grauitur puniri facere debeant. Priuatim autem impiis istis, et damnatis doctrinis adhaerentes, et illas profitentes admoneant, vt resipiscant et veram fidem ac religionem catholicam ab ipso saluatore nostro et eius Apostolis, eorumque successoribus sanctis videlicet orthodoxis Ecclesiae Patribus traditam, illorumque sanguine et morte confirmatam et ad haec vsque saecula in posterum transmissam sequantur. Id autem facere recusantes, et in sua impietate obstinate permanentes, nobis indicent, vt in eos pro officio nostro, et etiam auctoritate veteribus regni decretis, ac legibus publicisque constitutionibus Regnicolarum nobis attributa, condigno modo etiam abdonatione bonorum, et iurium possessionariorum, si nobiles sint personae, animaduertere possimus. Quapropter vobis et vestrum singulis, harum serie firmissime praecipientes comittimus, et mandamus, vt nemo cuiuscunque Status, et conditionis, libros haeresum supradictarum venum exponere, vel legere, et apud se retinere, aliisque communicare, neque impiam et damnatam illorum doctrinam publice et priuatim praedicare, aut ei quoquo modo adhaerere; eius vero professores, et sequaces nedum fouere, et in bonis suis retinere audeat, et praesumat, vt potius illos, vt crudeles homicidas fugere, omnibus modis pellere, et exterminare debeat, et teneatur. Ne si secus factum fuerit iustam habeamus causam in tales modo praedeclarato irremissibiliter animaduertendi. Secus igitur nullo modo facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restituti. Datum in Arce nostra regia Pragensi die 8. mensis Martii Anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Indidem L. 1. SS.

66. *Neoterici dogmatis praecones in ipsa Metropolitana sede Tyrnauensi pedes figere tentant. A. 1576.*

Nicolaus (Telegdi) Episcopus.— Non arbitror Vestram Sanctitatem ignorare, Strigonio ante aliquot annos per Turcam capto, in qua quidem vrbe archiepiscopus capituli-que nostri propria ac patria fuerat sedes, nos extorres ac profugos Tyrnauiæ domicilium cepisse, beneficio et concessu Domini Ferdinandi Imperatoris; vbi quantum ab

initio laborum ac curarum subiuerimus, quam ingentes saepe expensas profuderimus; quae hominum odia, periculaque experti fuerimus; dum sacro sanctae religionis integritati consulimus, et haereticorum fanaticos conatus idemtidem infringere nitimur: testari possunt Sanctitatis Vestrae ac Praedecessorum suorum, sedisque Apostolicae nuncii, ad Principes nostros nostro tempore missi; et is maxime, qui nunc legationis munere fungitur R. R. D. Delphinus Torcellanus; quorum praeclara studia in propaganda nobiscum fide catholica exstiterunt. Ac inter alios huius collegii fratres, quae mea quoque fuerit contentio, quam ardens sudoribusque ac periculis plenum studium in defendenda et propaganda catholica doctrina; sciunt omnes, qui me nouerunt, et imprimis Franciscus Diotalleuius, agens Reuerendissimorum Praelatorum nostrorum in Vestrae Sanctitatis curia. Is enim, dum piae memoriae reuerendissimo Domino Antonio Verantio, Archiepiscopo nostro, seruiret, praesens vidit et cognouit haec omnia. Neque hisce nostris conatibus Deus optimus defuit; quin potius diuino suo praesidio nos frequenter et voti compotes, in frangendis haereticorum studiis effecit, et tutos contra eorum insidias praestitit. Sed res omnes feliciorum habuere successum, quum praelatos, qui nobiscum vna pugnarent, ac pro domo Dei se opponerent, habebamus. Nunc, quum pastore, patronoque sumus destituti, haeretici maiori audacia et impetu versant, vertuntque omnia. Euersio, perniciisque vniuersis Hungariae Ecclesiis certissima impendet. Malorum itaque impendentium vel potius grassantium metus cogit me, in extrema necessitate Vestrae Sanctitatis piam benignamque opem implorare. Acer-rimo conatu, summaque contentione a pluribus iam annis elaborarunt nonnulli primarii ciues Tyrnauenses, variarum haeresium labe infecti, vt introducto concionatore haeretico, vniuersam plebem ad impium cultum traducerent; idque nuper, mense nimirum Februario efficere serio aggressi sunt. Nam homini cuidam perduto in hac ipsa ciuitate Ecclesiam Xenodochii assignarunt, vbi suas blasphemias detonet, quod facit strenue et auditur a multis, cum magno impiorum hominum applausu, et iubilo. Ego, vna cum collegis meis; mananti in dies, latiusque serpenti malo obsistere cupiens, iam integros tres menses Caesareae Maiestatis opem, auxiliumque implorare non destiti, Reuerendissimus quoque Dominus Vestrae Sanctitatis nuncius, frequentissime suam Maiestatem interpellauit et orauit, ut pestem hanc ciuitatis, in qua sedes est archiepiscopatus, et quae hactenus nonnisi catholicos audiuit concionatores, exigeret. Neque Reuerendissimorum Dominorum Agriensis et Jaurinensis episcoporum opera nobis defuit. Hactenus vnum hoc obtinere potuimus, quod dignata est Sua Maiestas certos commissarios declarare, qui de tota illa re certo inquirant, et Suam Maiestatem edoceant. Nec dubium mihi est, quin Sua Maiestas, prout benignum pietatis et sanctae religionis propugnatorem decet, huic malo sese opponat, factiosorumque hominum conatus reprimat. Verum, quum res ipsa celeritatem, maturitatemque magnopere desideret; V. Sanctitatem supplex humillimeque oro atque per ardentissimum amorem Saluatoris nostri Jesu Christi, cuius in terris vices sustinet, potestatemque gerit; ob-testor, dignetur per speciales literas Caesaream Maiestatem monere, hortari, rogareque, vt quamprimum vltimam manum huic malo imponat; neque patiatur hominem

haereticum pro hac ciuitate vltcrius grassari. Respiciat, obsecro, V. Sanctitas animas innocenti cruore Jesu Christi partas ac redemptas, quas, nisi cito subuentum fuerit, in aeternam damnationem ruiturae sunt. Plurimi sunt Tyrnauiæ, qui hactenus fidem veram amplexi, suspensi attoniti atque perplexi adspectant, quonam se vesanorum hominum conatus vertant: qui si compotes voti sui facti fuerint, vereor, ne vniversa plebs a fide catholica deficiat. Non enim poterunt imbecilles potentiorum diutius sustinere impetus; et vulgus facile in omnes partes, tempestatibus saeuientibus, impellitur. Neque solum haec vrbs, sed aliae quoque omnes, in quibus hucusque non licuit haereticis publice praedicare, a Christi fide seducentur. Quid enim non audebunt veritatis hostes contra alias ecclesias, si viderint, sedem metropolitanam victam et prostratam pessumuisse? Nunc homines, a veritate auersi, in speculis sunt et circumspectant, quem euentum Tyrnauenses haeretici in cepto sortiantur. Si, quod volunt, obtinebunt, mox vndique per vrbes, vicos, villasque totius Hungariae, instar muscarum, haeretici concionatores impune volitabunt, nec vsquam fidei catholicae ac Romano nomini locus erit; hisce malis V. Sanctitas benignam, celeremque opem ferat, Imperatorique, quamuis sua sponte currenti, et propenso, tamen calcar addat, quam humillime supplico. Haec me ad V. S. Scribere compulit non tam meum, fratrumque meorum graue periculum, quam officii mei, quo nunc, ecclesia Strigoniensi suo pastore destituta, fungor, ratio, et maxime deflendus ac miserabilis status Ecclesiarum totius Hungariae, infinitarumque animarum, Christi sanguine redemptarum, partim iam desaeuiens ruina, et labes, quae omnia V. Sanctitatis opem auxiliumque implorant. Extremum vero est, non minus ac cetera, ad salutem fidelis populi, in Hungaria degentis, pertinens, quod a V. Sanctitate demissis atque humillimis precibus exopto: anno namque superiore non lieuit nobis, neque aliis catholicis Hungaris iubilaeco perfrui, sacraque Apostolorum limina adire, ob multa ac diuersa, quibus exagitamur, partim intestina, partim perennis ac quotidiani hostis, Turcae, nostris ceruicibus imminētis pericula. Deprecor itaque, dignetur V. Sanctitas ex diuinae misericordiae Saluatoris nostri fonte, cuius clauēs dispensandi ac largiendi potestatem concessu ipsius Saluatoris obtinet, nostrae Strigoniensi metropolitanae, et earum, quibus praesunt suffraganei, huic subiecti, dioecesis iubilaeci anni largiri indulgentias, prout etiam Viennensi ex liberali et benefico animo suo concessit. Christus, princeps Pastorum V. Sanctitatem Ecclesiae suae diutissime seruet incolumem. Datum Tyrnauiæ XII. die mensis May, anno Domini MDLXXVI. V. Sanctitatis seruus humillimus Nicolaus Telegdinus, praepositus et vicarius in spiritualibus Ecclesiae Strigoniensis. m. pr. — Apud Schmitth Episcopus Agr. Tomó III. p. 114.

Duae ordinationes Maximiliani sinistre cesserant, Ecclesiae catholicae incommodo maximo: Prima, qua Zachariam Delphinum, Cardinalem, constituerat Gubernatorem Ecclesiae Jaurinensis; altera, qua Ecclesiae Strigoniensi, post Antonii Verantii obitum, anno 1573. nullum dederat Metropolitanum. Prima offenderat Status et Ordines adeo, quod minati sint, ni personae Ecclesiasticae Hungariae, ac bene meritae locum dederit; se decimas Domino Cardinali omnino denegaturos. Articulo XXXV. diaetae anni 1569. Quas querelas, cum status crebro repeterent, Cardinalis episcopatu sponte abdicauit. Anno 1573.

III. Januarii. Sedis metropolitanae ab anno 1573—1595 Vacantia toti Ecclesiae Hungaricae irreparabili damno fuerat.

67. *Tredecim oppidani Scepusienses, Praeposito censum solitum offerunt, dummodo praecanibus haereticis uti possint. Anno 1578.*

Agnosco vestra studia, sed obsequium vestrum est mihi gratius, quam pecunia, quae perit. Obedientia est virtus Deo et hominibus grata. Admonitos ideo vos volo, fratres charissimi, ut in religione catholica vos seniores diligenter inquiratis. Audio enim gliscere inter vos Zwinglianos, Calvinistas, antitrinitarios. Cetera omnia sunt adminicula huius vitae; sola fides facit, ut Deo et hominibus hic et ibi placeamus. Dissensio religionis adfert periculum imperiis et regnis, ut constat nunc in Germania, quae nunc et pecunia et milite caret ad hostem communem compescendum. Anno 1578. Bornemisza Praepositus Scepusiensis:

Rudolphus Rex Hungariae societatem Jesu in Hungariam introducit, eique Praeposituram Thuröcensem confert. Dat. Pragae anno 1580. — Kaprinay MSS. Sub B. Tomo 53. nro 81. p. 256.

Georgius Dráskovich, Episcopus Jaurinensis, simul Coloczensis Archiepiscopus, duplici merito excelluit: celebrato anno 1579. Sabariae Synodo, actis Pragae impressis; tum Patre S. J. Marco Pitasics Vienna Sabariam evocato, qui Sabarienses institutione sua in fidei integritate conseruavit. Georgius Draskovich floruit ab anno 1578. Cancellarius Regni factus anno 1580. Cardinalis 1582. Desiit anno 1587.

Idem Rudolphus donationem Ecclesiae Parochialis pro loco capitulari, capitulo Agriensi factam, confirmat. A. 1580.

Anno Domini quo supra, in arce Regia Pragensi XXVI. die mensis Februarii datae sunt et emanatae literae Sacratissimae Caesariae Regiaeque Maiestatis privilegiales siue confirmationales, in pargameno patenter confectae, sigilloque secreto, quo ut Rex Hungariae utitur, pendenti, et propriae manus suae maiestatis subscriptione de more communitae, quibus mediantibus, Sua Maiestas literas quasdam fidelis sui R. R. Stephani Radetii, Episcopi Agriensis, Consiliarii per Regnum Hungariae et locumtenentis sui donationibus, quibus ecclesiam ille Sancti Michaelis Archangeli parochialem in oppido Agriensi fundatam, et per Turcas anno quingentesimo quinquagesimo secundo supra millesimum, desolatam, honorabilibus Capitulo Ecclesiae suae Agriensis, pro loco capitulari possidendam, autoritate iuris patronatus sui dedisse, et donasse, dinoscitur, ratas, gratas et acceptas habendo approbavit, roboravit et ratificavit, et pro praefato capitulo Agriensi, ipsorumque posteris et successoribus uniuersis, innouando, perpetuo valituras gratiose confirmavit, saluo iure alieno. — Anno 1580. Apud Schmitth. Ep. Agrien. P. III. p. 122.

Idem Rudolphus privilegia Episcopatus Nitriensi a Regibus Hungariae concessa, pro R. R. Dno Zacharia Mosóty, Episcopo Nitriensi, Decretorum Regni collectore, confirmat. Anno 1583. — MSS. Kaprinay sub B. tomo XXXVII. nro 87. p. 383.

Conuentus de Jászo super Ecclesia S. Michaëlis, Capitulo Agriensi pro loco capitulari donata, a Rudolfo confirmata, ab iis per Heterodoxos vi et potentia ablata, protestationem factam, attestatur. A. 1580.

Nós Conuentus ecclesiae B. Joannis B. de Jászov, memoriae commendamus, tenere praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod reuerendi Paulus Szegedy, Lector et Praepositus Capellae B. M. V. ac Stephanus Velochinus, Archidiaconus Abaujuarensis, canonici ecclesiae Agriensis, nomine et in persona honorabilis capituli praedictae ecclesiae Agriensis, nostram personaliter venientes in presentiam, solenni protestatione nobis significare curauerunt, in hunc modum: quomodo prudentes et circumspecti Iudices, Jurati, ceterique ciues oppidi praelati Agriensis, nescitur, qua ducti consideratione, siue temeritate, adiunctis sibi vniuersis et singulis nobiles, et militibus, in praesidio Agriensi, aliis etiam assumtis secum complicibus, prius coniuratione facta, Sabbato proximo post Festum Corporis Christi, in templum D. Michaëlis Archangeli, in eodem oppido Agriensi fundatum, ex domo Spectabilis et M. Domini Chrystophori Vngnad, et monasterio in eodem oppido Agriensi constructo, irruissent, ac Venerabile Capitulum praetactum, in eadem Ecclesia B. Michaëlis Archangeli, diurnum officium peragere volens, interturbauissent, eandem Ecclesiam ab eodem Capitulo tumultuarie ademissent, tabulas, altaria, imaginem crucifixi, e loco amouissent, alia etiam ornamenta ecclesiae, vt pote indumenta altarium violenter amouissent, et in sacristiam coniecissent, clavesque eiusdem Ecclesiae ad se accepissent, usurpassent, librosque disiecissent; concionatorem suum introduxissent, ibique conciones perfecissent die Dominico proximo post praedictum festum praetacti Corporis Christi; in praeiudicium et damnum, derogamenque Sacro Sanctae Ecclesiae catholicae magnum et manifestum; inter caetera ciues dicti, suique complices, talia fecissent verba, quod diu in animo suo deliberata ad effectum producere reipsa vellent; cum tamen hanc Ecclesiam S. Michaëlis Archangeli idem Capitulum ex mandato RR. Domini Stephani Radetii, Episcopi Agriensis, et S. C. atque R. Maiestatis Consilarii, ac per Hungariam Locumtenentis, ex diuturna desolatione, magnis sumtibus, restaurari curauisset, Sacraque C. et R. Maiestas, Dominus et Princeps noster clementissimus, idem capitulum in eadem Ecclesia priuilegialibus suis literis, confirmauisset; iidem ciues cum praescriptis nobiles et militibus ibidem in eadem Ecclesia comminatorie idem capitulum inde eduxissent, ac mortem praefatis canonicis comminati fuissent; vnde facta huiusmodi protestatione protestati sunt, se amplius in literis regnicolarum necessariis extradandis, et rebus diuinis rite perficiendis, extra ecclesiam debite officio salisfacere, minime se posse asseruerunt; literasque nostras superinde extradari postulassent. Vnde nos praesentes literas nostras protestationales, pro iurium dictorum protestatione, vberiore ad cautelam, eisdem dandas duximus et concedendas. Datum feria III. proxima post festum B. Medardi Episcopi, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo." Ibid. 124—126.

Artium mechanices, sculptoriae, picturae etc. vetusta monumenta hoc heterodoxorum vandalismo, iconoclastismo, pessumiuerunt, diuturnaue fuit earum domi nostrae de-

solatio. En alium reformationis in Hungaria fructum. Quin etiam quamdam barbariem indidit nostratibus, arae enim, imagines crucifixi, statuæ, expeditis securibus sunt connectae: communitia Casparis Magocsi, praesidii Agriensis capitanei — Heterodoxi.

Status et Ordines regni diuitaliter congregati, Sedi Apostolicae pro magna vi pecuniae, exercituque submisso, gratias agunt; statum Hungariae afflictum deplorant, atque opem Pontificis deprecantur. A. 1596.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine nobis clementissime! Post oscula pedum Beatitudinis vestrae, humillimam orationum et obsequiorum commendationem; ut ex mandato S. Imperatoriae Maiestatis Domini ac Regis nostri gloriosissimi huc ad praesentia pro publicis regni negotiis indicta comitia non ita pridem conuenimus, nihil nobis antiquius habendum esse censuimus, quam debitas immortalesque Beatitudi-
ni vestrae, pro singularibus in nos et Patriam hanc nostram, in extremo fortunae cardine nutantem, beneficiis gratias ageremus. Postquam enim perennis christianorum hostis Turca, rupto superioribus annis foedere fideque violata, plenus furore et dominandi libidine inflammatus, in viscera reliquiarum huius regni irrupisset, et passim populandus igne, terroreque plurima loca deuastasset, nonnulla vi potius, quam virtute interceptisset, multaque Christianorum millia in perpetuam abegisset seruitutem, non fuit vllus mox alius repertus, qui post Imperatoriae Maiestatis et S. R. Imperii Subsidia, desperatis rebus nostris, maioribus, quam tua Beatitudo, praesto fuisset auxiliis: nam praeter ingentem pecuniarum vim et alia Tuae Beatitudinis in nos collata beneficia oportune admodum aestate proxima eiusdem in Hungariam venit exercitus, quo reliquis Suae Maiestatis copiis adiuncto, Strigonium Sedes Archiepiscopalis et Visegradum, Deo opitulante, sunt expugnata, et recuperata. Deuinctos itaque nos quam maxime, tot tantisque Tuae Beatitudinis beneficiis, confiteamur, necessum est. Vtinam autem ea temporum vigeret felicitas, et eo loco res nostrae positae essent, quo Tuae Beatitudini et S. Sedi Apostolicae pares his meritis gratias referre liceret; nullum a nobis officii genus desiderari pateremur; sed quia nullam referendae tantae gratiae commoditatem nobis superesse videmus, Deum Optimum Maximum pro felici Tuae Beatitudinis regimine et incolumitate — exorare et memoriam huius pietatis recolendam ad posteritatem transmittere non omitteremus. — Fuit olim Beatissime Pater, dum res Hungarorum temporis iniuria collapsae non erant, cum Regnum Hungariae scutum fidei, murus Religionis, antemurale vicinarum prouinciarum, et orbis Christianorum propugnaculum habitum fuit; dum non in finibus solum regni Turcas prohiberent, ac propulsarent Maiores nostri: Sed pro fide, religione ac publica tranquillitate longe etiam lateque hostilia regna penetrantes, partis insignibus ex hoste triumphis, victicia signa in patriam reportarent; quo quidem tempore non patriam modo nostram, ab hostibus istis tutam exstitisse, sed et finitima regna virtute Hungarorum desiderata securitatis dulcedine grauisa fuisse, nemini esse obscurum; Testantur Maiorum nostrorum chronicis demandata, quae cum saeuissimis atque truculentissimis istis inimicis

fortia bella gesserint; quas clades cruentas, ab eis acceperint, et quam inuictis animis saepissime ad interuersionem usque procerum et nobilitatis cum eis decertauerint; usque adeo, ut vix vlla domus in Hungaria digna nomine fuerit, quae aliquot bellis, cum rabidis Turcarum gentibus habitis, fortem aliquem suae stirpis virum non amiserit; non deplorauerit. Vulgata est, Beatissime Pater, expeditio illa Regis nostri Andreae II. qui labantibus christianae Reipublicae in Syria rebus sub Honorio, Summo Pontifice, sacri illius belli summus Imperator designatus, pro liberanda Palaestina, totaque terra sacra in Asiam cum exercitu traiciens, commisso aduersus Babyloniorum Soldanum atrocissimo praelio, gloriosus victor euasit. Ludouicus I-mus Vngariae simul, ac Poloniae Rex Romanam Ecclesiam triplici bello iuuit; missisque in Italiam praestantibus Ducibus ac copiis, multas ciuitates, partim ad obedientiam Romanae Ecclesiae retraxit, partim in fide retinuit; idem hortatu Urbani Papae IV. Carolum in Apuliae regnum restituit. Sigismundus quoque Imperator et rex noster magnanimus, maximis instructus copiis bis cum Bajazethe Turcarum Tyranno, magna Christianorum strage confligit; Italiam schismate fluctuantem pacauit; contra Hussitas Ecclesiam in regno Bohemiae tutatus est; non minori virtute duo Coruini, praestantissimi belli Duces, Joannes Hunyadius, Regni Gubernator et eius filius nati minimus, Mathias, Europae fulgentissimum sidus, Regumque sui temporis Princeps praeclarus, et S. R. Ecclesiae vindex contra Bohemos, acerrimus, rem christianorum communem iuuerunt, auxerunt, et dilatarunt. Funestissimae quoque duorum Hungariae Regum clades Vladislai ad Warnam, et Ludouici II. ad oppidum Mohácsium, non saltem apud finitima regna, sed et vniuersum propemodum orbem christianum notae sunt: quorum ille a Legato sedis Apostolicae, Juliano Caesarino, pacem rescindere persuasus cum Amurathe, hic vero cum Solymano potentissimis Turcarum Imperatoribus cruentissimis et memorandis in aeternum praeliis commissis, ambo pro fide, pro patria, et publica pace viriliter occubuere. Atque hoc pacto Maiores nostri in quadam totius Europae gladiatoria palaestra ultra quam ducentis abhinc annis, assidue fere, non pro se saltem, sed et tota christianitate acerrime cum hac gente pestifera dimicarunt. Quorum sane vestigiis nos quoque minime ab eis degeneres, insistere, omnesque fortunas ac vitam, qua nihil carius habemus, defensionem Patriae deuouere parati semper fuimus; quod ne nunc quidem nos detrectare (si modo sinceris nostris conatibus aequales suppetere facultates) insueta, et propemodum ultra vires decreta per nos praesentibus subsidia testantur. Quia tamen novercante fortuna et peccatorum nostrorum mole iram Diuinae Maiestatis prouocante, post tristia Ludouici illius II. fata continuis bellorum motibus eo infelicitatis et miseriarum res nostrae redactae, ut atritis nostris viribus et accisis ad extremum opibus, tam valido ac praepotenti hosti minime valeamus, solus quidem (ut alios anhelis faucibus ad hoc regnum inhiantes, omittamus) Solymanus ille fatale Vngarorum excidium, nimio fastu, et dominandi libidine, inflatus, octies in persona propria aliquot centum millium infestis copiis, nostrae et parentum memoria, regnum hoc inuasit, diripuit, vastauit, afflixit: huius vero posterum Selymus, et Amarathes, huius nominis tertius, et si a generalibus abstinuerint bellis, sub foe-

dere tamen simulato, quod reliquum a Solymanni tyrannide in hoc regno manserat, veluti virus in corpore diffusum, ingentibus tributis, frequentibus incursionibus ac populationibus miserandum in modum confecerunt et extenuarunt. Quas demum aerumnas, quae incommoda, quas clades, et discrimina hoc quadriennio subiuerimus, in diesque subeamus, Tuae Beatitudini, nobis quoque tacentibus, satis superque perspectum esse, non dubitamus. Funesta est nunc Hungariae facies, vastata in ea omnia, Ecclesiae profanatae, contaminata Religio, agri conculcati, ac maiori ex parte inculti; disiecta et exusta oppida, exhausta aeraria, ciues omni fere substantia, non tantum saeuitia hostili, sed et insolentia militari, exhausti, spoliati et laniati. Vnde mirum esse non debet, si tot, tantisque calamitatibus fracti, debilitati, et exinaniti, soli feroces Turcarum amplissimo magnae partis Asiae, Africae, et Europae dominatu luxuriantium impetus sustinere nequeamus, sed opem vicinarum regnorum et prouinciarum implorare cogamur. Ad Te autem inprimis Beatissime Pater, cui religionem, fidem, et publicam tranquillitatem maxime cordi esse videmus; tanquam ad sacram anchoram confugiendum duximus; in Tuam siquidem Beatitudinem oculos in terris omnes christiani Principes dirlexerunt, a Te velut praecipuo Auctore, vnionem, praesidium, et auxilium per Dei beneficia praestolantur. Fac igitur in id, quod coepisti, cum augustissimo Cardinalium collegio, maximopere incumbas, vt Principes vniuersos, quorum dissensione Turcarum Imperia in hoc fastigium succreuerunt, res vero christianorum in profundum conciderunt, inuicem concilientur, vt intestinis depositis dissidiis, coniunctis tandem animis, et viribus, aduersus communem totius orbis terrarum hostem consurgere debeant: non enim dubitamus, inimicos tumentes audacia et vindictae cupiditate inflamatos vltionem moliri, nihilque magis in votis habere, quam vt reliquiis huius regni penitus in potestatem suam redactis, aditum in vicina regna, in Imperium, sedemque tandem Beatitudinis tuae patefaciant; et his minime contenti, suam in toto terrarum orbe tyrannidem extendant, ac sectam Mahomedicam populo Christi, Saluatoris nostri sanguine redempto, vi et armis imponant. Quem finem, vt gens inimica Deo consequatur, maioribus nunc quam vnquam alias viribus, et apparatu accingere se, etiam in procinctu esse certis nunciis refertur. Tantis itaque expositi periculis Te Beatissime Pater christianae Reipublicae propugnatores iterum atque iterum obsecramus, per amara Christi Domini nostri vulnera obsecramus, et oramus, dignetur bene merita maiorum nostrorum, quos pro fide et vniuersa christiana Republica saepe ad summorum Pontificum et S. Sedis Apostolicae requisitionem larga sanguinis profusione cum hostibus Ecclesiae decertasse, palam est, in memoriam reuocare et inchoata de nobis bene merendi studia magis ac magis intendere, auxiliaque contra tam potentem Tyrannum pro magnitudine periculorum, communiter impendentium, tempestiue discernere; vt Te Ecclesiam Dei gubernante, Hungaria ex Tyrannorum seruitute liberata, pristino suo nitori restituatur, vobisque duobus orbis terrarum rectoribus, omni tempore deuotione et obsequio deuinciat. Seruet Deus O. M. Tuam Beatitudinem diuissime florentem, et Ecclesiam Dei feliciter gubernantem. Datum Posonii ex generalibus Regni Comitibus. Die XII. Mensis Martii. A. 1596. Eiusdem Tuae Beatitudinis Hu-

miles, deuoti, fideles, et perpetui Capellani, et Seruitores, Praelati, Barones, Magnates, Nobiles, caeterique Status et Ordines Regni Hungariae.“

Ex archiuo Vniuersitatis Regiae Pest.

68. *Rudolfi Regis articuli in fauorem religionis catholicae lati: anno 1567—1569.*

Rudolfi Decretum IV. Posonii A. 1588. Art. 28. „De Calendario: Etsi Status et Ordines Regni mallent, vt vetus calendarium a tot iam annis obseruatum, et cui se tam pauperes, quam diuites longo vsu accomodarant, in pristino suo statu permaneret, volentes tamen se piaie et clementi Suae Maiestatis admonitioni accomodare, non refragantur quidem, vt deinceps noui et reformati Calendarii vsus sit; hoc tamen per expressum declaratum esse volunt, se illud nullius alterius, quam sola et vnica, Regiae Suae Maiestatis autoritate, in productum admittere; et maneant expeditiones et iudicia, siue sub nouo, siue sub veteri Calendario factae in suo vigore.

Decreti VII. Poson. anno 1596. Art. 55. „Postremo, quia dicuntur nonnulli et signanter Armales Nobiles, decimas et quartas Archi-Diaconatus et aliarum personarum ecclesiasticarum pro se vsurpare, aut plane non soluere, statutum est: vt tales Armales Nobiles decimas et quartas soluere abnuentes, vel etiam alii, qui decimas soluere ex antiqua regni consuetudine obligantur, ad instantiam vel administratoris prouentuum Archiepiscopatus, vel aliorum, quia decimae et quartae Domini sunt, non obstante bellica expeditione, in forum spirituale citentur, ibique ad reddendas eas iure compellantur. Sua vero Maiestas Caesareo Regia, more antiquitus in foro Ecclesiastico obseruari solito, adesse velit, et comitatus etiam latas et ibidem productas superinde sententias, exequi teneantur.“

Decreti IX. Poson. anno 1598. Art. 49. „De disponendi quoque facultate Dominorum Praelatorum, super bonis ipsorum mobilibus, et aquisitiis se benigne resoluerere dignetur.“

69. *Eiusdem Rudolfi articuli ab anno 1576—1604.*

Decreti XV. Poson. anni 1604. Art. 22. „Postremo siquidem Maiestas Sua Caesarea atque Regia, tum ex fide digna relatione, tum vero ex binis per Serenissimum Principem, Dominum Mathiam, Archi-Ducem Austriae, etc. Fratrem suum Charissimum Suae Maiestati transmissis supplicationibus eorum, qui sese potiozem Statuum et Ordinum Regni Hungariae partem indigitarunt, non sine admiratione, tanquam rem hactenus inusitatam, et plane nouam, displicenter intellexit; quidnam illi, de turbatione ipsorum Religionis, ademptione suarum Ecclesiarum et prouentuum, ac submotione ministrorum verbi, siue concionatorum suorum tam scripto, quam ore tenus, eius Serenitati proposuerunt, et explicarunt; atque insuper ab eius Serenitate intercessionem ad Sacram Maiestatem Suam Caesaream et Regiam, eum in finem demisse flagitarunt, vt omnibus per suam Maiestatem eis restitutis, in libero suae religionis exercitio permanere, illoque frui, et gaudere queant. Qui tamen ab

eius Serenitate requisiti, et admoniti, neque scriptum suum, qui se illius participes facere cogitassent, proprio nomine subscribere, neque cuius religionis sint, profiteri, quasue Ecclesias, prouentus sibi adeptos esse questi sunt, explicare voluerant; sed circa generalia solummodo persistentes, haud facile a concepta opinione sese dimoueri passi sunt; et per hoc publicos huius diaetae tractatus non modicum retardarunt, ceterisque fidelibus Regni statibus et scandalum et malum exemplum praebuerunt. Quod quidem sicuti Suae Maiestati Caesareae et Regiae gratum esse non potest, ita quoque Sua Maiestas recordari nequit, quod illis per Suam Maiestatem, in praetensa eorum religione aliqua iniuria irrogata, vel aliquae Ecclesiae, aut earum prouentus, in bonis praesertim eorum propriis et auiticis, eis adempta fuissent; neque Sua Maiestas Caesarea super obnubilatis eorum praetensionibus sese vlllo modo resolvere valet; praesertim quod existimet illos aliquam cum liberis ciuitatibus Regni, quae sacrae Coronae et Suae Maiestatis Caesareae tanquam inclyti Regis Hungariae peculium sunt, collusionem in vrgendo nouae religionis exercitio habere. Quum autem Sua Sacratissima Caesarea, Regiaque Maiestas, instar Diuorum condam Progenitorum et Praedecessorum suorum, tam Iperatorum Romanorum, quam vero Regum etiam Hungariae felicium recordationum, sacro sanctam Catholicam Romanam fidem et religionem sincere profiteatur; illam quoque in regnis et prouinciis suis, ac praesertim in hoc suo Hungariae Regno, ad laudem et gloriam omnipotens Dei, ex tot falsis opinionibus et sectis erutam vbique florere, et dilatari cupiat, ac ex debito regiminis sui officio, pro virili etiam tueri, ac defendere satagat: Idcirco Maiestas sua Sacratissima, motu proprio, deque Regiae suae potestatis plenitudine, tam Sancti regis Stephani, huius gentis Hungaricae Apostoli, quam vero omnium aliorum Diuorum quondam Hungariae Regum, Suae Maiestatis Praedecessorum decreta, constitutiones, et articulos, pro praefata sancta Catholica Romana fide ac Religione quouis tempore praeclare et pie editos, et euulgatos, non secus ac si de verbo ad verbum praesentibus literis insertae et inscripti essent, hoc speciali suo articulo clementer ratificat, et confirmat, ac ne deinceps in generalibus praesertim et arduis regni tractatibus et Diaetis, alicui religionis negocium ad remorandos et interrumpendos publicos tractatus, quouis colore et praetextu impune mouere liceat, benigne statuit, et serio decernit, vt contra tales inquietos, rerumque nouarum cupidos poena a Diuis quondam regibus Hungariae, in eisdem decretis et articulis statuta confestim procedatur et caeteris in exemplum irremissibiliter puniatur.“

Bona, prouentus Ecclesiae, praetensa fuerunt illa, quorum meminimus, disturbiorum inter Ferdinandum et Joannem Zapolam tempore, vi aut regum conuientia occupata, vsurpataque aut impignorata, a Generalibus praesertim Lazaro Schwendi, vt Decretum Maximiliani II. 31. expresse meminit; ideo Instantes illa, nec se nominare praesumserunt, in obuersum decreti eiusdem II-i Art. 55. Illius nihilominus articuli adiecti praetextu Stephanus Bocskai, ast Principatus Transilvaniae reuera ambitione, in partibus vltra Tibiscanis, fide Regi simulata, clam Hajdonibus, se militum Germanorum, ac religionis iniuriam vindicatorum, subornatis, turbulentos ac perniciosos motus, primum bellum ciuile, pessimo exemplo concitauit, teste Istvanfio XXXIII. p. 496—501.

70. *Capitanei Bocskaiiani ob articulum 22. anni 1604. acatholicos ad arma, cum Stephano Bocskai iungenda, prouocant. A. 1604.*

Prudentes ac Circumspecti Domini Amici et vicini obseruandissimi! Quantas miseras, quantasque calamitates, vastationes et depopulationes passum sit hoc regnum Hungariae his retroactis annis, non sine annuentia Imperatoris Romani, per insolentiam militum eiusdem, id multis verbis exaggerare, cum id luce meridiana apud omnes regnicolas constet, necessarium non arbitramur. Vix enim vestigia iam apparent, in eoque per eundem Imperatorem, prouti id ex factis suorum capitaneorum videre est, laboratum fuit, vt deleta Hungaria, nomen quoque Hungaricum aboleatur. Quae omnia cum sint mundana et transitoria, ferenda forte fuissent, ni diebus hisce proximis, praeterita diaeta, contra voluntatem regnicolarum, aliis articulis annexam persecutionem christianae verae et orthodoxae religionis, per Joannem Jacobum Barbianum, Comitem Belgiosae, Generalemque suum Capitaneum, hominem iniquissimum, instituisset. Qui ante omnia adempto inclytae huius ciuitatis nobilissimo templo, idolatriam Romanam, verbi Dei ministris in exilium eiectis, inuexerat. His non contentus, alios etiam concionatores, tam per se, quam vero selectissimos sui similes milites, ne dicamus carnifices, Valones, variis afficiens iniuriis vexauit et mulctauit. Postremo autem sub eo colore, quod ipse vellet hostem nominis christiani, Turcam aggredi, arcemque Gyulam expugnare, omnem exercitum Imperatoris contra nos et spectabilem ac magnificum Dominum Stephanum Bocskay, Dominum nostrum, gratiosissimum vertit, eiusque arces, eo animo intercipere voluit, vt ipso deleto, alios etiam Magnates, et nobiles regni opprimere tanto commodius posset. Quae omnia, quia in desolationem regni et perniciem animarum vestrarum et nostrarum tendebant, amplius non ferenda sed armis vindicanda fuerant. Insurreximus igitur, et pro fide christiana, et pro nomine Jesu Christi Saluatoris nostri, proque dulcissima patria nostra arma sumimus. Dominationes itaque Vestras rogamus et obtestamur, velint in hoc bono, honesto, et salutari nostro proposito, nobiscum sentire, ac data fide ad excutiendum iniquissimum iugum exemplo inclytae huius ciuitatis Cassouiensis arma sumere, dulcissimamque patriam suam a tot depopulationibus et iniuriis, iam tandem vindicare. Facient in eo DD. VV. Deo imprimis rem gratam, et patriae commodam imo toti Christianitati auditu iucundam. Et haec erant DD. Vestris breuiter perscribenda, ad quae certum ab iisdem expectamus responsuum. In reliquo DD. VV. feliciter valere exoptamus. Datum Cassouiae die vltima Octobris, anno 1604 DD. VV. Amici et defensores Blasius Lippay, Blasius Némethy. Illustris et Magnifici Domini Stephani Bocskay, sacrae Christianae, ac orthodoxae, religionis defensoris militum Capitanei." Apud Joan. Ribini A. C. Memor. Tomo I. p. 329.

Comperto Hajdonum defectu Cassouienses Lutherani primi Bocskaiio portam aperuerunt secutae sponte, aut vix appropinquante ipso, Carpona, Situa, Chabragum, Vacium, Fülekom, Szadvárum, Palanka, Dregelum, Neogradum, Bujakum, Szerencsiuum ciuitates superiores regiae, Trenchinium, Patakinum, tum Transilvania tota. Occurrunt illi Proceres, Nobiles hucdum laruati et anonymi. Vrbes item montanae, Nitria, Tyrnauia etc. Grata ac Deo facta Christiani nonnisi captiuis Tartaris ac Turcis

diuenditis; eo patriae commodo: Neogrado et Vjuárino deditis; Strigonio, rursum in potestatem Turcarum redacto; toti denique Christianitati rem eo iucundam, auditu: quod Austria, Moravia, et Silesia incursata fuerit et direpta: Istvánfy. Lib. XXXIII. pag. 501. XXXIV. pag. 506—514. Optatae pacis negociandae causa Mathias Archi-Dux Austriae, cum Bocskaiianis a 15. Jan. vsque 24. Junii Anni 1606. inducias perigit, primaque pacis lineamenta medio Stephani Illésházy internuncii, Stephani Bocskaii, auctoritate Rudólfí proposuit. Apud Istvánfium L. XXXIV. p. 517.

Joannes C. Majláth, motuum Religiosorum in Hungaria compilator, seditionis Bocskaiianae culpam sequentibus extenuat: 1) Templum Cassouiense, iussu Rudólfí regis, per Comitem Belgioso, ab A catholicis refractariis, violente ademptum, Catholicisq; restitutum: quin vel verbo innuerit, id iure ac lege, constitutione articuli IV. anni 1547. licuisse ac debuisse. 2) Jesuitas a Moyse Siculo, Transilvano Principe, Ariano, crudeliter eiectos, ab eodem Rudolfo clementer restitutos, auctos quoque: an id etiam proclamata quatuor religionum libertate, illicitum aut impium? 3) Articulum a Rudolfo additum (anno 1604) „vt quaestionem circa religionis negotium in tractatibus publicis temere nemo moueat.“ An id idem, postquam pacificatione Linciensis A. 1547. determinatum iam fuerat; a nonnullis duntaxat, a nonymis, Statuum et Ordinum Euangelicorum nomen, hucdum insolitum, vsurpantibus, quadam insolentia, libero exercitio vigente, agitalum, ratio Boczkaiio ad arma, quibus religio Christi nec cogenda nec defendenda, prorumpendi, caede ac sanguine omnia miscendi, regnum Hungariae iugo Turcico obuoxium reddendi, legitima, sufficiensque fuerat?! — Bocskaium non liberi religionis exercitii studio sed principatus ambitione correptum fuisse, inde patet: questus quidem ille: „conscientiis, quae soli Deo omnipotenti subiectae esse debent, quietam et tranquillam consistendi facultatem a Rudolfo sublatam esse; ac Szerencsini in Comitibus XVII. April. A. 1605. celebratis, religionis liberum exercitium concessit, sic tamen: ne quae praeter Catholicam, Lutheranam et Calvinianam admitteretur: Socinianis, Anabaptistis, aliisque Heterodoxis penitus exclusis. Et an Templi auitis possessoribus restitutio, vi expulsorum Jesuitarum postliminio illocatio, tollit liberum aliarum partium exercitium?! Bocskaius Principatum Traesilvaniae, latifundiorumque suorum incrementum, aucupatus, his potitus rem religionis mox destituit, ad Comitibus prorogata; Rudólfus ex aduerso, non in conscientias Heterodoxorum nec in actiones eorum internas, sed in externas, saeculari experimento cum illis coniunctas, reipublicae aduersas, voluit dominatum exercere. Bocskaius ea fuit Christiana charitate, vt captiuos, Catholici nominis, per millia Tartaris ac Turcis venum dederit; Hajdones eius ita furebant, quod multos sanguine sibi iunctos, diuendiderint: Istvánfi Lib. XXIII. col. 496—501. Lib. XXIV. col. 506—514. — Esset tandem tempus, vt Historicus domi nostrae surgeret, qui data, factaque ex principio, cum adiunctis, et consecrariis enarraret: ast hoc Joanni Majláth concessum non est. — Principales seditionis Bocskaiianae Auctores, Ministri Euangelici fuerant: qui Scripturam S. ad genium suum interpretari solite, articulum etiam art. bullae aureae, Andreae II. 31. pariformiter interpretati, Regi Rudolfo, Catholicis patrocianti, fidem datam frangi, vi et armis resisti, iure posse suaserunt: vti MSS. vt videtur Szamos-Közjanum ad annum 1605. sequentibus perhibet: „Bátory István, az Ecsedes, behivatta a' környékből 23. papjait, mint Calvinistákat, kiktől kérlette, hanem volna-e bűn, a' némett Császárnak adatott hitet megmásolni? Azok meghengedték, és azt mondták, hogy nem bűn. Így esküdött meg Bocskay hívségére Bátory; ez urak előtt: Rákóczy Sigmund, Homonnay Bálint, és Barcsay János előtt, és Magyarorszában való fő Generalisnak rendeltetett.“ Ita animati ad Bocskaium descuerunt; vt idem MS. prodit: Publice minden várnegyék (qui a parte Bocskaii steteret) protestáltak Istvánfy Uram előtt, hogy illy okkal indulnak meg mellette, ha hitben őket megtartya, 's a' mit elkezdett ő felsége, (templorum recuperationem) revocálja a' hatalmáskodást, és mind Kassából ki veszi a' Pápásokat, kiket király képes Bel-

gioso) citra ius et leges regni inducált, és mind egyéb helyekből; mit ha ő felsége nem cselekszi, de facto, legyenek ők absolutusok; ne tartozzanak semmi fidelitással a' Császárnak. Erról a' protestatióról vármegyéként, ugyan levelet is extrahált Istvánfy Urántól singillatim minden Vármegyé. "Principium hoc: regibus armis iure posse, docuerunt in templis et scholis palam ac publice; fouerantque seditionis spiritum, donec fatalis clausula anno 1687. magna A catholicorum cum displicentia, abrogata non fuit. En cultus Lutherani Spiritum regno Hungariae exitiosum!

71. *Praecipua capita pacis cum Stephano Bocskai ineundae, Viennae proposita, 9. Februarii 1606.*

Primum omnium Religio libera vbique sit — absque tamen religionis catholicae Romanae detrimento. — Palatinus, more antiquo, publicis suffragiis eligatur. — Caesar — Gubernatorem constituet Mathiam fratrem. — Corona Regia in Hungaria seruetur. — Caesar Hungariam per Hungaros gubernet. — Donationes Bocskaianae et corona, quam a Turcis accepit, antiquentur. — Transilvania omnis cum ea parte Hungariae, quam Sigismundus Bathorius obtinuit, et insuper omnis vltra Tibiscum ditio, simul cum arcibus Szakmar et Tokaio, Bocskaiio concedetur. — Si tamen nullos haeredes relinqueret, ea omnis ad coronam regni — reuoluantur. "Viennae Anno 1606. XXIII. Junii. Apud Istvánfy l. c. p. 517.

Illésházio reuerso, in Conuentu Cassoviensi Bocskaiiani praeliminaribus his articulis addi postularunt: ad 1-um in villis etiam liberum esse religionis exercitium, ne ad ciuitates restrictum videatur; deleri e contrario clausulam: absque tamen praedudicio religionis catholicae, et quidquid pro eius incolumitate statutum fuit. Ad quintum Episcopos Stephanum Zuhay Agriensem, ac Nicolaum Mikatziium odioso Camerae Regiae officio functos proscribendos esse. Ad quintum: Episcopos ex consilio Palatini, huicque adiunctorum denominandos venire. Episcopos vero titulares plane suprimendos. Reales vero honore Comitatum priuandos. Sedes Spirituales omnino antiquandas. Jesuitas incolatu ac bonis possessis exterminandos. Cum hac instructione Viennam repetiit Illésházio ablegatus.

72. *Famigerata pacificatio a Mathia A. Duce Austriae, paucis Hungaris praesentibus, Viennae cum Bocskaiianis confecta 24. Junii 1606.*

Nos Mathias, Dei gratia archidux Austriae, dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, et Wirtenbergae, comes Habsburgi et Tyrolis, etc. memoriae commendamus, — quod quum S. C. Rque Maiestas, dominus et frater noster obseruandissimus, ad singularem nostram intercessionem benigne condescenderit, et ad sopiendos in inclyto regno Hungariae exortos motus et tumultus, nobis totalem superinde plenipotentiam concesserit, prout etiam mediantibus tunc temporis S. C. Regiae maiestatis intimis aliisque consiliariis et commissariis, tractatus habitus, et denique etiam conclusus ab vtriusque partis commissariis, eorum subscriptione ac sigilli impressione confirmatus fuerit; quia tamen ex parte spectabilis et magnifici D. Stephani Bocskay de Kis Maria, et sibi adhaerentium Hungarorum, superinde nonnullae difficultates remansisse videbantur, ob quas reuidendas denuo M. D. Stephanus Illésházy de Illyésháza, comes comitatum Liptouiensis et Trinchiniensis, cum aliis sibi adiunctis nobilibus, Tho-

ma videlicet Vizkelethy, de eadem Vizkeleth, Andrea Oztrossit de Giletincz, et Paulo Apponi de Nagy Appon, huc ad nos cum sufficientibus plenipotentibus instructus, Viennam venerit: ideo nos ex praedicta plenipotencia, nobis concessa, in bonum rei pub. christianae, et pacis publicum, ac regni huius conseruationem (ne propriis et intestinis dissidiis conflagraret, atque ut tantae christiani sanguinis effusioni parceretur; vicina etiam regna et prouinciae a continuis incursionibus tandem liberari, et vna cum regno Hungariae respirare possint) benigne assensimus, vt difficultates illae, quae ex priori tractatu remansisse videbantur, denuo reassumerentur, tractarentur, et finaliter superinde concluderetur; prout etiam per illustres, spectabiles et magnificos, Paulum Sixtum Trautsonium, comitem in Falkenstein, L. B. in Sprechen, et Schrefenstein, dominum in Kaya, et Laa, haereditarium Marschalem Comitatus Tyroliensis; Carolum a Lichtenstein, de Niklasburg, Csernahor, et Biskupitz, marchionatus Moraviae generalem capitaneum; Ernestum a Molard, L. B. in Reineck et Drossendorf; archiducatus Austriae inferioris, regiminis locumtenentem; Sigefridum Christophorum Preiner, L. B. in Stübing, Fladnitz et Rabenstein, inferioris Austriae Camerae praesidentem; Thomam Erdödy de Monyorókerék, comitem perpetuum Montis claudii et Comitatus Varasdiensis, Tauernicorum, Georgium Thurzó de Bethlehenfalua, Comitem liberum et perpetuum de Arua, atque eiusdem Comitatus Aruensis supremum Comitem, dapiferorum, Sigismundum Forgach de Ghymes, comitem Comitatus No-gradensis, pincernarum regalium in Hungaria magistrorum; et Vdalricum a Kröembergk, in Neyvolok, S. C. maiestatis intimos et alios consiliarios, ad hunc tractatum adhibitos, in hunc, qui sequitur, modum vtrinque concordatum fuit: Ad primum articulum tractatus praeliminaris: Quantum itaque ad religionis negocium attinet: non obstantibus pro tempore constitutionibus publicis, sed neque articulo postremo anni 1604. (quum is extra diaetam et sine regnicolarum assensu adiectus fuerit; et propterea etiam tollitur) deliberatum est: vt iuxta S. C. Rque Maiestatis priorem resolutionem, ad quam se regnicolae in sua replicatione referunt, nimirum: quod omnes et singulos status et ordines, intra ambitum regni Hungariae solum existentes, tam magnates, nobiles, quam liberas ciuitates, et oppida priuilegiata, immediate ad coronam spectantia, item in confiniis quoque regni Hungariae milites Hungaros, in sua religione et confessione nusquam et nunquam turbabit, nec per alios turbari et impediri sinet: verum omnibus praedictis statibus et ordinibus liber religionis ipsorum vsus et exercitium permittetur; absque tamen praeiudicio catholicae religionis; et vt clerus, templa et ecclesiae catholicorum Romanorum intacta, et libera permaneant: atque ea, quae hoc disturbiorum tempore utrimque occupata fuere, rursus eisdem restituantur. — Ad quintum: Quod ambos Reverendissimos episcopos, Agriensem nempe et Varadiensem concernit: isti interim a regno abstinebunt, donec eorum causa decisa vel alias composita fuerit. Maneat iste quoque articulus antea conclusus. Ne S. C. Rque Maiestatis auctoritati et potestati quidpiam derogetur; in eius arbitrio relinquitur, episcopos, quos voluerit, eligere; nec tamen alii in consilium, quam qui episcopales suas ecclesias, vel alia iura episco-

palia habuerint, admittantur; et inter hos quidem et eorum, qui ex nobili prosapia oriundi, habiles sunt, condigna ratio prae caeteris; sicut ante, ita in posterum obseruetur, Sua C. et R. M. benigne curabit. Quae vero de episcopis, comitibus comitatum, in particulari recensentur, et vtrum huiusmodi persquae ecclesiasticae saeculares habere possint dignitates; id in futura diaeta rex et regnicolae concludent. Praepositurae tamen et abbatiae maneant in suo statu et fundatione. Ad septimum: etiam iste articulus confirmatur iuxta prioris tractatus conclusionem: quod maneant sedes spirituales. Si tamen in iisdem aliqui abusus inoleuissent, possunt illi in proxima diaeta coram Sua Maiestate et Statibus regni proponi, limitari, et emendari. Vbi similiter querelis de decimis, earumque abusibus rex et regnicolae component. Ad octatum: Hungari non consentiunt, quo Iesuitae in Regno Hungariae iura stabilia et possessionaria habeant, et possideant: Sua tamen Maiestas iuribus suis inhaeret. (caetera concernunt negotia secularia). Acta et conclusa sunt haec Viennae Austriae XXIII. die mensis Junii Anno 1606. Mathias. Paulus Sixtus Trautson. Ernestus a Mollard. Thomas Erdödi. Sigismundus Forgách. Carolus a Lichtenstein, Sigefriedus Christoph. Preiner. Georgius Thurzó. Vdalricus Krembergh. Stephanus Illésházy, Thomas Vizkelety. Andreas Ostrosith. Paulus Apponi.“ — In Corp. Iur. Hung. T. I. p. 643.

Rudolfus Rex tractatum hunc, vt sanguinis effusioni parceretur, inquiring, confirmavit Pragae Anno 1606. VI. Augusti; tergiuersato Bocskai, legatione tertium Stephano Illésházy, additis sociis iniuncta, qua petebat obscuriora puncta tractationis prioris, clariori explanatione ac forma verborum, iuribus regni magis accomodata, elucidarentur. Petitione hac irritatus Mathias respondit: Sibi non esse integrum, addere vel demere ex tractatu priore, caesareo chirographo et sigillo roborato, et apud imperii, vicinorumque regnorum et prouinciarum proceres diulgato, qui etiam hoc pacto confirmaretur a vicinis prouinciis datis reuersalibus; si quidem in ea lege assenserant, et obtulerant fide iussionem pro caesare, si nihil tractatui demtum fuerit, vel aliquid ei additum.“ Vti Bethlehem Wolfgangus e Révaio, a sacris Romanis alieno, perhibet: apud Katona Hist. Criticae Tomulo nono, ad annum 1606. p. 566. Et in pacificatione continetur expresse de persona Bocskaii: „Introductio autem in prouinciam et partes, sibi a Sua Maiestate concessas, fiat per commissarios Suae Maiestatis, quam primum omnia ab ipso Domino Bocskay et sibi adhaerentibus fuerint ratificata.“ Ea propter, postquam et Rudolfus et Mathias animaduertissent, nouos a Bocskaianis modos impediendae pacis necti, nouis ille literis perduellibus amnistiam concessit. Datis in arce Pragensi XXIV. Septembris anno Domini 1606; Mathias vero articulum primum de religione illustravit, protestatus: sicut omnia, in dicto tractatu bona fide acta fuerunt, ita etiam dictum paragraphum in verbis: absque tamen praeiudicio etc. vsque ad finem non mala fide adiectum esse; sed vt utraque pars in et cum religione, confessione, vsu exercitio, et temporibus non turbentur.“ Datum Viennae XXIII. Septembris Anno 1606“ vt infra.

73. *Mathiae Archi-Ducis de verbis: sine tamen praeiudicio religionis catholicae, non mala fide in tractatum subtrusis, declaratio. A. 1606.*

Nos Mathias — memoriae commendamus — quod cum spectab. ac magnificus Stephanus Bocskay de Kis Maria atque adhaerentium Hungarorum ablegati ac nuncii in tractatu, cum ipsis proxime concluso, super quorumdam articulorum correctione, ad-

ditione, et explicatione scripto singulari, die 9. mensis Septembris oblata supplicasset; ob certas vero causas illis expositas, huiusmodi correctionem, immutationem, aut additionem, tractatus hic, iam conclusus et a sua maiestate confirmatus, amplius non patiat; ideo nos ea omnia, quae propter paragraphum ultimum puncti I. in medium produxerunt, ad proximam diætam reuidentia, explicanda, et complananda remittimus, prout etiam in hoc Domini ablegati ex rationibus supra memoratis quoque consenserunt: Quod vero praedictum ultimum §. concernit, sicut omnia, in dicto tractatu bona fide acta fuerunt, ita etiam dictum paragraphum in verbis: absque tamen praecudio etc. vsque ad finem, non mala fide adiectum esse, sed ut utraque pars in et cum religione, confessione, usu, exercitio, et templis non turbentur. In cuius rei testimonium has literas propria manu subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus. Datum Viennae 23. Septembris Anno MDCVI-mo. "Battyányi Leges Ecclesiast. Tomo I p.

Hanc Mathiae protestationem subsecuta est Bocskaiarum, ac confederatorum e Bohemia, Moravia et Austria. Hungarorumque subscriptio; verum ex his Franciscus Forgácsius, Episcopus Nitriensis, nomine vniuersi cleri, solum foedus prouinciarum ratum habuit, caeteris capitibus, quod ingens religioni christianae catholicae praecudio crearent, intercessit; quod Rudolfo adeo probari videbatur, ut eum sedi Strigoniensi constituerit praeficere. Haec denique est illa celebris pacificatio Viennensis, quam aliqui compactata amant dicere, et si necessitate magis, quam, quae pactorum natura est, aequali partium libertate, coaluerit, a paucis Hungaris, et extra comitia confecta.

74. *Religionis catholicae in Croatia ac Slauonia libertas incontaminata. A. 1506.*

Georgius Stobaeus ad Simonem Bartulics, Episcopum Zagrabiensem. — Quod mihi gratulatus es, redditum ex Polonia meum, species est amoris, quo me prosequeris: de quo tibi singulares ago gratias, adeoque refero, idest: amorem amore compenso, quo te non minus diligo, quam me. Quae vero de pullulante Petriniae haeresi adscripsisti, iis de rebus studium, cura, diligentiaque tua mihi valde probatur. Siquidem interest Reipublicae christianae; interest episcopi, ut haeresum obsistatur initus. Itaque rem omnem ad Serenissimum Archi-Ducem retuli, qui ut est vere pius et catholicus, ita pia quadam indignatione motus: „volo, inquit, praefecto finium meis verbis mandari, sine mora Petrinensium militum audaciam compescat; nec modo haeresis exercitia inhibeat, verum etiam libros, haeresi aspersos, ex omnibus Petriniae angulis colligat, igni tradat, poenamque dicat siue verbo, siue facto haeresim porro professuris.“ Digna re, digna Ferdinando sententia, quam et tibi gratam, et rei catholicae isthic salutarem fore confido. Perge et me diligere, ac haeresim odisse. Quod si ad hanc eliminandam auxilio maiori opus esse existimabis, meque de eo certiore facies; id mihi prae ceteris maxime curae sollicitudinique erit. Deus te et patriae et episcopatus bene diu tueatur sospitem. Graecii XV. cal. Aprilis. Anno 1606. "Ratkay memorab. R. et B. lib. IV. p. 177.

75. *Sigismundus Rákoczy, Princeps Transilvaniae, Jesuitas, ab A catholicis, nulla eorum culpa, pulsos solenniter iustificat. A. 1607.*

Nos Sigismundus Rákóczi, D. gr. princeps Transilvaniae, partium Regni Hungariae Dominus, Siculorum Comes, etc. Significamus, — quod superioribus diebus R. P. D. Joannes Argentus, societatis Jesu antea in Transilvania prouincialis, in hoc regno Transilvaniae eam ob causam venisset, vt a nobis et subditis nostris in dicto regno nostro Transilvaniae et partibus Hungariae ditioni nostrae subiectis, impetraret, vt in priora residentiae suae loca, olim a D. Stephano, Rege Poloniae, magno Duce Lituaniae, ac principe tunc memorati regni Transilvaniae, fundata simul cum reliquis patribus ac magistris eius ordinis regredi liceret. Eam rem in comitiis generalibus, Claudiopoli ad 10. diem mensis Junii praesenti anno celebratis, diu multumque agitatam, numero et multitudine catholici ab aduersariis eorum superati, consequi non potuerunt; Vnde nos praesentibus nostris testificamur, eosdem patres societatis Jesu, vt bonos et morum integritate graues viros, ex suis collegiis, bonisque, non ob vllum delictum, aut notae alicuius vitium, verum ad instantiam romanae et catholicae fidei contrariam opinionem sequentium, esse deturbatos, exclusos, et in alia loca migrare coactos; prout testificamur harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in ciuitate nostra Kolosvár die 26. Junii anno 1607. Apud Kazy Lib. 1. p. 90.

Supplex Libellus est a Petro quoque Pazmány S. Jesu Sacerdote ac Theologo, Ordinibus Regni ac Mathiae Regi in defensionem eiusdem societatis porrectus. Poseni Anno 1608. V. nro 32. et 33. In MSS. Kaprinay tomo 58. sub B. p. 147—150.

76. *Similiter Status Catholici, ipsos contradicentibus se eliminatos, protestantur. Anno 1607.*

Nos subscripti in vnitae fidei catholicae Romanae Ecclesiae consentientes, regni Transilvaniae, partiumque eidem adnexarum tum incolae, tum in eadem, in iisdem possessionati, ad vniuersorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod nobis vnacum aliis sectariis, puta Lutheranis, Calvinistis, Arianis, aliisque priuatae opinionis assertoribus, non definiendae religionis causa, vel ad exterminationem societatis Jesu, verum pro tractandis aliis, cum priuatis tum publicis regni negociis, huc Claudiopolim, ad generalem diaetam congregatis, quum R. P. Joanne Argentus, eiusdem societatis sacerdos et in hac Transilvania Viceprouincialis, qui non pridem a Ser. Principe Stephano Bocskai, proprio arbitrio, absque regnicolarum consensu, violenter e bonis propriis et stabilitis residentis, cum sociis aliis, eie tus fuerat, defendendae propriae innocertiae causa, et intervenientibus etiam commendatitiis Ser. Principis et Domini. D. Mathiae Archi-Ducis Austriae etc. iuxta mentem SS. Maiestatis emanatis, eorum statibus et vniuersis ordinibus huius regni, in templo Arianorum ad longum auditus fuisset, suique aduentus causam, innocentiam, doctrinae veritatem, morum integritatem abunde demonstrando iustitiam

implorasset; et, si qui essent, qui his contrarium cum rationibus, tum veris testibus docerent, prodire flagitasset: id ipsum nos omnes catholici ab aduersariis, contra Patres societatis tantum mutua coniuratione vnitis, postulassemus, quod videlicet, indicta causa, nullis testibus, conuicti, e propriis sedibus et bonis patres societatis non modo non exturbarentur; verum contra omnem aequitatem a Ser. Principe Bocskaiio eieci, suis locis, iuribus, et liberis catholicae religionis exercitiis restituerentur. Vbi aduersarii se causam desperatam tueri, nec rationibus, aut aequitate quicquam se consequi posse animaduertissent; obstinata pertinacia et tumultuario clamore in id consensissent, vt patres societatis ex hac prouincia eliminarent: cui sententiae, vt contra aequitatem et communem iustitiam, quae sua cuique reddi, nec quemquam inauditum, non conuictum, non sententiatum damnari iure posse, postulat, subscribere haud potuimus; verum omnium nostrum nomine, tam praesentium quam absentium catholicorum, fratrum, successorumque nostrorum de hac indigna, inaudita, iuribusque regni contraria sententia, in publica diaeta tam coram vniuersis contrariis statibus, et ordinibus regni, quam coram ipsomet moderno principe nostro, illustrissimo D. Sigismundo Rákóczy, adiunctisque consiliariis, solemniter protestati, eidem contradiximus, nunquam huic sententiae, patrumque societatis Jesu electioni, honorum, iuriumque eorumdem ablationi consentire volentes; si quidem a piis, legitimisque huius regni Principibus fundationes suas, priuilegia sua, confirmationesque habeant; neque alicuius vel leuissimi criminis, cur ea de iure amittere potuissent, vnquam conuicti fuissent; prout contradicimus praesentium per vigorem. Datum Claudiopoli 20. Junii, anno Domini 1607. Franciscus Daróczy, de Deregnyö, S. C. et R. M. Consiliarius; Balthasar Kornis, consiliarius Illmi Principis, Balthasar Szilvásy, consiliarius Illustris Principis; Ludouicus Trausner Kolosvárius, de Hadreno, illustr. Principis Trans. consiliarius, et in sede iudicaria praesidens; Sigismundus Kornis de Ruska; Benedictus de Mindszenty, Comes Comitatus Dobok, Sigismundus Sarmasághy, Comes Comitatus Tordensis; Pancrátius Sennyei; Stephanus Huszár, Petrus Bánfy de Losontz, Joannes Kálnaky, Clemens Beldý, Blasius Kamuti, Gregorius Bornemisza, J. V. Doctor, et sedis Iudicariae Ill. Principis assessor; Simon Lody, Paulus Kontz, Ladislaus Kraynik, Georgius Nagy, Michaél Bessenyei.“ — Ibid. p. 99.

Haec iam fuit illa libertas conscientiae, quam Bocskaius soli Deo omnipotenti subiectam, se armis suis procuraturum, contra legitimum Principem, edixit; solis catholicis negata. Haec fuit liberum, quod Szerencsini, indictis comitis, Catholicis, Lutheranis et Calvinianis, concessit religionis exercitium; Socinianis et Anabaptistis negatum. Haec fuit quies et tranquilla omnibus promissa consistendi facultas; innocens Jesuitis subtracta. Rudolphus vim intulit conscientiae nullius; liberum exercitium turbavit nemini; iuribus et bonis exterminavit neminem; tamen ille Tyrannus, Bocskaius orthodoxae religionis, liberae professionis, ac iustitiae vindex!! V. Istvánfy lib. XXXII p. 502—505.

77, *Decreti, a Mathia Rege ante ac post Coronationem, in confirmationem purificationis Viennensis editi, articuli religionem et ecclesiam Catholicam concernentes. Anno 1608.*

Decreti ante coronationis Posonii anno 1608. Art. 1. „Quantum

ad primum constitutionis Viennensis articulum attinet; deliberatum est per Status et Ordines Inclyti Regni Hungariae: Vt Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus, Nobilibus, quam etiam liberis ciuitatibus, ac vniuersis statibus et ordinibus regni in suis, ac Fiscis bonis, item in confiniis quoque regni Hungariae, militibus Hungaris, sua cuique religio, et confessio; nec non oppidis, et villis eam sponte, ac libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur. Nec quisquam omnium in libero eiusdem vsu ac exercitio, a quoquam impediatur. Quin imo ad praecauenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones; vt quaelibet religio suae professionis superiores, seu superintendentes habeat, statutum est. — Art. 6. „Ad sextum: Manet hic articulus secundum primi tractatus conclusionem. Vtrum autem Episcopi saeculares in regno habere possint dignitates: id nunc Regia Sua Maiestas durante adhuc hac dieta, cum Regnicolis concludet. Hoc tamen etiam num addito, ne tales Episcopi, qui resistentias suas Episcopales in suis Ecclesiis, vel iura possessionaria episcopalia in regno non habuerint, ad consilia admittantur. — Art. 7. Ad septimum: Manet quoque articulus de sede spirituali antea conclusus, prout in Viennensibus articulis vberius est specificatus. Hoc addito: quod hic articulus, statim post coronationem, per Regiam Suam Maiestatem et regnicolas complanetur, et in ordinem redigatur. — Art. 8. „Hic quoque Articulus de Jesuitis in vigore suo permaneat: Nimirum vt ipsi, nulla in regno Hungariae bona stabilia, et possessionaria habere et possidere valeant.“

Exclusa, in quam prius vtrinque per pacta Viennensia conuentum erat, praerogatiua, absque tamen praeiudicio catholicae Romanae Religionis, ab ipso regni ortu, legibus stabilitae, longa acrisque contentio exorta est: Episcopi cum non paucis Magnatibus, ingens religioni catholicae dispendium inferri contententes, scripto, Mathiae porrecto, intercessere, ac totius Ecclesiastici Status nomine protestati se legi, qua promiscua religioni libertas conceditur, nunquam consensuros, nec consentire posse. Hoc decreto bellum etiam, quod Bocskaius ordini Jesuitarum indixerat, est in Hungariam propagatum, ac maiori contentione, quam contra ipsos Turcas depugnatum; repugnarunt Jesuitae: tandem articulus hic inuictus declaratus (vide rubricam Juris Hung. in hunc articulum) societas collectiuo nomine, pro recepta in Hungariam et partes eidem annexas, atque stabilita decreto, anni 1687. art. 20. Imo et sessio ac votum in regni comitiis eidem concessa. Anno 1715. art. 73. — Pacata hac parte Hungaria nouos concitauit contra catholicos motus Georgius Thurzó, Illésházio in Palatinatu suffectus, suis Lutheranis Conuentu Zolium indicto: huius conuenticuli etiam actis idem Franciscus Forgách Cardinalis et Primas Hungariae solemniter intercessit. Posonii 17-ma April. 1610. vtque validius ei scutum opponeret, Synodum Tyrnaviae celebravit. Anno 1611.

Post coronationem 1608.

Art. I. Quoniam ex pluralitate personarum per Suam Maiestatem Regiam ad generalem regni conuentum nonnullae aliquando inaequalitates emergere consueuerant; idcirco ad abolendos quosuis defectus, et difficultates, quae sub nomine Statuum et OO. regni nonnunquam irrepserunt, visum est Regnicolis, concludere, quinam sub nomine Statuum et OO regni, intelligi, quae per Suam Maiestatem Regiam ad publica regni comitia per suae M. regales vocari, et vota sua in publica regni dieta

habere debeant. Cum itaque Regni Vngariae Status et OO. ex quatuor conditionis regnicolis, nempe Praelatis, Baronibus seu Magnatibus, Nobilibus, et liberis ciuitatibus constent, ideo regnicolae sub praesenti regni diaeta decernunt, ne Sua M. R. praeter hos Ordines quempiam in generalem regni diaetam, per regales suas literas aduocari faciat. Praelatorum autem statum hunc esse volunt: vt quicumque Episcoporum capitulum suum cum Praeposito suo, sub sua iurisdictione episcopali, aut loco residentiae suae habuerit, extunc idem Episcopus in conuentu Dominorum Praelatorum et Baronum, pro sua persona propria locum et votum, habeat. Nomine autem capituli, Praepositus vna cum capitulo, inter regnicolas, pari ratione vnam et coniunctam vocem habeant. Demum Praepositi, qui nulli immediate Episcopatus subiacent, sed absoluta suae Praepositurae annexa habent capitula et conuentus, isti etiam a suis capitulis et conuentibus non distinguantur, sed pariter vnice coniunctam vocem habeant. Denique si qui praepositorum et Abbatum infulatorum et priuilegiatorum essent, qui sua iura possessionaria praepositarum et Abbatiarum in regno habuerint, iisque potirentur; ii quoque sub nomine Statuum et OO. regni comprehensi vocem suam inter Regnicolas, iuxta constitutiones Viennenses habeant. Sic generali quoque Ordinis Diui Pauli primi Eremitae vna vox concedatur.“ — E corpore Juris Patrii.

Ipsa haec Episcoporum, Canonicorum, Abbatum et Praepositorum ad comitia euocandorum numeri restrictio, vota illorum non passiuia, sed actiua fuisse, manifestissime prodit. Decretum vero Synodale: ne uni eidemque personae plura conferantur beneficia ecclesiastica, ne votorum numerus minuatur.“ (Péterffi Conc. P. II. p. 317.) palam loquitur. Illa a primordio per euocationem fuerant exercita: vti patet ex Epistola Joannis de Hunyad, Gubernatoris ad Papam. Epist. XXVIII. Ex Joannis item Bárson episcopi Quinque-ecclesiensis expostulatione, vt infra. Mox per liberam vnicuiusque interlocutionem viguit: vt legalis comitiorum ordo de anno 1764. perhibet (apud Steph. Kaprinay Hist. Dipl. Part. I.) „Dum propositiones Regiae discutiantur, vnicuique ex nunciis integrum est, suam libere promere sententiam; rarissime ad vota imo fere nunquam proceditur; sed quo potior Nunciorum pars discedit, eo etiam reliqui inclinantur.“ — Caeterum si inter ipsos aliqua controuersia oriretur, quae non facile componi posset, lege Vladislai II. decreti II. art. 25. cautum est: vt Janitorum Regalium Magister, imposito omnibus silentio singulorum suffragia exquirat, vt vel sic per sententiam partis sanioris ad vnionem et concordiam reducatur.“ — Ast huiusmodi usus in Comitibus nullum est vestigium: maluerunt rem controuersam, in quam consentire potioritate votorum nequibant, in medio relinquere, aut re infecta discedere. In electione Palatini fuerat votizationi expressae nonnunquam locus: ast hac quoque occasione capitulis sententiam dicere integrum fuit: „Primas Regni (ita loquuntur acta diaetalia anni 1681. Sess. XXII.) et Archiepiscopus Strigoniensis, primam suam vocem pro Paulo Comite Eszterházy, tum idem factum est per omnes praeter Capitulum Segniense, ac Ciuitatem Segniensem, qui vota sua in Nicolaum Erdödi Comitem Banum direxerunt.“ Nuncii proin Comitatus essentialem status Ecclesiastici praerogatiuam et ius adorti sunt, quum ab anno 1825. Capitulum, Abbatum, ac Praepositarum vota insuper habere, controuertereque coeperunt; ipsamque quin libertatem regni, quae sine iustitia impossibilis est, subruere moliantur, dum arroganter, ac despotice illa deualuare contendunt.

Hic quidem Jesuitae, inter euocandos, ac vno voto in comitiis praeditos non comparent, ast ipsos nihilominus euocatos fuisse, proin contradictionem cassam haud fuisse, docent sequentes Mathiae Regis euocatoriae.

78. *Idem Mathias ad diaetam sui coronationalem, Patres Societatis Jesu Ponium euocat. Anno 1608.*

Mathias Dei gratia designatus in Regem Bohemiae, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis, et Regni Hungariae Gubernator. Venerabiles ac discreti, sincere nobis dilecti. Probe vobis constare non dubitamus, qualiter sacra Caesarea Regiaque Maiestas, Dominus et Frater noster obseruandissimus, haud pridem, cum nos conuentum Ponium ageremus, Generalem diaetam Statibus et Ordinibus regni istius Hungariae, clementer indixerat, atque eotum communi Regnicolarum voto decisum fuerat, ac determinatum, vt cum praedictus conuentus Poniensis, propter sedandos Haidones praecise et immediate indictus ac promulgatus dissolui minime posset, ac deberet; aliam nos in regno isto diaetam vigore earundem literarum Suae Maiestatis, quandocunque necessitas ingrueret, indicere ac promulgare possemus ac deberemus; interea vero nonnulli pacis et concordiae inimici, non defuerint, qui dictum tractatum Poniensem, articulos Viennenses, atque adeo pacem Turcicam, magnis sane nostris curis, negociis et impensis procuratam infringere, annihilare, et nouos subinde motus, in vicinis prouinciis, excitare, simul etiam patriam istam afflictissimam, in primas suas miserias et calamitates denuo conicere conabantur. Quibus, vt in tempore obuiam iremus, atque hoc modo salutem et permansionem omnium tueremur, summa necessitate coacti, profectionem nostram in regnum Bohemiae institueremus. Cum igitur in hoc ipso negotio tractatum cum sacra Caesarea, Regiaque Maiestate, Domino et Fratre nostro, obseruandissimo habentes, eadem Sua M. sponte et vltro, propria et fraterna sua erga nos affectione, regni huius Hungariae fasces et gubernacula nobis plenarie cesserit, et sacrum quoque Regni Hungariae diadema cum omnibus suis clenodiis transcripserit, et assignarit, atque in horum euidentius documentum ac certitudinem, vti sua Maiestas ab illo iuramento, quod tempore inaugurationis et coronationis suae in regem Hungariae solenniter praestiterat, semet ipsam exoneravit, alleuiavit, et exemit; ita quoque vniuersos fideles suos subditos Hungaros, Dominos videlicet Praelatos, Barones, Magnates, Nobiles, caeterosque Status et OO. eiusdem regni Hungariae, Regnorumque, et partium sibi subiectarum, et annexarum ea conditione, vt eorum iuramento, super seruanda sibi fide, et fidelitate, clementer liberavit, enodavit, absoluit, curamque omnium eorum deposuit, et liberos pronunciauit; quatenus nostram personam, secundum eiusdem ad SS. et OO. scriptam recommendationem, in futurum suum Regem acceptare, proclamare ac coronare, possint ac valeant. Nobis autem nihil vnquam magis curae et sollicitudini fuerit, quam vt regnum hoc amplissimum tandem in omnibus felicitatem et tranquillitatem suam pristinam consequatur. Idcirco summe necessarium esse duximus, generalem in regno isto Hungariae diaetam ad XXIX. diem futuri mensis Septembris Ponium vigore praetactarum literarum Suae Maiestatis indicere ac promulgare, ibique de omnibus supra narratis et aliis ad eadem pertinentibus, imprimis vero penitus stabilienda regni pace, et tranquillitate, vberius tractare, ac concludere, eaque quamprimum effectui dare. Quo circa, vos hisce

benigne hortamur, et requirimus atque etiam vigore oblato a regno isto, et ad vestri omnium instantiam, suscepti officii Gubernatoris, harum serie firmiter committimus et mandamus, vt cum sacra Caesarea Regia Maiestas omnem curam et gubernationem regni istius a se remouerit, deposueritque ad praedictum diem, et locum speciales vestros homines, dexteritate instructos, et rerum gerendarum peritos, ac tot et tales e medio vestri personas eligere plena cum instructione et auctoritate omnino mittere, et ablegare velitis, ac debeatis, quibuscum de his seriis et arduis, totum regnum concernentibus negotiis, in publicum consulere, ac bono fine determinare possimus ac valeamus. Datum in ciuitate nostra Vienna XXIX. Mensis Iulii, anno 1608. Mathias m. pr. Fran. Nagymihályi m. pr. — Titul. Venerabilibus ac Discretis N. Patribus Societatis Jesu collegii Selliensis, Nobis dilectis.“

MSS. Heueneſi Tom. VIII. 117—119.

79. *Memorialia Praelatorum Hungariae data Matthiae II. Regi Hungariae circa libertatem Religionis. A. 1608.*

Serenissima Regia dignitas Domine Clementissime! Quamquam nihil antiquius, aut magis in votis habet afflictus Ecclesiasticus status Hungariae, quam vt secundum Deum Maiestati Vestrae obsequatur, eiusque nutum ac voluntatem, qua par est, veneratione suspiciat, sequaturque: quia tamen fidelitatis, ac debiti obsequii ea quoque potissima pars est, vt Ecclesiastici, quorum curae, ac iudicio animarum salus concredita est, quae legibus diuinis aduersantur, pro virili parte aduertant, legibusque Ecclesiae nutriciis, quae animae ipsorum salutaria sunt, ea qua par est, submissione suggerant. Idcirco Maiestati vestrae significandum censuimus, posse quidem Maiestatem vestram passim grassantes, et saeuissime omnia depascentes in Hungaria haereses impunitas tolerare, sisaniaque ad messem vsque crescere sinere, quando euellere illas aut omnino aut certe sine grauiori, periculosiorique motu, non potest; tamen legibus, ac articulis liberam, ac patentem haeresibus portam patefacere, earumque liberi exercitii defensionem patrocinum protectionemque suam promittere non magis posse, quam possit homicidiorum, aliorumque lege diuina interdictorum scelerum libertatem concedere, protectionemque promittere. Siquidem non minus graue vitium est haeresis, quam caetera diuinis legibus interdicta flagitia; quae omnia diuinae scripturae, rationisque ipsius naturali ductu comprobati a nobis liquido possunt. Ex quo illud est consequens, vt quoniam Sancto Apostolo Paulo docente cognouimus: non licere mala facere, vt eueniant bona, nullo quantumuis graui, ac periculoso urgente casu, nullo cuiusuis boni publici praetextu, nullo quantumuis graui metu falsae religionis libertatem et protectionem legibus sanciri posse. Atque ideo vt externa taceamus, pii Reges Hungariae S. Stephanus, S. Ladislaus, Bela, et alii, coronas vitasque suas saepe in discrimen adduxerunt, ne huiusmodi defectioni a veritate subscriberent. Et Arcadius Gaynae Ariano petenti libertatem suae sectae, iacturam imperii se facere malle dixit, quam petitioni aquiescere, eiusque constantiam Deus probari sibi mirabiliter declarauit. Nam vt Sosomenus libro 8. cap. 4. recenset, cum ir-

ritatus Gaynas nocte concubia imperiale Palatium violentus aggreditur, Angelorum excubiis deterritus, terga vertit. Nec est quod percenseamus, vel infelices exitus eorum, qui regnandi desiderio libertates religionum approbarunt, vel calamitates Regnorum, quibus hac eadem libertate inuoluta sunt, vel praeiudicia grauissima, quae veritati catholicae concessionibus istiusmodi generata, vel denique quam difficile sit libertatem semel concessam, legibusque illatam, rescindere, quam multa animarum millia hac concessione pereant, quarum rationem Deo reddendam scimus, quam denique pudendum sit, Principes Lutheranos, ac Calvinianos nullam in suis ditionibus religionem tolerare praeter suam; interea vero catholicae veritatis propugnatores patentem erroribus viam complanare. Quae cum ita sint, Maiestatem Vestram obsecramus per misericordiam Dei, per animae salutem suae, per inclytæ domus Austriacæ illibatam fidem, per aeternum posteritatis de Maiestate vestra iudicium, vt hanc libertatem Religionis, omnibus legibus regni nostri contrariam concedere, articulisque inscribi non patiatur, sed contenta sit Maiestas vestra tolerare, quod corrigere non licet, si vero (quod absit) Maiestas vestra aliter — faciendum statuerit, nos omnes ac singuli Praelati, capitula, conuentus, caeterique omnium ordinum status Ecclesiastici in Hungaria coram diuina Maiestate, gloriosissimæque virgine Maria, omnibusque choris Angelorum, ac Sanctorum Dei, item coram Maiestate vestra, ac toto mundo protestamur, ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, nec consensurum deinceps in hanc libertatis concessionem atque adeo ante tremendum diuinæ iustitiæ tribunal rationem animarum, quae occasione huius libertatis aeternae damnationi adiudicabuntur, a se transcribere. Rogamus vero Maiestatem vestram, vt hanc nostram protestationem, benigne ac clementer suscipere dignetur, Deus enim qui corda scrutatur et renes testis est, nullo alio fine, haec nostra reclamatio, ac protestatio a nobis profecta est, quam vt nostrae imprimis, quos Deus animarum saluti procurandae praefecit, deinde vero etiam caeterorum conscientiae ac saluti consuleremus. De caetero Maiestatem vestram diu, feliciterque, ac digne Deo imperare, votis omnibus, ac sacrificiis contendimus. Serenissimæ Regiæ Maiestatis vestrae capellani ab vniuerso statu Ecclesiastico ad subsignandum delecti.“ Locus IV. Sigillorum. — L. 9. SS. Indidem.

80. *Breue Apostolicum Pauli V. PP. ad Praelatos Hungariae datum, vi cuius probabilius praemissa Praelatorum protestatio interposita denuo est. A. 1608.*

Dilecto filio nostro Francisco S. R. E. Praesbytero cardinali Strigoniensi nuncupato, et venerabilibus fratribus Episcopis ac dilectis filiis Praelatis Regni Hungariae. Paulus Papa V. Dilecte fili noster, et venerabiles fratres, ac dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem. Vestram afflictionem, et pressuram, quam pro Ecclesia Dei sustinetis, et moerorem, in quo versamini, vestraque incommoda cum summo animi nostri dolore intelleximus. Verum tamen Deo omnipotenti summas gratias agimus, qui parem zelum, atque constantiam tam grauibus molestiis, atque detrimentis, quibus affecti estis, vobis dedit. Aperte enim ex litteris vestris cognouimus

fortitudinem, et religionem vestram cum summa prudentia coniunctam, cum a nobis quaeratis, quid vobis agendum sit, vosque promptos, paratosque paternis nostris admonitionibus exhibeatis. Primum quidem virtutem, et pietatem vestram, ut par est, summopere laudamus, et ut persistatis, vos etiam atque etiam hortamur, deinde vos monemus, concessionem a Rege factam nullam, et inuvalidam esse, nec vos ad earum observationem villo pacto teneri. Praeterea quia articuli illi perniciosissimi praeferunt in titulo, et conclusione vestrum nomen, cum detrimento vestrae famae, sicuti apud nos questi estis, debetis publica scriptura Regi directa, quae damnationem articulorum contineat, hanc imposturam detegere, et rei veritatem, ad fidei catholicae tutelam, et Ecclesiastici iuris conseruationem manifestare. Nos interim orationibus nostris nunquam cessabimus Dei misericordiam in vestrum auxilium implorare, nihil unquam praetermissuri, quod in hac causa praestare possimus, quemadmodum nec antea praetermisimus de iisdem rebus cum Rege diligenter agere. Interim benedictionem nostram apostolicam vobis ex intimi nostri cordis visceribus impartimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris S. Calendas Maii MDCVIII. Pontificatus nostri anno quarto." Indidem.

SI. *Mutua obligatio et firma compromissio Praelatorum et Capitularum de tuendo in diueta anni 1608. Religionis negotio.*

Nos infrascripti Praelati, capitulares, caeterique Status Ecclesiastici Hungarici legati Posonium congregati. — Memoriae commendamus, quibus expedit vniuersis. Quod cum grauissima superiorum annorum tempestate Religionis catholicae, Ecclesiasticique ordinis statum adeo labefactatum, ac propemodum euersum videremus, in diesque maiori conatu aduersariorum oppressum iri intelligeremus, ne aliquam in nobis officii partem desiderari pateremur, Deique, ac Religionis causa defuisse videremur, huc Posonium conuenimus, ut diuina ac humana auxilia quanta maxima fieri posset diligentia conquireremus, Religionisque ac Status nostri incolumitati consuleremus; quia vero probe intelligimus, collectis omnium consentientibusque animorum votis plurimum effici posse; dissipata vero, concordiaeque bono destituta consilia inuvalida esse, ac inefficacia; idcirco ante omnia paribus omnium suffragiis decreuimus, nos omnes praesertim in proxime futuris comitiis in iis omnibus, quae ad Religionis catholicae promotionem, bonorum Ecclesiasticorum, quae inscripta fuerunt, recuperationem, dignitatumque Ecclesiasticarum personarum, bonorumque defensionem, spectant constanter, et incorrupte idem omnino sensuros, ac dicturos, nullaque spe, aut metu, nullis promissis, aut minis auelli nos passuros, ut priuatim vel publice in causis praedictis quidquam consensu nostro geratur, quo Religionis, ac Ecclesiastico statui, siue priuatim, siue in communi possit incommodare. Quod ut bona fide, ac sancte a nobis statutum, inuolateque seruandum omnes intelligant, manus nostrae subscriptione, sigillique consignatione roborandum censuimus. Actum Posonii vigesima octaua Augusti anno domini millesimo sexcentesimo octauo. L. 24. SS.

82. *Paria transumpti Capituli Poseniensis super protestatione Status Ecclesiastici circa Religionis negotia, coram eodem capitulo anno 1608. facta.*

Nos Capitulum Ecclesiae Poseniensis memoriae commendamus per praesentes, quibus expedit, vniuersis, quod nos literas Illustrissimi Spectabilis ac Magnifici domini comitis, Sigismundi Forgách de Ghymes, Iudicis Curiae sacratissimi principis, et domini domini Mathiae Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, etc. Regis, Archiducis Austriae, ducis Burgundiae etc. domini nostri clementissimi, nec non partium Regni Hungariae superiorum Generalis, ac Comitatum Neogradiensis, Sarosiensis et de Sabolcs Comitatus, domini, ac Patroni nobis obseruandissimi requisitorias, pro parte Illustrissimi, ac Reuerendissimi domini Petri Pázmán Archiepiscopi Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, Primatis Hungariae, sanctae Sedis Apostolicae legati nati, praefati sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis summi Secretarii, Cancellarii et Consilarii, Domini, et Praelati nostri colendissimi clause confectas et emanatas nobis hortatiue sonantes et directas honore ac reuerentia quibus decuit accepimus in haec verba.

Amicis suis Reueren. venerabili capitulo Ecclesiae Poseniensis Comes Sigismundus Forgách de Ghymes, Iudex Curiae et Consiliarius Sacratissimi Principis et domini domini Mathiae Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, ducis Burgundiae, nec non partium praescripti Regni Hungariae superiorum Generalis, ac Comitatum Neogradiensis, Sarosiensis et de Sabolcs Comes, salutem et amicitiam paratam cum honore. Expositum est nobis in persona Illustrissimi domini Petri Pázmán Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem Comitatus perpetui, Primatis Hungariae, legati nati, praefatae Sacrae Caesareae, Regiaeque Maiestatis, Summi Secretarii, Cancellarii, et Consilarii; qualiter superioribus temporibus in certa quadam diaeta, siue congregatione generali vniuersorum statuum, et ordinum praefati Regni Hungariae status Ecclesiasticus quamdam contradictionem, et reclamationem de, et super certis quibusdam articulis, in eadem Regni congregatione propositis in et coram vobis fecisset, et celebrasset, cuius quidem contradictionis, siue reclamationis paria, in ista sacristia, siue conseruatorio memoratae Ecclesiae vestrae more solito deposita essent, locataque haberentur, quibus praenotatus dominus exponens ad praesens plurimum indigeret, essetque necessarium. Pro eo amicitiam vestram harum serie hortamur, et nihilominus autoritate nostra Iudiciaria, qua fungimur, requirimus diligenter, quatenus praescripta paria annotatae contradictionis, siue reclamationis, modo premissa factae, et celebratae in prememorata sacristia siue conseruatorio antedictae istius vestrae Ecclesiae diligenter requiri, et reinueniri faceretis, requisitarum et reinuentarum tenorem in transsumpto literarum vestrarum sub sigillo istius vestri capituli authentico memorato domino exponenti iurium ipsius futuram ad cautelam dolo et fraude quibusuis semotis, extradare modis omnibus debeatis, et teneamini

communi suadente iustitia, secus non facturi. Datum Poseni die 27. mensis — —
Anno domini 1608.

Vnde nos praemissis Iudicialiis hortationibus, et requisitionibus, praefati domini Iudicis Curiae, praescripta autoritate sua iudiciaria, qua fungitur, nobis diligenter factis, in omnibus prout debemus, obtemperare, et satisfacere cupientes, praescripta paria annotatae contradictionis, siue reclamationis modo praemisso factae, et celebratae in memorata sacristia siue conseruatorio huius Ecclesiae nostrae diligenter requiri et reinueniri fecimus huiusmodi sub tenore.

Nos Capitulum Ecclesiae Poseniensis memoriae commendamus per praesentes, quibus expedit vniuersis: quod Illustrissimi ac Reuerendissimi domini Franciscus Forgách de Ghymes Presbiter Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae, Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Demetrius Napragy Archiepiscopus Colocensis, et Bacsensis Ecclesiarum, Canonice Vnitarum, Administrator Episcopatus Ecclesiae Jauriensis, locorumque eorundem comes perpetuus. Frater Simeon Bratulich Zagrabiensis, Prior Generalis Fratrum ordinis B. Pauli primi Eremitae, Nicolaus Micatius Varadiensis et Franciscus Ergelius electus Quinque-Ecclesiensis, Ecclesiarum Episcopi, et Consilarii Regiae Maiestatis. Item Admodum Reuerendi et Venerabiles, Joannes Telegdius maior Strigoniensis, Mathias Heronitius Albae-Regalis, Ladislaus Májthéni de Kesseleökeö vtriusque Budensis Praepositi, Georgius Himmelreich Archi-Abbas S. Martini Sacris Montis Pannoniae, Paulus Ruber Saghensis, et S. Thomae, Joannes Pyber Sacratissimae Trinitatis de superioribus calidis aquis, vulgo Felhö-viziensis, et canonici dictae Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Ladislaus Habardy conuentus S. Crucis de Lelesz Praepositus, Cantor, Andreas Heginus Praepositus minor B. M. Virginis, canonici Agrienses, Georgius Ottautius Archidiaconus Cathedralis, et Nicolaus Jelkoczy Canonici Zagrabienses, Ladislaus Hoszszuthóthy Praepositus, Andreas Andaházy Pro-Lector, Blasius Syeulus Canonici Scepusiensis, Joannes Ivanoczy Praepositus maior, Joannes Atabak S. Adalberti Praepositus et Canonici Jaurinenses, Paulus David Lector, et Canonicus Ecclesiae Nitriensis, Stephanus Chemetey Praepositus castriferrei, Andreas Karoll alias Vasváry Praepositus maior Wesprimiensis, Petrus Kalli Praepositus Conuentus Sancti Michaëlis de Chorna, et Thomas Fwdei Abbas Pilisiensis, nostram personaliter venientes in praesentiam, per modum solennis protestationis, contradictionis, et reclamationis, imprimis causa liberae Religionis, vt in fine eiusdem Articuli de Superintendentibus contra antiquas constitutiones et libertates Archidiaconorum. Item septimi Articuli constitutioni Vngaricae Tractatus Viennensis de sede Spirituali quaecunque questiones contra praerogatiuam, libertatem, leges et Articulos decreti, vsu continuatos, concernerent; sic etiam de sexto Articulo, quo auctoritati dominorum Praelatorum non possessionatorum, vel Residentia carentium, derogaretur, vel Comitum officio aduersaretur, sic quoque de octauo de Patribus Iesuitis. Item quia ipsi domini Barones, et regnicolae de medietate decimarum colonorum Turcico iugo subiectorum, vt quemadmodum medietatem diccae persolvere te-

nentur; sic et medietatem decimae, non autem totam. Item quod contra antiquos articulos Ferdinandi Imperatoris in decreto Soproniensi anni millesimi quingentesimi quinquagesimi tertii, articulo octauo, et aliorum decimas ipsis Ecclesiasticis personis non secus diuendere liceat, quam ante annos quinquaginta. Et si qui alii in tractatione ista moderna contra Statum Ecclesiasticum, ac libertates, praerogatiuas, et consuetudines eiusdem, longo vsu obseruatas, et roboratas ab ipsis Dominis Regnicolis prioribus statutis et decretis contrarii statuerentur, vel per Regiam Majestatem confirmarentur, protestan. contradixissent, et reclamassent, imo contradixerunt et reclamantur coram nobis publice, serio et sollemniter ad superiores appellacionem petent. Nam contra iuramentum eorum super non dilapidatione honorum, et prouentuum Ecclesiarum praestitum contraque Sanctorum Canonum constitutiones a priscis temporibus semper obseruatas, nulla ratione se in alias constitutiones prioribus derogantes, consentire posse idem status aperte confirmat. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum feria sexta proxima post festum Beatae Elisabethae viduae anno domini millesimo sexcentesimo octauo. Requisitarum itaque, et reinuentarum tenorem in transumpto praesentium litterarum nostrarum sub sigillo nostro capitulari authentice; memorato domino exponenti Jurium eiusdem futuram ad cautelam, dolo et fraude quibusuis semotis modis omnibus extradidimus, communi suadente iustitia. Datum feria secunda proxima post dominicam misericordia anno domini millesimo sexcentesimo decimo octauo supra scripto." Locus 24. Sigillorum.

Indidem.

83. Paulus Papa V. Mathiam Regem Hungariae, vt redditus bonis ab haereticis occupatis, quam primum Collegium Sellyense S. Jesu instaurari curet, admonet. Anno 1609.

Ibid. nro 31. p. 149.

Mathias II. R. H: mandat ciuitati Szokolczeni, vt haereticum concionatorem e ciuitate sua exigant, nec haeresim disseminari sinant. Dat. Viennae 28. April. A. 1609. — MSS. Kaprinay sub B. Tom. XIX. nro 13. pag. 93. — Actum agunt proin, qui Mathiam suae secessionis patronum, vt diplomatarii Euang. auctor, faciunt

84. *Constitutio Archiepiscopalis aduersus Pseudo-Synodum Solnensem, superintendentesque A catholicos. A. 1610.*

Nos Franciscus Forgách de Ghymes S. R. E. Presbyter Cardinalis Archi-Episcopus Strigoniensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Primas Regni Hungariae, Legatus natus, summus cancellarius, et Secretarius, ac Sacrae Regiae Maiest. Consiliarius etc. Cum nos licet immerentes diuina bonitas Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensi praeficere dignata sit, omni studio adnitendum nobis intelligimus, vt quantum iniquitas temporum patitur, ouibus Christi, curae nostrae commissis a Principe Pastorum, ita consulamus, vt rationem reddituri de animabus lupos ab ouiaro Christi, etiam corporum nostrorum obiectu arceamus, assiduaque vigilantia excubantes, velut

in specula constituti, pericula eisdem denunciemus. Quia igitur superioribus diebus eoque audacia illorum, qui concionibus miseram plebeculam in errorum laqueos inducunt, progressa est, ut coitionem quandam in oppidum Solnam indicerent nouo, ac antea in Vngaria inaudito exemplo, suae Lutheranae professionis superattendentes eligerent, a quibus deinceps caetera ministrorum turba initiaretur, leges denique ac decreta figerent, communi iustitiae, legibus patriis, Ecclesiasticae libertati, sacris canonibus, Dei decretis contrarias, committere sine animae nostrae discrimine non potuimus, quin palam ac publice omnibus illis conuenticuli actis ac decretis, tanquam animarum aeterno exitio, communique iustitiae exterminandae natis, contradiceremus. Principio ergo, non sine plurimarum perditione Superintendentis nomen usurpari ab his nouellis, Ecclesiae Dei turbatoribus, velinde manifeste deprehenditur, quod ab ipsis nascentis Ecclesiae incunabulis postquam Apostolico Ministerio Ecclesiarum Rectores Episcopi sunt constituti; nunquam pro legitimis recepti sint Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecrauit. Nam ut vetustissima Apostolicorum canonum decreta taceamus, sacro sanctum ac vniuersale concilium Nicaenum primum (quod vel conferre, nedum aequare Solnensi conciliabulo sacrilegum foret) id, quod ante usu receptum fuerat, lege sancit: Ut Episcopus non minus quam a tribus Episcopis ordinetur, ita tamen, ut Metropolitanus Episcopus auctoritas habeatur, absque quo ordinatio irrita sit. Si igitur periurii esse nolunt; nuperi isti Superattendentes sua ipsorum sententia Episcopi esse haud quaquam possunt. Nam iureiurando adacti sunt, non aliam doctrinam se propugnatos, ac promoturos, quam confessionem Augustanam, in ea vero confessione palam profitentur, se in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire, tantum paucos abusus omittere, qui noui sunt, et contra voluntatem canonum vitio temporum recepti. Cum igitur contra Nicaenae synodi vetustissimos, ac sacros sanctos canones Superattendentes se nominari sentiant, nisi Augustanae confessionis, ac iurisiurandi violatores haberi velint, necesse est, falso nominatos ita Superattendentes; quina se veste Episcoporum immerito contegere, adeoque nullas ab ipsis ministrorum ordinationes fieri, nullum ex iis sacramentis, quae ordinationem requirunt, legitime administrari ab iis, quos initiant: sed umbratilem ac vanam esse, quae ab iis fit, absolutionem, Eucharistiam etc. Quae quam graua miserae plebeculae incommoda, animarumque damna adferant, nemo est, qui non videt. Adde quod grauissimis, et ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis populo proponendis adstringit Solnense hoc conuenticulum, infelices praedicantium animas. Cum enim statuit, ordinandos omnes libro concordiae subscribere, id demum sancit, quod in libro concordiae dissertim exprimitur: Damnandam esse doctrinam, quae docet, euangelium non esse tantummodo concionem de gratia Dei, sed proprie esse concionem de poenitentia arguentem, accusantem, damnantem peccata. Item docendum esse: passionem Christi proponere iram Dei aduersus peccata, ut cognoscamus quanta Dominus in lege sua a nobis exigit, quorum tamen

nihil nos praestare possumus etc. Demum: damnandos esse, qui docent, superesse in homine capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus Spiritualibus cooperari valeat, ad bonum aliquod. Haec aliaque errorum portenta sacro huic conciliabulo ex libro concordiae approbata eo nimirum spectant, vt apertum ac patens hominibus vltro in malum ruentibus exitium accersatur: Si enim nihil ex diuinae legis praescripto agere possumus, si ne capacitatis quidem in nobis haeret, vt Deo mouenti per gratiam cooperemur; si euangelium tantum modo gratiam denunciat, asperitatem poenitentiae, motum peccatorum longissime remouet, quid adhuc satagimus in sanctitate — — ambulare? His accedit, quod grauisimo quoque — — onere se prae grauet hocce conciliabulum: Nam Synodum abnuente Metropolitano indicere, visitationes Ecclesiarum in aliena Dioecesi, bonorumque Ecclesiasticorum dispositionem in se deriuare, priuata autoritate contra longissimi temporis praescriptionem, canonumque ac legum Patriae sanctas constitutiones quid aliud est, quam rapere ac sine vlllo iuris ordine alienum ius sibi usurpare? Nullae certe Vngariae leges, ne quidem perturbatis reip. temporibus latae ius tribuunt nouis superattendentibus, vel censum cathedraticum adimendi, antiquaque seculorum aliquot possessione Archi-Diaconos deturbandi, vel causas forum Ecclesiasticum concernentes ad has Episcoporum laruas deducendi, vel per viam appellationis praesumptuosa ipsorum iudicia non declinandi. Et tamen Solnensis haec Pseudo-Synodus, et census cathedraticos Archi-Diaconis, quorum antiquissima possessio certissimas origines habet, abiudicat ac intrusis superattendentibus suis adiudicat, et causas Ecclesiasticas eorum iudicio committit, et prouocationem ab ipsorum diiudicatione vetat. Quae omnia iustitiae, plenissimis diuinis, ac humanis legibus, decretisque Ungariae aduersantur, nec quidquam horum in publico Regni conuentu definitum. Et quamvis definitum foret, ipsis tamen legibus Ungariae suffragantibus, quidquid sacris canonibus Ecclesiae aduersatur, inualidum, ac nullius firmitatis esse debere dignoscitur.

Quae cum ita sint, Nos coram Deo, ac mundo Uniuerso protestamur, iniquas has nouellae coitionis sanctiones, libertatis, ac iurisdictionis Ecclesiasticae animarumque exitio latas, inualidas, iniustas, ac nullius ponderis esse, et haberi debere: Diserteque, ac sub poena excommunicationis inhihemus; ne vel ipsi falso intitulati superattendentes census cathedraticos percipere, Ecclesias Dioecesis nostrae visitare, ordinationes ministrorum facere, causas forum Ecclesiasticum concernentes diiudicare, ne dum appellationes prohibere praesumant. Inhihemus item et sub Anathematis vinculo vetamus, ne ullus census cathedraticum aliis, quam quibus ab antiquo pendebat, dare praesumat, neue ad Pseudo-Superintendentium diiudicationem causam vllam fori Ecclesiastici deducat. Ac nihilominus reuerendissimis in Christo Fratribus Episcopis Dioecesis nostrae Strigoniensis, nec non dilectis filiis, Praepositis, Abbatibus, Archi-Diaconis, caeterisque omnibus, ad quos haec res spectare dignoscitur, iniungimus ac mandamus ne quidquam de iure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo ius habuisse dignoscuntur, remittant, census cathedraticos exigant, ac suae iurisdictioni

subiectos ministros, si qui forte illorum causam Ecclesiasticam ad nouitium aliquod Tribunal deducant, ad forum spirituale euocatos, ac iuris ordine conuictos irremissibiliter puniant.

Caeterum volumus ut haec nostra protestatio, contradictio, inhibitio, ac praecipuum quo facilius ad manus plurimorum peruenire possint, Typis excudantur, eademque fides excusis exemplaribus habeatur, ac si originales manu nostra subscriptae, ac si sigillo munitae exhiberentur. Datum Posonii in aula nostra Archi-Episcopali die XVII. Aprilis Anno MDCX.“ — Indidem L. 1. SS.

Status Religionis et Ecclesiae catholicae in Transilvania ineunte saeculo decimo septimo.
Anno 1610.

Status religionis et salutis animarum vrget, vt Dioecesis Transilvaniensis ab Rege Apostolico dependeat. Huius veritatis primarium fundamentum est, quod sacerdotes, qui in Transilvania fidem catholicam conseruare ac salutem animarum procurare possint, ex nullis aliis prouinciis, quam ex sola Hungaria valeant submitti: quod distincte proponitur sequentibus discursibus: Primo enim constat, Transiluanos eiusdem cum Hungaris esse nationis ac linguae, nulli alteri idiomati affinis; magnam item eisdem ad inuicem habere ingeniorum et morum similitudinem; praeterea arctiorem plures inter familias cognationis intercedere connexionem; denique peculiarem animorum necessitudinem, propter earundem inter populum vtrumque legum vetustarum obseruantiam et Maiorum pariter eorumdem ac legislatorum aequalem, mutuamque cultum et reuerentiam. Ex quibus conficitur: vt hi populi, quantumuis diuersas iam constituent Respublicas, maiorem tamen inter se habere videantur negociorum et commerciorum communicationem, quam cum quibusuis aliis vicinis nationibus; proinde ex his sequi illud quoque necesse est, vt iidem Transilvani, tam etsi catholicae fidei sint maximi osores, Hungaros tamen sacerdotes facilius sint admissuri in suam Patriam, quam diuersae alterius cuiuscunque nationis homines, qui spiritualia ibi procurare possint catholicis. Secundo: idem probat experientia: Nam ab eo tempore, quo Transilvani ab Hungaris sunt diuisi, ac haeresibus infecti, atque turcicae societati addicti, non alii conseruarunt in Transilvania fidem orthodoxam, quam sacerdotes, qui ex Hungaria in illas oras deuenerunt, absque vlllo fere auxilio spirituali ab aliis prouinciis accepto: quotquot enim fuerunt inuenti, qui literis ac pietate iuuentutem Transiluanam domi erudierunt, aut populum ac nobilitatem illam verbi diuini praedicatione ac sacramentorum administratione fouerunt, ne in diuino cultu penitus obsolescerent, illorum plerique submissi sunt e seminariis aut parochiis, vel gymnasiis catholicis Hungariae, aut certe hinc bono zelo permoti, eo delati sunt sua sponte. Tertio: Regulares sacerdotes, qui in dioecesi Transilvaniensi ab annis compluribus constanter procurant salutem animarum, mittuntur eo ex Hungaria. Sic Patres ordinis S. Francisci de obseruantia, tria habent domicilia in Transilvania, scilicet in Csik, Mikház et Zaaregy: horum locorum religiosi dependent a P. Ministro Prouinciali Hungariae. Patres

societatis Jesu etiam in tribus locis morantur in Transilvania, mutato habitu, nempe Claudiopoli, Albae Juliae, et in Udvarhely; in quibus singulis scholas docent, parochialia administrant, et consueta societatis erga proximos munia exercent; sed sed omnes illi quoque et missi sunt ex Hungaria, et dependent cum plena obedientia a P. Prouinciali prouinciae Austriae, cui Hungarica societas incorporata. Et quidem Regulares hac ratione agunt, qui in Dioecesi Transilvaniensi bonum religionis catholicae, ac salutem animarum promouent, quod nimirum habeant suum influxum, bono ordine seruato, a suis superioribus immediatis, qui in Hungaria morantur. Cur, amabo, primarii sacri ordinis clericalis sacerdotes, primogeniti filii S. Petri, qui ibidem pro Deo et Ecclesia solerter laborant, non similiter, vel potiori iure habeant ex bono ordine sacrorum canonum, influxum sui capitis, et Praelati, nempe confirmati et consecrati episcopi Transilvaniensis? Praesertim ex consideratione eorum, quae certa relatione referuntur, et cum magna asseueratione affirmantur, de facto in Dioecesi Transilvaniensis Episcopi exstare catholicas Parochias plus quam centum, et sacerdotes pro illis curandis non multo pauciores; tot sane parochias de facto et parochos non puto esse in vlla Hungariae Episcopi Dioecesi, si Strigoniensis excipiatur. Jam si parochos et sacerdotes tot habeat Episcopus Transilvaniensis, quantum multitudinem oportebit habere procurandarum animarum? Sciendum porro est: in illa primaria Dioecesis parte, quae proprie Transilvania nominatur ab incolis, esse perpaucos catholicorum, et parochias, circiter quatuor, quas Patres Societatis Jesu administrant; sed Nobilitatis Transilvaniae praecipua pars catholica est; quorum Nobilium aliqui in suis residentiis libere ac publice habent sacerdotes; qui diuina peragunt; at et Patres Societatis ad eos excurrunt certis anni festiuitatibus ad audiendas confessiones, praedicandum, et alia spiritualia munia obeunda. In illa vero regione Siculiae, quae septem sedibus, hoc est comitatibus populosis constat, sunt parochiae illae et sacerdotes tanto numero, id est supra centum; Sicularum enim maior pars est catholica. Cum autem Transilvaniae totius Siculia quasi tertiam partem constituat, sane catholicos inibi multos esse oportebit. Sed hic iam quaeretur: quis franget panem his tot paruulis huius dioecesis? Quis in hanc amplam Transilvaniae messem mittet operarios? Quis? Episcopus Dioecesanus, qui a Rege Apostolico ponitur, cuius officium est, pro posse Sacerdotes suis ouibus procurare, et submittere; si ipse personaliter ad eas pascendas ire et adesse nequeat. Possent peti quouis anno aliqui e Vienneensi Pazmaniano seminario clericorum, sed illi ipsi essent disponendi et animandi ad has missiones Transiluanicas et aliquo viatico iuuandi. Postulandi quoque essent ab aliis Hungariae Praelatis boni parochi, vt genti Transiluanicae succurrerent. Patres Societatis Jesu administrant Tirnauiiae quamdam foundationem, a pio quodam magnate Transilvaniae ante aliquot annos erectam pro clericis sub cura Societatis educandis, qui in vineam Domini Dioeceseos Transilvaniensis submitti possint. Ex illo seminario auxiliares aliquae copiae submittuntur, sed paucae; si quidem exigua pro quatuor alumniis est fundatio. Quod si confirmentur et consecrentur a Sede Apostolica Episcopi Transilvanienses, haec bona sequentur pro incremento Ecclesiae catholicae ac fidei

dilatione: I. Episcopi consecrati magis solliciti erunt, vt vicarios generales suo nomine eligant, constituent, et submittant dioecesi, in qua cura eos hactenus Archiepiscopi Strigonienses suppleuere. II. Diligentius conabuntur prouidere de sacerdotibus, quos in messem Domini submittant, in dioecesi adeo ampla. Impetrabunt quoque a Praelatis Hungariae bonos parochos, quos expediant ad Transiluaniam erudiendam et procurandam: III. Inculca Apostolici Regis suggerent modos, Transiluaniam in spiritualibus protegendi, conseruandi et augendi IV. Recurrentes ad se e Transiluania, quod saepe fit, sacerdotes, aut laicos catholicos recipient in sinum paternae charitatis, consolabuntur eos, dirigent, et pro posse adiuuabant. V. Inuigilabunt parochis et ouibus suis per oculos alienos, cum ipsi praesentes intendere illis nequeant. In hoc religiosi suam operam possunt ei praestare. VI. Sperandum etiam est, vt Episcopi confirmati Transiluanenses, seminariorum pro illa dioecesi foundationes adaugeant: cum plerumque habeant talia beneficia pro sua prouisione, quae prouentus bonos afferunt.“ — Apud Pray Hier. S. P. II. p. 241—246.

Causa discursus huius fuit haec: Quod, cum Transiluania non vi aut armis, sed ex pactis conuentis-amissa, Turcis subdita, ac horum sub clientela a Principibus administrata, regesque Hungariae suo in eum iuri sponte cessisse viderentur, aditusque Transiluaniae Episcopis a Principibus Transiluan. praeclusus fuerit: visum Curiae Romanae sit eo Episcopum missionarium destinandum. Praesenti discursu effectum, vt Episcopi a Regibus Hungariae denominati, confirmati, in suaque iurisdictione relictis fuerint.

85. *Franciscus Forgách, Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, pro afflictio hoc rerum Catholicarum, statu consensu Regis impetrato, synodum prouincialem indicit. Anno 1611.*

Franciscus Forgách, miseratione Diuina, S. R. E. Presbiter Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem C. perpetuus, Legatus natus, Primas regni Hungariae, summus Cancellarius, et Secretarius, ac S. M. Consiliarius, etc. Reuerendissimis, reuerendis, venerabilibus, dominis Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Capitulis, Archidiaconis, Metropolitanae Ecclesiae Strigonien. subiectis, fratribus in Christo dilectissimis salutem, ac coelestem Dei Patris benedictionem. Multa sunt, quae pastoralis vigilantiae sollicitudo suo quodam iure exigit a nobis, Dominici gregis custodibus; illud tamen postremis accenseri non debet, quod sacro sancta Tridentina Synodus de prouincialibus ac dioecesanis conciliis instituendis grauissimis verbis praescribendum existimauit, vt nimirum ii, quibus cura gregis Christi commissa est, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis, concilia indicant; in iis naeuos ac maculas, quae in hac tanta humanae fragilitatis infirmitate pullulant, assidue dispiciant; nec videant secundum hominem sed remedia in promptu habeant quibus, quidquid vel in corpore vniuerso, vel in singulis eius membris deforme ac distortum, sancitum ac morbidum, luxatum ac conquassatum deprehenditur, sacerdotali diligentia emendetur, curetur, solidetur; solida vero et suis bene librata ponderibus conseruentur, ac in dies magnis incrementis promoueantur. Et

quamuis ab ipsis suscepti episcopalis dignitatis exordiis nihil nobis in votis magis fuerit, quam vt cum reuerendissimis ac reuerendis fratribus ac sacerdotibus nostris de iis, quae ad religionis Catholicae conseruationem et incrementum, ad sanctitatem morum, vitae integritatem, totamque ecclesiasticam disciplinam exornandam spectant, in commune conferremus, ac inter tot bellorum tempestates, dissidentium sectarum turbines, pene collapsos ecclesiastici vigoris neruos, Spiritus S. ductu, pristino si non splendori, certe firmitati, ac integritati, restitueremus; quia tamen variis temporum difficultatibus, fluctuantisque patriae motibus praepediti, quod maxime optaueramus efficere hactenus non licuit, non sine magno diuini numinis metu, assiduoque animi moerore, differre in hoc vsque tempus coacti sumus concilii provincialis publicationem. Et licet ne nunc quidem in vado sint omnia, nec periculis defuncti simus; ita ad misericordiam flecti posse videtur ira Dei, atque adhuc extensa manus eius, si recte ac ex ordine ecclesiasticae functiones peragantur; et periculum est, ne in dies quietiora tempora praestolando, in plures annos Synodus reuiciatur. Ecclesiasticis sanctionibus teneri nos existimauimus, vt, etsi, quantum vellemus; perficere nos posse in praesenti non existimemus; certe quod posse nos videmus, id, Dei ope imprimis freti, non intermitteremus. Nisi enim in hanc curam serio et ex animo omnes incumbamus, vt humero vno communibus studiis rem catholicam promotum ire pergamus; verendum sanè est, ne, quae nunc, ob officium neglectum, iusto Dei iudicio, flagra infliguntur, acerbiora deinceps excipiamus. Fallimur etiam, nosque ipsos decipimus, si quae in nos, nostrumque ordinem tam aspera, tamque grauiam ingruunt mala in aliam causam quam in hanc reuiciamus. Quod enim zizania valde succreuerunt; quod Deus in nos excanduit, nosque tot bonis spoliavit, vt eorum absentia, quid amiserimus, agnoscamus; non aliunde factum iudicate, quam quod, neglecta agri dominici cultura, altum sterterent homines; nec ea diuinis sacramentis reuerentia, nec is cultus, qui debebat, exhiberetur; et templa quidem, diuino cultui dicata negligentius haberentur; segniter et raro ab iis, quibus incumbebat, viserentur; omnia salutis munia remisse obirentur; denique quod illi, qui vitae innocentia salis instar condire putorem et exornare mores populi debebant, laqueus et fouea gregis efficiebantur. Quo circa serio vel sero tandem communibus votis in commune bonum conspiremus, Deique, domini nostri, longanimi misericordia subnixi, magno et excelso animo, quod officii nostri ratio, quod communis in omnes caritas exigit aggrediamur. Auctoritate igitur Archiepiscopali Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis, qua nos, licet immerentes, fungimur omnibus ac singulis episcopis, abbatibus, praepositis, archidiaconis ac ceteris qui de iure vel consuetudine interesse concilio Strigoniensis ecclesiae solent ac debent iniungimus, vt ad diem primum mensis Augusti Tyrnauiam conuenire debeant, ac teneantur; noverintque secus facientes se poenas, sacris canonibus sancitas incururos. Vt vero maiori fructu ac vtilitate cum Dei gratia haec tota res peragatur, hortamur ac moneamus omnes per viscera misericordiae Dei nostri, vt iram Dei placare, mores in melius commutare, arctiusque Deo coniungi adnitamur; precibusque assiduis S. Spiritus

tum inuocemus, vt lumine suo mentes nostras ad salutaria dirigat. Si enim instauratam et in pristinum splendorem restitutam ecclesiam videre desideramus; si ora aatholicorum obstrui, reprimi maledicentiam, violentiam eneruari, si denique diuinæ iræ flagella a nobis auertere optamus; his omnibus armis depugnandum nobis erit. Quocirca volumus, vt in singulis ecclesiis capitalibus atque aliis etiam in locis, vbi fieri commode poterit, hebdomada proxima ante synodi celebrationem oratio publica indicatur; in qua fideles omnes diuinam opem implorent; deinde vero, vt quilibet RR. Episcoporum ac Praepositorum cum suis canonicis diligenter consultet de iis, quæ vtilia ac necessaria videntur; ad totius ecclesiasticæ disciplinæ incrementum, religionis catholice ardorem ac morum integritatem promouendam in populo fidei; vt hac ratione commodius in ipsa synodo expendi singula ac elimata perspectione disscuti valeant, ac comprobari. Datum Posenii in aula nostra Archi-Episcopali, kalendis Junii, MDCXI. Pèterfy Concil. P. II. pag. 105.

Ab hac synodo indicenda religionis catholice aemuli Regem Mathiam, metu seditio- nis erupturæ impedire contendebant; ast causa et conatibus ceciderunt, vt ait idem Pèterfy l. c. Parenesis aperta synodo, ordinem et constitutiones synodales, nomina subscribentium lege ibidem.

86. *Postulanda a Sua Sanctitate circa Collegium Alumnorum Hungaris aperiendum.*
Anno 1611.

Praemisso hoc, quod ad suam Sanctitatem (Paulum IV. PP.) scribendum, gratiæque agenda pro paterna cura ac prouidentia; hæc per Illustrissimum D. Cardinalem roganda: vt 1) quum procul absint illustrissimi nuncii Apostolici a regno Hungariæ, aliquem ex illustrissimis ac RR. DD. Praelatis sua Sanctitas assignet, qui processum faciat ac formet pro episcopis, vt eo citius confirmatio impetrari, consecratioque perfici possit. 2) Quia sacerdotum magna est penuria, in Hungaria, et DD. Praelati etiam vltra vires conatus suos ad alumnorum sustentationem, qui sacerdotio apti sunt, extendendo, non sufficiunt ad omnia; oranda sua sanctitas, vt Praga, Olomucii, Graecii, Viennæ, inter suæ Sanctitatis alumnos Hungari, Slaui et Croatae habeantur; tres in singulis locis, quos Illustrissimus D. Strigonien. vel illustr. D. Colocen. aut aliquis ex senioribus suffaganeis commendabit. 3) Vt sua Sanctitas protectorem Hungariæ, Hungaricæ collegii in vrbe Illustrissimum D. Cardinalem Strigonien. nominare dignetur, ac numerum alumnorum duo denarium in dicto collegio non conseruare solum, sed augere quoque non grauetur. 4) Vt sua Sanctitas determinet, a quo dimissoriales accipere debeant, aut quomodo absque his promoueri possint, qui ex locis haereticis et episcopis ac capitulis destitutis, ad ordines suscipiendos veniunt. 5) Vt vsus lacticiniorum et ouorum a sua Sanctitate diebus quibusuis ieiuniorum concedatur. 6) Propositis difficultatibus in mutatione breuiarii ac missalis, vt ea non penitus tollantur, sed reuisa recudi permittantur. 7) Vt sanctitas Sua poenitentiarium Hungarum Romæ et Laureti habeat. Ibid.

Circa collegium Hungaricum Romae tractanda.

1) Dominatio Sua Illustrissima, Dominus Cardinalis, certo exquirat, quot ali possint ex redditibus. 2) Vt clenodia in inuentarium S. Stephani redigantur; ne successu temporis a templo Hungarorum abalienentur. 3) Ne pauperes alumni ad depositum cogantur. 4) Vt RR. Domini Episcopi praesentare possint idoneos pro eo collegio alumnos, cognito prius per literas, an locus aliquis vacuus sit.“ Ibid.

87. *Ad-Suam Maiestatem SS. referenda. A. 1611.*

Scribendae literae et destinandi a Synodo legati, qui iuxta instructionem diligentissime vrgebunt apud suam Maiestatem: 1) Vt beneficia Soproniensia pro scholis, ab Illustr. Domino Archiepiscopo erigendis, Sua Maiestas applicet. 2) Vt praepositurá Turotziensis a Sua Maiestate nullo modo impignoretur; sed iuxta priorem Maiestatis suae donationem, ad vsum Scholarum pristinum a Sua Maiestate conuertatur. 3) Vt more solito ad visitandas parochias Sua Maiestas Archidiaconis mandata expediat. 4) Pro Episcopatu et Capitulo Agriensi supplicetur Suae Maiestati; et vt in hac Ecclesia, antequam restituatur, possit Ill. D. Card. Strigoniensis beneficia quaeuis, canonicatus et dignitates conferre. 5) Vt restitutione pagorum et clenodiorum Ecclesiae Nitriensis, et si clenodia in specie restitui non poterunt, vt decem illa milia florenorum, in quibus inscripta sunt bona Episcopatus Nitriensis, ad haec recompensanda a Sua Maiestate conuertantur. 6) Porro clenodia Episcopatus Wesprimiensis, quae apud D. Stephanum Theörök, et D. Battyanyi habentur, Sua Maiestas restitui praecipiat. 7) Ut iuxta pacificationem Viennensem, qui ex DD. praelatis bona sub ditione principis Transilvaniae habent, ea possidere libere possint. 8) Ut Sua Maiestas titularibus episcopis prouidere dignetur, quatenus suam antiquam dignitatem obtineant; et quo possint cum dignitate muneri suo respondere. 9) Vt Sua Maiestas R. iuxta decretum concilii Tridentini bona ecclesiae non alienet, immo rationem ineat, quomodo damna accepta per decreta superiorum annorum resarciantur. 10) Vt non conferat beneficia, nisi iis, qui commendabuntur a Dominis Praelatis. 11) Vt cogantur Posonienses ciues ad conferendam capellam S. Catharinae, aliasque similes capellas et altaria idoneis personis, iuxta morem antiquum; compellantur tribus et contubernia ad soluendas decimas et ad alia, quae tenentur; et ciues ad sartatecta templi conseruanda; ad legata ad Lutheranum fanum non facienda; ad decimas a vineis, eorum legatis, integre reddendas; et admittendum parochum ad testamenta quorumcumque, iuxta antiquum morem et consuetudinem.“ Ibid.

Haec tristissimum eo-tempore Ecclesia Catholicae statum, indefessumque Antistitem mala ista reparandi studium, ob oculos sufficienter ponnt.

88. *Aatholicorum ad Mathiam regem postulats. A. 1613.*

In negotio liberi exercitii religionis supplicant, vt Sua Maiestas Regnicolas conseruare dignetur iuxta pacificationis Viennensis, et ante coronationem editos articulos;

et Concionator Augustanae confessionis Jaurinum et Szakolczam intromittatur; alioquin protestantur eandem Augustanam confessionem sequentes, sese quoque decimas praestare nolle; contradicentibus catholicis et asserentibus, nihil contra eosdem articulos fieri, si Sua Maiestas vel Ecclesiasticis vel suis in bonis, diuersae religionis concionatores tolerare velit." E MSS. Battyanyianis.

89. *Mathiae Regis ad ea responsum. A. 1613.*

Mathias etc. Quod Augustanae confessionis praedicans Jaurinum non fuerit admissus, si quidem eiusdem confessionis addicti vigore art. V. Viennensis, in propriis eorum bonis non nisi liberos ministros collocant; non videt S. M. qualiter iuxta eosdem articulos etiam catholicis in suis ditionibus prohiberi possit suae religionis ecclesiasticos tenere, aut isti adigi possint in propriis eorum bonis diuersae religionis ministros tolerare. Quod ipsum et in introductione praedicantis in ciuitatem Szakolczensem vniuersi Ecclesiastici ac Status et Ordines catholici queruntur. Quod igitur in vno statuitur, in altero quoque obseruandum est, ne, disparitate in vno habita, in multis aliis infinitae querelae subsequantur. Et quia in articulo anni 1608. sub finem aliud non habetur, quam vt quaelibet religio suae professionis superiores, seu superintendentes habeat, nihilque de iurisdictione illorum spirituali additum fuerat; quin imo iuxta articulum subsequentem de sede spirituali articulus Viennensis de dicta sede spirituali omnino confirmatus extitit: SS. C. R. Maiestas nouam et in regno plane inusitatam iurisdictionem contra constitutiones publicas et in praeiudicium ceterorum concedere vel permittere nequaquam potest; inconueniens plane existimat, quod statui catholico et ecclesiastico tam in iurisdictione spirituali, quam in cathedratico censu ea auferri, et ad superintendentes deriuari debeant, quae in fundatione sanctissimorum regum felicissimae reminiscentiae, ad eos peruenerant, et in quorum vsu ab immemoriali tempore semper exstiterunt." Anno 1613. — Indidem.

Ideo. vt Archi-Diaconus Zoliensis visitationem canonicam peragere possit, ei facultatem tribuit: Sacerdotum Agriensium collegio Jaszouiam translato domicilium assignauit; importunis Aatholicorum sollicitationibus Praeposituram Thuroczensem Societati Jesu ademptam, sub specie, vt inde Jesuitae prouideantur, Francisco Forgács Cardinali Archiepiscopo Strigoniensi contulit etc. A. 1613—14.

90. *Cardinalis Forgách cum hostibus fidei catholicae luctatur. A. 1613—1614.*

Cardinalis Bellarminus. — Cardinali Forgachio. — Precata est mihi D. V. illustrissima felicem Domini natalem, humanissimis et cordi meo acceptissimis literis suis. Ego vero, quoniam literas illas accepi, quum iam feriae quadragesimales agerentur; precor illustrissimo domino meo felicem Dominicam passionis et felicissimam resurrectionem. Scio enim, illustrissimum Dominum meum inter hostes fidei versantem, et cum eis assidue collectantem, passionis Domini esse consortem: quam illi ita felicem precor, vt ad eminentem resurrectionis gloriam aditum patefaciat. Et quoniam grauissima christianae reipublicae negocia non permittunt, vt personae vestrae opta-

tissima praesentia fruamur; gratissimum interim mihi erit pignus amoris, quod in hac epistola ad me misit. Valeat et vigeat Illustrissimus Dominus meus, et me, vt facit, diligat, et communi Domino in sanctis precibus suis commendet. Interim manus illustr. D. V. deosculans, obsequia mea illi ex corde defero. Romae die XVI. Februarii Anno 1616. — Epist. com.

Inter grauissimos hos hostes domi fuerat Chrystoporus Thurzo, qui hortante coniuge sua, Luthero primum anno 1604. eiurato, post nouennium reoptato, Várallyám suae confessionis hominibus conuentum Anno 1614. indixit; in Transilvania vero Gabriel Bethlen post obitum Sigismundi et Gabrielis Bátory, ad Principatum, Turcarum ope, et praesidio eluctatus. His Mathias pressus Catholicis factus propensior, Petrum Pazmanum, e Societate Jesu prius Praepositum Thuroczensem, mox Archiepiscopum Strigoniensem creauit; Jesuitis stabilem locum Tyrnauiæ assignauit Anno 1615. A catholicis se vindicaturi, in Comitibus anno 1618. ad eligendum successorem legitimum Ferdinandum conuocatis, duos menses altercando pessum dederunt. Causa huius dilationis fuit: quod nondum contenti iis, quæ Viennensi pacificatione pro libero religionis suae exercitio a catholicis extorserant, odiosam de templis, a rustica plebe contra voluntatem Dominorum terrestrium occupandis et in vsum acatholicum conuertendis, mouerint. Sed catholicis acriter obsistentibus, quod, cum libertas religionis non solis rusticis concessa sit, sed et dominis, non possint potiori ratione praetendere templa quam Domini. Reiecto hac ratione Acatholicorum postulato, Ferdinandus II. XVI. Maii Rex, opera Petri Pázmáni electus est. Apud Kazy. Lib. II. p. 160. etc.

Mathias II. Rex Hungariae donat fundum desolati monasterii Monialium Ordinis Sancti Dominici Patribus S. J. pro collegio in ciuitate Tyrnauensi erigendo. Datum Pragae XVI. Sept. 1613.

In MSS. Kaprinay sub B. tomo 51. nro 18.

91. Mathias Rex praeposituram Thuroczensem, quam PP. S. J. cedere coacti fruerant, Francisso Forgách de Ghymes, Archiepiscopo Strigon. confert. Datum Viennae 1613. — Ibid. tomo 95. nro 82. p. 260.

92. Franciscus Forgach, Archi-Episcopus Strig. se praeposituram pro Patribus S. J. administraturum, redditurumque obligat. Dat. Anno 1613. — Ibid. nro 83. p. 264.

Petrus Pazmán Archi-Episcopus testatur, oppidum Aszaló, ad Capitulum M. Varadiense saecularibus inscriptum, ad redemptionem vsque fuisse. A. 1615.

SS. Dominus noster Pápa Paulus V. viua vocis oraculo concessit, vt D. Comes Sigismundus Forgách, oppidum Aszaló, ad Ecclesiam Varadiensem spectans, pro ea pecuniae summa, in qua inscriptum fuit, in foro cōscientiae eovsque retinere possit, donec Episcopatus et Capitulum Varadiense, si non omnino in pristinum statum, saltem quantum temporis iniuriae patientur, restituantur. Similiter si quae bona Ecclesiastica admista essent, per ignorantiam bonis secularibus eiusdem comitis, illa quoque vt retineri possint, modo vt supra. Haec sanctitas sua viuae vocis oraculo conces-

sit die 5. Januarii anno Domini 1615. me audiente. Petrus Pazmán.“ — Apud Pray Hier. S. P. II. p. 190.

Jam ab anno 1588. Episcopatus Varadinensis in simplicem titulum transiit vt habet Tabularium Rom. Lib. Prou. nro 438. p. 2.

93. Paulus V. PP. translationi desolati monasterii S. Joannis B. in ciuitate Tyrnauensi existentis, Patribus S. J. faciendae annuit. Dat. Romae Anno 1615. — Ibid. nro 17.

94. *Mathiae regis articuli, in fauorem Ecclesiae Catholicae decreti ab anno 1608—1618.*

Decreti post coronationem anno 1608. articuli: „Quoniam ex pluralitate personarum, per Suam Maiestatem Regiam, ad generalem regni diaetam conuocatarum, nonnullae aliquando inaequalitates emergere consueuerint: idcirco ad abolendos quosuis defectus, et difficultates, quae sub nomine Statuum et Ordinum regni nonnunquam irrepserunt, visum est Regnicolis concludere, quinam sub nomine Statuum et Ordinum Regni intelligi? quiae per suam Maiestatem Regiam ad publica regni comitia, per Suae Maiestatis regales vocari, et vota sua in publica regni dioeta habere debeant. Quum itaque Regni Hungariae Status et Ordines ex quatuor conditionis regnicolis, nempe Praelatis, Baronibus, seu Magnatibus, Nobilibus, et liberis ciuitatibus constant, ideo Regnicolae sub praesenti generali dioeta decernunt, ne Sua Maiestas Regia, praeter hos ordines, quempiam in generalem regni dioetam per regales suas literas, aduocari faciat. Praelatorum autem Statum hunc esse volunt, vt quicumque episcoporum, capitulum suum cum praeposito suo, sub sua iurisdictione episcopali, aut loco residentiae suae habuerit, extunc idem Episcopus in conuentu Dominorum Praelatorum et Baronum pro sua persona propria locum et vocem habeat. Nomine autem capituli, Praepositus vnacum capitulo inter regnicolas, pari ratione vnacum et coniunctam vocem habeat. Demum Praepositi, qui nulli immediate Episcopati subiacent, sed absoluta suae Praepositurae annexa habent capitula, et conuentus; ii etiam a suis capitulis et conuentibus non distinguantur, sed pariter vnice coniunctam vocem habeant. Denique si qui Praepositorum et Abbatum infulatorum et priuilegiatorum essent, qui sua iura possessionaria Praepositarum et Abbatiarum in regno habuerint, iisque potirentur: ii quoque sub nomine Statuum et Ordinum regni comprehensi, vocem suam inter Regnicolas, iuxta constitutiones Viennenses habeant: Sic generali quoque Ordinis Diui Pauli, primi Eremitae, vna vox conceditur. — Art. 5. „Statuitur etiam, vt deinceps causae decimarum in foro seculari, id est comitatibus ibidem, vbi decima exigitur, et non in foro spirituali, discutiantur, reuideantur, et rectificentur.“

Decreti Mathiae II. Poson. anno 1609. Art. 23. „De Episcopis Comitibus, iuxta Viennensem conclusionem, Rex et Regnicolae in futura dioeta concludant,

et ipsi priuilegia sua producant. Art. 71. „Ab benignam Sacratissimae Maiestatis Regiae requisitionem Status et Ordines Regni Reuerendissimum Dominum Nicolaum Micacium, qui satis hactenus aduersitatum perpeusus est, ab illo exilio, quo articulis Viennensibus innodatus fuerat, liberum pronunciant.

Decreti III. Poson. Anno 1613. Art. 2. „Justitia Diuina et leges humanae id dictant, vt suum cuique tribuatur: atque in articulis quoque pacificationis Viennensis manifeste habetur, vt bona Ecclesiastica, seu secularia, per Bocskaium et sibi adhaerentes ademta et inscripta eliberentur: quum alioquin etiam donationes Bocskaianae, et sibi adhaerentium, de simplici ac plano cassatae, et inualidae sint — Statutum est: vt ea prae manibus habentes, sine dilatione ac renitentia vlla remittant. Si qui vero id ipsum facere renuerent, ex tunc Dominus Regni Comes Palatinus statim, et defacto eos ad cessionem honorum cogere, e manibusque horum eximere, atque legitimis eorum Dominis et possessoribus assignare teneatur.“

Decreti IV. Poson. anno 1618. Art. 45. „De decimis et earum exactione renouatur anni 1613. articulus IV. et XIX. Quoad decimatorum autem abusus renouatur anni 1500. art. 30. De vectura autem earumdem decimarum renouatur articulus 20. anni 1613. Decimae autem Dominis terrestribus arendentur more consueto.“ — Art. 70. „Ad tollendos abusus in nonnullis sedibus spiritualibus — imposterum vniuersae causae, demtis matrimonialibus, ad mandata declinatoria transmittantur, neque praescriptis temporibus, messis, belli, vindemiarum, denique iudiciorum generalium ac comitorum sedes quoque spirituales fiant.“

95. *Ferdinandus II. R. H. ante coronationem suam, se libertates regni seruaturum, grauamina sublaturum, ac constitutiones pacificationis Viennen. effecturum spondet. A. 1618.*

Nos Ferdinandus, D. gr. Rex Bohemiae etc. etc. — agnoscimus et memoriae commendamus; — quod, quum sacratissimo Principi, ac D. D. Mathiae, D. gr. Roman. Imperatori S. A. et Germaniae, Hung. Boh. regi, D. patrueli et patri nostro obseruandissimo, benigne visum fuisset, inclito suo Hungariae regno, partibusque eidem adnexis, pro pia atque paterna sua cura et sollicitudine, de futuro rege atque successore tempestiue prospicere eumque in finem, ex singulari sua et paterna erga nos gratia et amore, eiusdem regni SS. et OO. benigne requisuisset, vti nos in futurum ipsorum regem eligere, acceptare, proclamare, et coronare, adeoque optimae Maiestatis Suae C. Rque intentioni, quae nonnisi in beneficium eius coronae redundare queat, sua quoque ex parte respondere vellent: iidem SS. et OO. sollicitum hunc etiam ante plurimis occasionibus praeclarissime contestatum Suae C. Rque Maiestatis affectum, vt fideles et ciues patriae amantes, decet, grato animo agnoscentes, eiusdem desiderio haud grauatum obsecundare, atque nos in regem atque dominum ipsorum, iuxta antiquam consuetudinem et libertatem eorumdem semper obseruatam, paribus votis, et vnanimi consensu, eligere, proclamare, invocatoque demum numinis

diuini auxilio, feliciter coronare, promptos, paratosque fore declarauerint: demisse rogantes, vt infra scriptos articulos, omniaque et singula in eis contenta, rata, grata, et accepta habentes, nostrumque regium consensum illis praebentes, clementer acceptare, auctoritate nostra regia, approbare et confirmare, atque tam nos ipsi suo tempore benigne obseruare, quam per alios, quorum interest, firmiter obseruari facere dignemur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur et est talis: I. conditio: Quod vniuersas et singulas regni libertates, immunitates, priuilegia, statuta, iura et consuetudines, simul et conclusiones tractatus Viennensis, omnesque articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos, ante et post coronationem modernae SS. C. et R. maiestatis in anno 1608. et 1609. editos in omnibus suis punctis, clausulis et articulis Sua Maiestas R. firmiter et sancte obseruabit, et per aliosque omnes inuoluntate obseruari faciet. II. Conditio: Quod grauamina, si quae vsque ad tempus suscipiendi regiminis maiestatis suae qualitercunque euenerint, ea statim in initio regiminis Suae Maiestatis, in diaeta primitus intra spatium sex mensium publicanda, penitus tollet, grauamina autem vniuersorum SS. et OO. regni, quocumque successu temporis sub regimine Suae Maiestatis emergerint, ea in singulis diaetis, quas Sua Maiestas successiuus temporibus pro commodo et necessitate regni, quo saepius fieri poterit, ita, vt terminum triennii non excedat, publicare et celebrare dignabitur, sub eadem diaeta tollet, et effectuabit. — VI. Conditio: Quod religionis negotium inter vniuersos SS. et OO. regni in suis ac fisci bonis, item in Confiniis quoque Regni Hung. militibus Hungaricis, propter regni tranquiliorem permansionem, iuxta constitutionem Viennensem et articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illaesum, et illibatam; ita videlicet, vt religionis exercitium tam baronibus, magnatibus, et nobilibus, quam liberis etiam ciuitatibus, vniuersisque SS. et OO. regni Hungariae, nec non oppidis, villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur; nec quisquam, cuiuscumque status et conditionis existens in libero eiusdem vsu et exercitio religionis, a Maiestate sua regia, et aliis quibusuis Dominis terrestribus quouis modo, aut quouis sub praetextu turbetur, aut impediatur. — Nos itaque praedicta vniuersorum SS. et OO. incliti regni Hungariae et partium ei subiectarum supplicatione clementer admissa, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque clementer gratificandi voluntate, praeinsertos vniuersos articulos — acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, et confirmauimus. — In cuius fidem et testimonium literas has manu propria subscripsimus, et sigilli nostri impressione, muniri iussimus. Datum in ciuitate Poseniensi, die XV. mensis Maii Anno 1618.“ — Ex articulis Decreti Ferdinandi anno 1622. emanatis.

96. *C. Sigismundus Forgách, Regni Palatinus, A catholicos, vt suas in Comitibus controuersias, bono pacis seponerent, frustra monet. A. 1619.*

Prima ratio: Mutationes omnes in rebus publicis periculosas, grauiumque ac paene irremediabilium malorum causas esse, in communem sermonem abiit; pecu-

liari ratione tamen quadam, quae in religionis negotio fiunt mutationes nunquam sine ingenti clade, ac praesentissimo boni publici discrimine fieri potuisse, non solum veterum scriptorum annales, verum etiam nostra, ac parentum memoria, res in orbe gestae testantur. Seculum vix elapsum est, quum vno eodemque tempore Schrypki in Africa, Persae in Asia, Lusitani ac Hispani in Indiis, alii in Germania, Gallia, aliisque prouinciis, religionem immutare, et innouare coeperunt. Quot ab eo tempore in omnibus noti et ignoti ante orbis partibus clades, quot strages editae sint; horret animus vel recensendo numerare; et tamen post hos omnes motus et religionum diuersitas manet, et mansura porro erit ad finem seculi; nec per quaeuis mutuae exitia in hac mundi area purum et absque lolio frumentum Christi futurum est. Quocirca quum satis amplae factae hucusque sint concessiones religionum in hoc regno, nec in iis concessionibus quispiam perturbetur, omnino consultum est, non amplius hoc in negotio aliquid innouare; sed quisque suo iure contentus ea, quae pacem et animorum coniunctionem fouent, meditetur. Experta est dulcissima patria nostra, quid superiorum temporum innouationes periculi attulerint. Nam, vt caedes, incendia, rapinas, ac totius regni vastationem taceamus, certo per solum Pestanum pontem supra 80 christianorum millia, a Tureis in captiuitatem abducta sunt. Ne igitur, quod Deus auertat! in praeteritos relabamur labyrinthos, quisquis bonus est patriae ciuis, a nouitatibus hisce periculosis, ac omnium motuum comitibus, abstinere debet; praesertim, quum constet, per homines tolli ac componi religionum dissidia non posse: etsi respublica perturbetur, omnes, cuiuscunque religionis fuerint, sua incommoda, et quidem grauissima sint passuri; ac tandem, nisi prorsus regnum euersum eamus, iterum concordandum et, religionis discrepantia toleranda. *Secunda ratio:* Quo ulterius hanc de religione serram reciprocamus, periculosumque hunc finem contentionis trakimus, eo magis animi regnicolarum diuellentur, ac in mutuam discordiam acerbabuntur; et quum insitum omnibus sit, vt religionem suam, quisque summo conatu propugnet; nec tantum affectus religionis ingenium ad eius defensionem acuat, verum etiam consilia ad protegendum suggerat, et auxilia vndecunque etiam periculosa conquirere suadeat, verendum est maximopere, ne, vt annis superioribus factum, immanes christiani nominis hostes, vel vltro acciti, vel occasione dissensionum nostrarum pellecti, extremam dulcissimae patriae perniciem adferant, et nihilominus religio, a Deo constabilita, subuerti haud poterit; sed etiam armorum strepitus conseruabitur. Certe occasione motuum Bocskaianorum, Pesthum, Strigonium, aliaque munitissima loca amisimus; vix nouam arcem archiepiscopalem, Dei prouidentia singulari, conseruauimus. Si alio aliquo in motu totidem confinia, quod Deus tamen propitius auertat! amitteremus, verendum est, ne non tantum disputationibus de religione susceptis, sed et regno finis imponatur. Vt igitur concordia, qua res paruae crescunt, atque conseruantur, inter nos coalèscat, ac perennet, quisque suos intra fines sese continendo, concessionibus Viennensibus, et tempore duarum coronationum factis, contentus maneat, nec pars altera alteram vel in iis, quae concessa sunt, turbet, vel novis ac alteri parti praeiudicantiùs postulatis exacerbet. *Tertia ratio:* Vetus ac verum.

verbum est: felicem et sapientem esse, quem faciunt aliena pericula cautum. Quum igitur videamus, quas clades, quae pericula adferunt mutuae animarum dissensiones, vicinaeque Bohemiae ac Moraviae clades et perniciem oculis propemodum ipsis vsurpamus: etiam atque etiam perspiciendum nobis est, ne similem in casum et statum dulcissima haec patria coniciatur, deque tot innocentum miseris, ac pernicie ratio nobis reddenda sit, coram districto Dei omnipotentis tribunali. Verum affirmamus a centum et eo amplius annis nunquam eam tanta pace ac publica ab externis bellis quiete vsam esse, quanta nunc vtitur: iamque spes aliqua, Dei benignitate affulget, tam vires, tot bellis fractas, colligendi, quam etiam profusas opes et absumpta tot cladibus virorum fortium roborum resarciendi. Quae malum! ergo haec est incogitantia, si nos ipsi continuis odiis, bellorum et tumultuum incendia flabellamus? Motui Bohemico priuatorum quorundam vel offensiones, vel metus causam dedere; ad quem ut animi populorum ardentius propenderent, priuatis praetensionibus religionis nomen obtentum est; peculiari seculi nostri infortunio, quo religione pro praetextu politico passim vtuntur, qui turbas amant. Videmus ad solum nomen religionis, falso praetensum, quanta facta sit animorum in mutuam perniciem exacerbatio, quanta strages; nec sine immenso animi dolore videmus. Certe nunquam in immanes christiani nominis hostes tanto vel apparatu vel ardore pugnatum est, quanto ad mutuas caedes exasperantur. Et ausim affirmare, hoc militari robore, hoc ardore animorum ad ipsas Constantinopolis portas victricia christianorum signa figi potuisse, quo sese Christiani, nonnisi euidenti diuinae ultionis ac vindictae argumento, perditum eunt. Quin, igitur nos isto periculo sapimus, ac in tempore prospicimus, ne in flammam erumpat, quae fumare dicitur, religionis praetextu, patriae perniciem? Quarta ratio: Qui negotium religionis vi coactum ac promotum ire volunt, eos necesse est maximis bellorum apparatibus et sumptibus instructos esse: Neque enim aliter quicquam promouere possunt: nisi forte accitis aliorum auxiliis, quibus patriam praedae ac rapinae exponant. Nam si villa alia in re, certe in defensione religionis quisque extremum tentare solet. Quocirca, quum patria haec nostra, nosque adeo vniuersi tot annorum cladibus et bellis plus satis attriti extenuatique sumus, non est, quod in mutuam perniciem religionis praetextu ruamus vel speremus, alterutram partem alteri prorsus succubituram. Accedit, quod, quum reges Dei nutu praeficiantur, par est ac necessarium, ut eam religionem, quam rex ipse profitetur, opprimendam, ac in dies magis magisque coartandam non sumamus, sed regiae quoque dignitatis ratio habeatur; ne quoquo modo animus suae Maiestatis alienetur, praesertim, quum Maiestas sua neminem in religione sua turbet, sed ob commune bonum aequo animo toleret, ut quisque suae religionis ritu degat. Quinta ratio: Constat omnibus vicinum, eumque potentissimum hostem, Turcam, in omnes perturbandae et euertandae Hungariae occasiones intente vigilare; et, si animorum inter nos scissionem aduertat, antiquas suas artes, resumturum, ac aliquem rursus, pretio, promissisque oneratum, excitaturum, qui rebelliones et intestinas clades conflare possit, eiusque opera incendium excitet, multo sanguine restinguendum. Si igitur boni patriae ciues sumus, magnos illos Thebanorum duces

imitemur, qui inueterata illa quoque odia, ac capitales dissensiones ponebant, quoties hostem patriae vicinum sentiebant. Dubium non est, si qui hoc tempore motus in patria nostra exoriantur, Turcam paucis mensibus id effecturum in Hungaria, quod multis centenis annis perficere non potuit. Nam et regia Maiestas domesticis bellis implicata est, et prouinciae, a quibus suppetiae sperandae essent, mutuis armis conflantur; adeoque exhaustae, et eneruatae sunt, vt nulla prope auxilia ab ipsis sperari possint. Nos vero ipsi, regnique confinia, quo in statu simus, nisi nos ipsos decipiamus, facile intelligere possumus. Quid futurum putamus, si hi ipsi, qui sumus inter nos secti et distracti, in mutuam perniciem, quod absit! conspiremus? Christiano corde caret, qui vel ad solam commemorationem tantae infelicitatis non cohorrescat.

Sexta ratio: Reclamamus, quaeso, quantis sanguinis riuus, quantis cadauerum aggeribus, quam immensa pecuniarum profusione pax haec sancita et legibus stabilita inter nos concordia nostra constet christianis. Illud quoque prae oculis feramus, pacem hanc et quietem publicam ita a nobis sancite ac constanter esse fouendam, ac retinendam, ac si in ea, quod reuera est, totius patriae ac omnium bonorum, quae in hac vita cara habemus, salus et permansio sita esset; quae cum aliter obseruari non possit, nisi, sepositis omnibus nouis de religione disceptationibus; quisque concessionibus iam factis, concordia, mutuae beneuolentiae studiis, foueatur.

Septima ratio: Illud quoque in oculis feramus, confinia nostra neglecta, ruinoso, desolata esse, quae vix lenem impetum hostilem ferre possint; Nos aestiuum hoc tempus aedificationi idoneum, nouis de religione motis altercationibus absumimus; quum tamen hoc ipsum tempus, quod absumitur, multo vtilius confinium aedificationi impenderetur. Ex quo illud vehementer pertimescendum venit: si pacis tempore de iis, quae belli sunt, cogitare negligimus, sensim omnem de Religione disceptationem praescindet Turca, ac Mahometis superstitio; quod clementissimus D. nunquam permittat! Hungariam inuadet, sicque, dum concordare inter nos nolumus, tertius inter litigantes perfidiae suae trophaeum eriget.

Octaua ratio: Reflectamus oculos ad S. R. Maiestatem, D. N. clementissimum, qui in hac tanta reip. christianae confusione, ad pacis ac publicae quietis conseruationem, curas omnes, consiliaque conuertit. Nimis ignarus est rerum nostrarum, qui non intelligat res Hungariae eo loco sitas esse, vt rege potente, et qui suis nos opibus potentiaque tutari possit, indigeat. Si quidem, fractis tam longa barbarorum vicinorum conflictatione viribus, a iugulo et ceruicibus nostris, immo totius christianitatis, auertere Turcarum rabiem non possumus, nisi aliunde quoque vires ac potentia regis nostri fulciatur. Quamobrem eo curas conuertere vestras par est, vt, quantum quidem in nobis situm est, rex noster opibus, honoribusque in dies augeatur. Hanc vero in rem nulla alia ratione operam nostram commodius conferre possumus, quam si inter nos quieti et regi nostro adhaerentes fuerimus. Negari enim non potest, difficiliora omnia futura esse suae maiestatis regiae negocia, si turbae hic atque tumultus interni exoriantur. Quamquam, vtut ista successerint, nulla penes suam maiestatem dissidii nostri culpa residebit, quippe quae occasionem et ansam, nullam nostrae disceptationi praeberit, sed nos ipsi, quasi dedita opera, calamita-

tem nobis accersimus, eaque causa, magna Hungarico nomini apud exteras nationes inuretur infamia, quod pauculae regni reliquiae quietem inter nos ac concordiam fouere nescimus; quum alibi regna florentissima, non obstante religionum discrepantium conflictu, pacate ac quiete degunt. Non a ratio: Negari non potest, magnum Hungarico nomini decus accessisse, quod, quum vicinae prouinciae, variis affectibus distractae, multas R. Maiestati, hoc regiminis ingressu, difficultates exhibuerint, natio Hungarica, memor constantiae suae, ac debitae regibus fidelitatis, in omni fortunae mutatione inconcussam fidem suam ac fidelitatem conseruauerit. Vt igitur bonum hoc nomen vsque et vsque dilatum esflorescat, nec, quae coepimus bene, deterius finiamus, inferendum non est crimen gloriae nostrae, nec per nostra dissidia felices successus suae Maiestatis interturbandi, quin potius fidelitatis et constantiae nostrae exemplo ceteri quoque ad obsequium et officium pertrahendi; quod sane fieri aliter haud poterit, quam si mutua inter nos animorum coniunctione subnixa, fomitem ac semen omne discordiarum seponamus. Decima ratio: Mea quoque palatinalis dignitas, ven. proceres Hungari, immo vester honor ac aestimatio hic vertitur: Vestro ego omnium calculo communi hanc onerosam prouinciam subii, et, quod nulli vnquam Palatino a Regibus Hungariae permissum legimus, plenariam a Sua Maiestate facultatem nactus his comitiis praesidendi, ac difficultates, publicaue vniuersorum statuum grauamina complanandi. Quod si haec male cedant comitia, si rebus infectis, magno animorum voluntatumque dissidio, abscedamus, si quod absit! tumultus ac seditiones catastrophe comitiis dabunt, quam putatis fore apud exteros palatinalis dignitatis existimationem? An existimatis, vlllo vnquam tempore hanc Palatinis concedendam auctoritatem? Si minus ante ea nunc ceciderit! Ego quidem hocce meo scripto, aliisque quam plurimis diligentiae et innocentiae meae testibus coram Deo et hominibus excusatum fore me, non ambigo, posteritatisque iudicio relinquo, an satis e bono publico a nobis fiat, quod hoc vno dissidio tam ampla et diu expetita gentis Hungaricae gloria negligatur, tot insignium difficultatum seu grauaminum effectuatio differatur. Sed haec omnia breuiter insinuare potius, quam exaggerata oratione deducere placuit; quum ad viros, sapientia et usu rerum exercitatos, sermo noster dirigatur. Vestrum erit, ordines amplissimi, nostris his adhortationibus locum dare; disceptationem de religionis negotio seponere; nec a nobis in detrimentum religionis catholicae postulare, quae etiam praedecessores Palatini tolerauerunt. Quae, si a vestris DD. eo, quo a nobis profecta sunt, sinceri amoris affectu accepta fuerint, dubium nullum est, quin Deus pacis futurus sit nobiscum, ac per mutuam animorum coniunctionem regnum hoc Hungariae in veterem dignitatem esflorescat." Ex actis dioet. anni 1619. p. 411.

Postquam validis his rationibus ad resciscendas in religionis negotio praetensiones status permouere Palatinus nequiuisset, Aetholicisque grauaminibus suis exaggeratis, insimulationes etiam catholicorum immiscuissent. *ibidem* pag. 332: neque catholici tacendum rati, iniuriarum ab acatholicis perpessarum catalogum texuerunt, et Dno Palatino complananda proposituerunt hac cum praefatione: Catholicus status, qui infinitis propemodum premitur in hoc Hungariae regno iniuriis, nihil magis habet in votis, quam vt semotis animorum dissensionibus tranquillitas publica, publicumque commodum promoueatur.

Quo respectu, quemadmodum superiori anno, vniuersa sua grauamina, ita saepe saepius alias quoque suas iniurias seposuit; verum dum animaduertit cumulari denuo in illum grauamina, ne suo iuri, libertatique defuisse omnino inueniatur, haec sua grauamina Illustrissimo D. Palatino S. M. Regiae plenipotentiaro censuit ad complanationem et effectuationem proponenda.

97. *Status et Op. Catholici grauamina, quae ab A catholicis patiuntur, Illustrissimo Domino regni Palatino, suae M. SS. plenipotentiaro complananda, effectuantur, ad criminationesque A catholicorum respondent. A. 1619.*

I. Bonorum ecclesiasticorum status per se quoque is est, vt ea secularibus vsibus applicari, non debeant; sed quae Deo dicata et consecrata sunt, in sua primaeua fundatione perseuerent. Pietas quoque et religio Regum etc. Regni Hungariae ea fuit, vt, quo validius possent, vniuersi ab ademptione bonorum Ecclesiasticorum cohiberi, publicis statutis cautum esse voluerint, ne DD. Barones, ac alii seculares aliquo pacto bona ecclesiastica pro se vsurpent (Art. 55. decr. III. Wladisl. et alibi). Si quae vero bona, quacunque via ac ratione ab Ecclesiis alienata forent, ea e manibus secularium exempta ecclesiis restituerentur. (Anno 1537. art. 19. 1546. art. 8.) Praeterea edicto Ferdinandi Regis an. 1560, Maximiliani 1567. art. 31. omnes alienationes bonorum ecclesiasticorum irritae inualidae ac nullius vigoris pronunciatas sunt. Qua propter, vt hi tot et tales articuli adhuc sub hac diaeta, iuxta benignas suae Maiestatis condiciones et oblationes effectuantur, omniaque bona ecclesiastica, in manibus saecularium habita, de simplici ac plano ecclesiis restituantur, est necessum. II. Patronis quoque ecclesiarum publica regni constitutione iniunctum esse reperitur, vt ecclesiastica beneficia viris ecclesiasticis tradant, neque diutius patiantur ecclesias legitimis pastoribus carere. (Anno 1553. art. 9. 1567. art. 36.) Verum vsque adeo publicae huic constitutioni satis non fit, vt, quum non ita pridem patroni catholici, et numero plures, et iure in causa potiores, praeposituram Vjheliensem ecclesiastico viro assignare voluissent, magnif. D. Paulus Nadasdi huic legibus regni conformi assignationi resisteret. — III. Sacra quoque C. Regiaeque Maiestas, pia recordationis, quum in regia sua montana ciuitate Neosolio Xenodochium S. Elisabethae, vsque ad motus Bocskaianos a catholicis sacerdotibus possessum, quum iuxta leges regni, accedente pacificatione Viennensi, quae ecclesias, tempore motuum Bocskaiannorum ademptas, catholicis restitui iubet, per suos commissarios ecclesiasticae personae restituere vellet, ciues Nouizolienses, concitata ac in arma conuocata plebe, huic legitimae suae Maiestatis restitutioni obstiterunt; quos poena, in violatores publicarum constitutionum lata, puniri, ac de facto Viennensi constitutioni satisfieri postulamus. IV. Status Ecclesiasticus hac quoque via in suis bonis ac iuribus non leuiter grauatur, quod multi in bonis ecclesiasticis quod ad certas sessiones, intuitu seruitiorum, ecclesiis praestitorum vel praestandorum sunt libertati, qui quum in personis suis nobilitatem praetendant, sic habere volunt, vt sessiones quoque ad beneplacitum libertatae, pro curiis nobilitaribus habeantur; facessuntque infinita negocia dominis terrestribus ecclesiasticis, vsurpando omnia iura nobilitaria in ipsis fundis

ecclesiasticis; quum tamen, apertis legibus regni obuiantibus, sessiones eiusmodi ecclesiasticas nullus illis nomine curiarum nobilitarium conferre potuerit (etenim, quemadmodum integra bona, ita nec particulas eorum) postulat igitur Status ecclesiasticus, vt ab hoc quoque grauamine releuetur. V. Quum nemo nisi legitime citatus, ac consueto iuris ordine conuictus, rebus bonisque ac iure suo priuari, in personaque grauari debeat, et alioquin par sit libertas ecclesiasticorum sicut aliorum nobilium, archidiaconi legitimo suo censu cathedratico, quem regni varia statuta sine diminutione illis integre persolui iubent (Vlad. decreto III. art. 53. 1609. art. 43. anno 1559. art. 41.) contra huiusmodi statuta, ac etiam contra ipsissimas constitutiones Viennenses, vbi de immunitatibus Ecclesiae Romanae agitur, absque omni iuris ordine, solum potentia quorundam mediante spoliati sunt; quem etiam censum priuata auctoritate superintendentibus suis iidem violente in conuentu Solnensi attribuerunt. Quo circa necessum vt, qui contra publica statuta regni censum auferre ausi sunt, ob violationem publicarum constitutionum euocentur (iuxta 1507. art. 8.) atque ad refusionem damnorum, archidiaconis factorum cogantur, et in futurum archidiaconorum auctoritas defendatur. Praeter censum autem cathedraticum quartis quoque suis archidiaconi nonnulli spoliati sunt: archidiaconis enim de Tarczafó, in Ecclesia Agriensi residentibus, quartae ademptae sunt a Comitatu Sárosiensi, concionatoribusque attributae: quum tamen defunctus Joannes Detre, archidiaconus quondam de Tarczafó, iuris quoque ordine euicerit, eas quartas ad praedictum archidiaconum pertinere; easdemque quartas ante motus Boeskaianos realiter quoque possederit. VI. Inusitatas quoque octauas vsurpant sibi concionatores in Comitibus partium superiorum, quos in iisdem fouent, ac protegunt iidem Comitatus. VII. Iustum ac necessarium etiam est, vt Status Ecclesiasticus officio suo commode et libere incumbere valeat (iuxta art. 6. an. 1548. et art. 7. an. 1553, nec non art. 27. 1509). Signanter autem vt archidiaconi ac eorum vicesgerentes, aut substituti in visitandis ecclesiis, more antiquitus consueto, in dioecesibus progredientes libere vndique admittantur, suumque officium, sine impedimento patronorum aut aliorum quorumlibet, cum omni iurisdictione ecclesiastica exercere valeant (iuxta constitutiones anni 1546. art. 10. et 1559. art. 41). VIII. Reperti sunt etiam nonnulli ex magnatum et nobilium numero, qui priuata auctoritate, in praeiudicium fori spiritualis, tam olim (vt anno 1552. art. 25. 1557. art. 9. 1559. art. 40.) quam in Viennensi pacificatione (ad 7.) approbati, nouum quoddam tribunal erigere, atque a foro spirituali ad nouitium ipsorum tribunal homines auocare, causas fori spiritualis eo transferre, diuertiaque in matrimoniis, leuissimis ex causis, cum magno animarum damno, facere ausi sunt, et etiamnum auocant, transferunt, et faciunt, et ita quidem, vt illic nusquam fiat vel fieri possit appellatio; in grande malum animarum et praeiudicium fori spiritualis. Quocirca, vt hi quoque abusus hac sub praesenti dioeta tollantur, oportet. IX. Porro, quamuis opus et pium exercitium peregrinationum ac processionum catholicarum, ad loca sacra et indulgentiae, vigore art. Viennensis et tempore coronationis editorum, vbi de libero religionis exercitio agitur, per neminem quouis modo et praetextu impedi-

ri, ipsique peregrini, deuotionis causa peregrinantes, ab omni pensione immunes esse deberent; talis exercitii libertas passim in Comitatibus Szaladiensis, Poseniensi in Sancto Georgio et Modra, Trenchiniensi in Prodomir, Sarosiensi ad S. Annam, Scepusiensi in Várallya et aliis locis impedita est. X. Conqueritur item Status ecclesiasticus, quod nondum sint omnia bona ecclesiastica restituta, quae quondam per Bocskaium, eique adhaerentes fuerant inscripta et occupata. Idcirco statuendum petitur, vt illa residua bona ecclesiastica simul cum aliis (iuxta constitutionem anni 1613. art. 2.) statim de facto de manibus modernorum possessorum vigore praefati articuli, vna cum templis occupatis, eliberentur atque restituantur, non obstantibus quibusuis praetensionibus illegitimatorum possessorum. XI. Postulatur etiam, vt libertates et immunitates ecclesiasticarum personarum (iuxta anni 1557. art. 10.) in omnibus obseruentur; ac inter alia, ne praelatis ac ecclesiasticis personis decedentibus, res et bona ipsorum mobilia et immobilia, acquisita, patroni ecclesiarum, praelati, collatores beneficiorum, siue camera regia, fratribus et legatariis eiusmodi defunctorum superstitibus quouis modo, siue praetensione occupent et distrahant: nam et alioquin, quum DD. praelati et ecclesiasticae personae aequali cum Dominis Baronibus, nobilibus libertate gaudeant, aequum est, vt vterque status quoad sua adquisitiua, parem habeant libertatem. XII. Desiderat etiam status ecclesiasticus, vt forma iudiciorum decimalium, secundum contenta articulorum et canonum, ad antiquum suum cursum reducatur, grauaminaque circa praefatas decimas, quae grauissima sunt, tollantur; primo: quod quibusdam in locis decimae et quartae in specie desumi non permittuntur; secundo, quod nonnulli Domini terrestres, tempore arendationis alias consueto emere recusant, postquam vero aliis elocatae sunt, tum demum ea, quae aliis iam arendata fuere, occupare nituntur. Tertio, pactatae arendae a quibusdam integre non soluuntur, vt RR. Episcopo Nitriensi ex Comitatu Trenchiniensi prouenire solita; prout superioribus temporibus idem Comitatus cum Illustrissimo Cardinali D. Francisco Forgách, tunc Episcopo Nitriensi conuenerat; ita etiam decimae agnellorum, ex eo, quod in montibus et siluis pascantur oves, cum ibi, tum in plerisque etiam locis non permittantur percipi. Decimae eadem agnellorum capituli Nitriensis in districtu Baan, per praedicantes Gudnenses colligantur, contra omnia iura; capitulo Jaurinensi in Comitatibus Castriferrei, Soproniensi et Mosoniensi nec in specie colligi permittuntur quartae nec arendae persoluuntur: RR. Episcopo Jaurinensi in dominiis Altenburgh, Eisenstadt, Volkenstain (iuxta anni 1613. art. 19. 1609. art. 17. et 18.) iam a pluribus annis, arenda duorum millium florenorum Rhenen. subtrahitur, et sine vlla arendae pensione tot millia capetiarum frumenti et vinarum vini percipiuntur; ab extirpatitiis quoque terris multis in locis, post euolutionem illorum annorum, quibus eiusmodi terrae a decimatione liberae haberi consueuerunt, contra iura ecclesiastica, domini ipsi terrestres per abusum percipiunt decimas. In plerisque etiam locis nobiles armales, in coloniali fundo residentes, ita cum dominis terrestribus conueniunt, vt certam pecuniae summam eisdem dent, et semet ipsos, quasi alienum aliquem colonum, titulo pignoris in eius pecuniae summa habere volunt loca-

tos; qua via, quia nihil seruitii praestant dominis terrestribus, quasi curiae nobilitates forent, fundi eorum, sessiones colonicales, decimas pendere recusant: quin etiam interuentum alicuius maioris summae pecuniarum, ita cum dominis terrestribus transigunt, vt sessiones colonicales nomine curiarum nobilium eisdem perennali iure vendant; atque sic in fraudem decimarum, contra leges regni, curiae nobilitares subreptitiae multiplicantur: qua ratione in Comitatu Barsiensi, in possessione Kis-Veszekény, aliquot eiusmodi curiae sunt erectae. Vt igitur in hac quoque re libertati ecclesiasticae, decimarumque indemnitati prouideatur, necessarium est. XIII. Conqueruntur etiam Fratres Eremitae Ordinis S. Pauli de Monasteriis ipsorum, praeteritis disturbiorum temporibus, occupatis, vtpote Beregh cum pertinentiis, et Ezen in Comitatu Bereghiensi, S. Spiritus — cum omnibus suis bonis in Comitatu Borsodiensi, Combaszeg in Comitatu Abaujvárieni. S. Catharinae, et de Göntz, cum pertinentiis in eodem Abaujváriensi, S. Michaelis de Vásonkő, in Vesprim. Sáros-Patak cum pertinentiis, in Zemplin. Vrház in Barsien. Tokay, Perua, Chatka cum pertinentiis in Jaurin. et de pluribus aliis bonis. XIV. Viennensibus et tempore coronationis editis articulis directe repugnant ea, quae circa infrascripta templa S. Michaelis Archangeli et S. Georgii M. vna cum schola, ante tempora disturbiorum prae manibus Catholicorum habita, tempore vero disturbiorum ciues ipsi Sopronienses auferentes, etiam nunc prae manibus habent, nec ea catholicis restituere volunt; quod faciunt quoque ciues Modrenses; nam ii quoque tempore disturbiorum occupatum templum, eiecto catholico sacerdote, tenent, sicut et scholas; qui etiam catholicos, inter ipsos degentes, maledictis, vituperiis, idololatrarumque nomine afficiunt, pontificem summum Antichristianum, meretricemque Babilonicam appellantes; siquis autem catholicorum sacerdotum ad catholicos venerit, vt illos aliquo religionis exercitio vel in priuata eorum domo consoletur, eum sanno, scommatis, sibillisque excipiunt; domumque vbi exercitium fit, lapidibus petunt, vt vel hac ratione pium religionis exercitium prohibere possint. XV. Egregius Lengyel Joannes in sua, ac fratrum suorum possessione Hagymás vocata, Lutheranum intertenet praedicatorum, incolis eiusdem possessionis catholicis existentibus, quos ad audiendam concionem Lutheranam sub mulcta florenorum 12. compellit. Idem Joannes Lengyel catholicorum processiones, ad Ecclesiam S. Georgii, in fundo Ecclesiae Vesprimien. fundatam, ab antiquo fieri solitas, in anno 1616. turbauit; volens Lutheranum concionatorem violenta manu, seu armata introducere. Spect. ac magn. condam Dominus Thomas Szécsy, in templum S. Trinitatis, in territorio possessionis Petrocz in Comitatu Castriferrei existens, contra voluntatem incolarum catholicorum et dominorum terrestrium, Lutheranum introduxit concionatorem, catholico sacerdote expulso. DD. Comites a Zrinio subditos suos, ad monasterium S. Helenae, prope Chákorna fundatum, ad diuina audienda ire volentes officia, sub mulcta florenorum 12. ire prohibuerunt. In Paszto, in comitatu Heuesiensi, contra 150. catholicos incolas 12. Caluinistae templum catholicorum inuadentes, paramenta illic abriperunt, et combusserunt; nec his contenti sacerdotem catholicum apud Turcas sinistre deferentes, parum abfuit, quin illum in vitae diseri-

men redegissent, qui magnam etiam Turcarum persecutionem pati debuit. Ex parochia de Arto egregius Barczay et alii domini terrestres, catholicum sacerdotem eiecerunt, et sinistre apud Turcas detulerunt, quasi is exploratorem ageret, et quae ibi fiunt, nostratibus manifestaret: vnde effecerunt, vt sacerdos in vincula coniceretur, et non modico aere eliberaretur. Magn. Dominus Georgius Szécsy, ex pago Deres, in Comitatu Gömöriensi, et alibi catholicos sacerdotes eiecit. Comitatus de Beregh contra voluntatem magn. D. Georgii Melich et subditorum suorum Catholicorum, in possessione eiusdem Melich Barkasso, in districtuque fluuii Latorcza, residentium, praedicantes destinavit, nec permittit illis catholicorum sacerdotum intertentionem et liberum religionis exercitium. Magn. D. Paulum Rákóczy et generos. D. Martinum Moriz, Comitatus de Torna compellere nititur ad salarium praedicantibus pendendum, quum tamen eiusmodi praedicantes nulli eisdem sint vsui, et commodo. Contra voluntatem potiorum dominorum terrestrium et incolarum, maiori numero catholicorum, in possessione Zavar, in Comitatu Poseniensi, templum est ablatum; ita et in bonis Dominorum Rákóczy, in possessionibus Mosticzka, Huzlini, Hrabotz, in quibus catholici resident. Ita etiam in ciuitate regia Szokolczensi pauci nobiles alienae professionis praedicantem introduxerunt; vbi nunquam eiusmodi professionis exercitium fuit; et in cuius receptionem nec senatus, nec communitas vllum assensum praebuit. XVI. Multae filiales ecclesiae, vna cum suis sedecimis et prouentibus, ab ecclesiis parochialibus, prae manibus catholicorum existentibus, auulsae sunt, vt pagus Pulacz magn. Domini, Stanislai Thurzó a parochia Diakensi, a Viskupitz penes Nagy-Ban, et Kis Kleun, a Riben Statocze, a Drietoma Koztolna, superior Drietoma et aliae; Atskatzan pagus nobilium, a Kis Apathy, Lontza, ab Alsó Rakoncza, Felső Rakoncza, a Könyök Lehota, a Cseten Szolos, a Nagy-Sarló Kis Sarló, a Barems, Ivánka, a Nitriensi Parochia Köröskén, et Nagy Emöke et aliae multae. XVII. Iniquum etiam est, vt in templis dominorum terrestrium catholicorum, et quidem ecclesiasticorum; alienae professionis praedicantes sua exercitia peragant, et domini ipsorum terrestres a diuinis peragendis ibidem arceantur, qualia templa sunt perplura. XVIII. Clastrum Franciscanorum in oppido Galgócz ante disturbia erat Franciscanorum, quod tamen post ea disturbia est ipsis ablatum. XIX. In possessione Vecze sepulturam coniugis magn. D. Mathiae Somogy non admiserunt, eo quod catholica fuerit; ita et in Galantha sepulturam filii egregii condam Thomae Baranyai. In possessione Tecze consortem nobilis Michaelis Horuáth, catholice defunctam sacerdotis, ritu catholico sepelire volentes, incolae eiusdem possessionis armata manu repulerunt. XX. In plerisque bonis dominorum catholicorum tanta violentia irrepsit, vt non requisitis Dominis terrestribus, neque etiam populo, superintendentes propria auctoritate, quos volunt, praedicantes constituent. XXI. Domini in bonis Holitsiensibus sedecimas, plebanis debitas, adimunt et suis praedicantibus attribuunt. XXII. Quantum attinet ad infinitas iniurias, ipsis personis ecclesiasticis et secularibus catholicis per homines alterius professionis illatas; non exigua est illa, quod superioribus temporibus, dum RR. condam Nicolaus Mikacs, Episcopus Varadiensis, in quodam

pago suo pacifice constitutus fuisset; tunc ibidem haidones spect. ac magn. D. Francisci de Battyán, ipsum adorti, diris verberibus affecerunt, usque ad aliquot ipsius dentium excussionem, nullo plane tanti viri casum et calamitatem vindicante. Non multis post annis reu. condam Stephanum Csemetei, alias praepositum Castriferrei, in curia eiusdem capituli pacifice constitutum, nocte intempesta, 25. circiter equites, maiori ex parte nobiles, aggressi, plusquam 24. plagis vulneratum crudeliter trucidarunt; qui tamen etiamnum impune vagantur; articulo quoque OO. Constitutionum anni superioris, superinde statuto, necdum effectuato, quem status ecclesiasticus quam primum effectuari postulat. Reu. quoque Georgius Tömördi, Canonicus Castriferrei, tempore vindemiae, in bonis eiusdem capituli, circa prouentus colligendos nomine Capituli constitutus, per haidones praedicti D. magn. Battyányi grauiter vulneratus; ac nisi fuga sibi consulisset, ibidem per ipsos interemptus fuisset; qui quidem haidones, vt fertur, aggrauati sunt iudicialiter, nec dum tamen puniti. Similiter ratione honorabilem Michaellem Maurouich, Vngensem Archi-Diaconum, canonicum Ecclesiae Agrien. constitutum inuaserunt, cruentarunt atque ad placitum usque verberarunt. XXIII. In possessione Leben incolae, maiori ex parte Croatae ac catholici, de sacerdote catholico non ita pridem prouiderunt, aliquot duntaxat Hungaris alienae professionis ibidem existentibus; quem tamen sacerdotem mirum quantum affligunt, alienae professionis ibidem existentes. Nam non ita pridem graui quoque vulnere affecerunt, ac alias diuersis vicibus impetum in eum fecerunt, parochia expulerunt, fugaque sibi consulere fecerunt. Illud valde dirum est, quod sub praesentia diaeta cum Petro Dischlerich, in Aisgrub parcho, actum est in Bazin; venerat is cum aliquot suis parochianis ad forum nundinale Bazinium, emturus aliquem victum suis messoribus futuris. Interrogatus ibi a quodam ex Schuarzbach: „Quid haberet noui? respondit: id quod bohemicus exercitus esset caesus.“ Quod audiens quidam Baziniensis subintulit: „Vos bestiae, et inepti sacerdotes, in causa estis, quod hi tumultus oriantur.“ Quum autem parochus videret, multos concurrere fuga coepit sibi consulere. Sed comprehensus, ac in terram deiectus, vulneribus in capite acceptis, plurimis lapidibus est oneratus et obrutus; estque nunc quoque sub cura chirurgi. Anno superiori, circa festum Transfigurationis, nobilis Joannes Töke, parochum Körtueliensem in Scepusio gladio adortus, enormibus conuiciis affecit, quin et templum, admotis scandalis, et scandulis, forniceque perfractis, violauit. Passim autem Capituli Scepusiensis sacerdotes in eorum bonis, grauibus et turpibus vituperiis afficiunt nobiles; quibus etiam mortem minantur, quod illorum funus ad sepulturam non debitam admittere recusent. R. D. Stephanus Tolnai, ad praesentem diaetam Capituli Agriensis nuncius, cum altero Canónico Agriensi, in oppido Solna, ad comitia veniens, enormibus conuiciis affectus est: atque huiusmodi christianam salutationem audiuit in hospitio proprio, sub vespertino tempore: O vos papistae! omnes vos his diebus delebimus.“ Concionator in Pataháza degens, canonicos Jaurinenses totidem boues; ac aliquem ex illis meretricis quoque filium, non est veritus vocare; quin delegatum capituli dicti sub hac diaeta, in hac ipsa ciuitate iniuriosis verbis af-

fecit, ipsumque adeo totum capitulum veritati aduersans ausus est dicere. Illi quoque, qui ad exequutiones ex capitulis et conuentibus emittuntur, identidem grauissimis iniuriis afficiuntur. Non ita pridem capitularis Poseniensis, Georgius Nagy, cum mandato suae Maiestatis ad Modrenses ciues emissus, graui iniuria est affectus: nam cum mandatum Judici exhibere voluisset, excussit ex manibus eius mandatum; cum autem sublatum mandatum magistro ciuiam iterato exhibere voluisset, ab illo multis verbis iniuriosis est affectus, his inter caetera: „Tu pfaff, esses dignus, qui hic lapidareris.“ Parochus Szelchensis, in Comitatu Liptouiensi, oppidum Rosenberg ingressus, ad peragendas res suas necessarias, cachinnis, sibillis, ac lapidum iactu in ipsum facto, est exceptus. Parochus Schenkwitzensis Andreas Pandorffy, idemdem grauissimis afficitur iniuriis a Baziniensibus; internecioni eum dedissent nuper, si se non subduxisset. In parochiam ipsam Baziniensem, sub hac ipsa Diaeta, bombardas exonerarunt iidem Bazinienses, ob sacerdotem catholicum in eadem degentem et existentem, qui etiam ad arcem ob eosdem, securitatis causa, fugere debuit. XXIV. Comitatu Aruensi, populo catholico existente, alienae religionis concionatores intertenentur, eiectis catholicis parochis; subditis autem ipsis sub poena ã. 12. interdicitur, ne in Poloniam confessionis faciendae causa, vel in processiones proficiscantur. Non abludit, quod Mag. D. Batthyányi in suis bonis facit. In pariete templi Marothensis Concionator ibidem degens, in contemptum summi pontificis, scropham, tiara pontificali coronatam, depingi curauit. A Ciuitatibus autem Bartfa et Eperjes sub graui poena prohibetur, ne catholici ob exercitia catholica ad vicinos pagos egrediantur. Magnificus D. Caspar Illésházy, sub poena floren. 12. prohibet, ne sui subditi, ad festum natiuitatis Domini, religionis ductu, domos suas stramine insternant. Plerique catholici incolae possessionis Percze, ad praeposituram Jaszouiensem spectantis, in praesentiam seniorum caluinistarum citati, ab iisdem mulctati sunt eo, quod Catholici sacerdotis concionem audiuerint. Sanctimoniales de Valle Vesprim, in oppido Körmend degentes, ob iniurias praedicantium et militum, ibidem residentium, comminationes, exercitia sua spiritualia peragere nequeant, potissimum vbi statis diebus confessionis, communionis et sacri celebrandi gratia, sacerdotem catholicum eo vocari curarent. Vaiuoda in abbatia S. Martini, sacri montis Pannoniae constitutus, Domino Archiabbate eiusdem abbatiae inuito, immo saepius reclamante, catholicisque Jaarinensibus deuotionis causa pietatis exercitia subinde ibi peragentibus, praedicantem alienae professionis accersit, et in contemptum gloriosissimi fundatoris, eiusdem monasterii, ex aduerso catholicorum Sacerdotum, concionari facit; id quod nunquam alias ibidem contigit. Religionem Catholicam in Vjhely potissimum a quodam Nicolao Neszarich, alias Bornemisza, id temporis tricesimatore caninam fuisse appellatam, docet inquisitio super hac re facta. Idem fecit etiam superintendens Bit-sensis ipso festo natiuitatis Domini, pro publica concione. XXV. Conqueritur etiam status catholicus grauissimam sibi fieri iniuriam, quod contra publicas regni constitutiones, quibus Jesuitis permittitur in Hungaria permanere, magnis cum iniuriosorum

verborum aculeis vrgetur a nonnullis tantum, etiam ad quos minime pertinet, vt regno excludantur. Certo liberum religionis exercitium id secum fert, vt quisquis suae professionis doctores, quos vult penes se habeat. Sicut igitur praescribi sibi nolunt alii, quosnam concionatores habeant, ita aequum non est, vt ex praescripto alieno catholici sacerdotes admittantur, vel excludantur. Si quid a quopiam Sacerdote peccaretur; coram legitimo suo magistratu iure conueniatur, et quisquis pro demerito puniatur. XXVI. In Garbotz, Bester et Oltsvár possessionibus, ad abbatiam Széplak, archicapituli Strigonien. pertinentibus, templa solum a tempore motuum Bocskaianorum coeperunt occupari, quae quum per D. Palatinum essent restituta, violenter sunt tradita praedicatoribus alienae religionis per Comitatum Abaujváriensem. XXVII. Exercitus praesidii Strigonien. ex parochia, ibidem fundata, sacerdote catholico excluso, eam cum campana occupauit. Item beneficium S. Dorotheae Sopronii fundatum, post motum Bocskaianum, ademptum est a catholicis: quod dum RR. Stephanus episcopus Chiki non ita pridem sibi conferri petiisset; responsum accepit, propterea non posse conferri, quia ex eius prouentibus concionatores Sopronienses intertenerentur. Praeterea beneficium quoque S. Catharinae Poseniense totum desolarunt: prouentus variorum beneficiorum et altarium iidem ciues percipiunt, et in alienos a fundatione vsus conuertunt: de quibus omnibus inquisitionem fieri, et omnia sub hac diaeta restitui, postulant catholici. Custodi Poseniensi, census molendinorum in Danubio, a terris S. Gothardi prouentus iidem ciues Posenienses denegant. XXVIII. In decimalibus vinis, in ciuitatem Poson. inferendis, contra manifesta priuilegia, impedimenta et vexationes Posenienses faciunt; prout anno praeterito, tempore vindemiarum factum est. XXIX. Demum in castro Chornensi Seruitores D. Pauli de Nádasd, quas impertinentias, sacrilegia circa SS. Eucharistiae sacramenti in terram projectionem, conculcationem, rapinas, vinorum et aliarum rerum profusionem, et ablationem commiserint, graui cum querela praepositus Chornensis superior quoque in diaeta statibus proposuit. XXX. Generaliter vero dici non potest, totus Status Catholicus quantopere se grauatum esse sentit in eo, quod, licet status August. et Heluet. professionis beneficio liberi exercitii religionis tam quoad templa, quam concinatorum intertentionem in bonis suis, pro arbitrio fruuntur; solum tamen statum catholicum hac libertate de dispositione in bonis, contra manifestum pacificationis Viennensis tenorem, priuare conantur. Anno 1619. Acta Comit. pag. 377. sequ.

Ex his, qui aequus est, aduertere poterit: A catholicis, qui pro lubitu sententias suas alijs obtruserant, praedicatores dederant, templa ademerant, ad compartesque transtulerant. Catholicos legentes reclamasse duntaxat; ex aduerso Catholicis, qui eodem modo missis doctoribus, Jesuitarum praecipue opera, multos segreges, naufragos ad fidem matris Ecclesiae reuocarunt, iure suo patronatus sacris curionibus, ac templis prouiderunt, A catholicos vi et potentia se opposuisse per nefas: in res sacras grassatos, in ministros saeuisse, Jesuitas persecutos fuisse! Quantum inter ipsos discrimen! — A catholicis constitutione Viennensi, articulisque ante coronationibus haud contenti, causae suae iustitiam in vi et armis reponebant. In comitiis praesentibus, inter al-

tercaciones ad mensem vsque Augustum productis, sancitum communibus votis nihil; semen seditioni Bethlehniarum, ac subsequentibus bellis iactum.

Quam iniuste, quam despotice sint Catholicis sua templa ademta, docent literae, quibus Gabriel Bethlen templum Catholicis Szakolczensibus adimi ac Lutheranis tradi iussit, Posenii 12. Jan. 1620. MSS. Kaprinay sub B. tomo XIX. nro 25. pag. 103.

98. *Litterae DD. Praelatorum ad Ill. ac RR. D. nuncium Apostolicum protestatoriae, contra literas D. Palatini diploma regium, pro libertate religionis male interpretantis. A. 1621.*

Illustrissime ac Reuerendissime Domine Domine nobis colendissime. Coram Illustrissima ac Reuerendissima dominatione vestra tanquam nuncio Sanctissimi domini nostri, et Sanctae sedis Apostolicae ex debito officii nostri munere proponendum duximus: Sacratissima Caesarea atque Regia Maiestas, Dominus Dominus noster clementissimus, ad componendos Hungaricos per Bethlemium excitatos tumultus, certum quoddam diploma Palatino Regni Hungariae pro assecuratione conseruationis libertatum, pro adhaerentibus Bethlemio dederat, in quo primum nulla religionis mentio fuit, postea tamen ad instantiam eiusdem Palatini renouato diplomate mentio Religionis inserta est. Et licet Maiestas sua clementer sese declararet, petitam Religionum libertatem nolle aprobare, neque ex formula, et contextu verborum eiusdem diplomatis colligi possit libertatem concessam esse: Nihilominus quandoquidem ex literis quibusdam dicti Palatini manifeste colligimus, ipsum, nomine publico, praenotatum diploma recipientem, eo sensu et interpretatione insertam Religionis mentionem accepisse, quasi libertas Religionis omnimode concessa, ac roborata esset; ne ex hoc male interpretato sensu in futurum Religioni catholicae aliquod detrimentum emergat, praedictam voculam (Religionis) nobis insciis, multo minus consentientibus, diplomati adiectam esse, solenniter protestamur, dictoque sensui, et interpretationi bene mente diploma concedentis suae Maiestatis alienis, et praetensae concessionis nostro, et totius Cleri catholici Regni Hungariae nominibus et in personis contradicimus omni meliore modo, et forma literasque potestatorias, et contradictorias de praenissis ab Illustrissima ac Reuerendissima dominatione vestra pro futura cautela nobis dari, et concedi postulamus. Viennae 11. Maii 1621. L. S. — Indidem.

99. *Litterae D. Palatini ad regem, quibus significat, se diploma regium, cui nomen religionis specificè insertum est, sub suo palatinali sigillo authentico, in paribus, cunctis committatibus communicaturum. A. 1621.*

Sacratissimae, Romanorum Imperatori, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regiae Maiestati etc. Domino Domino clementissimo: Sacratissima Caesarea, Regiaeque Maiestas, Domine Domine Clementissime! Fidelium seruitiorum meorum in gratiam Maiestatis vestrae sacratissimae demissam perpetuamque submissionem. Maiestati vestrae sacratissimae humillimas ago gratias,

quod pro visu conseruationis Regni sui Hungariae benignum suum diploma in testimonium Regiae et innatae suae clementiae iuxta exilem meam correcturam hesternae die mihi transmittere dignata est. Quod vero in prioribus meis litteris eius fuerim opinionis, ut puncta duntaxat diplomatis Regnicolis transmitterentur, id potissimum fuit causae, quod non nesciam Regnicolas vim totam libertatum suarum in libero Religionis exercitio collocare. Jam vero, cum et nomen Religionis insertum sit specificè in Regio suo diplomate, ut eo certior fides constet, de paterno plane affectu, et Clementia Majestatis vestrae, ut ne vlla supersit legitima vnde cunquæ sumptae praetensionis causa, memoratum Maiestatis vestrae sacratissimae diploma omnibus comitatibus Regni sui Hungariae in paribus authentice sub sigillo meo Palatinali demisse censui includendum. Existimo hac ratione intellecta Maiestatis vestrae clementia non habituros quid vltra iuste praetendere possint, et si vel maxime hoc diplomate pro voto illorum expedito praetendere quidpiam volent, temeritatis et pertinaciae illud merito argui posset, suppeteretque Maiestati vestrae excusata coram toto mundo animaduersionis occasio. Porro iam quod mearum partium est nihil intermittam in maturanda publicatione huius benigni sui diplomatis, in idque omni studio incumbam, ut legitimae Maiestatis vestrae potestati totum Regnum quantocius asseratur. In reliquo Maiestatem vestram Sacratissimam feliciter valere desiderans. Datum Posonii die 4. Maii Anno 1621.

100. *Idem Ferdinandus articulos ante coronationem praescriptos confirmat, assecurationemque iterat. A. 1621.*

Nos Ferdinandus II. — memoriae commendamus — quod quum nos fidelibus nostris, DD. Praelatis, Baronibus, magnatibus, nobiles caeterisque SS. et OO. regni nostri Hungariae et partium ei subiectarum, tum ut turbato regni statui consuleremus; tum ut, intestinis motibus sublatis, almaque pace postliminio restituta, publicis eiusdem regni nostri necessitatibus, pro pio paternoque affectu nostro, clementer subueniremus, generalem congregationem ad Dominicam „Quasi modo“ hoc est, 3. diem praeteriti mensis Aprilis, anni 1622. in liberam regiamque ciuitatem nostram Soproniensem benigne indixerimus, eundem terminum postmodum certis ex legitimis de causis in alium terminum, hoc est ad 1. elapsi mensis Maii eiusdem anni prorogauimus; iidemque vniuersi SS. et OO. in praefata ciuitate nostra Soproniensi ad mandatum nostrum congregati, quum super iis, quae nobis salutem eiusdem regni nostri concernere videbantur proposuissemus, mature et accurate consultassent, maiestati nostrae infrascriptos articulos, in eodem conuentu generali communibus ipsorum votis et suffragiis, parique et vnanimi consensu conclusos, praesentarunt; supplicantes nobis humiliter, ut omnes et singulos eos articulos, omniaque et singula in eis contenta, ratos et gratos et accepta habentes, nostrumque regium consensum illis praebentes, auctoritate nostra regia, clementer acceptare, approbare, ratificare, et confirmare atque tam nos, ipsi obseruare quam per alios omnes, quo-

rum interest, observari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor talis est: — Art. II. „Recordantur fideles SS. et OO. huius inclyti regni Hungariae, tempore felicitis inaugurationis SS. C. Rque Maiestatis, Domini ipsorum clementissimi, in regem Hungariae ad calcem conditionum, per Suam Maiestatem acceptatarum, talem annexam fuisse assecurationem, vt nimirum tempore suscepti regiminis diploma, super iisdem conditionibus emanatum, generalibus regni constitutionibus inseratur, et publicetur. Quum igitur Sua SS. C. Maiestas regni huius incliti regimen suscipiens, iam Deo bene propitio, feliciter regnet, et etiamnum clementer in id ipsum annuat; visum est iisdem SS. et OO. praetactum diploma generalibus ipsorum constitutionibus verbotenus inseri, inscribique facere. Cuius quidem tenor incipit in hunc modum: Nos Ferdinandus (vt supra 1618.). Nos itaque (vt supra). Datum in ciuitate nostra Vienna, die 18. Mensis Augusti anno Domini 1622. Regnorum nostrorum Romanorum 3. Hung. et reliquorum 5. Bohemiae vero sexto.“ Ex corpore Juris Hung.

Idem Ferdinandus II. Franciscum Forgách, A. Episcopum Strigon. rogat, vt praeposituram Thurocensem ad manus commissariorum suorum resignet. — Anno 1621. — Kaprinay MSS. sub B. tomo 59. nro 84. p. 266.

101. *Articuli sub Ferdinando II. in bonum religionis catholicae decreti ab anno 1619 — 1635.*

Decreti I. Soproniensis Anno 1622. Art. 16. „Qui sigilla et protocola capitulorum et conuentuum detinere praetenderentur, ne exinde aliquae fraudes in periclitationem iurium plurimorum, subsequantur; visum est Statibus et Ordinibus, vt ad instantiam eorum, quibus competit, per Dominum Palatinum, medio vnus Iudicis Regni ordinarii, vel Magistri Protonotarii, aut testimonii alterius capituli vel conuentus, exinde requirantur. Qui si eadem apud se existerè negauerint, extunc in termino et loco per eundem Iudicem vel Magistrum aut testimonium capitulare seu conuentuale praefigendo, vigesimo quinto se nobilibus, iuramento sese coram eisdem expurgare teneantur; si vero iuramentum omiserint, vel autem restitutionem sigillorum et protocolorum contumaciter recusauerint, extunc ad instantiam Fiscus Regii ad proxime affuturam dietam euocentur, ibique comperta rei veritate, tanquam falsarii conuincantur.“ Art. 70. „De decimis, et earum exactione renouatur art. 45. anni 1618. hoc addito, vt si decimatores vsque ad festum S. Aegidii Abbatis ad decimandum non exiuerint, ex tunc liberum sit rusticis frumenta ipsorum conuehere. Quod si autem Decimatores frumentum in aceryos, vel horrea conuectum perlustrare voluerint, id ipsis liberum sit, iuxta art. 41. anni 1486. Hoc loci cauetur et id, ne Domini terrestres arendas pro decimis tempestiue deponentes, per potentiores Dominos terrestres ab arendationibus excludantur. Si qui porro tale quid attentauerint, contra tales liceat damnificatis, tanquam de violentia, vigore breuium articulorum in comitatibus litem mouere, ac iuris ordine procedere.“

Decreti II. Sopron. anno 1625. Art. 61. „Ob certos eosque rationabiles respe-

ctus Status et Ordines vnanimiter concludunt, vt in posterum semper futuris temporibus Praepositus Zagrabiensis pro tempore existens, peculiaribus literis regalibus vocetur ad comitia, et intra Dominos Praelatos, Barones, et Magnates locum et vocem habeat; similiter vnus ex ablegatis regni Slaunoniae, inter Magnates vocem habeat, reliquis ablegatis inter regnicolas solitum lorum et suffragium retinentibus.“

Decreti IV. Sopronien. Anno 1635. Art. 46. „Cautum erat art. 53. anni 1618. ne personae Ecclesiasticae ac Nobiles, in confiniis domicilia habentes, condescensionibus militum aggrauentur, et quia Sua Maiestas se id ipsum demāndaturam clementer obtulit; statutum est, vt Praefecti confiniorum in posterum tenoribus praescripti articuli sese accomodent.“ — Art. 85. „Ex quo capitulum Ecclesiae Wesprimiensis ab expeditionibus literarum authenticarum, executionibusque capitularibus iam olim cessauerat; iam autem ex singulari Suae Maiestatis prouidentia et benignitate restitutum, bonis suis fruitur, et gaudet; decretum est, vt accepto sub hac dioeta sigillo authentico, et literas expedire, et executionibus capitularibus in suo districtu perfungi possit et valeat.“

102. *Propositionum regiarum articuli eodem in merito pro Cancellarium Regni dati anno 1622.*

Artic. X. Multa bona ac iura possessionaria ecclesiarum, praesertim in ditone Turcarum existentia, per defectum seminis aut aliter qualitercunque vigore donationum impetrata fuere per homines non ecclesiasticos; neque huiusmodi donationibus inserta semper fuit vsitata illa clausula: si ad aliquam Ecclesiam non spectauerit; idcirco notum facit Sua Maiestas Statibus regni, nunquam fuisse eius intentionis, vt bona et prouentus qualescunque semet Deo et Ecclesiis donatos, adimeret ac secularibus daret; quum id iuste fieri non posse, diuina ac huius etiam inclyti Regni iura clament. Declarat igitur Sua Maiestas, eiusmodi donationes honorum ecclesiasticorum, quocunque titulo et quocunque modo factas, omnino inualidas esse.“ XVII. Quamvis non desint articuli, anterioribus annis super praestatione et collectione debita decimarum editi; fit tamen plerumque, vt, iis postpositis, passim in comitatibus vigeat quandoque summa difficultas ratione earum decimarum diuerso modo agendi in contrarium. Quamobrem priores articuli, super praestatione decimarum editi, videntur adhuc seuerius declarandi; quatenus eadem decimae rite, recteque administrantur, proposita poena contra tales, qui difficultatem facerent.“ XXIV. Postulat tandem Sua Maiestas, vt iuxta antiquas diuorum Hung. regum constitutiones, circa Anabaptistas editas, qui, tamquam clancularie in nonnullas regni partes irrepentes, sacroque ritui baptismatis contumelioso exercitio, publico cum scandalo, ac in despectum sacri dogmatis, etiam christianos, in dogmata sua pellectos, rebaptizare audent, ex domiciliis et sedibus amoueri, ipsosque, regno deinceps non admittendos, excedere debere, constituent.“ Anno 1622. — Ex MSS. Battyánianis.

103. *Petrus Pázmány, A. Ep. Strigoniensis, seminarium cleri Junioris et Academiam Tyrnaviae fundat, ac dotat. A. 1624.*

Nos Petrus Pázmány, miseratione diuina, archiepiscopus ecclesiae metropolitanae Strigonien. locique eiusdem comes perpetuus, Primas regni Hungariae, legatus natus, summus secretarius, cancellarius, ac sacratissimi Principis et domini, D. Ferdinandi II. electi Rom. Imperatoris S. A. ac German. Hung. Bohemiae etc. regis etc. intimus Consiliarius, damus pro memoria, quod, quum ad officii pastoralis curam ac sollicitudinem illud vel maxime pertinere intelligamus, vt Catholicae religionis et honestarum disciplinarum ruinas, quas vel bellorum strages, vel haereticorum fraudes intulerunt, quantum, Deo auxiliante, valemus, pristino nitore restituamus; idcirco conatus omnes eo direximus, vt vias ac rationes auitae religionis ac eruditionis in integrum restituendae solícite indagemus, atque inter has ipsas intestinorum metuum clades, pro virium ac facultatum nostrarum tenuitate incunctanter, Deo duce, arriperemus. Quum igitur animaduertamus, vt in semente spem messis, ita in iuuentutis proba educatione religionis catholicae et probitatis resarciendae summam consistere, diu multumque anxie laborauimus, vt modum adinueniremus, quo nobilis iuuentus, tenuioris praesertim fortunae, in religione ac eruditione ita educetur, vt aetate maturescente ornamento esse possit et subsidio patriae; ecce Deus optimus, pro singulari sua clementia, desiderio ac precibus nostris occurrens, modum ostendit quem optare magis, quam sperare poteramus. Nam, licet a sanctissimis Hung. regibus ex monetae cusione certi quidam, nec contemnendi redditus archiepiscopo Strigoniensi fuerint assignati, ita quod ex singulis argenti, auriue, cusi vel non cusi, marcis pisetum vnum, hoc est quadragesima octaua pars marcae, certo ac infallibiliter assignaretur; tamen hos redditus ab anno dom. 1573. quo diem suum obiit felicitis memoriae Antonius Verantius, archiepiscopus Strigonien. vsque ad annum 1625. per quamdam vsurpationem, camera Cremniczensis percipiebat, nihil quicquam praedecessoribus Archiepiscopis intra hos quinquaginta annos ex eo prouentu repraesentando. Verum inuictissimus imperator ac rex Hung. Ferdinandus II. visis autenticis ac aliquorum seculorum continuo vsu roboratis, archiepiscopatus priuilegiis, habito etiam respectu fidelium obsequiorum nostrorum, cum alias semper, tum in hisce superioribus patriae motibus, exhibitorum, ex innata sua clementia redditus piseti archiepiscopatu restituit, eo libentius quod intelligebat sua Maiestas, bonam horum reddituum partem nobilium iuuenum seminario erigendo a nobis destinari. Quod igitur Deus praepotens ad sui nominis aeternam gloriam, ad ecclesiae Catholicae incrementum, ad vtilitatem afflictae patriae nostrae bene feliciterque vertat! accedente SS. D. N. Urbani PP. VIII. ac suae C. Rq. Maiestatis, nec non venerabilium fratrum nostrorum, capituli ecclesiae metropol. Strigon. consensu pariter et assensu ex redditibus piseti Cremnicziensis, per nos recuperati, annis singulis 5000. florenorum Hungaricorum, ad honestam sustentationem nobilium iuuenum Hungarorum, in perpetuum applicamus, ita vt quolibet anno ad festum purificationis immaculatae Virginis Mariae 2500. floreni Hungarici, ad festum vero assumptionis eiusdem Deiparae,

patronae Hungariae alii 2500. flor. Hungar. certo et infallibiliter pro vsu seminarii in manus regentis repraesententur, vel Tirnauiae, vel quo transferri contingeret seminarium in casu mox declarando. Ad quam summam, rite fideliterque persoluendam non solum sub poenis ecclesiasticis, sed etiam sub indignationis regiae vinculo, in approbatione huiusce erectionis declarato, successores archiepiscopi teneantur, et sint obligati; ita quidem, vt, iuxta Pontificis maximi assensum, ac regiae Maiestatis assurationem futuris semper temporibus, Reges Hungariae, facto in Camera Cremniciensi piseti aresto, in dupplo dictam pensionem ab archiepiscopo exigant, qui ad praefixos terminos expressam antea pecuniariam summam in manus regentis seminarii, non assignat. Huius vero seminarii, Tirnauiae in domo ad id specialiter deputata, per nos erecti, administrationem totalem, ac integram admodum RR. patribus S. J. Tirnauiae commorantibus, infrascriptis conditionibus committimus — — Rogamus itaque atque sub interminatione tremendi iudicii obsecramus, non solum huius sedis nostrae archiepiscopalis successores, verum etiam ven. Capitulum Strigon. adeoque patres ipsos S. J. vt huius nostrae foundationis tenorem in omnibus suis punctis ac clausulis obseruari faciant. Et ne huius foundationis memoriam vlla temporum longinquitas obliteret, tria exemplaria nouae huius erectionis seminarii confici curauimus, quorum vnum patribus S. J. alterum Capitulo Strigoniensi, tertium capitulo Posoniensi assignauimus. Datum Posonii 20. Augusti, sancti Regis nostri Stephani natali. Anno Domini 1624. E confirmatoris regis Ferdinandi, Viennae die vltima Augusti 1624.

Nos Petrus miseratione diuina S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbiter Cardinalis, Pazmanus, metrop. Eccl. Strigon. archiepiscopus, — Saepe nobiscum anxie expendentis, qua ratione et catholicam religionem in Hungaria propagare, et nobilissimae gentis Hungaricae dignitati consulere possemus; inter caetera adiumenta primarium illud occurrebat, vt aliqua studiorum vniuersitas erigeretur, in qua et animi bellicosae nationis mansuescerent, et idonei tam regendis ecclesiis, quam reipublicae administrandae informarentur. Neque nobis animus aut conatus ad hanc rem defuit: verum clades patriae et aliae cumprimis necessariae foundationes hucusque, quominus desiderio nostro satisfacere possemus, oberant. Nunc vero, quoniam, Deo benedicente conatusque nostros coelesti fauore prosequente, aliquae nobis facultates suppetunt, quibus, si non pro rei magnitudine, certe pro afflictae huius patriae conditione, aliquid cum gratia Dei facere posse, videmur. Egimus cum A. R. P. Mutio Vitelesco, S. J. praeposito generali, vt erectioni Vniuersitatis in collegio Tyrnauisiensi patrum S. J. assentiretur; eiusque curam omnem ac gubernationem in societatem recipiendo, sequentibus conditionibus et modis administrare velit. — Quum igitur pro zelo gloriae Dei, ac religionis promouendae nostram oblationem nomine societatis vniuersae P. generalis acceptarit; nos quoque, vltra priorem iam factam, et in omnibus punctis illaesam permanentem collegii Tyrnauiensis foundationem et redditus alios, quos hucusque habuit Collegium Tyrnauicense; R. P. Georgio Dobronoky, rectori collegii S. J. Tyrnauiensis, simul ac semel in talleris 60. millia florenorum Hungari-

corum per manus tradidimus; insuper liquidi debiti syngrapham caesaream 40. millium florenorum per eundem P. rectorem societati consignauimus, vt sic in toto 100,000. florenorum summa constitueretur. Hanc igitur summam volumus, imprimis extra Hungariam in loco securo, vel emtioni bonorum vtilium, vel censibus constituendis societas applicet, vt ex fructibus illius summae et collegii cum scholis aedificatio a fundamentis acceleretur, et professores necessariis sustententur. Finito collegii et scholarum aedificio necessario, et toto etiam 100,000. florenorum Capitali ad censum vel ad bonorum emtionem plene elocato, ex eius postmodum censu totali 1000 floreni annui pro nutrimento pauperum studiosorum in bursa S. Adalberti, per nos Tirnauiæ erecta (etiamsi dicta bursa commutatione domus alias in aedes transferretur) applicentur. Haec tamen pensio, vti praemisimus, non obligat societatem, nisi et dicta aedificia absoluantur, et residua etiam 40,000. e quibus solis pensioni bursae S. Adalberti prouisum in 1000. florenis volumus, a sua Caesarea Maiestate ad bonorum vtilium aut census emtionem obtineantur et elocentur. Quod si successu temporis, Deo Hungariam a Turcico iugo liberante, oportunior. vrbs occurrat pro vniuersitate, liberum sit societati hanc nostram fundationem vna cum vniuersitate alio transferre; dummodo tamen extra dioecesim Strigoniensem non extrahatur, et collegio etiam Tirnauensi prior sua fundatio permaneat illaesa. Si autem, quod clementissimus Deus auertat! Vniuersitas in Hungaria continuari non posset; sed iniuria hostium externorum aut domesticorum patres Societatis exesse contingeret, vt spes alicuius breuis redditus omnino interciperetur, obligata sit in hoc casu societas censum ac fructum praedictae summae capitalis in vsum clericorum Hungarorum ita extra Hungariam erogare, vt sacerdotio idonei iuuenes erudiantur, ac sacris initiati, in Hungariam redire sint adstricti. In casu absentiae patrum societatis ab Hungaria, si spes sit, nonnisi breui annorum decursu abfuturam, seruari volumus interim censum omnem, ad reparanda post reditum collegii damna, quae in eiusmodi motibus euenire solent, vel ad prouidendum personis alio migrantibus, censualem pecuniam applicari. Quod si vero, post quoscunque annorum decursus, rursus in Hungariam redire, ac vniuersitatem continuare societati integrum erit, volumus immutabiliter, vt clericorum educatione cessante, summae, a nobis assignatae, fructus ad priorem vniuersitatis vsum a patribus applicetur, vniuersitas continuetur. Tenebitur etiam societas Tirnauiæ hoc ipso praesenti anno 1635. vnum cursum philosophicum inchoare; successiuis vero consequenter annis tres philosophici cursus vna cum Ethica et Mathematica habeantur, cum duobus scholasticae Theologiae professoribus; insuper vnus sacrae Scripturae interpres, casuum alter, tertius controuersiarum, sicut et linguae sanctae professor in hac vniuersitate sint; promotionesque ad gradus academicos, more alibi consueto, peragantur. Successoribus autem nostris, archiepiscopis Strigoniensibus, ac sede vacante, capitulo Strigoniensi, etsi nullum aliud ius in hanc vniuersitatem, per nos erectam, concedi volumus praeter illud, quod iure communi concessum est ordinariis locorum, eisdem tamen successoribus, ac sede vacante, capitulo Strigoniensi auctoritatem damus, vt obligationes, hisce literis nostris specificatas,

et a Patribus S. J. acceptatas, diligenter adimpleri, et obseruari facere possint et teneantur; salua tamen in omnibus Professórum quiete, saluo item lectionum cursu et modo societatis, quem iuxta suum institutum, in regendis seruat academiis. Successoribus item nostris, ac sede vacante, capitulo Strigoniensi Vniuersitatem hanc valde commendamus, et commendatam esse volumus. Quae omnia, vt a nobis pura et sincera intentione religionis catholicae promouendae, ac patriae carissimae subleuandae fiunt, ita Deum optimum ex animo precamur, odoretur sacrificium hoc bonae voluntatis, fundationique vberem benedictionem largiatur, vt magnum nomen eius laudetur, et glorificetur in aeternum. Datum Posonii in curia nostra archiepiscopali, XII. mensis Maii, anno 1635. Petrus, S. R. E. presb. Card. Pazmány, Archiepisc. Strigon. — E Confirmatoriis Ferdinandi II. a me in Historia Vniuersitatis Pazmanio-Theresianae Regiae editis.

Clemens Papa XI. Petrum Pazmány Archiepiscopum Strigon. Cardinalem S. R. et A. Ecclesiae creauit Anno 1620. — MSS. Kaprinay Tom. 60. sub B. nro 48. pag. 252.

104. *Idem A. Episcopus, Joanni Thelegdy A. Episc. Colocensi, et Administratori Nitriensi, vsus pallii, in dioecesi ipsius, potestatem facit. A. 1625.*

Nos Petrus Pazmány, miseratione Diuina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Primas regni Hungariae etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod cum Illmus ac RR. D. Joannes Telegdy, ecclesiarum canonicè vniuersarum Colocensis et Bacsienis Archiepiscopus, Administrator Episcopatus Nitriensis, locique eiusdem comes perpetuus, etc. nuper in vrbe pallium a Sua Sanctitate pro memorato Archiepiscopatu Colocensi et Bacsienis, in persona obtinuit; quia vero Turcarum immanitate sede sua spoliatus, episcopatum Nitriensem nostrae Sedi Metropolitanae subiectum administrans, pallio ibidem absque metropolitani assensu, vti iuxta canones non possit: ideo nos ex singulari fraternoque erga praefatum Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Colocensem et Bacsiensem affectu nostro, pro persona ipsius, sine praeiudicio successorum nostrorum Archiepiscoporum Metropolitanorum Strigoniensium, facultatem eidem concedimus, vt vita sua durante, in festis Natiuitatis Christi Domini, Circumcisione, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis BB. Virginis Mariae, ac Patroni Ecclesiae Nitriensis, pallio Archiepiscopali vti possit et valeat, in ipsa Ecclesia Nitriensi, harum nostrarum vigore, ac testimonio literarum. Datum Selye, die VIII. Anno Domini MDCXXV. — Apud Pray. Hierar. P. II. p. 85.

104. *Ferdinandus III. ante coronationem, quasdam graues condiciones acceptat, easque mox se authorisaturum obligat. A. 1625.*

Nos Ferdinandus, D. gr. Archi-Dux Austriae, et Dux Burgundiae, etc. agnoscimus et memoriae commendamus, — quod posteaquam vniuersi DD. Praelati, baro-

nes, magnates et nobiles, ceterique Status et OO. incliti Regni Hungariae, partiumque adnexarum, pium plane ac paternum SS. Principis, ac Domini, D. Ferdinandi II. diuina fauente clementia et Rom. Imp. S. A. ac Germaniae, Hung. Bohemiae etc. Regis, Domini ipsorum elementissimi, genitoris autem nostri indulgentissimi, erga ipsos affectum et propensionem ponderantes, ac de nostra quoque serenitate haud absimilem in exspectationem assurgentes, ex proprio spontaneoque ipsorum motu ardentius profecta supplicatione, a Sua SS. Maiestate obtinuissent, vt nos in regem atque dominum ipsorum, iuxta antiquam consuetudinem et libertatem eorundem semper obseruatam, paribus votis, et vnanimi consensu, rite ac legitime eligerent, proclamarent, inuocatoque demum numinis diuini auxilio, feliciter coronarent, demisse rogauerunt, vt nos infrascriptos articulos, omniaque et singula in eis contenta, rata, grata, et accepta habentes, nostrumque consensum illis praebentes, benigne acceptare, auctoritate nostra approbare et confirmare, atque tam nos ipsi, suo tempore benigne obseruare, quam per alios, quorum interest, similiter obseruari facere dignaremur. Quorum quidem articulorum tenor sequitur et est talis: 1-a Conditio: Quod vniuersas et singulas regni libertates, immunitates, priuilegia, statuta, iura, consuetudines; simul et conclusionem tractatus Viennensis, omnesque articulos, in eodem comprehensos, ita et reliquos, ante et post coronationem Mathiae II. fel. reminiscentiae, in annis 1608. 1609; item modernae imperatoriae ac regiae Maiestatis anno 1622. editos et in praesenti 1625. ac in futurum edendos, in omnibus suis punctis, clausulis et articulis sua serenitas firmiter et sancte obseruabit, per aliosque omnes inuiolabiliter obseruari faciet. — VI. Conditio: Quod religionis negotium inter vniuersos SS. et OO. regni in suis ac Fiscis bonis, item in confiniis quoque regni Hung. militibus Hungaris, propter regni tranquillitatem, permansionem, iuxta constitutiones Viennenses, et articulos ante coron. editos, maneat liberum, illaesum et illibatum; ita videlicet, vt religionis exercitium tam baronibus, magnatibus et nobilibus, quam liberis etiam ciuitatibus, vniuersisque Statibus et OO. regni in suis ac fiscis bonis, item in confiniis regni Hung. nec non oppidis et villis, illud sponte et libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur; nec quisquam, cuiuscunque status et conditionis existens, in libero eiusdem usu et exercitio religionis a serenitate sua et aliis quibusuis Dominis terrestribus, quouis modo aut quouis sub praetextu turbetur, aut impediatur. — — Atque hae sunt conditiones, quas serenitas sua ante electionem suam acceptare, sufficientibusque literis suis assecuatoriis sub verbo suo confirmare, post coronationem vero suam tempore suscipiendi regiminis generalibus articulis inseri et publicari dignabitur. Nos itaque, praedicta vniuersorum SS. et OO. incliti regni Hungariae et partium ei subiectarum instantia benigne admissa, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque benigne gratificandi voluntate, praeinsertos articulos — — vigore huius nostri diplomatis acceptamus, ratificamus, confirmamus, atque promittimus. — Datum in ciuitate nostra regia Sopronii, die 27. mensis Nouembris, anno Domini 1625.“ — Ex corpore Juris H. tom. I. p. 776. Inarticulati anno 1638.

105. *Ferdinandus II. R. H. Statui Ecclesiastico, ut bona inscripta vel impignorata, redimere possint, indulget, ad eaque ulterius haud abalienanda se, successoresque suos obstringit. 1627.*

Nos Ferdinandus II. — memoriae commendamus — Quando quidem superiorum temporum difficultates, accedentibus etiam sinistris nonnullorum informationibus, ut tempore praedecessorum nostrorum fel. memoriae regum Hungariae, non pauca beneficia ecclesiastica secularibus inscripta oppignorataque fuerint, magno religionis catholicae detrimento; nos ex singulari nostro affectu, quo rem catholicam subleuatam, ac in dies reflorentem cupimus, benigne admisimus, media et consilia, quae fidelis noster, nobis sincere dilectus, RR. in Ch. P. D. Petrus Pazmány, Archiepiscopus ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis suggestit, ut nimirum pecunia per ipsum deponenda, — abbatia S. Gothardi reddatur, — — — Ut vero eo alacrius ad hanc redemptionem peragendam dictus Archiepiscopus animum adiiciat; nos quoque ipsum Archiepiscopum modernum ac successores, et Statum Ecclesiasticum Hungaricum, nostro ac successorum nostrorum, legitimorum scilicet Hungariae regum nomine, in verbo nostro Regio assecuramus, quod in posterum nulla beneficia Ecclesiastica inscribemus, oppignorabimus, vel nouis auctionibus quoquo modo aggrauabimus, aut ad quoscunque alios vsus sequestrabimus; sed intra legum ecclesiasticarum atque etiam regni nostri Hungariae statutorum ordinationem, personis idoneis conferemus; praedicta — nec vllis pensionibus grauabimus. Datum in ciuitate nostra Viennae Austriae, die 20. mensis Sept. anno 1627.“ Apud Péterfi conc. P. II. p. 437.

106. *Decretum Ferdinandi II. pro religione catholica Academia Jaurini fundata. A. 1627.*

Nos Ferdinandus — memoriae commendamus — quod, considerantibus nobis, quibus potissimum adminiculis fides et religio christiana a tot retro annorum seculis ad haec vsque tempora inter genus humanum non solum propagata et conservata exstiterit; verum etiam per vniuersa orbis christiani regna, tam altas radices figendo, in tantum et tam late patentem sui splendorem atque potentiam excreuerit; inter alia diuinae prouidentiae subsidia, animaduertimus, principes pios, ipsiusque religionis christianae studiosos et amantes, praecipue autem eos, penes quos nonnunquam summa quoque rerum orbis potestas stare solebat, in ea, cum impensius dilatata et ornata, tum vere defensa et ad nostram aetatem vsque transmissa, plurimum semper momenti adtulisse. Nam si sacras veterum historias revoluimus; pietatem in Deum, quae ex sola verae fidei cognitione prouenit, bonorum semper et piorum principum successione factum fuit; ut eas sibi vires et potentiam pararet, quibus, ut cernere licet, vniuersum paene orbem suis subdidit legibus. Inter alia plurima orbis ipsius christiani regna Hungaria quoque, Deo O. M. gentis illius quoque saluti misericorditer prospicere volente, suauissimo ipsius fidei christianae iugo colium praebuit. Quo facto, quum a diuis quondam Hungariae Regibus, nostris praedecessoribus, pie memoriae, non minorum in augmentanda et ornanda, quam conseruanda religione ipsa factam

esse videamus diligentiam; eorum vestigiis nos quoque insistere volentes, quum videamus, plurimis haeresibus infecto ac perditissimo hoc saeculo honesta liberalium artium studia ad extirpandas haereses ipsas, vel impii illius caesaris apostatae, christianorum liberos a frequentandis liberalium disciplinarum scholis publico edicto prohibentis, testimonio plurimum conducere, vt ea in regno quoque nostro Hungariae florere, vberesque cum pietatis, tum etiam cultiorum morum fructus passim edere possit, ad gloriam imprimis Dei omnipotentis, deinde vero catholicae quoque fidei profectum, regni quoque nostri Hungariae commodum, collegium Societatis Jesu, quae nostris temporibus in erudienda iuventute, cum circa religionem veram, et catholicam, tum etiam honesta literarum studia summam facere dignoscitur diligentiam; in praesidio nostro Jaurinensi ereximus et fundauimus, ad rationem nostram certis domibus, et ad aedificandum idoneis spatiis, in praefato praesidio sitis; prima quidem domo, a prouido Stahel, cui ab oriente adiacet spatium, in quo olim egregii quondam Vincentii Gregoroczii domus exstructa fuisse dignoscitur; secunda, quae praedictae domus Stahel ab occidente adhaereret, a prouido Joanne Merco; tertia denique, quae secundae a parte occidentis contigua est; a nobili Helena, filia egregii quondam Gregorii Grebeckii, certorum peditum in dicto praesidio Jauriensi ductoris, consorte autem egregii Joannis Palles, vicecomitis Comitatus Jaurinensis, pro certis pecuniarum summis coemtis et comparatis, praelibato quoque spacio, domui memorati Thomae Stahel iam venditae, ad orientem adiacente, pro commodiori fabricae structura, deposito tamen prius apud magistratum pretio, quod iurati et periti aestimatores iustum decreuerint, vt haeredibus, aut successoribus, quibus nimirum, aut cuiquam, ex determinatione et edicto iudicis, sententiaeque, deinceps locus ille (si quidem in lite versatur aquisitio eiusdem fundi et spaci) cessurus est, assignetur, conuerso et deputato pro ecclesia, collegio et scholis, inibi erigendis, vt nimirum de commoda mansione, in erigendo templo, collegio et scholis ipsis prouisum, existente; eiusdem societatis patres inibi iugiter Deo famulari ac erudiendae iuventuti continuam operam dare possint et valeant; praedicta domorum et spatiorum locorum ad rationem nostram, vt praemissum est, coemta et comparata, memorato collegio societatis Jesu, in praedicto praesidio nostro Jauriensi, per nos nouiter fundato, erecto et constituto, in perpetuum dedimus, donauimus et contulimus; ita et tali conditione, vt sufficientes societatis illius viri religiosi in collegio illo continuo resideant, vt ea, quae ad peragendum rite cultum diuinum, erudiendamque in pietate et honestis literis pubem pertinent, fideliter, diligenter, et sollicite obeant; imo damus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter, cum omnibus iuribus et priuilegiis, quibus antiqui possessores praefatarum domorum et spatii adiacentis, vsi sunt, ac vt potuerant, harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo vt rex Hungariae vtimur, est appensum, vigore et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri, nobis dilecti, R. Stephani Sennyei, etc. Kis Sennye, episcopi Vaciensis, consilarii nostri, atque nostri per Hungariam cancellarii, in ciuitate nostra Vienna Austriae; die

20. mensis Septembris, anno Domini 1627. regni nostri Rom. 9. Hungariae ac reliquorum 10., Bohemiae vero 11-mo. — Ex originali in archiuo regnicolari existente.

107. Optimates Hungariae agunt apud Romanum Pontificem pro tribus Martyribus, odio fidei ab A catholicis Cassouiae interemtis, Marco Crisini, Stephano Pongrácz, Melchiore Grodeczy, canonizandis. Anno 1628. — In MSS. Kaprinay sub B. nro 27. p. 129.

Petrus Pazmány Archiepiscopus Strigoniensis, piam eorum pro fide mortem Pontifici perscribit. Anno 1628. nro 26. p. 127. Ibid.

108. Sentimentum Petri Pazmány A. Episcopi Strigoniensis, ad regem Ferdinandum II. quod reges Hungariae iure Praelatos non solum praesentandi sed et eligendi polleant. Datum Tyrnauiiae. — Kaprinay MSS. Tomo 59. sub B. nro 67. pag. 193.

109. Eiusdem discursus brevis circa motam in Curia Romana de titularibus in Hungaria episcopatibus difficultatem. Ibid. nro 68. p. 208.

110. Idem Petrus Pazmany Archiepiscopus, ad aedificandum collegium cum scholis e fundamentis, Societati Jesu Tyrnauensi 100,000 florenos donat. Anno 1635. Ibid. tomo 60. sub B. nro 56. p. 242.

Petrus Pazmány A.-Episcopus Jus regium Episcopos ad eas sedes eligendi, quae actu sub iugo Turcico sunt, contra Curiam Romanam defendit. 1635.

Augustissime Caesar, Domine Benignissime. Difficultates Romae motas circa Episcopatus Titulares Vngariae, non sine admiratione legi. Et quemadmodum Sacro Sanctae Sedis Apostolicae dignitatem et auctoritatem vita mea potiore habeo; ita vicissim cupio, ne per sinistras informationes Suae Sanctitati exhibitas, aliquid vel iuribus Vestrae Maiestatis, vel priuilegiis Incliti huius regni derogetur: Ea propter demisse Maiestati Vestrae tenuem meum, hac de re discursum transmitto. Scio, nec S. Sedis Apostolicae intentionem esse, vt Juribus Maiestatis Vestrae derogetur; nec Maiestatem Vestram facturam, vt promissiones a Maiestate Vestra regno Vngariae factae, circa Jura Ecclesiarum Vngariae imminuantur. Seruet Deus Maiestatem Vestram feliciter imperantem. Selyae die XVI. Junii 1635." E MSS. Kaprinay sub B. Tomo XII.

Ipsum discursum prolixum: Vide apud Car. Péterfy Conc. P. I. p. 76. Ad hanc rem pertinet signanter art. eius VI.: „Titulares Episcopi Hungariae non sunt titulares, quos Sedes Apostolica in partibus infidelium nominat; vt Patriarcha Constantinopolitanus, Antiochenus, Episcopi Ephesiorum etc.: hi enim nomen gerunt, nullum realem actum ecclesiasticum vel politicum retinent, quem antea, dum in sedibus erant, retinebant. Ideoque sunt meri titulares: in Vngaria nullus est talis (pure) titularis; nam hi epi-

scopi locum sessionem ius suffragii in comitiis, ac iudiciis aequae retinent, atque dum residebant; nec ullus illorum est, qui non omnibus aliquibus sui Episcopatus e vicino aduigilet."

111. *Idem Ferdinandus fidem ac fidelitatem civium Sabariensium, seditione Gabrielis Bethlen multa passorum, remuneratur. A. 1636.*

Ferdinandus II. — memoriae commendamus, quod nos cum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem pro parte fidelium nostrorum prudentum et circumsectorum, iudicis ac iuratorum, caeterorumque vniuersorum civium ac incolarum oppidi Sabaria vocati vulgo Szombathely dicti, in Comitatu Castriferrei adiacentis, et ad episcopatum Jaurinensem pertinentis, maiestati nostrae factam, tum vero compatientes desolationi, et vastitati eiusdem loci, in quam tam per licentiam passim grassantium militum, tumultibus videlicet et intestinis seditionibus Bethlenianis, superioribus annis partes illas inundantium, quam ex post etiam per incendium ibidem Sabariae casualiter exortum, plurimarumque domorum deflagrationem et ignis voragine absumtarum, deuenisse; ipsique oppidani Sabarienses nimium exhausti, attenuati, atque attriti dicantur; horum nos inopiae et egestati vel ob reuerentiam S. Martini Ep. et Conf. cuius nempe ibidem Sabariae patria, solumque natuum fuisse creditur, et Ecclesia ibidem constructa, in honorem sui nominis dicata habetur, regio nostro fauore, ex speciali gratia succurrere volentes, vt per hoc afflictionis ipsorum acerbitas nostrae clementiae dulcedine pensaretur; insuper eo quoque in memoriam reuocato, et seram vsque posteritatem vel praesentium literarum nostrarum patrocinio transmittendo, quod proximis temporibus, in anno videlicet 632 supra millesimum, rex Succiae, Gustauus Adolphus, S. R. imperii aduersarius, aemulusque noster, vna cum validissimo exercitu suo, in ipsa octaua festi praefati B. Martini ep. Deo vindice, sub auspiciis nostris, per exercitum nostrum superatus, ipsemet quoque in campo, loco nimirum commisi et initi cruenti conflictus, interemtus, animam suam exhalauerit. Praeterea pro decore quoque et augmento eiusdem oppidi, vt crescente ibidem Sabariae numerositate populorum, crescat pariter fides et deuotio vniuersorum. Proinde eosdem vniuersos et singulos oppidanorum, Sabarien. praesentes et futuros a solutione contributionum seu dicarum nostrarum regiarum, tam ordinariarum, quam extraordinariarum, subsidiorum, et lucri camerae nostrae, nobis et camerae nostrae prouenire debentium, in perpetuum eximendos duximus, et supportandos; et ita quidem, hacque addita conditione, vt iidem Sabarienses in huiusmodi per nos eisdem gratiose relaxatae dicae regiae recognitionem, et vberioris superuenturae diuinae benedictionis indubiam spem, in pijs hominum animis semper fouendam, 40 florenorum expensas sequenti modo rite, infallibiliterque per singulos annos facere debeant, et teneantur. Primo itaque iidem Iudex et iurati ciues Sabarienses, pro tempore constituti, et in posterum constituendi, incipiendo videlicet in hoc iam currenti anno, futuris dehinc, et perpetuis semper temporibus annuatim, in festo eiusdem D. Martini, loci plebano, pro tempore con-

stituto, tumque in ipsa aede S. Martini summum sacrum celebrare, ad altare quinque florenos pauperibus et mendicis in eleemosynam eodem die distribuunt. Item ad restorationem Altarium, vel paramentorum comparationem, prout necessitas se offeret, 10 florenos itidem contribuunt. Demum ad structuram et aedificiorum eiusdem templi, ruinarumque atque defectuum restorationem, residuos nempe adhuc 20 florenos Hungaricales, similiter quotannis ordinare, dare, contribuere, atque conuertere, et praeter hoc nihilominus loci praelato, domino vtpote ipsorum terrestri, episcopo scilicet Jaurinensi, omnem subiectionem obedientiamque exhibere, solitosque prouentus, obuentiones, praestationes, aliasque, quae hactenus praestare obligati fuerunt, absque renitentia, sicuti prius, ita deinceps quoque praestare debebunt, et tenebuntur. Imo eximimus, supportamus, et decernimus praesentium per vigorem. Quo circa vobis, fidelibus nostris, spectabilibus, magnificis, egregiis nobilibus, praefecto, caeterisque camerae nostrae Hungaricae consiliariis, item Comiti, Vicecomiti et Iudicibus nobilium, supradicti comitatus castriferrei, nec non dicatoribus, et quorumcunque censuum, contributionum, subsidiorumque et lucri camerae nostrae, atque dicarum nostrarum regiarum tam ordinariorum quam extraordinariorum modernis et futuris exactoribus, praesentes nostras visuris, harum serie firmiter committimus, et mandamus, ne a modo in posterum a supradictis oppidanis Sabariensibus, vel eorundem posteris, successoribusque vniuersis, contra formam praesentis gratiosae exemptionis et supportationis nostrae, aliquem censum, contributionem, dicamque regiam, ordinariam vel extraordinariam, aut aliquod subsidium et lucrum camerae nostrae petere aut exigere, petique vel exigi facere, vel eosdem hoc nomine in personis, rebusque ac bonis ipsorum quibusuis turbare, molestare, et damnificare, praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, sed praemissam nostram exemptionem, modo praemisso factam, ipsi firmiter et inuolabiliter obseruare, et per vestros obseruari facere modis omnibus debeatis. — Datum per manus fidelis nostri, nobis dilecti R. Georgii Lippai de Zombor, episcopi Wesprim. — — in civitate nostra Vienna Austriae die XV. mensis Aprilis anno Domini 1636. Regni nostri Rom. 17. Hungariae et reliquorum 18. Bohemiae vero 19.

Emericus Losi, Episcopus Agriensis, vsum lacticiniorum et ouorum licitum republicat.
Anno 1636.

Emericus Losi, Episcopus Agriensis, Comes perpetuus comitatum Heves, et exter. Szolnok, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarius, etc. Memoriae commendamus per praesentes; quod cum superioribus temporibus, in anno videlicet Domini MDCXI. sub regimine felicis recordationis, Domini Francisci Forgach, V. R. E. Prebiteri Cardinalis, et Archiepiscopi Strigoniensis, in prouinciali Synodo, Episcoporum ac Praelatorum Regni Hungariae, vnanimi voto constitutum fuisset, vt ob rationabiles causas, in toto regno Hungariae, regnisque ac prouinciis illi annexis, de permissione eius ouorum, ac lacticiniorum, temporibus ieiuniorum S. D. N. Romano

Pontifici supplicaretur; id in effectum deductum esse, ac ab eo tempore vigere in Hungaria esum ouorum, ac lacticiniorum, temporibus ieiuniorum. Qua in re, exstat in nostra quoque dioecesi Agriensi his verbis concepta, ac publicata synodalis constitutio: Quoniam indultum lacticiniis, ouisque vescendi diebus ieiuniorum supplicatione concilii provincialis pro tota Hungaria, regnisque illi annexis, a summo Pontifice impetratum est; nolumus alibi, in nostra dioecesi hac Agriensi in disputationem, controuersiamque venire, an hic esus licitus sit. Si qui autem deuotionem habuerint ieiunandi absque esu lacticiniorum, ac ouorum concessio, id fieri non vetatur; modo cum esu praedictorum ieiunantes non condemnentur, ac non contemnantur ab iis, qui praedicto modo sine esu ouorum ac lacticiniorum ieiunare voluerint. — Datum Jassouiae die XVII. Decembris. Anno MDCXXXVI.“ Apud Pray Hier. S. Part. I. pag. 221.

112. *Idem Rex in tesserum sinceræ Amicitiae Petro Pazmáno filium suum cognominem Regem Germaniae electum, perscribit. A. 1636.*

Ferdinandus — Pazmáno. — Eximiae consolationis et gaudii, quo senilem aetatem meam et grauiore annos solari diuina benignitas dignata est, quin dilectionem Vestram, antiquum et fidum amicum meum, absque mora redderem participem, intermittere non potui. Die siquidem hesternae id est 22. Decembris consensu totius serenissimi collegii electorum, carissimus meus filius, Ser. Ferdinandus, Hungariae et Bohemiae Rex, in regem Romanorum electus et renunciatus feliciter existit: haeredemque ac successorem in solio meo collocatum vidi. Quod eo maioris solatii et laetitiae dilectioni quoque vestrae argumentum fore non ambigo; quanto sinceriores eius animum et ardentius ergo prosperum rerum mearum successum studium semper sum expertus. Ego vero paterna fiducia feror, ser. meum filium maiorum Augustae domus nostrae gloria dignum se praebiturum. Quem ut florentem, diuinaeque benedictionis vbertate cumulatum vestra dilectio videat, sincero precor affectu. Cui in reliquo gratia et clementia caesarea et regia propensus maneo. Datum in imperiali ciuitate Ratisbona, die XXIII. Decembris. Anno 1636. dilectionis vestrae benevolus Ferdinandus.“ Apud Kazy lib. IV. p. 336.

Haec Ferdinandi in Ecclesiam catholicam munificentia catholicorum fidei ac fidelitati debetur, ad quos, postquam A catholicos pacificatione etiam Viennensi haud contentos, turbulentos, Bethlema, aliisque rebellibus foederatos expertus fuisset, animum, fiduciamque conuertit. A catholicis Ferdinandi filium ab imperii dignitate interclusum studebant, electumque nihilominus aegerrime tulerunt, ut continuator Fleurius adnotauit Tomo LX. p. 103. „Hanc Ferdinandi electionem indigne ferebant protestantes, caeterique Caesaris hostes, et veluti plagam aliquam profundius, quam vnquam credi potuisset, in pectus demisere; eo quod in filio haud minorem, quam in patre, religionis catholicae ardorem, nec non inique ablata bona ecclesiasticis reddendi studium prospicerent. Tam in sectariis communi iustitiae honore praeualere solet, ecclesiasticos spoliandi et spoliata retinendi cupiditas!“ Ita muisis Heterodoxorum studiis factus est Ferdinandus III. paternarum virtutum, sed et aduersitatum haeres.

113. *Idem Rex, ad tractanda regni negocia publica, comitia Posonium indicit. Anno 1637.*

Ferdinandus III. — Postquam diuina ordinatione suam caesaream et regiam maiestatem, genitorem nostrum desideratissimum, humanis excedere nosque regni istius nostri Hungariae gubernacula, Deo auspicante, feliciter adire contigit; paternam curam et sollicitudinem nostram eo dirigi volumus, vt nihil eorum, quae ad emolumentum regni huius nostri, tranquillitatemque ac pacem stabilem et diurnam spectarent, intermitteretur. Cum primis vero, vt prima, quam nancisci possumus et oportunam existimaremus, commoditate ea, quae ad bonum et salutarem eiusdem regni nostri statum pertinent, publica quoque et priuata fidelium regnicolarum nostrorum negocia concernunt, curanda et tractanda susciperemus. Hac itaque de causa generalem vniuersis statibus et ordinibus eiusdem regni nostri Hungariae conuentum ad festum S. Mathaei Euang. hoc est, 21. diem mensis Septembris, proxime venturi, in ciuitatem nostram Posoniensem indicendum et promulgandum, eidemque personaliter, Deo dante, praeesse decreuimus. Quare fidelitati vestrae et vestrum singulis firmiter committimus et mandamus, et ad diem et locum praedictum speciales vestros homines et nuncios, qui pacis et boni publici amantes sint, cum pleno mandato, mittere debeatis, qui praedictae generali diaetae interesse, ibique cum ceteris fidelibus regnicolis nostris dicta publica regni negotia tractare, deque illis in medium consulere possint. Curetis autem diligenter, ne tales vestri nuncii, vltra diem praedictum, emanent. Secus sub poena decreti non facturi. Datum in ciuitate nostra Vienna Austriae, die 16. mensis Iulii anno 1637. Ferdinandus m. pr. Georgius Lip-pay episcopus Agriensis m. pr. Laurentius Ferenczfy m. pr. — Apud Kaprinay Hist. Dipl. P. I. p. 298.

Propositiones Regiae SS. et Ordinibus exhibitae sunt 1. Decembris ex MSS. Batthyanianis. Frustra fuit Ferdinandus; neque paterna hac monitione dissensiones ante suum aduentum suscitatas componere potuit. II. Decembris pro grauaminibus compilandis, exclusis magnatibus, circiter quadraginta deputati. III. Decemb. Acaholicum primum grauamina Religionis assumenda contenderunt. IV. Decemb. Palatinus, vt negotium religionis interea seponeretur, sedulo quidem suasit, ast non persuasit. — De acatholicorum audacia et temeritate cum Rege questus est: primum Calvinianos iuxta ac Lutheranos non iam euangelicos, sed quod nouum atque legibus regni difforme esset, status euangelicos se ferre; deinde eosdem cum iactura temporis et maximo aliorum, praesertim Croatarum, taedio priuata conuenticula agitare; quodque indignum atque intolerabile videatur, agrestes, catholicis subiectos, accersere atque ex iis contari, vtrum in causa religionum ab heris suis grauentur? Tum, non consulta, non audita parte altera, sententiam ferre, a concilio ius poenasque exposcere, pensationem iniuriae nullam admittere; Catholicos, rerum suarum negligentiores, huic tempori indormire, sedere, oscitari, neque quid aduersarii dicerent, neque quid facerent, multum pensi habere, sed nec tuto posse omnia. Quamquam enim optimates plerique ad auita sacra redierint: ordinem tamen equestrem, maximam adhuc partem, Luthero aut Caluino deuotam esse, omnibusque in rebus illorum officium conturbare. — Aliaque hunc modum praesentis temporis calamitatem Palatinus conquestus est. — Praeceptis etiam propositionibus regis, illi nihilo remissius ac antea, iurgis contendere, alter alteri obstre-

pere, controuersias, quae ad religionem spectarent, persequi. Quum inter partes conueniri prorsus non posset; Lutherani et Calviniani libellum plenum querelarum regi obtrudere (vide illum App. Hist. Dipl. p. 16). Sed communes hae querelae, quas patroni utriusque sectae exaggeratius persequuti sunt, apud regem leues atque infirmae fuerunt, postquam illas Catholici prolixius confutarunt, causaeque suae aequitatem toti regno approbarunt. Apud Kazy l. c. lib. V. p. 5.

114. *Status catholici ad grauamina A catholicorum respondent. A. 1637.*

Catholici — In Praeposituram Mislensem datum fuisse ius familiae cum hoc onere, ut sacerdotem catholicum, qui sacra procuraret, sustentaret; iam si Tschius recuperata Praepositura iure suo usus est, neminem eo facto offendit: quamobrem his, qui Tschium in crimen ausi sunt vocare, iure meritoque poena temeritatis constituitur etc. Anno 1637. — E MSS. Batthyanianis.

Reliquas etiam aduersariorum obtreccionem quemadmodum dissoluerint Catholici, nihil attinet persequi: nemo, nisi qui omnia ignorat, quo acatholici iure templa, religionibus antiquiora, possederint; quae iam erepta et melioribus vsibus restituta deplorabant, et conquerebantur. Nempe in fatali illa regni perturbatione ac rerum etiam sacrarum conuersione, audacia, vis, licentia pro lege; libido pro iure fuit, et nouis religionibus, eorumque ministris, ad aedes, sanctissimae religioni consecratas, viam aperuit. Queruntur illi nunc et aegre ferunt, status Romano-Catholicos iure, non sub praetextu dominii et potestatis in subditos, sacras aedes iis vsibus, in quos erectae fuerant, reuindicare; queruntur inquam et illi queruntur, qui sub praetextu potestatis in subditos templa haec eripuerunt, et iis vsibus, in quos nunquam destinata fuerant, applicuerunt; pulsae auitae regnoque coeuae religionis sacerdotibus, nouitiorum dogmatum ministros induxerunt; auita sacra deserendi necessitatem suis subditis imposuerunt. An nou hoc fuit in libero hoc regno dominium in conscientias quoque sumere? Religionem, de qua patres nostri nihil sciuerunt, per vim inducere. Apud Kazy l. c.

115. *Ferdinandus III. R. H. A catholicorum agendi rationem data ad Lippaium Episcopum Agriensem epistola carpit. A. 1637.*

S. C. R. que maiestas et D. N. clementissimus R. Georgio Lippaio, Episcopo Agriensi, eiusdemque Maiestatis cancellario Hungarico Aulico, praesentibus gratiose significandum esse duxit: quod, posteaquam nonnulli ex numero fidelium regnicolarum suae Maiestati, sub nomine SS. et OO. Euangelicorum, petita et Suae M. circa quaedam praetensionum puncta, scripto comprehensa, titulo grauaminum exhibuissent: quibus quidem sua M. solita benignitate intellectis, et consideratis, eorum occasione, dicto Cancellario clementer ingungere et demandare dignata est, ut congregatis et simul existentibus vniuersis SS. et OO. regni Hungariae, in generali hac diaeta praesentibus sequentia declarationum suarum puncta proponere debeat, et repraesentare. In primis, si quidem praedicti regnicolae quasdam ipsorum querelas grauaminum nomine, suae Maiestati repraesentassent: quum vero hactenus grauamina communi omnium SS. et Ordinum consensu et voluntate exhiberi regiae Maiestati fuisset consuetum; cupit benigne Sua M. ex vniuersorum SS. et OO. votis intelligere, an sit haec mutatio contra vsum comitiorum, antehac semper obseruatum; sua equidem Ma-

iestas aliquam in hoc genere contra laudabiles consuetudines nouitatem introduci haud velit; velle deinde suam M. benigne cognoscere, praeter hunc inconsuetum querelas exhibendi modum an sit nouitas, quod vna pars absque maiori eiusdem regni parte, velit suas querelas in comitiis regni publicis, per C. Rque Maiestatem complanari; et an non fiat hoc absque graui praeiudicio publici et communis consessus, tractatus ac voti omnium SS. et OO. regni, et quatenus ista inusitato modo et contra perpetuam regni consuetudinem ac praxim esse reperientur; publico voto, quid in tali casu faciendum videretur, decerni. Nouitatibus enim extrahi tempus inutiliter, non sine graui communis boni dispendio, Maiestati placere non potest. Hic autem sciant SS. et OO. in audientia particulari a nonnullis praedictis regnicolis exhibitas esse sub titulo grauaminum querelas particulares, eas Sua M. vniuersis Statibus et OO. communicari, et exhiberi clementer mandauit, deque iis sensum SS. et OO. benigne praestolatura erit. Quibus his, ac vberiori oretenus facienda declaratione regno representatis, in reliquo Sua M. eidem CR. gratia sua Caesarea et Regia benigne propensa manet. Per S. Rque M. Posenii die XVI. mensis Decembris, anno 1636. Ex consilio intimo praefatae Suae M. C. Rque Laurentius Fernczfi.“ Ex MSS. Bathyanianis.

116. *Idem ad publicae necessitatis obiecta assumenda SS. et OO. benigne ac serio monet.*
Anno 1637.

Postquam S. C. Rque Maiestas et D. N. clementissimus benigne intellexisset, non modicas in praesentibus comitiis motas esse quaestiones, et controuersias, occasione querelarum, a nonnullis ex numero fidelium regnicolarum, sub nomine grauaminis SS. et OO. Euangelicorum, suae Maiestati exhibitorum, ob quas quidem quaestiones modumque in proponendis querelis ab ipsis usurpatum, utpote insolitum et inconsuetum, neque in aliis comitiis obseruatum ortis dissensionibus, complures iam dies, sine fructu et vtilitate, fuisse consumptos; neque hactenus SS. et OO. impeditibus praedictis querulantibus, ad alia publica communemque permansionem et conseruationem regni concernentia negotia, eorumque tractationem progredi potuissent; non sine graui temporis dispendio, bonique publici impedimento; atque retardatione, ne igitur et temporis commoditas, vltius — maiorem iacturam habeat, et occasione oportunissima tractandorum publicorum negotiorum, totius regni interesse concernentium, destituantur; suaque Maiestas Caes. (quam et plurimorum et arduorum reipublicae christianae negotiorum cura et dispositio exspectant, et simul auocant) non sine incommoditate et molestia absque fructu diutius moram trahere debeat, clementer decernit Sua M. vt, non obstantibus similibus quaestionibus, quae animorum potius diuisiones, quam boni publici et permansionis communis conseruationem respiciunt, a nouitatibus inconsuetis desistatur et iuxta laudabiles Comitiorum regni consuetudines, ad vltiora regni publica negotia assumenda et tractanda SS. et OO. procedant. Cui benignae ac paternae suae M. ordinationi sese accomadatu-

ros esse, omnino persuasum habet. In reliquo gratia sua et clementia Caes. Regia eadem M. SS. Statibus et Ordinibus regni propensa semper manet. Per SS. C. Rque M. Posenii, die XXI. mensis decembris. Anno 1637. Laurentius Ferentzfy. Indid.

Neque haec tanta Caesaris voluntas ad animos Ordinum, ab omni alia cogitatione, ad curam religionum, rem omnium difficillimam, traductos, valuit" ait Kazius lib. V. pag. 11. De peruicaciae momento Ribinius Mem. A. C. Tom. I. p. 466. ita ingenue censuit: „Quum ex Ordine Procerum haud pauci desertis partibus euangelicorum sacra Romana amplecterentur, sors euangelicorum non poterat non in dies reddi deterior: Catholici enim ius templorum, a iure liberi religionis exercitii solícite distinguentes, templa ab ipsis euangelicis repetebant, et vbi fieri poterat, vi adhibita, reoccupabant; quod ea, ante reformationem Lutheri aedificata iniuste a Lutheranis possiderentur; ea ideo prioribus dominis reddi debere. Isto titulo, etiam Ferdinando II. clauum imperii tenente, templa euangelicis adimebantur, qui id dolenter admodum ferebant. Vrebat eos imprimis Nicolai Eszterházy, Palatini, immodicus ardor, qui in diminuenda re euangelicorum Pazmani vestigia, etiam mortuo eo, non leuiter pressit.“ De Poseniensibus ita scribere non dubitauit: „Posonienses quidem, libertate religiosa vti volentes, anno 1636. consilia de templo aedificando conferre coeperunt, quae auspiciata non fuisse, euentus ostendit. Quum enim opus, inscio atque inconsulto rege (in ecclesia S. Saluatoris) aggressi essent; delati eo nomine, protinus prohibiti sunt, vt qui plus sibi vindicare auderent, quam esset lege publica permissum. Opponebatur ius, nihil de aedificandis templis in lege exstare; quae de libero duntaxat religionis exercitio agat, quod Posenii ad hoc vsque tempus sine vlla turbatione vigiasset. Sed Posenienses, animo religiose obstinato, omnibus difficultatibus obuiam eundum esse censentes, nullo se patiebantur modo a proposito dimoueri. Postquam eos Ferdinandus auctoritate Regia ab aedificando prohibuisset, non turbato libero religionis eorum exercitio, Nicolaus Eszterházyus, regni Palatinus, et Paulus Pálfi, Camerae Regiae Praeses, serio, grauiterque eos monebant, vt dimissis tantisper operis, obsequentiam Regi debitam contestarentur. Palatinus insuper in se resepit, se in obtinendo regio indultu diligenter et adlaboraturum, de quo eos breui facturus sit certiores. Illi vero — nec minis, nec pollicitationibus eo perduci poterant, vt vel ad modicum temporis spatium, opus inchoatum intermitterent. In quo eos contra officium egisse, aperte et ingenue confitendum est.“ Maior eorum temeritas elucet, si verum est, quod Belius perhibet, anno 1637. mense Decembri, sub ipsis nempe comitiis, templum illud dedicatum, hacque ratione insultatum fuisse.

117. Idem Ferdinandus III. Praeposituram Thuroczensem Societati Jesu denuo restituit, collegioque eiusdem Tyrnauensi applicat. Anno 1637. — Kaprinay. MSS. sub B. tomo 59. nro 85. pag. 269.

118. *Petrus Pazmánus iura ecclesiastica vindicat, principisque Gabrielis Bethlen in clerum Hungariae, ac se decreta diuinis, humanisque legibus contraria, ipso iure nulla, demonstrat. A. 1637.*

Caput I. Consilii mei rationes in hac scriptione: Nouizoliensia Bethlenii Principis decreta, quibus sacrum ordinem truculenta vastatione, si licet, deletum iuit, serius quam par erat nactus, procul odio, procul amore legi: Paginas aliquot virulentissima proscriptione infectas reperi, quae ad ecclesiastici status famam, dignitatem, ac libertatem labefactandam, merito castiganda coniuratione conspirabant. Nam in iis,

aniversus ecclesiastici ordinis Ungariae status ab imis convellitur fundamentis: Episcopatus abrogantur, iura ecclesiarum violantur, tolluntur privilegia: bonorum possessio sacerdotibus adimitur, fisco addicitur; denique quidquid vel dignitatum, vel facultatum, plena manu orthodoxorum vetusta pietas Ecclesiae contulerat totum, rapax et profana novitas, per summam diuini, humanique iuris contemtionem depeculata, in suum vertit compendium. Ac ut tanto conspectius crimen foret, interspersae etiam causae, mera calumnia asperatae, ob quas vel bonorum possessione deturbati, vel patria extorres facti sint sacerdotes. Nimirum, quos fortunis exuerat aliena cupiditas, eos famae quoque, ac existimationis iacturam subituros, vanissime arbitrabatur, quasi ita hebes, ac obstipa capitis cucurbita reperiri possit, ut vel A catholicis Clerum accusantibus, ac per fas, nefasque bona Ecclesiarum decoquentibus, credendum, vel fidem coronato regi debitam abdicantibus, fidendum, existimare possit. Ecquidem diu anceps animi haesi, reponerem ne aliquid, ut suus veritati honos constaret? An Dauidicum illud sequerer¹⁾ „Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me. Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.“ Etsi enim obmutescere, et abstinere ab iniuriis, constitutum erat, tamen, num et a bonis (ne illa ipsa in calumniam odiumque raperent obtrectatores) abstinendum esset, magnopere dubitabam. Ea tempora incidisse videbam, quibus sententiam aperuisse veritati consentaneam modestiaeque adfinem, maximum sit scelus. Sciebam conscientiam virtuti, satis amplum theatrum esse, satis disertum patronum. Obuersabatur et illud animo: „Justi esse dissimulare, tenere bonum fructum conscientiae, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentiae. Hoc est silere a bonis, quia bene sibi conscius, falsis non debet moueri; nec aestimare, plus ponderis in alieno esse conuicio, quam in suo testimonio²⁾. Quocirca mecum ipse tacitus ita cogitabam: Magni rerum moderatoris vox illa est³⁾.“ „Mihī vindictam, et ego retribuam⁴⁾. Habet Deus ultorem, cuius gladius retundi, cuius ictus elidi nequit: „Ferent illo vindice confusionem suam qui dicunt tibi Euge! Euge!⁵⁾ Obdura: Magno perfer animo falsitatum virulenta rabie infectas calumnias. Faciet Deus iudicium iniuriam patienti; humiliabit calumniatorem⁶⁾. Magni viri saepe non alio defensore ac patrono, quam constanti silentio dignitatem suam ab obtrectatorum maledictis vindicarunt. Oportuno interdum grauique silentio rumpuntur inuidi: multa autem verborum apparatu ansa maleuolis praebetur novae reprehensionis, ac demum acrioris obtrectationis; sic iniuria ex iniuria nequitur, sic magis exulcerantur animi, quos taciturnitas temporisque diuturnitas sanauisset. Laqueos fera, dum iactat, adstringit. Aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum est tam arctum iugum, quod non minus laedat ducentem, quam repugnantem. Vnum est leuamentum malorum ingentium: pati, et necessitati obsequi⁷⁾. Nobile vincendi genus est patientia: nec vllō validiore ictu inuidorum malevolentia percellitur, quam aequanimitate. „Idcirco quis te laedit ut doleas: quia fru-

¹⁾ Psal. 38, 2. — ²⁾ Ambros. 1. Officior. Cap. 5. — ³⁾ Rom. 12, 19. — ⁴⁾ Psal. 39, 16. — ⁵⁾ P. 149, 7. — ⁶⁾ Senec. libr. 3. de ira. — ⁷⁾ Tertullianus libro de patientia.

ctus laedentis in dolore laesi est. Ergo cum fructum eius everteris non dolendo, ipse doleat necesse est de amissione fructus sui. Tunc non solum illaesus ibis, quod solum tibi sufficeret, sed insuper aduersarii tui et frustratione oblectatus, et dolore defensus¹⁾. Socrates tunc se in pretio apud homines esse censuit, cum alienam subiit inuidiam. Seneca virtutem latere dixit, nisi accipiat iniuriam, tunc effulgere, cum laeditur²⁾. Quid? Nonne salutis nostrae adsertor ac vindex Christus et subuersor³⁾ gentis Iudaeae, et populum commouens et meribibulus⁴⁾ Seductor⁵⁾ Samaritanus, hoc est: idolatra et infami Daemonum commercio notatus audiuit? Nonne tot falsorum testimonium criminationibus adobrutus, tot blasphemis et maledictis in ipso mortis articulo pressus, quasi agnus coram se tondente obmutuit⁶⁾. Ea lege christianam militiam adimus, ut tunc beati existimemur, cum maledixerint nobis homines, et persecuti nos fuerint et dixerint omne malum aduersus nos mentientes⁷⁾. An non haec via trita magnis illis christianis antesignanis? Quoties velut conturbatores ciuitatum et velut turbium concitatores non a confusa multitudine, sed, quod mirere, a religiosis et honestis et primoribus ciuitatum⁸⁾ concussi exturbati poene ad interuicium caesi? Et ibant ipsi gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati⁹⁾. Haec animo versanti immanes conuiciationum ac proscriptionum Nouizoliensium mugitus ac fulmina surda aure praeteruehi ac silentio castigari debere, non immerito videbantur: praesertim, cum ubi pellitur e medio sapientia, vi geritur res, stylo ac solida veritate nihil profici, nimium imperitus sim, si non intelligam. Nec vero magnum operae pretium videbatur, si in eo conuellendo neruos orationis intenderem, quod magni Imperatoris ac coronati regis Vngariae potenti dextera excaudicatum stirpitusque conuulsum et protritum erat, dum acta omnia, tractata, et conclusa in Posoniensi ac Nouizoliensi conuenticulo regali edicto cassauit. Nominatim vero: quidquid contra Ecclesias Dei, et statum ecclesiasticum contra fideles suae Maiestatis tam Ecclesiasticos, quam seculares, quoquomodo statutum, decretum, ac definitum fuit id totum poenitus annullauit illegitimum, iniustum, inuolidum pronunciauit, et nullo unquam tempore robur aliquod habere voluit. Verum enimvero aurem mihi vellicat magnus Antistes Hipponensis: „Non sunt, inquit, audiendi, siue sancti viri, siue foeminae, qui quando reprehenduntur, et in malam veniunt suspicionem, unde vitam suam longe abesse sciunt, dicunt. Coram Deo sufficere sibi conscientiam. Aestimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam creduliter contemnent, Concludit S. Doctor: „Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam is et in alios est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra, alii fama nostra. Hinc factum, quod veteres illi christianae religionis athletae fortissimi, Justinus, Melito, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, Minutius Felix, Origenes, Arnobius, alique, deinceps propemodum innumeri

¹⁾ Seneca epist 79. — ²⁾ Luc. 23, 2. — ³⁾ Math. 11, 19. — ⁴⁾ Math. 27, 63. — ⁵⁾ Isaiiae 53, 7. — ⁶⁾ Math. 5, 11. — ⁷⁾ Act. 13, 48. — ⁸⁾ Act. 5, 41. — ⁹⁾ August. Tomo 4. libro de bono viduitatis cap. 22.

calumniantium proteruiam, eruditis represserint Apologiis. Magnus ille gentium Doctor et Apostolus, dum contra leges plecteretur, aperte ac libere Judicem alloquitur: „Percutiet te Deus paries dealbate. Sedes iudicans me secundum legem et contra legem iubes me percuti¹⁾ Alibi non solum diserte, ac constanter se defendit, sed et cum Judicis iniquitate innocentiam suam periclitari animaduerteret, Caesarem appellavit. Quid de Christo seruatore dicam? Cum per summam dicendi libertatem Daemonium habere diceretur, nonne palam ac constanter depulit calumniam? Ad tribunal pontificis, dum innoxius caederetur, nonne percussoris execrandam impietatem iusta castigatione flagellauit? Amplector illud Senecae ac modis omnibus sequor: „Vir sapiens, omnem temporum difficultatem strenue superabit. Habebit in anima vetus illud praeceptum „Sequere Deum“. Quisquis enim queritur et plorat et gemit, imperata facere vi cogitur, et inuitus rapitur ad iussa nihilominus. Quae autem dementia est potius trahi, quam sequi? Quidquid ex uniuersi constitutione patiendum est, magno animo excipiat. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non est²⁾. Attamen naturae ius, ac gentium leges, iustam sui defensionem nemini interdicit, vim illatam retundere, nocere volentem repellere, famam existimationemque tueri ac vindicare non sinunt modo, sed suadent, imo iubent: *Contemptu famae virtutes contemni*³⁾ vulgatum est, et verum. Accusantium criminationibus silentio conuiuere, culpam agnouisse, reum semet constituisse censi solet. Haec atque alia quam plurima in eam me duxere sententiam, ut nec officio nec conscientiae satisfactum a me arbitrarer, nisi oppressam, et criminationum pondere fatiscentem cleri innocentiam, grauissimis, iustissimisque rationibus vindicarem, statutique Nouizoliensis circum quaestus, et officinas expositi calumnias solida, ac libera oratione abominarer, ac reprimerem. Quod dum facio, nolim status ac ordines uniuersos Vngariae, inuidia decreti Nouizoliensis laborare. Nec ea, quae a me scribentur, ita accipienda, ut iniquissimi statuti infamiam, tota ferat natio Vngarica. Etsi enim Bethlen Statuum regni Hungariae nomen, velut mangonium suis appendat sanctionibus, nemo tamen est qui nescit Ecclesiastici status indignam stragem maiore, ac saniore regni parte detestante per Bethlen, ac immaturos ipsius parasitastros, exortae rebellionis authores, sancitam esse. Nemo catholicorum euersionem ordinis Ecclesiastici approbavit. Imo cum videant ita secum agi, ac si lupina feritas vigiles canum custodias ab ouariis submoueret, iam nunc animo praesagiunt, remotis sacerdotibus sensim catholicam religionem pessumituram, charamque posteritatem suam (cuius salutem non minus quam propriam curare diuina ac naturae lege) debent, cum certissimo salutis aeternae dispendio per deuia erroris nouitii praecipitia raptandam. Ideoque et palam gunt, et tacite suspirant et auitam religionis Catholicae libertatem restitutam votis omnibus expetunt. Vetus, ac verum verbum est: Qui bona fide Deum colit, amat sacerdotes. Norunt et illud catholici: bona ecclesiastica adimi, sacerdotum immunitatem violari, sine sacrilegio, ac excommunicationis lethali vulnere haud posse.

¹⁾ Act. 23, 3. — ²⁾ Seneca de vita beata. — ³⁾ Tacitus 4. Annal.

Nec reatum tanti sceleris relaxari nisi facta damnorum omnium refusione, atque ideo, re ipsa, qui non nominatenus est catholicus, statuta Bethlenii suo assensu firmare haud potuit. Permulti etiam a nostra religione alieni, hoc est omnes maturi, graues, et prudentiae obtutum longius protendentes tam barbara, ac inhumana, tam aculeata, ac oestrum, furoremque iuuenilem spirantia Decreta palam auersantur, euersasque totas Vngariae leges ac libertates libere conqueruntur. Quodsi liberius aliquid pro libertate dixisse videbor, veniam haud grauate dabit Princeps Bethlen, si animo reco- luerit, quid prius in nos dixerit feceritue. Ego sapientiae aeternae decretum illud sa- cerdotali libertate sequor: pro anima tua ne confundaris, dicere verum.

Caput II. Quae iura Ecclesiarum euersa Bethlenii-sanctione? Ex quo catholicae religionis fundamenta apud Hungaros iacta, hoc est, ab eo ipso tempore, quo gens nostra Scytica feritate exuta Reges, ac Leges habere coepit, summo studio actum est, ut et sacro sancta religio catholica inuiolata conseruaretur, et ordo sacerdotalis am- plissimis libertatum ornamentis effloresceret. Ita enim omnes existimarunt, tamdiu fe- lices fore Reges, quamdiu in Deum pii, in Ecclesiam, et Ecclesiae ministros, decesso- rum suorum exemplis munes essent. Proto-Rex noster S. Stephanus quanto catholi- cae religionis conseruandae studio aestuaret, produnt aurea, quibus filium alloquitur hortamenta: Praecipio, inquit, consulo, suadeo fili charissime, si regalem cupis hone- stare coronam, ut fidem catholicam et apostolicam diligenti custodia conserues. Qui enim false credunt vel fidem bonis non implent, operibus, nec hic honeste regnant, nec in aeterno regno participant. Et adiicit aeternum iuramentum lege: Ad regalis digni- tatis ordinem non oportet nisi fideles et catholica fide imbutos accedere. Nec solum legibus Hungariae generatim sancitum uniuersos damnatae haeresi adhaerentes crimi- nis laesae diuinae Maiestatis reos, infidelitatis nota maculatos esse: Verum ad solam Lutherani nominis famam adeo zelus catholicissimae gentis exarsit, ut saepius repetitis regni Decretis velut certissimam Patriae pestem, ac perniciem longissime arcendam, concordi omnium suffragio decernerent. Anno 1523. Art. 4. lege lata hunc in mo- dum statuatur: Omnes Lutheranos, et illorum fautores, ac factioni ipsi adhaerentes tamquam publicos haereticos hostesque sacrasissimae Virginis Mariae [poena capitis et ablatione omnium honorum Maiestas regia velut catholicus princeps punire dignetur. Anno 1525. Art. 4. ita rursus: Lutherani omnes de regno exstirpentur, et ubicunque reperti fuerint non solum per Ecclesiasticos, verum etiam per seculares personas li- bere capiantur, et comburantur. — Lues interim sacramentaria emersit, contra quam 1548. lex undecima hunc in modum lata: „Anabaptistas, et Sacramentarios procul expellendos esse de omnium bonis, nec amplius illos, aut quemquam illorum intra Regni fines recipiendos. Eiusdem anni lege sexta. Haereses ubique tollendae, et religio ad pristinam normam redigenda, praescribitur. — Sed ubi contra tot legum munimenta irruerat nihilominus coluber tortuosus, ac ut cancer serpserat nouitiorum dogmatum colluuias, rursus Anno 1550 lege 12 stabilitum fuit: Finitendum esse modis omnibus ut sancta et catholica fides, ac Religio, Deique Cultus iuxta veterem D. Patrum doctri- nam longo tempore per uniuersum orbem christianum recepta et approbata ubique in

regno restitua- tur. Euulsisque undique haeresibus et impiis doctrinis sanctae romanae, et catholicae Ecclesiae, quae una est, sibi perpetuo constans, errare non potest, omnes ex omnibus ordinibus, et statibus regni perpetuo adhaereant. Denique ne singula recensendo toedium pariam *Anni 1552. Art. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1554. Art. 7. Anni 1563. Articulo 32.* praedictae Constitutiones omnes renouantur, ac rursus stabiluntur. Et licet catholicorum lenitate factum sit, ut legum praesidio, segnius quam par erat, gliscenti errori occurreretur, nulla tamen legibus nostris libertas nouitii dogmatibus permissa ante annum 1606. Tunc demum 23-tia Junii ad redimen- tam im- portunissimae rebellionis vexationem, Turcicaque ac Bochkaiana arma avertenda, Viennensi tractatione exorta fuit, contradicente Statu Ecclesiastico, omnium libertas re- ligionum; maximo Politizantium catholicorum errore, quos experientia sero docuit, nunquam religionis praeiudicio publicam regnorum securitatem redimi, sed nouis, ac grauioribus reuolutionibus viam sterni. Justo Dei praepotentis iudicio eos verberante, qui suam quietem religionis detrimento mercari volunt. Verum ea ipsa concessione reseruatum fuit, ut absque praeiudicio romanae Religionis libertatem usurpent Noua- tores, et ut clerus, ac Templa catholicorum intacta maneant. Praeterea, facta de ti- tularibus Episcopis insolita restrictione, non solum ut ceteri in suo gradu persistent, verum etiam ut Praepositurae et Abbatiae maneant in suo statu, et fundatione, sancitum. Atque ut maior foret huius statuti firmitas, Regnum Bohemiae, Morauia, Sile- sia, Austria superior et inferior authenticis diplomatibus partim 25. partim 26. Septem- bris eodem anno 1606. datis, vades se, ac fideiussores obseruationis statuti Viennensis constituerunt. Vicissim Vngari, tam qui in fide Imperatoris Rudolphi perstiterant, quam qui Bochkaio adhaeserant, totius Vngaricae gentis nomine 23. Septembris stri- ctissimis reuersalibus sese obstrinxerunt, quod Capitulationes Viennenses, tam ipsi, quam successores ipsorum inuolabiliter obseruabunt. Neque his, tot cautelis contenti, Anno 1608 cum archiducatu Austriae Polonii prima die Februarii, cum Morauis autem Aeuansitii (?) decimanona Aprilis arctissimam iniere confoederationem Vngari, qua id unicum cauebatur, ut memoratas Viennenses Capitulationes omni ope defenderent. De- nique Vngariae Reges, qui post Viennensia statuta legitima via ac ratione corona insi- gniti fuerunt, dum inaugurarentur ad eadem Viennensia pacta obseruanda peculiari se scripto semet ob- trinxerunt. Jam vero Ecclesiastici Ordinis ornamenta, Jura, Priui- legia legibus nostris comprehensa longissimique temporis usu, ac praescriptione robo- rata, vix (p) breui oratione percenseri possunt. Delibabo summa Capita, ut constet orbi vniuerso, quantum ab auita maiorum pietate degener posteritas abierit. Princi- pio igitur de personis Ecclesiasticis, ita leges loquuntur: Quamuis personae spirituales personis secularibus digniores habentur, tamen omnes Domini Praelati ac Ecclesiarum Rectores, ac Barones, et ceteri Magnates atque nobiles regni ratione nobilitatis, et honorum temporalium una eademque libertatis, exemptionis, ac immunitatis praero- gativa gaudent. Et sane, Protorex noster S. Stephanus, a quo libertas tam nobilium, quam aliorum instituta, ordinem Pontificum, Principibus, Baronibus, Comitibus prae- ire diserte sancit, ac non interruptus longissimi temporis usus in litteris regis, sessione

suffragiis, digniorem semper Ecclesiasticis locum praebuit, unico Regiae Electionis casu seposito, in quo si Palatinus tunc fuerit, ipsius suffragium praecedere singulari statuto cauetur. Illud quoque ad Ecclesiastici ordinis dignitatem spectat, quod Primas Regni summus et secretus Cancellarius, ac Regiae Maiestatis personalis praesentia, sit Archiepiscopus Strigoniensis, qui et duos Iudices in sanctorum senatu iudicantium habere solet, et si ipsemet, (qui unus est ex Iudicibus Regni ordinariis) non intersit, iudicii Locumtenens, qui sigillum Iudiciale Regiae Maiestatis tenet, quique hodie personalis vocari consuevit, eius absentiam supplet. Praerogativam dignitatis Ecclesiasticae et illa continent, quod in actionibus personalibus a seculari iudice conueniri non possunt, sed Iudices Clericorum Archiepiscopi sunt, vel Episcopi. Quodsi Clerici testimonia dicentes ad puritatem conscientiae aliquid affirmant, iuramenti instar habeatur. Archiepiscopus vero Strigoniensis, ne id quidem in propria persona, sed per officiales praestare tenetur. Denique quod ut statuta regni vim legis obtineant, Praelatorum assensus concurrat oportet. Finem non facerem, si longo ordine percensere vellem singula, quae leges Hungariae de officio ac iurisdictione Praelatorum, de causis ecclesiastici Tribunalis, de Ecclesiarum et Monasteriorum visitationibus, deque similibus aliis rebus praescribunt. Quibus omnibus omissis ea breuiter annotabo, quae de bonis Ecclesiasticis sapientissime sunt nostris legibus consitata: Multiplici lege sancitum est, licere cuique dotare Ecclesias, ac bona fortunasque illis elargiri. S. Stephani Decreto 2. caput 5. S. Ladislai Decr. 1. cap. 5. et 23. Atque ideo (ut Ferdinandus primus Decreto Anno 1560. sapienter dixit) non soli Reges Vngariae, sed et alii pii, et deuoti erga Deum, Religionemque Christianam, bonis et iuribus possessionariis dotarunt Ecclesias! Haec autem largitas, ita facta, ut Bona Ecclesiis in perpetuas Elemosynas sint collata. Ideoque vetitum, ne is, qui res suas, ac praedia Ecclesiae dedit ulla interueniente causa ea subtrahere audeat, sed neque Rex noster potest ab Ecclesia auferre bona, vel sequestrare: nam dotes cuiuslibet possessionis Ecclesiis dispositae inconuulsae remanere debent; nec bona Ecclesiae amitti possunt. Quocirca Ecclesiasticis in praeiudicium suorum successorum nemini quicquam de bonis et iuribus Ecclesiae concedere licet, et si clericus crimen admisit, ob quod singularia bona Fisco addici consueuerunt, ipse quidem degradatus in persona punitur, bona tamen Ecclesiastica amittere haud potest. Haec causa fuit, cur maiores nostri sancierint, ut Regia Maiestas Ecclesias, quae in manibus Lajcorum habentur, liberet, et ne aliquam earum cuiquam in futurum inscribat ac saepius repetitis decretis caverint, ne saeculares bona Ecclesiarum ullo pacto pro se usurpent. Deinde Ferdinandus primus pragmatica sanctione Anno 1560. declarauit: Teneri Reges Vngariae, modis omnibus procurare, ne bona Ecclesiastica semel Deo, et eius cultui consecrata in usus profanos conuertantur. Concludit: Vniuersa bona Ecclesiastica quocumque nomine, cuiusque saeculari collata et donata (quam donationem nullius roboris esse pronunciat) statim et de facto occupentur, et Ecclesiae restituantur. Saepae alibi quoque decretum, ut Ecclesiastica bona Ecclesiis restituantur: Decreto Huniadii Anno 1446, Artic. 2. Fol. 127. Szilagi Anno 1458 Artic. 1. Ferdinandi Anno 1586. Art. 6. etc. Haec, tot et tanta Ecclesiasticorum Priuilegia, ut ea sanctius illibata ser-

varentur, quo arctius ad earum custodiam Regia Maiestas stringebatur, conceptis verbis solempni formula Regia Maiestas, dum inauguratur iurat: Quod Ecclesias Dei, Dominos Praelatos in suis iuribus Priuilegiis, ac antiquis bonis, et approbatis consuetudinibus conseruabit. Regni quoque Palatinus his ipsis verbis publicum iurisiurandi sacramentum concipit: volo omnes status huius Regni Vngariae tam spirituales, quam saeculares in eorum libertatibus et iuribus, quatenus ad officium meum pertinet, tueri protegere et defendere. Nec solum S. Stephanus Decret. 2. caput 4. diligenter iubet, ut Vngari animas suas ponant pro sacerdotibus, sed et crebris regni decretis, iniungitur illibate sacerdotalium priuilegiorum custodia, Anno 1559. Articulo 41. etc. Quid in hac tam longa praescriptionis serie roborata, tot seculorum usu, tantis legum firmamentis, tam arcto regii ac palatinalis iuramenti vinculo solidata Ecclesiastici iuris firmitate, hirudines, et vomicae bonorum Ecclesiasticorum? Id agunt, quod hucusque actitauit ubi ubi pedem fixit, ac praeualuit nuper nata nouorum dogmatum pestilitas: Rapacitate inaudita bona Ecclesiarum depeculantur ruptisque omnibus diuinae, et humanae iustitiae repagulis per vim ac iniuriam bonorum possessione et veteri dignitate Ecclesiasticos uniuersos deturbant. Et ut nil ad summam malignitatem desit, quod nefarie perpetrarunt iniquissimarum legum praesidio stabilire volentes, Statuta, seu Decreta, ab omni etiam urbana ac ciuili humanitate alienissima, prorsus iniqua, inualida, ipsoque iure nulla concludunt, quibus rapina Ecclesiastica stabilitur, hoc est Metamorphosi, plusquam poetica, et Iudices, et Legislatores fiunt legum omnium euersores notorii. Tria sunt porro, quae unius alteriusve praecipitis adolescentuli consiliis rotata Betlenii potentia contra ordinem Ecclesiasticum inique, ac impotenter statuit. Primum est: Tractatus Viennensis, ac articulorum Mathiae secundi uniuersas, ac singulas particulas Statuum Cleri Romano-catholici, et bona eorum, item ordinem Jesuitarum concernentes poenitus cassat, abolet annihilat, sicut etiam passim in generalibus constitutionibus regni sancitos articulos. Vident oculatissimi vulturii, quod si ius, et aequum retineatur, palam iniqua, et legibus castigata ipsorum procacitas ad orcum, unde nata, retrudetur; ideoque leges antiquissimas uno spongiae ductu obliterant. Nempe ut fidem arbitrariam habent, ac id sanctum est, quod ipsis adlubescit, ita leges nutu, ac palato suo metiuntur. En charitatem: En iustitiae legibus coercitam Euangelicam, si Deo placet, moderationem: ut libertates, ut iura Regni Euangelico-Lutheranis aut Epistolico-Caluinistis illaesa permaneat, magnopere requirunt; ne ceteris leges suffragentur impense adlaborant. Ponderus, et pondus, mensura, et mensura, utrumque abominabile est apud Deum. Eodem pro te, et aliis pondere, eadem mensura si non uteris, Deo abominandus constitueris, dignus, ut patiare legem, quam ipse in alios tuleris. Alterum statutum est: Vt bona Ecclesiastica omnia in usus regni publicos applicentur, ita ut quae potiora fuerint, semper pro peculio coronae retineantur, sicut et decimae, siue in arenda, siue in specie colligi consuetae. Reliqua vero omnia, et uniuersa bona Ecclesiastica quaecunque, qualiacunque, et cuiuscunque generis, aut ubique intra ambitum Regni Vngariae exstiterint, inscribantur. Ad haec Archiepiscopatus, Episcopatus, Praeposuras, Ab-

batias omnino abrogant praeter tres Episcopatus, Titulotenus conseruatos; Agriensem, Nitriensem, Jauriensem; singulis bismille florenos ex Fisco deputantes. Tertium statutum est, ut nominatim ego, Archiepiscopus Strigoniensis, alique complures, nisi ante festum S. Michaëlis Anni 1620. unioni subscribant, ac gratiam Bethlenii exquirant proscripti, ac exilio mulctati sumus. Haec ergo statuta dum legerem, facile animaduerti non tam verbis, quam re, et facto exprobrari nobis errorem nostrum; et quae a catholicis pridem fieri oportuerant non sine tacitae reprehensionis acriore morsu exemplo commonstrari: quin et in futurum quid opus sit, facto edocere. „Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi, retributione qua retribuisti nobis.“ Nec Euangelici succensere poterunt, siquis Euangelium secutus, eadem mensura, qua mensi sunt, aliis remetatur illis, si mensuram plenam, et confertam, et coagitam, et superfentem dederint in sinu ipsorum. Sane Propheticum illud, tam Ecclesiasticus ordo, quam ceteri indignissime tractati audire sibi videntur. „Nocentes peribunt, qui te vexarunt, et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur. Sicut enim gauisi sunt in tua ruina, et laetata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. Et amputabitur exultatio multitudinis eius, et gaudium eius erit in luctum.“ Sed Deo ista committo. Illud magnopere notandum moneo: Et Viennensis Pacificationis articulos, et Mathiae 2. Decreta et conditiones regnandi modernae caesareae regiaeque Maiestatis, quarum supra meminimus in punctis haud sane paucis, ac minutis, honorum Ecclesiasticorum ademptione, Episcopatum euersione, tot immerentium illegitima damnatione conuelli, ac prorsus violari. Ex quo illud consequens est, et fideiussionem Provinciarum antea recensitarum poenitus eliberatam et confoederationem Posonii ac Aeuansicii initam omnino rescissam, et conditiones regnandi, quas memorauimus, euersas esse, eo, quod his omnibus repugnantia sint Nouizolii constituta, qui autem pactis non stetit, frustra ab aliis conuentorum constantiam requirere, notius est, quam ut longiori probatione ostendi debeat. —

Caput 3. Defectu competentis iudicis ac legislatoris statuti Bethleniani nullitas euincitur. Populus Vngariae, dum adhuc ritu viueret gentilium condendae legis ac constitutionis potestatem ipse habuit. Verum posteaquam ad fidem catholicam conuersi sponte sibi Regem elegerunt, tam legis condendae, quam collationis possessionariae atque omnis iudiciariae potestatis facultas, in iurisdictionem sacrae regni coronae, qua reges coronari solent, et subsequenter Regem nostrum legitime constitutum translata est. Quamquam ne ipse quidem Rex coronatus ac legitime constitutus suo nutu constitutiones publicas sancire potest, sed populi consensus accedat oportet, ac demum, quod et Regi et populo placuit statutum censetur. Populi autem nomine hoc loco intellige Dominos Praelatos, Barones, Magnates, ac Nobiles. Ex his legum Hungaricarum firmissimis fundamentis, constat, eum, qui corona Regni insignitus non fuerit, nec constitutiones condere, nec suprema iudiciariae potestatis facultate fungi posse: Nam haec omnis potestas in iurisdictionem Sacrae Coronae collata subsequenter Regi Coronato attributa fuit. Quocirca priuilegia et statuta etiam legitimorum Regum ante coronationem edita firma non esse leges nostrae tradunt. Nec sufficit si

quis regio diademate quocunque modo redimitus fuerit, requiritur, ut legitime constitutus sit in Regem. Eapropter etsi Stephanus Quintus Junior Rex Vngariae, et Dux Transilvaniae diceretur, eius tamen acta ante Regni gubernacula iuste suscepta invalida declarantur. Denique ipse quoque Rex Vngariae legitime constitutus, ac rite coronatus, Praelatorum voto non expetito, statutum condere haud potest, ut ex Patriis legibus audiuius. Quae cum ita sint, facile per se in oculos incurrit, Iudicis, ac Legislatoris incompetencia, qui iniuste usurpata potestate Statum Ecclesiasticum praegravat. Nam tametsi Betlen vani decoris aura transuersum actus temeritate sua quietem Vngariae corrumpendo tranquillitatem ex alcedonia conturbauit, nihilque esse, quam non Regnum vel Scenica ostentatione degustare maluerit, ab hominibus otiosis et praecepta deprudentia propria opinione credulis fascinatus, Rex ludibrio creari voluerit: Constat tamen vniuersis, ipsum nec Sacra regni Corona redimitum esse, nec Regium, quem arrogat titulum, legitime usurpare, nec denique solii regalis capacem esse: Primo, quia legibus Vngaricis ab ipso Proto-Rege S. Stephano libertatis, ac nobilitatis Vngaricae fundatore, latis cautum est: Ne ad regalis dignitatis ordinem accedat, nisi fide catholica imbutus. Eam fidem catholicam requirunt leges nostrae in omnibus Vngariae Regibus, quam S. Stephanus secundum Deum in Vngaria plantauerat, quam et hodie profitemur, ut ex ipsius S. Regis Decr. l. 2. C. 9, 10, 11, 18, etc. liquido apparet. Cum igitur Betlen ab auita Religione catholica sit alienus palam est, Regii fastigii capessendi suffragia cadere in ipsum non posse. Legem vero S. Regis tot seculorum non interrupto usu roboratam abrogari Nouizolii non potuisse, latius infra commonstrabimus. Secundo, iuxta antiquas legum nostrarum sanctiones neque Comitiae legitime celebrari, neque Rex aut Princeps constitui potest sine interuentu Praelatorum. Sed neque coronatio Regis rite peragitur, nisi per Archiepiscopum Strigoniensem. Nam ut vere scribit Dominus Petrus Révay: Reges gentis nostrae coronandi, sacrisque regalibus initiandi ab initio semper munus Archipraesulis Strigoniensis fuisse, et nunc esse, ei, qui vel primis labris Historias, et regni Vngariae constitutiones degustauerit, perspicuum est. Id, quod et vetustissima Archiepiscopi priuilegia habent. Cum ergo nec electus a nobis sit Betlen, nec Comitiae, quibus eligi voluit, interfuerit primarius regni status, nec vnquam ab Archiepiscopo Strigoniensi Coronam sperare possit; nullo iure vsurpari a Betlenio Regia nomina manifestum euadit. Tertio. Vt taceamus praerogatiuam regii seminis crebro legibus nostris repetitam, praesertim Anni 1485. Art. 1, 2, 3, de officio Palatinali Anno 1547. Art. 5. Anni 1552. Art. 1. Anni 1569. Art. 33. Ne ipsa quidem negare potest impudentia Sacratissimam Caes. Regiamque Maiestatem Ferdinandum II. rite electum ac Sacra Corona redimitum, legitimum esse Regem Vngariae. Nam singulari Dei prouidentia factum, ut dum Anno 1618. Electio peragebatur, speciali Diplomate assecurari voluerint Status Vngariae, publicis decretis regni insertum iri, quod ipsi Serenissimum Dominum Ferdinandum Regem Bohemiae, sacri romani Imperii Electorem etc., iuxta antiquam consuetudinem et libertatem, eorundem semper obseruatam, paribus votis, unanimitique consensu in Dominum, ac Regem ipsorum rite elegerunt, procla-

marunt, inuocatoque Numiuis diuini auxilio feliciter etiam coronauerunt. Quae totidem verbis inter eius anni statuta publicis regni tabulis inserta leguntur. Haec tam clara, tam firma totius regni testificatio, verum, indubitatum, legitimum, more maiorum electum rite coronatum Vngariae Regem esse Ferdinandum II. euidenter monstrat. Nemo igitur alius Regii in Vngaria tituli capax esse potest. Nec in arbitrio subditorum positum est, ut quem semel Regem elegerunt ludicra Metamorphosi, quoties collibuerit abiiciant, praesertim cum Rex ipse, sancte et inculpate iuxta legum praescripta subditos moderatur. Id, quod Ferdinandum II. exacte praestitisse status, et ordines omnes Vngariae in generali eorum Diaeta vix vno mense antequam Betlen Vngariam inuaderet, his ipsis verbis contestati sunt: Sacrae Regiae Maiestati Domino ac Regi ipsorum Clementissimo Status et Ordines Vngariae immortales humillime agunt gratias, quippe cum videant Suae Maiestatis erga eosdem fideles Status et Ordines eam esse benignitatem, ut Sua Maiestas nihil omnino eorum, quae vel vigore diplomatibus sui regii, vel Articulorum tempore felicitis suae coronationis sancitorum, stabilita fuerant, in sese desiderari patiatur." En publicam de acquissimo et undequaque inculpato Regimine testimonium. Quemadmodum igitur Nobiles a Rege creati, et bonis donati Jure nobilitari spoliari, aut possessionibus honorum exui, sola Regis voluntate non possunt; ita, potiori iure legitime coronato Regi, Jus regium adimi, et ad nutum subditorum in alium transscribi nequaquam potest, cum hic vel maxime locum habeat Juris regula, quod semel placuit displicere non poterit. Quocirca etsi non sim nescius Regna minori periculo amitti, quam quaeri, alios enim homines, ut vestes sic honores ac dignitates impune induere, ac exuere; Regna nonnisi cum vita deponi: Nam in solium intrantes caput inferre, inde nisi protractum pedibus, qui semel intrauerit, efferri non posse. Si quis tamen etiamnum superet diuini humani iudicii metus in animo Betlenii, eum ego christiano ac sacerdotali affectu monitum cupio: Ne se, ne alios, si ulterius pertendat, praepostera, ac morosa prudentia in manifestum exitum praecipitet. Ne ministris furore coecis, et tamquam sub breui Imperio, festinantibus in ruinam credulas aures praebat; ne noua bellorum incendia spargat. Ne Regni Vngariae euersionem flocci faciat, ac dum inexplebili cupiditati morem gerit attritis utrinque viribus, potentissimo simul et impotentissimo Turcarum tyranno ad internecionem christiani nominis viam aperiat; sed quem propriae conscientiae testificatione legitimum Vngariae Regem intelligit eidem sua iura illaesa permittat, nisi diuinae ultionis memorabile exemplum statui in se velit, ex quo omnes discant ab omni maleficio et iniuria temperare, memores, quod cuiquam fecerint, id sibi a quouis expectandum esse. Quarto. Nec legitimis Comitibus electio Betlenii peracta est, nec ab ordinibus vniuersis, nec more maiorum, sed tumultuaria conclamatione seditiosorum, cum omnia metu ac trepidatione plena, cum Comitiorum locus armatis cinctus; cum certa mors abnuentibus denunciata fuisset. Comitibus quidem auctoritate Sacratissimae Caes. Regiaeque Maiestatis Iudicialium Diplomatum vigore ut fierent obtinuerant. Intelligebant siquidem Regalibus litteris regia duntaxat auctoritate legitima Comitibus publicari ac celebrari posse. At vero postquam sua Maiestas animad-

vertit non ad quietem publicam conciliandam, (prout facturum se receperat) uti Betlenium his comitiis, sed nouis conspirationibus et animos regnicolarum magis, magisque, a suae maiestatis obsequio abducere et rebellium Bohemorum factiones fouere; per commissarios suos, et finem diaetae caesar imposuit, et spe facta aliorum comitiarum in quibus libera suffragia dici possint, acta omnia, et deinceps agenda, ac concludenda Nouizolii, regia authoritate rescidit, ac prorsus aboleuit. Postquam igitur legitima comitia esse desierant, primo, ac praecipuo regni statu ecclesiastico absente, reclamantibus, ac protestantibus multorum comitatum legatis, quibus iniunctum a suis principalibus fuerat, ut Suae Cesareae Regiaeque Maiestatis dignitatem ac authoritatem modis omnibus tuerentur, bonis omnibus abnuentibus, temeraria factiosorum acclamatione rex Betlen consalutatus fuit. Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest, Scenicam hanc, ac prorsus euanidam Betlenii electionem eiectioni vicinam nullum Jus, nullam regendae Vngariae authoritatem ipsi attribuisse, sed praesumptum, usurpatum, raptum, tyrannicum esse, quidquid ipse sibi arrogat, ac impotenter exercet. Quinto: Notorium, ac publicum est, Betlenium dum anno 1613. pulso Domino suo, in Principatum Transyluaniae, Turcicis copiis vim, et metum admouentibus intruderetur inter alias regnandi conditiones typis Claudiopoli in Transyluania publicatas secundo loco illud iureiurando interposito promisisse: Quod cum Romanorum Caes. Maiestate et Regno Hungariae bonam vicinitatem, et pacem sollicite seruabit. Praeterea in vtroque Tractatu Tyrnauensi anno 1615. ac 1617. fide publica diplomate principali, interposita assecuratione totius Transyluaniae Authenticis Scripturis roborata promisit idem Princeps Betlen: Quod contra legitimos reges Vngariae, Augustissimam Domum Austriacam Regna et Prouincias, cum quibus Sua Maiestas singularia pacta habet, nullo vnquam tempore aduersam, et hostilem praetensionem habebit. Quod idem Princeps Betlen, vna cum Statibus et Ordinibus Transyluaniae promittit suae Maiestati, suisque successoribus legitimis regno Vngariae, quod quandocumque necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes, (excepto Turca) omni ope, auxilio, viribus, et fidelitate aderit, sed et illud pariter adpromisit: Quod Praesidia et confinia Ditioni Transyluanae subiecta nunquam a corona regni Vngariae abalienabit. Haec omnia tam sancte promissa, quam religiose obseruauerit princeps Betlen, me tacente res loquitur. Illud fidenter dico, quisquis huiusmodi iuramenta palam violarit, is ne infimum quidem, ac tenuissimum hominem, vllius culpaе, aut delicti accusare, vel testificatione premere potest, nedum iudicare. Sexto. Ea est primaria nobilitatis Vngaricae praerogatiua: Quod nobiles nullius praeterquam principis legitime coronati subsint potestati. Nobilium nomine hoc loco intelligendo uniuersos Dominos Praelatos, Barones, Magnates. Cum igitur principis Betlenii et adhaerentium ipsius potestati, nemo ecclesiasticorum, nemo, vel minimus nobilium de iure subsit, nullam ab ipsis contra nos legem statui, nullam proferri sententiam posse rectissime contendimus. Septimo denique. Patriis legibus cautum est: Ne in actionibus personalibus, per secularem iudicem conueniri possint ecclesiastici: sed et illud additum: Testimonium Laici aduersus Clericum nemo accipiat. Igitur iure nostro utimur, cum proscr-

marunt, inuocatoque Numiuis diuini auxilio feliciter etiam coronauerunt. Quae totidem verbis inter eius anni statuta publicis regni tabulis inserta leguntur. Haec tam clara, tam firma totius regni testificatio, verum, indubitatum, legitimum, more maiorum electum rite coronatum Vngariae Regem esse Ferdinandum II. euidenter monstrat. Nemo igitur alius Regii in Vngaria tituli capax esse potest. Nec in arbitrio subditorum positum est, ut quem semel Regem elegerunt ludicra Metamorphosi, quoties collibuerit abiiciant, praesertim cum Rex ipse, sancte et inculpate iuxta legum praescripta subditos moderatur. Id, quod Ferdinandum II. exacte praestitisse status, et ordines omnes Vngariae in generali eorum Diaeta vix vno mense antequam Betlen Vngariam inuaderet, his ipsis verbis contestati sunt: Sacrae Regiae Maiestati Domino ac Regi ipsorum Clementissimo Status et Ordines Vngariae immortales humillime agunt gratias, quippe cum videant Suae Maiestatis erga eosdem fideles Status et Ordines eam esse benignitatem, ut Sua Maiestas nihil omnino eorum, quae vel vigore diplomatis sui regii, vel Articulorum tempore felicitis suae coronationis sancitorum, stabilita fuerant, in sese desiderari patiatur. "En publicam de aequissimo et undequaque inculpato Regimine testimonium. Quemadmodum igitur Nobiles a Rege creati, et bonis donati Jure nobilitari spoliari, aut possessionibus bonorum exui, sola Regis voluntate non possunt; ita, potiori iure legitime coronato Regi, Jus regium adimi, et ad nutum subditorum in alium transscribi nequaquam potest, cum hic vel maxime locum habeat Juris regula, quod semel placuit displicere non poterit. Quocirca etsi non sim nescius Regna minori periculo amitti, quam quaeri, alios enim homines, ut vestes sic honores ac dignitates impune induere, ac exuere; Regna non nisi cum vita deponi: Nam in solium intrantes caput inferre, inde nisi protractum pedibus, qui semel intrauerit, efferi non posse. Si quis tamen etiamnum superet diuini humaniue iudicii metus in animo Betlenii, eum ego christiano ac sacerdotali affectu monitum cupio: Ne se, ne alios, si ulterius pertendat, praepostera, ac morosa prudentia in manifestum exitium praecipitet. Ne ministris furore coecis, et tamquam sub breui Imperio, festinantibus in ruinam credulas aures praebat; ne noua bellorum incendia spargat. Ne Regni Vngariae euersionem flocci faciat, ac dum inexplebili cupiditati morem gerit attritis utrinque viribus, potentissimo simul et impotentissimo Turcarum tyranno ad interneccionem christiani nominis viam aperiat; sed quem propriae conscientiae testificatione legitimum Vngariae Regem intelligit eidem sua iura illaesa permittat, nisi diuinae ultionis memorabile exemplum statui in se velit, ex quo omnes discant ab omni maleficio et iniuria temperare, memores, quod cuiquam fecerint, id sibi a quouis expectandum esse. Quarto. Nec legitimis Comitibus electio Betlenii peracta est, nec ab ordinibus vniuersis, nec more maiorum, sed tumultuaria conclamatione seditiosorum, cum omnia metu ac trepidatione plena, cum Comitiorum locus armatis cinctus; cum certa mors abnuentibus denunciata fuisset. Comitibus quidem auctoritate Sacratissimae Caes. Regiaeque Maiestatis Iudicialium Diplomatum vigore ut fierent obtinuerant. Intelligebant siquidem Regalibus litteris regia duntaxat auctoritate legitima Comitibus publicari ac celebrari posse. At vero postquam sua Maiestas animad-

vertit non ad quietem publicam conciliandam, (prout facturum se receperat) uti Betlenium his comitiis, sed nouis conspirationibus et animos regnicolarum magis, magisque, a suae maiestatis obsequio abducere et rebellium Bohemorum factiones fouere; per comissarios suos, et finem diaetae caesar imposuit, et spe facta aliorum comitiõrum in quibus libera suffragia dici possint, acta omnia, et deinceps agenda, ac concludenda Nouizolii, regia autoritate rescidit, ac prorsus aboleuit. Postquam igitur legitima comitia esse desierant, primo, ac praecipuo regni statu ecclesiastico absente, reclamantibus, ac protestantibus multorum comitatuum legatis, quibus iniunctum a suis principalibus fuerat, ut Suae Cesareae Regiaeque Maiestatis dignitatem ac auctoritatem modis omnibus tuerentur, bonis omnibus abnuentibus, temeraria factiosorum acclamatione rex Betlen consalutatus fuit. Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest, Scenicam hanc, ac prorsus euanidam Betlenii electionem eiectioni vicinam nullum Jus, nullam regendae Vngariae auctoritatem ipsi attribuisse, sed praesumptum, usurpatum, raptum, tyrannicum esse, quidquid ipse sibi arrogat, ac impotenter exercet. Quinto: Notorium, ac publicum est, Betlenium dum anno 1613. pulso Domino suo, in Principatum Transyluaniae, Turcicis copiis vim, et metum admouentibus intruderetur inter alias regnandi conditiones typis Claudiopoli in Transyluania publicatas secundo loco illud iureiurando interposito promississe: Quod cum Romanorum Caes. Maiestate et Regno Hungariae bonam vicinitatem, et pacem sollicite seruabit. Praeterea in vtroque Tractatu Tyrnauensi anno 1615. ac 1617. fide publica diplomate principali, interposita assecuratione totius Transyluaniae Authenticis Scripturis roborata promisit idem Princeps Betlen: Quod contra legitimos reges Vngariae, Augustissimam Domum Austriacam Regna et Prouincias, cum quibus Sua Maiestas singularia pacta habet, nullo vnquam tempore aduersam, et hostilem praetensionem habebit. Quod idem Princeps Betlen, vna cum Statibus et Ordinibus Transyluaniae promittit suae Maiestati, suisque successoribus legitimis regno Vngariae, quod quandocunque necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes, (excepto Turca) omni ope, auxilio, viribus, et fidelitate aderit, sed et illud pariter adpromisit: Quod Praesidia et confinia Ditioni Transyluanicae subiecta nunquam a corona regni Vngariae abalienabit. Haec omnia tam sancte promissa, quam religiose obseruauerit princeps Betlen, me tacente res loquitur. Illud fidenter dico, quisquis huiusmodi iuramenta palam violarit, is ne infimum quidem, ac tenuissimum hominem, vllius culpaе, aut delicti accusare, vel testificatione premere potest, nedum iudicare. Sexto. Ea est primaria nobilitatis Vngaricae praerogatiua: Quod nobiles nullius praeterquam principis legitime coronati subsint potestati. Nobilium nomine hoc loco intelligendo uniuersos Dominos Praelatos, Barones, Magnates. Cum igitur principis Betlenii et adhaerentium ipsius potestati, nemo ecclesiasticorum, nemo, vel minimus nobilium de iure subsit, nullam ab ipsis contra nos legem statui, nullam proferri sententiam posse rectissime contendimus. Septimo denique. Patriis legibus cautum est: Ne in actionibus personalibus, per secularem iudicem conueniri possint ecclesiastici: sed et illud additum: Testimonium Laici aduersus Clericum nemo accipiat. Igitur iure nostro utimur, cum proscri-

tiones, depositiones, oppressiones cleri per Betlenium factas temerarie praesumas, iniuste vsurpatas dicimus. Palam enim ac solemniter protestamur, principem Betlen, et eius sequaces iudices personarum nostrarum esse non posse.

Caput. 4. Defectu legitimi processus constitutionis Betlenianae vanitas comprobatur. Diuini humanique iuris interpretes vniuersi magno assensu pronunciant, iniquam, iniustam, poenitus nullam esse, etiam competentis iudicis sententiam, nisi praecedat legitima causae cognitio, processusque iuridicus: hoc est nisi citatus, accusatus, auditus ac denique iure conuictus fuerit, qui condemnatur. Nam, vt quondam ab oratore summo dictum est: quid indignius, quam qui neque adesse iussus sit, neque accusatus, de eius capite, ac fortunis omnibus iudicetur? Prudenter Tacitus: „Inauditos, atque indefensos tanquam innocentes perire,“ dixit. Nam

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera

Aequum licet statuerit haud aequus fuit.

Quamobrem et Lotharius II. vt incorrupti iudicis partes se exequi ostenderet, symbolum illud praetulit: Audi alteram partem; et Alexander Macedo, quoties accusantem audiebat alteram occludebat manu auriculam, defensori eam seruata volens. Cum itaque nemo innocens esse possit, si acusasse sufficiat, sapienter monuit Euripides: Nihil utilius esse prudenti incredulitate. Deus ipse, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, etsi non ignorabat, quid contra suum interdictum Adam et Eua perpetrassent, euocauit tamen utrumque, et quasi quaestionem, causaeque cognitionem instituit, vtrumque audiuit, et tunc demum in conuictos sententiam pronunciauit. Admirabilius illud, quod non contentus foedissimorum, sceleratissimorumque Sodomitarum clamore: Descendam inquit, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita? vt sciam. Deus, cui nuda sunt omnia, et aperta, non ignorabat scelera Sodomorum, et tamen ut mortalibus iurisdictionem exercentibus exemplo praeluceret, ne praecipitarent iudicia, sed audita, relataque acriter examinarent; Descendam, inquit, et videbo. Iudaei quoque, cum aliquando Christum Dominum non auditum damnare vellent, Nicodemus intercessit, ac ne sententiam praecipitarent eo argumento euicit, quod secundum legem nemo, nisi auditus, damnari possit. Pari ratione, dum instanter apostoli Pauli perniciem vrgerent Iudaei, Portius Festus proiectam ipsorum temeritatem ita repressit: Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius, quam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Quid de legibus nostris dicam? nil crebrius, nil efficacius inculcant, quam, vt nemo ad cuiusvis clamores, lamenta, querelas, nisi legitime citatus, accusatus, conuictus damnetur. Andreas Hierosolymitanus eo ipso Decreto, cuius regii iuramenti formula meminit, sancte promittit, nec se, nec posteros suos, nobilem capturum, vel destructurum, nisi primo citatus, et ordine iuridico conuictus fuerit. Praeterea in Tripartito primum illud ponitur nobilium priuilegium, quod etsi grauissimum crimen perpetrarint, si tamen de loco delicti aufugerint, non aliter, nisi citatione mediante processuque iuridico damnari et aggruari possint. Secundum Priuilegium illud dicitur, quod nobiles regni,

nullius, praeterquam Principis legitime coronati subsint potestati, et ipse quoque Princeps, ad simplicem querelam, et sinistram suggestionem alicuius, neminem eorum praeter viam iuris et altera parte non audita, in persona vel rebus suis ordinaria auctoritate impedire potest. Additur vero: Per nobiles hoc loco intelligi generaliter vniuersos Dominos Praelatos, Barones, Magnates. Tempus me deficeret, si recensere vellem, quoties haec ipsa lex renouata, confirmataque fuerit. Videatur Decretum 1. Vladisl. art. 11. Math. 1. Decretum 2. art. 18. Decretum 3. art. 10. etc. Atque in hoc verti cardinem libertatis Vngaricae non obscure indicarunt Maiores nostri, dum hoc priuilegium nobilitatis et expresso regiae Maiestatis iureiurando roborari voluerunt, et aperte declararunt, quod si rex ipse contrarium attentarit, tunc sine nota alicuius infidelitatis liberam illi resistendi, et contradicendi habeant facultatem, tam episcopi, quam alii nobiles regni, vniuersi, et singuli. O libertas tanto maiorum nostrorum sanguine parta! in quantam seruitutem degenerasti! Non vnus aliquis e promiscua nobilitate, sed primus ac supremus nobilitatis Vngariae status vniuersus cruda, ac prorsus Dacica Sanctione, nec citatus, nec auditus, nec vllius sceleris conuictus, lata, praecipiti ac inconsulta sententia, honoribus exiitur, honorum possessione exturbatur. Vna est, eademque libertas status ecclesiastici, ac reliquae nobilitatis Vngaricae, vt superius, ex patriis legibus monstrauius, pernicioso itaque ad posteritatem exemplo tota prorsus nobilitatis Vngaricae praerogatiua euersa, ac subruta per Betlenium dum nos nec citati, nec aggrauati condemnatur. Et quod nobis hodie factum vides Vngara nobilitas id cras tibi futurum ne dubita. Quid enim? Si hodie priuilegia nobilitatis in vno regni membro violare licet Betlenio, an si libeat, non licebit cras in altero? Perlatum ad me fuit, Betlenium auide bonis ecclesiasticis inhiantem in eo esse, ut ordinem ecclesiasticum conuenticuli Nouizoliensis suffragio honorum possessione deturbaret. Ideoque mature ad eos, qui Nouizolii conuenerant, binas exarauit litteras, quarum alterae meam proprie personam, alterae totum statum ecclesiasticum concernebant. Et licet ostensa innocentia nostra, et interpositis idoneis protestationibus, rogassem, ne praecipitarent, sed si quid erratum, (cuius tamen nulla nos conscientia tangimur) cum leges, et iudicia non desint in Vngaria, debitis, ac consuetis modis nos conueniant, paratos innocentiam nostram omnibus testatam reddere, ac calumniantium criminationes euertere. Repraesentatae fuere hae litterae per Dominum Vngariae Palatinum, ac in publico perlectae, praeualuit tamen Betlenii potentia, ac contra diuini humanique iuris ordinem nec euocati, nec auditi, nec conuicti a iudicibus simul et accusatoribus, et testibus damnati, bonis spoliati, Patria proscripti sumus. Ex his, vel ipsorum aduersantium sensu constare arbitror, iniquam, iniustam, diuinis, humanisque legibus aduersam, prorsus nullam esse Nouizoliensem Betlenii contra nos latam sententiam: adeoque hoc solo facto, totam nobilitatis praerogatiuam seruili adulatione euersam, ac Betlenii tyranide oppressam; ob quod solum facinus sine nota alicuius infidelitatis vniuersos ac singulos nobiles et Episcopos resistere ac contradicere posse Betlenio, non in eo solum in quo nunc est statu, sed etsi altius euectus foret, legum Patriarum testificatione scimus.

Caput 5. Defectu iustitiae sententia Betleniana eliditur. Dubium non est, iudicis sententiam legibus adstrictam esse debere, quamobrem, si manifeste aduersetur legibus, non iniqua solum, sed et vana, et inualida sit, oportet. Jam vero quis non videt, contra omnia diuina, humanaque iura, contra leges omnes fieri, quod bona Deo dicata adimantur, quod saecularibus addicantur? Diuina lex est: Ea, quae homines vouerint Domino mutari non posse. Omne, quod Domino consecratur, siue homo, siue animal, siue ager redimi non poterit. Quidquid semel fuerit consecratum sanctum erit Domino. Nempe vt Joseph solam sacerdotalem terram immunem, nec vendibilem esse voluit in Aegypto, sic Deus optimus, ea, quae sibi oblata forent, nec mutari, nec redimi, nec in usum alium verti posse edixit. Seria etiam animaduersione Diuina vindicta castigati, qui Deo oblata ereptum iuerunt. Nam et Rex Balthasar, quod profanis vsibus sacra vasa polluerat, inopinata morte periit; et Heliodorus, quod violata Dei Domo pecuniam ibi asseruatam diripere tentaret, flagellis exanimatus. Ananias vero et Saphira, morte subitanea interemti, non quod ab aliis Deo oblata rapuerint, sed quod partem suarum facultatum retinuerint, quas antea Deo consecrarant. Plenae sunt veteres historiae ecclesiasticae similibus diuinae iustitiae testimoniis; Apostatae Juliani auunculus, Julianus et ipse dictus, statim ac vasa sacra e templo Antiocheno abstulit, saeuo morbo correptus putrefactis visceribus. toto corpore ebullientibus, ac scelestam carnem depascentibus vermibus, non per solitos meatus, sed per os blasphemum ventris sordibus egestis, infelicem animam exhalavit. Quid de Leone quarto Constantino Imperatore dicam? Coronam auream in templo S. Sophiae dedicatam, cui inaestimabilis pretii Carbunculus inerat, abstulit profanus Imperator, capiti proprio imposuit. Res mira! continuo pestilens et inflammatus in capite tumor, quem Carbunculum vocant, enatus hominem exstinxit. Jam si sacros canones, legesque ecclesiasticas considerem, nihil crebrius, quam anathemata, diras, execrationes, maledicta in eos fulminata deprehendimus, qui bona ecclesiastica rapiunt. Ea, quae quotannis in Coena Domini publicari solet Bulla, excommunicantur omnes, qui fructus, prouentus, redditus, ad quascunque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum pertinentes usurpant, vel quauis occasione, et causa sequestrant. Sed et ante annos mille, et amplius in concilio romano ita decernitur: Qui facultates ecclesiae sub specie regiae largitatis obtinent, nisi ea restituant velut Haeretici anathematizantur. Consimili ratione in concilio Turonensi: qui vel a rege obtinent, vel sponte occupant bona ecclesiae non solum excommunicantur, sed et Judae traditoris maledictionem incurrere pronunciantur. Sed quid leges Vngariae, quid ipsum naturae ius, ac lumen dictent, videamus. Bona ecclesiis in perpetuam eleemosynam sunt collata, ait ius nostrum. Si in perpetuum collata sunt, ad nutum alterius tolli non possunt. Si eleemosynae sunt Dei intuitu, imo Deo ipsi datae, utque Proto-Rex S. Stephanus loquitur: Res Dominicae, idest Domino Dominantium traditae sunt; adimi ergo sine sacrilegio non possunt. Deinde, quae ecclesiastici possident, ea partim a regibus donata sunt, partim a ceteris fidelibus. At legibus nostris cautum est, heredes donationi semel factae, non posse de iure

iterum refragari. Sed et illud additum de fidelibus ceteris: Ne is, qui praedia sua ecclesiae dedit, vlla interueniente causa subtrahere audeat. Quodsi ù ipsi, qui ecclesias dotarunt, lege prohibentur, subtrahere sèmel donata; quanto magis arcentur ceteri, ad quos ea bona minus pertinent. Propterea crebro legibus nostris inculcatur: Ne saeculares bona ecclesiarum vllò pacto pro se vsurpent. Et annectitur: Ob nullum crimen ecclesiasticorum posse bona ecclesiarum alienari. Naturae quoque lex ac ratio huc ducit: Si quidem iuri naturali aduersatur, vt quod alterius est, praeter viam iuris adimatur, praesertim si spoliatus coram competenti iudice se defendere, ac eis, qui se laesum queritur, satis dare paratum exhibeat. Ad haec, leges nostrae non vno loco tradunt, vnam eandemque libertatem, exemptionem, praerogatiuam habere Praelatos, Barones, ac Nobiles vniuersos. Si igitur salua hac libertate adimi ecclesiasticis sua bona possunt, quidni pari ratione adimi et saecularibus Dominis possunt? Fac armatum principem, nobilitate delinita, Magnatum ordinem abolere, bona adimere. Fac Magnatum et Nobilium fauore ciuilem statum rusticitati accensere: Jure ne id, ac licite fieri dicetis? At meminisse par est, Naturae legem esse, vt quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Scio, quod petulca, ac imperita iuuentus apud ignaram multitudinem mussitet: Abrogari constitutiones priores, per posteriores. Fuisse olim in fauorem cleri latae leges eas nunc Nouizoliensi statuto antiquatas esse, ab rege nouo leges nouas editas. O coeca, et praeceps temeritas, quo ruis? Fateor, quibusdam in rebus abrogari veteres nouis statutis posse, sed non ab alio, quam qui leges, ac statuta condere potest: Cum enim ipsa prioris statuti antiquatio, nouae constitutionis, iuris vigore fiat, clarum est ab eo solum vetera tolli posse, qui ius et potestatem noua Decreta condendi habuerit. Atqui iam antea commonstrauimus, Betlenium ac Nouizolii collectos, nullam legis condendae facultatem habuisse, cum leges nostrae solis regibus legitime coronatis, accedente consensu Praelatorum, Baronum, ac Nobilium, statuti condendi auctoritatem attribuunt. Deinde vetera statuta ita nouis editis tolli possunt: ut salua semper diuina, ac naturalis lex maneat. Humanae enim leges eatenus valent, quatenus non discrepant a diuinis. Lex ergo contra legem diuinam nec populi assensu, nec consuetudine diuturna est valida. Denique et illud leges nostrae habent: Statutum contra Jus Canonicum, libertatem Ecclesiarum diuturnam vel priuilegia eis necessaria, non valere. Cum igitur Statutum Nouizoliense et diuinae et naturali legi, et sacris canonibus, et diuturnae Ecclesiarum libertati ac priuilegiis manifeste repugnet, nemini dubium esse potest, posteriori Nouizoliensi Decreto iniquissimam rapacitatem stabiliri, non tolli priorum sanctissimorum regum statuta.

Caput 6. Ob falsas et insufficientes allegationes Decreta Bethleniana exploduntur. Nota est Juris Regula, Sententiam ex falsis allegationibus, falsis et insufficientibus causis, falsis testimoniis pronunciatam, ipso Jure nullam esse. Cum igitur Bethlen sua illa Nouizoliensi constitutione, falsas, euanidas, ac omni ex parte insufficientes causas adferat, ob quas et generatim ecclesiasticos et quosdam nominatim bonis, honoribus, iuribus, fama denique spoliandos existimauerit, dubium esse non debet, iniquam, inuolidam et prorsus inuolidam esse hanc Bethlenii sententiam. Et vt ordine

ac methodo rem expediamus. Primum ea videamus, quae generatim clero, mihi quae nominatim, quasi cum caeteris communia, obiiciuntur. Deinde ad ea descendamus, quibus me solum archiepiscopum Strigoniensem tangunt. Causas, quibus permotus Betlenius statum ecclesiasticum, ac me quoque nominatim, fortunis, honoribusque spoliandum existimavit, his verbis complectitur: Clerus abusus beneficiis, ea non ad promotionem diuini cultus, sed ad fomentum sui fastus, et nonnulli luxuriae quoque ac in perturbationem patriae vsurpauit. Si quando consultationes vel publice vel privatim, super communi bono, tutaque ac securam permansionem regni instituta fuissent, semper eas impediuit. Haec in clerum, sine ullis documentis, nuda accusantium dicam, an calumniantium conuiciatione, proferuntur. Eadem opera infinita, hisque longe grauiora crimina affingi clero poterant, quae tamen omnia, simplici negatione depelli efficacissime possunt. Nec aliud hic respondere necessum est, quam quod a competenti Iudice citati non fuimus; praecipitata sententia, ante legitimam causae cognitionem, damnati sumus; meris igitur criminationibus maligni pectoris accensenda sunt, quaecumque obtenduntur. Vt tamen latae contra clerum sententiae iniquitas clarius elucescat, age excutiamus quatuor illa accusationum capita, quibus causam sententiae aduersus clerum pronuntiatae complexus est, articulorum. Prima causa: Clerus beneficiis non ad promotionem Diuini cultus vsus est: Anxie questus erat Judas, quod unguentum a Christi capite in terram defluens, grandi aere, in pauperes erogando, venditum non fuerit: id non idcirco aegre fuisse proditori, notat Euangelista, quia de egenis cura illi esset, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat. Tu quoque Lector optime, nolim cogites, Betlenio, vel asseclis ipsius curae esse, ut diuinus cultus, iuxta ritum cleri catholici promoueatur, quem totum penitus euersum cupiunt, et eos maxime oderunt ecclesiastes, quos in hoc cultu promouendo impensius laborare deprehendunt. Bona ecclesiastica, ut rapiant, illis cordi et curae esse, certo scias. Tamen ut velare iniquitatem possint, diuinum cultum ea ratione obtendunt, qua egentium solatio, velut inducta larua, furacitatem suam Judas vestiebat. Nihil magis odia A catholicorum in nos exacuit, quam quod viderint filios ecclesiae cath., eo magis multiplicari, quo magis Pharaonis Infernalis ipsos oppressum ibat. Rumpebantur, dum cernerent catholicum Dei cultum, maximos in Vngaria progressus facere, ac identidem illa Christi interfectorum consilii verba reuoluebant: Quid faciamus? Quia totum Regnum fiet Papisticum: Hinc illae lacrymae, hinc odia, hinc furores: Audeo affirmare, Scholarum, Seminariorum, Alumnatum, Collegiorum, insolita, nec a maioribus nostris visa, foecunda ac in dies succrescens felicitas, Doctorum hominum, elegantissimorum concionatorum multitudo, exemplarium sacerdotum frequentia, coenobiorum vtriusque sexus religiosa disciplina, denique exterior templi aedificatio, renouatio, cultus, et ornatus, ita in Vngaria excrecebant, ut nisi daemones inuidia, tam sanctis omnium conatibus remoram iniecisset, breui ad veterem, Hungariae gentis pietatem reflorescere posse videretur Pannonia. Sed, fac, aliquid pro humanae conditionis imbecillitate remissius, aut vero etiam negligentius, per clerum in diuino cultu, administratum fuisse: Nego hu-

ius rei diiudicationem ad Betlenium vel Nouizolienses pertinuisse: Nego idcirco vel potuisse, vel debuisse, clerum bonis, et honoribus spoliari. Magnus erat filiorum Heli error, qui auida rapacitate Deo sacratas carnes immature eripiebant, sicque homines a sacrificando retrahebant. Nunquid idcirco ordo sacerdotalis honis, honoribusque spoliatus fuit? minime gentium: Puniti scelerum authores; nec patris indulgentia, erratis liberorum conuiuens, incastigata abiit; Ordini Sacro, nihil quidquam derogatum fuit, eum vitia personarum grauare totum ordinem nec debeant, nec possunt. Judam proditorem contemplare, loculos habebat, ea, quae mittebantur portabat, sed et furabatur; adeone iniquus es in Christum et Apostolos, vt idcirco nihil Christo, nihil Apostolis tribuendum dicas, quod Judas officio abutebatur? Apage cum hac insulsa ac insana ratiocinatione. Secunda causa: Clerus ad fomentum sui fastus abusus est opibus ecclesiasticis. Venit in mentem, quod Christus Judaeis, omnia in deteriorem partem trahentibus dixerit: „Cantauimus vobis tibiis, et non saltastis, lamentauimus et non plorastis. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis, daemonium habet. Venit filius hominis manducans, et bibens, et dicitis: Ecce homo deuorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. Id ipsum ego queri de acatholicis possum: Nam quemadmodum qui vitiata habent corporis constitutionem, innoxios etiam, imo salubres cibos in exitialem humorem mutant, ita hi, male aduersus catholicam Ecclesiam affecti, quidquid in ea vident, malignitatis suae materiam faciunt. Si pauperes, si omnium rerum possessione exutos, horride ac incompte cultos, corrogata stipe exsuccam aegre vitam trahentes sacerdotes viderint, quales in ecclesia religiosos vident innumeros, dici non potest, quot illos sannis, quot aculeis, quot criminationibus perstringunt. Contra, si alios opulentos viderint, apostolicam paupertatem in illis desiderant, fastum obiectant. Vno verbo, nihil in ecclesia conspiciere possunt, quod ad saluam ac palatum ipsorum faciat, quod in odium ac inuidiam non rapiant. Credo equidem vetustis temporibus eas fuisse in Vngaria opes ac facultates cleri, vt ab inuidis obtreccatoribus, fastus obiici aliqua veri specie potuerit. Nunc adeo accisa, et euersa sunt omnia, ut si aliis christiani orbis partibus componatur Vngaria, non fastus, sed summa egestas, ac pene mendicitas relicta Hungaris Episcopis videatur. Peritorum ac dignorum fide relatione constat, in una Hispania, vndecim archiepiscopos, sexaginta quinque episcopos numerari, quorum annui redditus conficiunt duodecies centena scutatorum millia, hoc est florenorum nostratium supra vices quater centena millia: Canonicorum et aliorum beneficia possidentium aliquanto amplius. Religiosorum vero prouentus, longe, longeque amplius efficiunt. Et vt ceteros taceam, solus archiepiscopus Tolitanus, supra ducenta sexaginta millia scutatorum, id est florenorum prope sexcenta millia percipit. Capitulum multo amplius. Quid de Gallia dicam? Archiepiscopi in ea quindecim, episcopi centum, et quod excurrit, censentur, et si Botero diligenti ac curioso talium indagatori credimus, redditus illorum, sex milliones, hoc est sexagesies centena millia scutatorum, conficiunt. De Germania, deque Italia, ac vicina Polonia nihil dico, cum vix reperiatur, qui immensam ac multis Principibus inuidendam ec-

clesiarum iis locis opulentiam, exploratam non habeat. Nec opes istas sacerdotem dedecere arbitraberis, si attendas, in lege Mosaica, maiores etiam fuisse sacerdotum facultates. Nam praeter civitates quadraginta octo eorum proprias, decimam rerum omnium, primogenita omnium animantium, primitias frugum, oblationes innumeras, sacrificio destinatas carnes, percipiebant; vt proinde non desint, qui ex Ezechiele deducere velint, dimidium omnium fructuum ac emolumentorum terrae sanctae, sacerdotibus cessisse, reliqua medietate inter regem et populum diuisa. Sed apostolici scilicet Nouatores, ad Apostolos vocant; sequamur. Mentiar, si non ampliores apostolica manu, vel nutu dispensatae opes fuerint, quam aliorum, qui postea secuti sunt sacerdotum. Quotquot enim posséssores agrorum aut domorum erant inter christianos vendentes, afferebant pretium, et ponebant ante pedes apostolorum. Videamus iam quam amplae sint cleri Vngarici opes, quas in fastum insumi queritur Bethlen. Ac vt de minoribus sacerdotiis taceam, quae vel ipsi aduersarii tenuissima esse non inficiantur, Archiepiscopus duos habet Hungaria, Episcopos omnino duodecim. Ex his residentiam, unus Archiepiscopus, quatuor Episcopi habent, reliqui per Turcas sedibus exclusi. Horum omnium, hoc est Archiepiscoporum et Episcoporum annui redditus, quos vel in pecunia, vel in rebus humano vsui necessariis percipiunt ipsi, (quae enim per abusum, in milites, ac fiscum derivata sunt, non numero) sexaginta millium florenorum summam non attingere, post diligentem et exactam inquisitionem liquido mihi exploratum, affirmare audeo. Non sum nescius a rerum imperitis, omne in maius extollentibus, aliud vulgo circumferri, id tamen, quod dixi, ex libris censualibus, et aliquot annorum exacte calculatis rationibus comprobare, ac palam demonstrare me posse, recipio. En materia tanti fastus, tam odiose exaggerati. De me illud fidenter dico, ex duorum annorum prouentibus archiepiscopalibus (quos solos integre percepi) nunquam in usus meos tertiam partem erogatum, sed longe duabus tertiis ampliolem portionem seminariis, collegiis, contuberniis pauperum, alumnorum, plus egentium seu domesticorum, siue peregre proficiscentium sustentationi, Fabricae item, ac ornamentis ecclesiarum impensum fuisse; idque productis tabulis dati et accepti, facile ac libenter cuiuis volenti comprobabo. Haec non ideo a me commemorantur, quod inanis alicuius gloriolae fumum mercari velim; absit. Alienum dedi, magni patris familias dispensator inutilis fui, quod facere debui, (nec illud tamen exacte) feci: sed, factus sum insipiens, vos me coëgistis fastidiosa illa vestra fastus commemoratione. Quodsi vero alicubi exerravi, dum vel decorum personae quam sustineo conseruare, vel aliis satisfacere (debitor enim sum sapientibus, et insipientibus) vel securitati vitae meae, ac aliorum, in tanta pullulantium rebellionum impetigine per familiae frequentiam consulere satago, id imprimis a diuina clementia condonari mihi impense oro: testem tamen conscientiam habeo, nihil ex fastu, nihil ex aliorum contemtrice arrogantia me fecisse. Neque enim altiores unquam spiritus ex accessione dignitatis ecclesiasticae sumpsi, sed metum reddendae rationis auxi: externum omnem cultum, velut somnium existimavi. Si igitur fastus, externo apparatu, statui ac consuetudini accomdo, aestimari debet, nonnulla forte eius diiudicatio Bet-

lenic deferri potest: sin vero affectus fastum, non census, non cultus facit, temerarium praesumptuosumque est, quidquid de fastu cleri oggeritur. Et licet aliquid et hic peccatum foret: Nego id ad Betlénii tribunal ac cognitionem deduci debere. Nego ob id iure potuisse clerum honore ac bonis spoliari. Tertia causa. Nonnulli ex clero luxuriosi fuere. Vtinam Betlen, illud a magno oratore sapienter dictum animo reputasset, dum articulos condebat: Qui ab altero rationem vitae exposcunt, legem sibi indicunt innocentiae, continentiae, caeterarumque virtutum. Nam

Quis tulerit Grachos de seditione querentes?

Claudius accuset Maechos? Catilina Cethegos?

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Nero foex ac sentina libidinum, suo pede caeteros metiebatur, nec quemquam castum ac continentem arbitrabatur. Stultus enim in via ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos existimat. Sed propositum mihi non est aliorum vitia renudare. Rem ipsam dico: Vtinam ea esset ecclesiae Christi felicitas, vt nulla ibi essent scandala, nulla morum corruptela occurreret; si nulla quantumuis selecta ac exigua familia fuit, in qua insigniter improbi deessent: quid mirum, si in area magni patris familias, et paleae reperiantur? E duobus Adae filijs, alter fratricida fuit. E duobus Abrahai filiis Ismael, e duobus liberis Isaac, Esau scelestus fuit. Jacobi soboles, non solum fraterni sanguinis proditrix, et voluntate fratricida fuisse, sed et a Josepho accusata, de crimine pessimo legitur. Quid de coelesti illa Christi Seruatoris duodonaria familia dicam. Nonne in ea a Christo toleratus Judas, primo quidem fur numulorum, post etiam proditor Dei Incarnati, imo Diabolus? Et miraris, et turbaris, vel s duodecimus quisque Sacrorum ministrorum inueniretur desipuisse, quod tamen absit vel suspicari, ne dum vt vere affirmari a quoquam possit. Sed notum est orbi vniuerso, ex musca Elephantem fieri ab aduersariis fidei, ac leuissima etiam cleri vitia, in immensum efferri: quibus si poena talionis proposita, probanda forent quae effutiunt breui paucos super esse calumniatores, orbis gratularetur. — Verum enimvero demus, nonnullos e clero solute viuere, quos tamen si deprehendantur iusta castigatio non praeterit; ideo ne totus cleri status euertendus? Sapienter Augustinus, posteaquam dixisset, humana malignitate fieri, vt si quis episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes incusantur ecclesiastici, subnectit: Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, non proiciunt uxores suas, non accusant matres suas. Audi quid Caluinus de suae sectae praedicantibus dicat: pastores ipsi, interdum sunt turpissima vel nequitiae, vel malorum aliorum exempla, vt mirer vulgi patientiam, quod non eos mulieres stercoribus operiant. Alii hospitio excepti, vel furto onusti clam abeunt, vel sollicitant ad stupra uxores etc. Nefanda sunt, et omnes Caligulas, Neronas, Heliogabalos foeditate superant, quae Petrus Bornemisza, libro, quem de tentationibus diaholi scripsit, Caluinianorum, Lutheranorumque praedicantium flagitia consignauit; nec ideo totum ministerium gradu et dignitate deturbatur, bonisque spoliatur. „In Ecclesia, quae toto orbe diffusa est, inquit Augustinus, palea est, et frumentum, inique, inuide, aream suspicis, quia totus

in palea es, non tibi facile grana occurrunt. Quære et inuenies. Vis inuenire? Esto talis. Nam si non fueris, difficile est, vt non omnes tales tibi videantur, qualis es.“ Nota sunt acatholicorum artificia, qui modis omnibus id agunt, vt confictis ac ex leuissimarum suspicionum umbra collectis criminationibus, ecclesiasticos contemptui obiiiciant. Subornarant olim impudicam foeminam, quae Sanctissimo Praesuli Athanasio, admissam secum libidinem obiectaret. — Decepta item per haereticos meretricula, ab alio gravidata, infantem ad templum defert, iureiurando Eustatii prolem esse profitetur: nefandae criminationis finis fuit, ut innocentissimus Antiochiae Praesul Eustatius, exilio mulctaretur. Nec mirum, si Caluinistis clerus catholicus non satis castus videatur, cum nec Abraham, nec Isaac, nec Sara, prostitutæ pudicitiae notam effugere Caluino indice potuerint. Quocirca, si vel Josepho castior, vel Susanna pudoris tenacior clerus foret, nunquam odiosas oblocutiones Acatholicorum effugeret, qui ostendunt quam sancte viuant, dum male de omnibus suspicantur. De me id solummodo dico, quod de se Augustinus: De vita mea, vobis, quicumque me nostis, superflue loquor, ex iis, quae nota esse possunt hominibus. Qui vero me non noverunt, non ita iniqui esse debent in me, vt magis de me credant Petiliano, Betlenio, quam nobis. Nam si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti. Sane non defugio, quin Betlen, fidum sibi quam maxime, adiungat, qui quotidianas totius vitae meae rationes, et occupationes exploret, nec temerariis, vel malignis garritis, sed certae testataeque veritati locum concedat. Quarta causa: Clerus est Patriae turbator, in publicis, ac priuatis consultationibus, de bono communi, tutaque ac segura regni permansione institutis, impedimento fuit. Christum Dominum cum vix alias neci dare possent Iudaei, hac ipsa calumnia exosum rediderunt: „Hunc inuenimus, inquit, subuertentem gentem nostram. Eodem telo petiti apostoli: „Hi homines conturbant ciuitatem. Si haec in patremfamilias iactata ab improbis, quid mirum simili calumnia peti domesticos eius? Non est discipulus supra magistrum. Venit in mentem, quid in fabulis egerit Lupus, dum agnino sanguine ore lenire constitutum haberet: aquam insigniter ab imo commotam alueo, sedimentorum foecibus permiscuit, tum demum truculento dentium rictu; turbatam ab agno aquam causatus, innoxiam deuorauit. Eadem nunc fabula agitur. Fidei, foederum, homagii vinculis violatis, diuinis humanisque iuribus conuulsis, in regem optimum, ac undequaque immerentem, eiusque fideles, nefaria arma expediuntur, vi ac caedibus Regnum alienum occupatur; ferro, flammaque omnia vastantur, impiae, iniustae, sacrilgae confoederationes, perquam foeda ratione, constabiliuntur; neglecta omni nobilitatis praerogatiua, Regii officiales capiuntur, compedibus onerantur; Episcopi indigne raptantur, deluduntur, excruciantur; Sacerdotes mactantur; templa prophanantur: leges ac iura omnia susque, deque vertuntur. Et authores tot criminum, in Ecclesiasticos culpam tantorum flagitiorum coniiiciunt. O fas, o fides! Non nos turbamus patriam princeps Betlen, sed tu, et domus patris tui, ac complices tui, qui dereliquisti mandata Domini, et secuti estis. Baal, nouitia sectarum portenta, Caluiniani cerebri idola ac figmenta. Tu enim vir ille es, qui cum ad veram solidamque gloriam

tendere debuisses, malo consilio consultore pessimo, vanis rerum imaginibus delusus, spem supra sortem, consilia supra fortunam, expeditionem supra vires suscepisti, quae tandem te, regnumque olim florentissimum, in exitium lacrymoso fine praecipitabit: quibus tamen tam tristibus de patria dulcissima auguriis vt exitus desit, ac validis adeo ruinarum initiis, remora iniiciatur, praecepsque, ruentis ad regni perniciem rotae impetus sufflaminetur, Deum totis votis oro.

Scire saepius optavi, quibus rationibus vel me Archiepiscopum, vel ceteros Ecclesiasticos turbarum patriae causas faciant calumniatores: Cum enim Deo ac conscientia teste, certissimus essem, in nullius perniciem, aut exitium nos capita contulisse; nullas vel clam vel palam contra quempiam noxias machinationes orditos esse; neminem in vita fortunis aut honore laesisse, nullas seditiones, turbas nullas mouisse; haud sane occurrebat, quo praetextu veri specie obducto, tam crassam calumniam velare ingeniosa malignitas posset. Sed en tandem Betlenius causam profert: consultationes de bono communi, tutaque ac segura Regni permansione impediunt Ecclesiastici. Edissere clarius ista o bone: consultationum materiam indica, locum, tempus, occasionem designa: consilia per ecclesiasticos impedita explica. Quae fuisse illa tam salutaria consilia? ubi? per quos? qua occasione? quo modo ac ratione? impedita fuerint, prome. Id si feceris, nulla alia diffensione opus erit. Sed pudore praepeditus non facies. Dicam ego quod res est clarissime: Dum Comes Turianus statua in suburbanis Viennensibus haberet, Comitia Posonii celebramus: ii, qui Rebellionem Vngaricam postea concitarunt, salutari (scilicet) consilio vrgebant, vt causam nostram, rebellium Bohemorum causis iungeremus, atque arcta confoederatione cum iis inita, pari passu (ita locutos memini) res Vngaricae, ac rebellium Bohemorum procederent. Huic tam perfido, tam nefario consilio, quo et homagiam fidelitatis Regi praestitum violabatur, et rebellio manifesta continebatur, obstitere summo conatu Ecclesiastici, fidemque obedientiae-Regi debitae inconcussam seruare, vel cum praesentissimo vitae discrimine elegerunt, qua salua Rempublicam quoque aliquando saluam confidebant. Hinc illae lachrymae, quod salutaribus consiliis oblectati Ecclesiastici. Iisdem ipsis comitiis consultarunt et illud A catholici, vt templa in bonis dominorum Catholicorum, alieno arbitrio ministris nouantibus parerent, vt Jesuitae regno exturbarentur. Huic quoque consultationi, cum nec iure, nec more assentiri possent, constanter refragati sunt Ecclesiastici, id vel maxime officio pastoralis requirente. Haec illa sunt iniusta, exitiosa, pernicioosa, seditiosa consilia, quibus restiterunt Ecclesiastici. Sed quae malum est ista praecipitis ignorantiae caligo? An idcirco quod quispiam ius liberum consulendi, vel suffragia ferendi habens, sententiis opinionibusque dissidet, et honorum publicatione, et honoris detrimento plecti debet? Quae haec est libertas vocum, et suffragiorum si ex dictamine conscientiae, sententiam protulisse ingrati alii, exilia rapinamque honorum promeretur. Scio taedium lectori generari, quod tam insulsis, falsis, et extra omnem rationis orbitam excurrentibus causis diluendis immoror; sed retundi tamen ista debuerunt, ne in ipso insaniae aestuario mersi, nimium sibi sapientes viderentur. Praeter has causas, quae-

dam aliae, pari pudore, pari fide annectuntur, de mea Archiepiscopi persona, quas carptim perstringam, ne meam potius, quam communem Cleri causam egisse videar. **Primo:** palam, ac notorie falsum est, quod domum Selliensem Casparis Chuti, violenter ademerim: Judicis sententia fretus, iudice consignante, ac per manus tradente domus illius possessionem officiales mei adiere. Sententiam Judicis authenticam, originalem, sygraphis ac sigillis more patrio munitam, ad manum habeo, paratus videre cupienti exhibere, eandem sententiam Anno 1618. in Comitibus Regni, publice productam, Status approbarunt, ac in consessu publico, literas quibus Jus suum contineri Chutius putabat, mihi consignavit, quas itidem ad manus habeo. Hic tu lector optime tecum ipse expendes, quantam in obscurioribus fidem illi adhibendam existimes, qui tanta praefidentia transuersum agitur in re notissima. **S e u n d o:** Nulla tergiversatione excusandum falsi crimen est illud, me ab Euangelicis violenter occupasse Templa Selliae, Riben, Hinoran. Quod si horum locorum templa iniustus possessoribus eripuissem, meum non alienum adimendo, iure meo vsus fuisset, vim nemini intulisset. Sed ita non est: Ea ego templa non ademi; per Sacerdotes Catholicos administrata reperi; quod omnium iis locis commorantium testimonio comprobabo. Pudenda est haec et deploranda caecitas, in rebus vsque adeo claris, tanta libertate, et quidem publicis decretis, exerrare. Nec dubito, quin detumescentibus sensim odiis, et summotis affectibus, quasi discussa nube, damnaturi sint et ipsi fabularum architecti, tantam decreti falsitatem, qua sibimet viam fidei in rebus caeteris faciendae praecloserunt. **Tertio:** Etsi vel hosti maledicere infra animi mei magnitudinem existimem, dicendum tamen, quod res est: Pura puta falsitas est, quod templa in Zebeleb et Leszenic itidem violenter Euangelicis eripuerim. Nam nec mei hi pagi sunt, nec quidquam iis locis de templis a me dispositum. Idque incolarum ac vicinorum omnium iurato testimonio docebo. Et erit quispiam adeo tardus, vt Articulis Betlenianis, calumniam de rebus a communi notitia remotis, Clero intentantibus, credendum censeat, postquam fidem in rebus notissimis decoxerint? **Quarto:** Falsis et illud accensendum, me templa in Eölued, Vduard, Martos, Szakallos, Mocs, violenter ademisse. Nam si verae sunt officialium informationes, loca illa saepius a Turcis vastata in ipsis Turcarum faucibus sita, non templa, sed rudera ac parietinas templorum habent. Sed antequam vterius pergo, sciscitari lubet, quod Principi Betlen fiet, qui Posenii, Tirnauiæ, innumerisque aliis locis Templa nostra ademit, si tam seuera proscriptione conficta templorum occupatio, in me plectitur? **Quinto.** Fictum et illud, calumniosum, ac manifeste falsum est, diuersis practicis in Archiepiscopatum Strigoniensem euectum me fuisse. Supersunt hodie et hic Vienne praesentes sunt viri maximi, arcanorum Conciliorum Mathiae II. felicitis memoriae conscii. Ad eos prouoco, qui pro sua aequitate palam testabuntur, nullam vnquam vel exiguam practicam a me contextam fuisse; nullam me verbo, nec scripto postulationem exhibuisse, qua Archiepiscopatum cogitarem, literis imperatoris optimi, Pragae euocatus, priusquam illuc pertingerem, resoluta omnia deprehendi: nec in aula solum, cum et alibi publicatum, me ad Archiepiscopatum delectum esse. Ego sane

post exantlatos innumeros labores, cum in scribendo, ac concionando, tum in negotiis tractandis, fecunda integritatis, ac eruditionis fama, nullos vnquam honores, nullam a Deo praesentis vitae mercedem expetii. Quod si Deo ita visum, vt antiqua in me suae clementiae documenta ederet, id grata animi submissione accoli a me debet; o si animus mihi esset renudare, quibus artibus Betlen Principatum adiit! sed premo adhuc: si vrserint promam. Sexto: Ne iteremus quae communiter cum ceteris Ecclesiasticis, falso mihi quoque obiecta, paulo superius repressimus. Naeniae sunt, et fabellae me spreuisse illustrium et antiquarum familiarum heroes. Nisi nominetur, quem heroum illustrium, qua in re, quo loco, occasione, modo, quibus praesentibus spreuerim, pseudogius et hoc annumerandum, nemo sapiens negauerit. Magis ciuiler a me heroes tractantur, quam ab eo, cui inter conditiones regnandi praescribendum fuit, vt Status et Ordines Regni honeste et pro dignitate tractet. Nempe, malis moribus, bonae legi occasionem praebentibus. Septimo: Vanum et illud, ac vnde quaque falsum: Me malum Patriae Ciuem, scriptis, verbis, factis, publice, manifeste ostendisse. Si tam publica, tam manifesta sunt scripta, verba, facta huiusce modi, cur non edunt, quae scripta? quae verba? quae facta sunt illa? Calumniantium est, ac vane obloquentium sic generatim accusare. Scripsi ego complura, sed pro Religione Catholica, contra Nouitias errorum sectas: si scriptis ac verbis Catholicam Religionem propugnasse et propagasse, errores repressisse, et eueruisse, falsitatem confutasse, et confudisse, vitium est; erraui, poenam commerui. Praeter haec, nisi edatur quid scripsi, quid dixi, quid egi, quo malum patriae ciuera me constitui, vanum est, fictum est, calumniosum est, quidquid profertur. Octauo. Artificium crebro nimis vsurpatum est hodie, vt quae tumet ipse feceris, id in alterum transcribas. Id mecum actitat Betlenius, dum motuum Regni praesentium causam, authorem, occasionem me facit. Quid mirum si Caluinistae suarum perduellionum me authorem faciunt, cum Caluinus eorum, quae Satan, ac scelesti latrones perpetrant, ac nominatim foedarum cupiditatum, Deum authorem constituat? Si dictis fidem facere vellet Betlen, indicare deberet, quo facto? quo dicto? quo consilio? quo conatu? quibus modis ac mediis, turbarum ego author fuerim? Fare an ego Betlenium ad inuadendam Vngariam prouocaui? Ego Thelegdio vsque Cassouiam obuiam iui? vt acceleraret sollicitaui? Ego sub specie deducendorum iuuenum Heidelbergam perrexi, ibi cum Palatino Rheni proditionis telam textui? Ego cum Bohemis rebellionum internuncijs Pragae transegi? Ego assensum Turcicum etc. Assecutorias a Porta reportaui? Ego Cassouiam inuasi? Generalem compedibus vixi? Sacerdotes mactaui? sursum deorsum omnia miscui? o fabulae! Equidem sic existimo, bonum patriaeque amantem Ciuem, publicae potius dignitati, quam priuatae studere debere. Proinde, si in publicum id commodum cederet, ad me potius opinionem culpae alicuius, quam in Vngaricam gentem vniuersam rebellionis detestandum crimen recidere, malim. Ceterum cum nullae tegetes, nulla sagmata obuelare publici facinoris infamiam possint, repetenda mihi venirent magis Prophetiae verba superius memorata. Non ego turbaui patriam, Princeps Bethlen, sed tu, et do-

mus patris sui. Sed demus aliquid me peccasse: dictis, factisue offendisse: ideone rebellionis ac motibus Patriae causam dedi? quae ista ratio, quod consilium est? Archiepiscopus dictis, factisue aliquem laesit, ergo templa profanemus, praelaturas omnes euertamus, Clerum vniuersum opprimamus, sacerdotes mactemus, homagium Regi debitum violemus, Regem nouum eligamus, Jura omnia Regni euertamus? Si haec raticinatio est, nescio quid sit phrenesi laborantium deliratio. Si vel ego, vel quispiam alius offendimus, iura sunt, leges sunt, magistratus sunt competentes; coram his conueniri debuimus, more ac lege maiorum emendandae, ac sarcindae offensionis ergo. Non o. Figmentum est et illud vanissimum: facto in Vngaria motu, malorum conscientia me territum, e Regno profugisse. Quod ipsum alibi, generatim de omnibus quicumque securitati propriae consulentes, rebellionum tempestatem declinarant, affirmari video. Verum id totum abest a vero longissime. Nam tametsi coram Deo peccatorem me maximum et agnosco et fateor, Deus tamen ipse, qui solus conscientiarum testis est et arbiter, nouit, nullius me aduersus patriam perpetrati delicti conscium esse. Temere igitur et inconsulte, de conscientia mea indicauit Betlen, dum eius terroribus actum profugisse dixit. Sed nec profugi, verum ad Regis legitimi praesentiam veni. Qui malefactorum conscientia fugam capessunt, procul a supremi Magistratus tribunali sese proripiunt. Cum autem nemo consiliorum actionumque mearum actiones certius habeat exploratas, quam met ego, en aperte et sincere abscessus mei causas promo: Verebar, ne ita indigne a rebellibus tractarer, vt in Vngaria superiori et Episcopos, et Sacerdotes habitos intelligebam. Nec arbitrabar ad officii mei rationes pertinere, aut prudentiae leges exigere, vt absque ille fructu Religionis ac boni publici, periculis memet obiectarem. Verebat, ne sine vlllo vsu publice, eodem quo Magnus Andreas Doczi modo compedibus, catenisque nullo meo merito, solo furore alieno, manciparer. Verebar denique, ne si in potestatem Betleni me proiicerem, et assentiri cogerer iis rebus, quas salua fidelitate Deo ac Regi debita aprobare nec poteram nec debebam. Jam tunc enim animo praeuertebam confoederationes, Vniones, Electiones; Cleri euersiones et sexcenta similia furoris Caluinistici dedecora. His adesse haec aprobare, si manerem, vel certe morte occumbere, necesse erat. Itaque malui exemplum ac documentum Christi sequi; ad tempus cedere furori, et me conferre, vbi et Patriae recuperationi, et Religioni vtiliorem operam locare posse existimabam. Nec dubito, quin hae ipsae rationes ad eadem consilia sequenda pertraxerint omnes, qui sese nouis, ac Deo et Regi contrariis confoederationibus attaminare noluerunt. Decimo: Fictum et illud, ac omnino calumniosum est: Me in perniciem Regni Vngariae omni intentione intendere, idque ex litteris ad Comitem Homonnaium datis, et interceptis, euidentissime constare. Initio concitatae rebellionis, turbones Patriae vulgarant, interceptas esse litteras plurimorum, quibus practicae, seu machinationes admirandae, saeuae, perniciosae, exitiabiles redundabantur. Has litteras primis Comitibus publice recitandas promittebant, vt ex iis constaret, graues ac vrgentes praesentium motuum causas fuisse. Sua sponte mendacium euanuit, nullae litterae momentum aliquod habentes produ-

ctae: Nam proditiōnis nefariae Architecti, initio rebellionis flagitiosa manus ac sigilli imitatione, litteras nomine Comit̄is Homannayi, ac aliorum conscriptas, ita hinc inde missitarunt, vt intercipi ab A catholicis fraudis ignaris possent; cautiōri tamen consilio, vulgari eas postea noluerunt, ne fraus ac dolus a quibusdam deprehensus palam agnosceretur. Ergo certe conscientiam testem habeo, nihil vnquam in Vngariae perniciem vel agendo vel scribendo perpetratum a me fuisse. Si furori paucorum rebellionis authorum obsistere, si a iugo Betlenii charissimam Patriam, pro viribus ereptum ire, si legitimi Regis dignitatem sartam tectam tueri, si Religionem Catholicam, ac Clerum pristinae conditioni restituere, si vim iniustam iusta defensione auertere velle, aliud non sit Bēthlenicis nomenclatoribus, quam Patriae perniciem machinari, fateor toto affectu, toto conatu, totis viribus huc me incubuisse. Comitem Homannanum, aeterna memoria dignissimum Heroem, licet stimulis non egeret, monere; hortari, rogare per litteras non destiti, vt ereptam Patriae libertatem assertum iret; noxios Betlenii conatus retardaret; vim iniustam et rapinam Regni iusta defensione propulsaret. Haec me scripsisse non diffiteor; quae non exitium ac perniciem Patriae, sed in eius vndequoque oppressae libertatem spectare, serio et ex animi sententia pronuncio. Ista vnica est interceptarum litterarum materia. Et licet nullas interceptissent Bethlenistae litteras, cogitare perse poterant, nec me nec vllum Vngarum, qui Deo ac Regi fidem illibatam seruauit, huic tamen necessario, tam salutari officio deesse potuisse. Atque ex his constare arbitror, quam iniusta, quam Tyrannica sententia a Bethlenio damnati, spoliati, proscripti sumus. Ad te iam aeternae mundi Sator et Redemptor stylum animumque verbo, Domine Deus meus es tu, exaltato te, et confitebor nomini tuo, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno, in tribulatione sua, spes a turbine, vinbraculum ab aestu: Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem. Tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. Et hoc augurio concludo, illum Dauidis Ps. „Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est“ christiano at pio affectu replicando.

Fuit Petrus Pazmanus Archiepiscopus Strigoniensis, et Cardinalis eo etiam respectu de Religione et Ecclesia Catholica insigniter meritus, quod verbo Dei partim ore, partim scripto, lingua vulgari annunciatō (Prédikátziók és Kalauz) triginta familias Baronum, Magnatum ad sinum matris Ecclesiae reduxerit omnes, vel ex parte potiori: Illas nobis Diplomatarii Auctor prodidit, quum peruersas, neotericeque dogmatis athletas, ac vindices extollit: Perényi, Illésházy, Nádasdi, Bathyányi, Révay, Bathori, Forgách, Nyáry, Zrinyi, Révay, Bánfi, Széchy Mayláth, Liszty, Kapi, Ocskay, Cziráky, Horváth, Zolomy etc; qui secum templa olim catholica ad heterodoxos traduxerunt, ac parochos catholicos pepulerunt. Id constat etiam de ciuitatibus montanis, ac liberis, regniisque: vbi viri Societatis Jesu pedem figere poterant, ex parte aut toto ad auitam religionem sunt reuersae, templa reuindicantes, etc. Familiae, quae infideles permansere: Thurzó, Petrouich, Jaksich, Rhédey, Török, Bocskay, Bethlen, Rákóczy, Tökölyi, Bakos, Máriási, Petheházy, Apafy, Barcsay, volente diuina Nemesi extinctae sunt, aut eximantae. En vatiniāni, quo Bethlen, et alii Heterodoxi, in Pazmanum ferebantur, odii causa. Obiit de religione catholica Apostolice meritus XIX. Martii 1637. Sed spiritum suum in successores transfudit.

119. *Idem Rex iis, qui sub titulo SS. et OO. Euangelicorum grauamina suae Maiestati exhibuerunt, respondet. A. 1638.*

Postquam sua Maiestas Caesareo et Regia clementer intellexit tum ea, quae praedicti supplicantes, scripto comprehensa Suae Maiestati demisse exhibuerunt, tum vero alias exinde ortas quaestiones, ob quas progressus comitiorum hactenus impeditus et retardatus fuit; benigne sese resolvere dignata est in hunc modum: vt circa negocium religionis art. I. Viennen. et conditio VI. siue I. et III. articulus anni 1608. vna cum denominationibus ibidem expressis, in suo vigore maneant. Quod quidem articuli iisdem verbis in praesenti diaeta statuendum erit. Quod ad status regni, ratione restaurationis auditorii Tyrnauiensis et Levensis, coemeteriique Szakolczensis, vt effectuetur, permittet Sua Maiestas. Quod ad oppida et villas: inquisitionem Sua M. instituere vtrinque dignabitur, acceptaque informatione se se resoluet. De caetero omnes et singulos regnicolarum clementer hortatur Sua M. ne ad dissensiones dent occasionem. Id quod circa praemissa iisdem declaratum esse voluit, quibus etiam in reliquo gratia ac Clementia sua propensa manet. Per SS. C. Rque Maiestatem. Posonii die 2. Febr. anni 1638. Laurentius Ferenczy. — Ex MSS. Báthyanianis.

120. *Palatinus Regni, ne amplius Rex plures concessionem faciat, intercedit. A. 1638.*

Seculis 5. et amplius, quibus Hungaria in vnâ religionem coniurans, iisdem ritibus Deum colebat, nusquam comitia de religionibus habita sunt: salus et felicitas reipublicae cogitationes, consilia, mentem ipsam ordinum auferebat. Postea inter horridos et luctuosos armorum strepitus homines profani de rebus non suis, templis, aris, sanctissimis mysteriis disceptare coeperunt. Controversiae ad arbitrium eorum reiectae, ad quos religiones plane non pertinebant. Magni autem interest ad praecauendas offensiones quauis in caussa idoneum legere et adoptare iudicem. At demum hoc iniquitati temporum, potuisse principes ad sistendam regni calamitatem et vltimam ruinam extra terminos iurisdictionis suae exire, exemplo Moysis, qui, ob immanem extremamque Israelitici populi duritiem, Hebraeis coniugibus diuortii gratiam fecit. Illud aduersariis nunquam concedam, iura et priuilegia ab anno 1606. vlla ad hanc diem iniuria, de qua iure queri possent, laesa esse; nisi forte illa ad religiones pertinens Viennensis pacificationis sanctio a regibus aut quibusuis aliis violata sit. — Dicant, qui suas iniurias insolentius iactant, vbi, et quando, quibus in rebus detrimenti aliquid acceperint? A quibus prohibiti religiones suas exercere, ritibus suis Deum colere? Praedia, opinor, villas, castella, municipia catholicorum ostentabunt, pluraque in eis templa, a Viennensi illa pacificatione ademta; agrestes vero ad Romana sacra vel inuitos adductos esse, deplorabunt. Equidem non modo non negabo; sed etiam semper et meminero, et fatebor libenter, nonnullas aedes in potestatem catholicorum venisse; sed quae citra cuiusquam iniuriam adimi potuerint his, qui illas nullo vnquam iure tenuerant; nisi fors agrestes ius in templa habuerint. At enim reges, antistites et pii eorum, qui hodie municipia illa obtinent, ma-

iores sacras illas aedes suis impendiis excitarunt, aut certe exaedificandis fundos suos tribuerunt, subinde locupletarunt, eisque patroni exstiterunt. Peregrinus namque sit, quem lateat, agricolas in Hungaria fundi vllius dominos esse posse: hi certe ruri nihil habent, quod iure suum dicere possint: agros dumtaxat colunt, vnde heris re-
 gique vectigalia pensitent. Quaero iam ex aduersariis, quid sonent haec verba, quae formula pacificationis pariter complectitur: „Liber religionis vsus permittitur; abs-
 que tamen praeiudicio catholicae Romanae religionis: et vt clerus et templa et eccle-
 siae catholicorum Romanorum, intacta et libera permaneant?“ Sed non premam lo-
 cum istum: redeo, vnde digressus sum. Si, quemadmodum docui, templa aut eor-
 um fundi ad conditores suos vel eorum heredes pertinent; aut nunquam ea catholi-
 cis eripi, aut pridem reddi oportuit. Quamobrem si catholici sibi non defuerunt; si
 ius suum prosecuti sunt; iniuriam quidem nulli fecerunt. Quorsum igitur odiosae il-
 lae de religionum iniuriis quaerimoniae? Equidem non nego, agrestes quosdam huc
 adductos esse, vt religionem catholicam toto terrarum orbe propagatam, vnice ve-
 ram ac salutarem acciperent; sed istud rudi illi populo, nisi suam ignoraret infelicitate-
 tem, plane expetendum erat. Illud, nescio, quam excusationem habeat, quod ad-
 uersarii ausi sunt, et tamen sunt ausi, agrestes sibi obnoxios vinculis, carceribus,
 aliisque indignis modis ad deserendam catholicam religionem adigere: quibus tamen
 iam inde a felicioribus Christianae Hungariae initiis religio et libera fuit, et sancta:
 omnis autem alius Dei diuorumque cultus iure meritoque interdictus. Si quid igitur
 catholici in hac causa sibi sumserunt; illud exemplo et meliore quidem iure fecerunt.“
 At peccarunt in legem Viennensem? „Ne id quidem concedo aduersariis; neque enim
 agrestes in censum optimatum aut in ordinem equestrem referendi sunt; immo
 neque aut in ciuibus regis aut municipibus liberis, aut denique limitum custodibus
 adnumerandi. Velle autem in singulis comitiis permissioni illi noui aliquid appingere,
 eandem ad labefactanda catholicorum, imprimisque sacri ordinis iura dilatare, vtrum
 sit ad quietem et tranquillitatem reipublicae; prudens quisque aestimabit. Adferant
 iam in medium Mathiae archiducis litteras, quibus magnopere tribuunt, sibi que omnia
 addicta esse arbitrantur. Caecus sit, oportet, qui non videat, archiducem indulgentiam
 suam sic temperasse, vt scribat: „sibi non amplius esse integrum ad pacta con-
 uenta quicquam addere, aut eadem commutare, omniaque ad futura comitia reiicere.“
 Si ergo his, quae pacificatione Viennensi inter partes conuenerunt, noui nihil ad-
 scribere potuit; qui addidit? qui verbis in maius extulit? Huc solum spectabat me-
 moratus princeps, ne in comitiis res vlla in religionem veniret. Ceterum Mathias ar-
 chidux per id tempus non fuit rex Hungariae; neque composita pace, pro rege Hun-
 gariam gubernauit“ (seu pacificatione Viennensi Pragam iam tunc promotam, plena re-
 rum agendarum potestas, eidem a Rudolpho pro hoc actu concessa, penitus exspira-
 uit) „sed neque postea, sacra iam incinctus corona, quae ante addixerat, auctoritate
 regia roborauit. Frustra igitur in litteris Mathiae archiducis perfugium quaerunt ad-
 uersarii. Rustici certe verbum in illis vix inuenient, in quo delitescant; quoue sibi
 templa vendicent. — — — Quod autem in quibusdam regis oppidis templa exstrue-

re, nonnisi approbante rege, possint; queri non magis debent, quam rustici, minoribus dominis subiecti. Vt enim ruri fundi omnes ad dominos, vt vocant, terrestres, ita oppida regia ad reges pertinent.“ Praeterea postulant patroni noui euangelii, vt in confiniis aut templa antiqua sequacibus concedantur, aut noua a solo excitentur. „Ego huic petitioni sic iterum occurro: si fundos illos catholici possident; quid est, cur de suo iure decedant? Id sane lex illa aut iubet, aut suadet.“ Abhorrent porro aduersarii ac magnopere refugiunt a nostro tribunali ecclesiastico: et tribunal sacrum pariter erigere meditantur. „At quorsum? si vitam moresque ad aeternas leges temperent; nihil est, quod perhorrescant. A primordio Christianae Hungariae, annis admodum 600. (fere) nemo regum, nemo principum, procerum nemo, iudicium ecclesiasticum subterfugit. — Quum ista mecum reputo; indignatio mihi oboritur, et iusta; certe enim in singulis comitiis postulata renouare, longius semper progredi, multaque catholicae rei aduersantia extorquere; indicium est turbidorum hominum, qui, in res nouas parati, insignique audacia instincti, quiescere non possint, nec velint.“ Ad extremum Iesuitas cupiditatis postulant, quasi vero in fortunas eorum audivissime imminerent, quod quaedam praedia et villas, et inprimis sacerdotium Turotziense, recuperarint. „At forte non meminerunt, quod ignorare non possunt, sexta pacis Viennensis conditione, praeposituras et abbatias in antiquum, quem ante motus Botskaianos obtinebant, statum restituendas esse. Octaua eiusdem pacis lege, quum ordines Iesuitis iterum aduersarentur; rex non significauit solum, sed etiam declarauit, se quidem de suo iure regio decedere nolle. Neque deinceps sententiam mutauit, atque ab hoc suo proposito discessit. Itaque, si rex Iesuitas in possessionem illius sacerdotii restituit; ius suum exercuit. Ad hoc: Iesuitae, dum e fortunis suis euersi sunt; neque in iudicium vocati, neque ullius criminis postulati, nedum conuicti fuerunt; ane ergo aequum erat, insontes, indamnatos grauiore poena multare? Admissi sunt in Hungariam, quum adhuc sanior esset, nemine aduersante: e fortunis suis eiecti sunt, catholico quidem, quod sciam, nullo consentiente: illud pietatis erat; hoc liuoris atque licentiae, quae viam illis aperuit, qua quum iure non possent, vi grassarentur. Sed et illos satis tuetur reclamatio anno 1608. facta atque instituta. Oculos hic ego aduersariis cuperem, quibus in gymnasia intueantur, et contemplantur eorum studia, quae circa adolescentes, bonis artibus instituendos, consumunt. Quamquam vident illa, satisque intelligunt, quos labores, quas molestias, quae taedia in formanda prima praecipue aetate exhauriant. Jam si vident; quid eorum fortunis inuidet, quae lege patria, atque adeo iure, magistris debentur? Reuoluant recolantque decreta, seu quae anno huius seculi octauo, seu quae seculi superioris quinquagesimo ordines in tabulas retulerunt; et intelligent, desertorum coenobiorum fundos gymnasiis artiumque magistris attribui. Atque huc spectavit Rudolphus caesar, quum praeposituram Turotziensem Iesuitis addidit. Itaque dum in officio manebunt; dum iuuentutem litteris instituent; nemo, nisi iniuria, suo illos iure priuabit. Prius leges Ferdinandi I. abrogandae erant, quam nouae ferendae.“ — Atque in hunc modum vnus aliquis, quisquis ille fuerit, in conuentu or-

dinum disseruit. Alius quispiam suam de templis sententiam sic peregit: „Neque Viennensis, aiebat, pacificatio, neque Mathiae AD. litterae vim aliam habent, ac vt templa, perturbatis Botskaii temporibus vtrique erepta ac occupata, veteribus possessoribus reddantur: ad ea, quae subinde adempta sunt, plane non pertinent.“ — Anno 1638. Apud Kazy. Hist. lib. V. p. 11.

121. *Idem Rex de fundis Ecclesiae Zagrab. pro RR. P. Benedicto Vinhovics, gratiose constituit. A. 1638.*

Nos Ferdinandus III. (de fundis Ecclesiae Zagrabiensis pro R. V. Benedicto Vinhovics, gratiose constituit). Datum per manus fidelis nostri, R. Georgii Lippai — in ciuitate nostra Poson. die 15. mensis Martii, anno Domini 1638.“ Apud Kerchlich, H. E. Zagrab. p. 54. sq.

122. *Emericus Lósi, A. Ep. Strigon. ius patronatus Regum Hungariae defendit. Anno 1639.*

Dignissimam quidem curam esse, et antistitibus propriam ac peculiarem, errantibus viam in coelum praecire; omnesque recto itinere, ducere ad Deum, principium et finem; cautione tamen, vt in aliis rebus, ita in hac grauiore causa opus esse; itaque prouidendum ante et praecauendum esse, ne ius regis, quod in Sacerdotia Hungarica, tamquam primus eorum auctor, habet, in controuersiam aliquando veniat; quamobrem, vt res feliciter veniat, et imprimis, vt indulgentia Regis, certis conditionibus temperanda nulli sit offensionis; necesse esse: Vt Antistites totius illius tractus (Turcis subiugati) eam assensione sua approbent; illos vero Antistites esse, Colocensem, Sirmiensem et forte etiam Chanadiensem, et Quinque-Ecclesiensem; quum omnia in tabulas Regias relata fuerint, tum demum integrum fore, episcopo vago, per oppida pagosque circum ferri, et munus pontificale exercere.“ — Anno 1639. Apud Kazy. lib. V. p. 22.

123. *Diploma regium pacificationis Lincziensis. A. 1645.*

Quandoquidem Sua Maiestas Sacratissima pro paterna sua clementia nuper exortas in hoc regno internas dissensiones placidis mediis componere, ac cum Illustrissimo Principe Transilvaniae Domino Georgio Rakóczy et sibi adherentibus, medio certorum Commissariorum suorum sub certis conditionibus pacem facere clementer dignata fuerit, Diplomatique super eadem Pace emanato, vt Status quoque et Ordines Regni assensum suum praeberent, ab iisdem benigne postulauerit; lidem fideles vnuersi Status et Ordines Regni Suae Maiestatis benignae requisitioni humillime annuentes, idem Diploma Maiestatis Suae Sacratissimae praesentibus constitutionibus inserendo; contradictionibus Dominorum, Cleri, et aliorum quorumuis Secularium Catholicorum, non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus, acceptarunt, approbarunt, et confirmarunt, cuius quidem Diplomatis haec est

series: Nos Ferdinandus III. Dei Gratia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniaeque etc. etc. Rex, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae etc. etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit vniuersis: Quod cum superioribus proxime elapsis temporibus certi motus intestini et hostilitates in Regno nostro Hungariae exortae fuissent, exindeque pax et tranquillitas, Regnique quies perturbata exitisset. Nos paterna et benigna affectione moti, eiusmodi suscitatos tumultus, vt christiani sanguinis effusioni parceretur, sublatisque in Regno quibusuis dissidiis, indigenae quiete et tranquillitate perfruerentur, placidioribus potius Transactionis mediis, quam armorum vi sopitos et compositos cupientes, ad postulata et praetensiones illustrissimi Georgii Rakóczy Principis Transilvaniae, quarundam partium Regni Hungariae Domini, Siculorum Comitum, ac eidem adhaerentium Hungarorum Nos clementer declarauimus, quarum etiam benignarum concessionum nostrarum series (quemadmodum tam in Tractatu Tyrnauensi, quam etiam vltimate medio Ablegati ad praefatum Principem Transilvaniae, fidelis nostri Egregii Joannis Taeraes, alias Camerae nostrae Hungaricae Consilarii, conuentum est) sequitur in hunc modum: Primo, quantum ad negotium Religionis attinet, Articulo I. Anni 1608. ante Coronationem edito, et Diplomatum Regiorum conditione 6. aliisque subsequentibus superinde Regni Statutis in vigore relictis, diuersisque hactenus impedimentis et interpretationibus non obstantibus, declaratum et conclusum est: Quod omnes Status et Ordines Regni, ipsaeque liberae Ciuitates, nec non oppida priuilegiata, et milites Hungarici in Confiniis Regni, liberum habeant vbique suae Religionis exercitium, cum libero Templorum, Campanarum et sepulturae vsu, nec quisquam in libero suae Religionis exercitio a quoquam quouis modo, aut sub quouis praetextu turbetur et impediatur. Secundo de non impediendis aut turbandis rusticis in sua Confessione, declaratum et conclusum est, vt illi quoque propter bonum pacis et tranquillitatem Regni, siue sint Confiniarii siue Oppidani, siue villani in quorumcunque Dominorum Terrestrium et Fiscis bonis iuxta vigorem praescripti Articuli et conditionis, in libero suae Religionis exercitio ac vsu, modoque vt supra simili, a Sua Maiestate Regia, vel eiusdem Ministris aut Dominis suis terrestribus, quouis modo, aut quouis sub praetextu non turbentur aut impediuntur; hactenus autem impediti, coacti et turbati, liberum ipsorum Religionis vsum reassumere, exercere, et continuare permittantur, neque ad alias Religioni ipsorum contrarias Ceremonias peragendas compellantur. Tertio, concordatum etiam est inter Nos, vt imposterum ab eorundem Oppidanorum et Villanorum Parochiis, Ecclesiae Pastores siue Concionatores per quoscunque amoueri et exturbari neququam possint, qui autem hactenus amoti fuissent, liceat ipsis reducere, vel alios loco ipsorum substituere. Quarto, quaestiones vero circa grauamina, negotium Religionis et occupationes Templorum concernentes, tam quae in A. 1638. Suae Maiestati exhibita sunt; quam quae post subsecuta, in futura primitus celebranda Regni diaeta propter Regni tranquillioem permansio-

nem et vnionem animorum, vt vel amicabile dominorum regnicolarum compositione sopiantur, vel auctoritate suae Maiestatis finaliter complanentur cum satisfactione euangelicorum, ac pro quibus vsus templorum determinabitur, prouentus parochiarum quoque ad eos pertineant, nec ultra occupationes templorum fiant: Ea autem templa, quae hoc disturbiorum tempore violenter vtrinque occupata fuerunt, statim post permutationem diplomatum praedictis euangel. restituantur, prout etiam catholicis. Graua mina futuris quoque temporibus in eodem negotio religionis emergentia tam catholicorum, quam euangelicae confessionis hominum, etiam alia graua mina regnicolarum tam euangelicorum quam catholicorum, secundum septemdecim conditiones sua Maiestas singulis diaetis plenarie complanabit, absque iniuria euangelicorum. Quinto, Accordatum quoque, vt vel sua Maiestas contra Transgressores Statutorum etiam in negotio Religionis in futura Diaeta Articulum octauum, Decreti sexti Vladislai Regis renouandum et obseruandum curabit, vel autem condignam poenam cum certo executore statuere dignabitur. Sexto, Praemissa autem omnia pro vberiori declaratione statutorum, tollendisque vltioribus regnicolarum dissensionibus, vt in primitus celebranda diaeta confirmetur, publicisque regni statutis inserantur, conclusum est. Septimo: Coetera sub hac pacificatione vtrinque agitata et tractata, utpote sedis spiritualis, status patrum Jezuitarum personalis a regno abstinentia. Decreti Andreae secundi per Ludouicum primum facta confirmatio, de arendationibus decimarum articuli 61. anni 1648. renouatio et cum effectu obseruatio, de non abalienationibus honorum auticorum per ecclesiasticos, siue seculares factis vel fiendis, de personarum ad diaetam conuocari solitarum discretione, atque vocum in eadem diaeta collectione et suffragiorum examine, de militis extranei iuxta articulum 24. anni 1625. e regni eductione, similiter de non eductione militum Hungaricorum de confiniis regni, de distributionibus honorum et officiorum regni maiorum vel minorum, sine religionis discretione, de administratione iuris et communis iustitiae, nec non omnium tractatum ratione Hungariae, cum Turcis vel aliis quibusuis vicinis nationibus per natiuos Hungaros seculares institutione, ac aliis etiam omnibus Libertates Patriae atque defensionem et conseruationem regni et regnicolarum concernentibus negotiis, vt primis statim comitiis aliquid certi de iis statuatur, vel iam statuta ibidem de facto effectuentur, simili modo conclusum est. Octauo: Eandem autem Generalem regni diaetam, vt sua Sacratissima Caesarea et Regia Maiestas, intra spatium trimestre a die finiti praesentis Tractatus et commutandorum Diplomatum, sedatis tumultibus cum principe Transilvaniae clementer promulgare, et sine vltiori dilatione seu reiectione ita celebrari facere dignabitur, vt cum omnibus ad diaetam regni iuxta Artic. 1. Anni 1608. post coronationem editum vocari solitis, tute ibidem comparendi et agendi potestas, cum solita ab antiquo libertate diaetae fiat. In qua etiam coeteri articuli bonum regni concernentes, hactenus non effectuari, iuxta articulum 72. anni 1638. realiter effectuentur et obseruentur. Nono: Amnistiam generalem omnibus et singulis regnicolis sua Maiestas sacratissima, iuxta formam Amnistiae prioris pacificationis Viennensis concedere dignabitur, ita, vt etiam bona vniuersa et iura

possessionaria, sub his disturbiorum temporibus per suam Maiestatem vel Dominum Palatinum Regni vel alios quibuscunque donata, collata et inscripta, vel per quoscunque fideles Suae Maiestatis quouis modo occupata et adempta, prioribus possessoribus, vel eorundem Haeredibus statim, et de facto remittantur et restituantur. Similiter etiam ex parte regnicolarum supplicantium reddantur. Et super huiusmodi Amnistia peculiare diploma sua Maiestas sacratissima concedere dignabitur. Nos itaque praescriptas vniuersas et singulas concessionem et articulos, ac omnia et singula in eis contenta, prout iidem tractati conclusique sunt, atque hisce literis nostris de verbo ad verbum inserti, acceptamus, approbamus, et ratificamus assecurantes praefatos, principem Transilvaniae, eique adhaerentes ac etiam vniuersos et singulos status et ordines Incltyti Regni nostri Hungariae in verbo nostro Regio et bona fide christiana, quod eos omnes et singulos articulos in omnibus eorum punctis et clausulis tam nos ipsi sancte et inuiolabiliter obseruabimus, quam etiam per alios omnes subditos nostros, quorum interest, vel intererit, cuiuscunque status et conditionis sint, obseruari faciemus. Ad quod obseruandum etiam successores nostros, legitimos scilicet Hungariae reges obligatos esse volumus: Harum nostrarum manus nostrae subscriptione roboratarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in arce nostra Lincensi Austriae superioris die 16. mensis Decembris. Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungariae et reliquorum vigesimo, Bohemiae vero anno decimo octavo.

Qui A catholicos, a ciuium, coetuumque consortio interdictos, et exclusos, redarguunt: nouerint, id ob iteratas eorum rebellionem factum esse; vti docent Ferdinandi II. literae, quibus rebelles ac seditiosos Szakolczenses, in numerum ciuium cooptari vetuit, cooptatosque excludi mandauit. Datum in Castris Ebersdorff. XXIII. Sept. 1628. MSS. Kaprinai ex ipso archiuo Szakolczensi exscriptorum Tomo XIX. sub B. nro 40. pag. 118. Tam vesanum eos incessit caesareorum militum, et catholicae religionis odium, quod ipsae Dominae fuerint seditionum fauores; quod officiales caesares defunctos sepeliri non permiserint; quod ad renouandum fidelitatis iuramentum impelli debuerint; quod sub grauissima comminatione, ne ad requisitionem Transilvani Principis, cum Suecis confoederati, insurgere praesumant, sint prohibiti. Ea nihilominus Ferdinandi II. et III. fuit in eosdem clementia, quod capitis damnatos absoluerint singulos. Vt docent literae Ferdinandi II. quibus Joannis Zerotin, officialis sui, funus terrae mandari praecipit. Viennae X. Decemb. anno 1628. ex eodem Archiuo apud Kaprinay l. c. nro 39. p. 118. Ferdinandus II. Paulo Tychon inhabitatori Szakolczensi, ob victoriae triumphos, recens a Deo concessos, capitis gratiam impertitur. In castro Ebersdorf. XV. Sept. 1634. Ibid. num. 43. p. 123. Ferdinandus III. Judithae Somogyi, gratiam capitis facit. Ratisbonae Anno 1641. Ibid. nro 35. p. 113. Idem Ferdinandus III. significat, se commissarios missurum, ad excipiendum a ciuibus Szakolczensibus fidei iuramentum. Viennae XIV. April 1637. Ibid. nro 48. p. 128. — Idem rex grauissime vetat, ne ad requisitionem principis Transilvani, cum Suecis confoederati, insurgere praesumant. Viennae XVI. Martii 1644. Ibid. nro 51. p. 132. — In his A catholicorum motibus, manifesto regni discrimine, sola Praelatorum fides mansit inconcussa, qui semper non tantum penes Reges insurrexerunt, sed etiam conductis voluntariis turmis, adstiterunt. Ita Ferdinandus III. Georgio Lippay, Archiepiscopo Strigon. permisit vbiuis turmam peditum adiutricem colligere. Viennae VI. Febr. A. 1644. Ibid. nro 52. p. 136. Sapientia pauca.

124. *Responsio statuum catholicorum ad obiectiones acatholicorum. A. 1646.*

Florentissimi quondam Regni Hungariae Statum in eas calamitates redactum esse, vt maiori ex parte luctuosa Christiani nominis hosti praeda fieret, ac medium, quod nuper erat, auulsa Nobilissima parte lacerum plane et miserabile redderetur, Catholicis nullatenus imputari debet, vtpote qui admissam semel diuersam Religionem opprimere, aut suam promovere, nunquam armis et sanguine Ciuium, neque adscitis in societatem belli immanissimis Christiani Nominis hostibus, aut exteris, longeque dissitis Nationibus cum extrema totius gentis ruina fuerint conati, quin potius auitam sacrosanctam religionem catholicam romanam, a Sancto Stephano, gentis huius apostolo, e tenebris gentilitatis ad lumeu fidei, et verum Dei cultum eductore, acceptam per tot secula, per tot diuos huius regni Hungariae principes ac reges, totamque nationem ad nostra vsque tempora pie non minus, quam constanter et sincere protectam et custoditam, plurimisque legibus et articulis quouis tempore sancitam et stabilitam, illibate semper conseruare et tueri studuerint. Aequum sane esset; vt eidem auitae fidei, sanctisque legibus et statutis Regnum Vniuersum ac Natio Hungarica perpetua stabilitate et constantia adhaereret. Verum iniuria temporum, et gliscente non minus in proximis regnis et prouinciis, quam in hoc regno diuersarum in fide opinionum, vi motibusque intestinis, ne fortissimum hoc Antemurale Christianitatis, cum vniuersali forte ruina in manus Turcarum deueniret, facileque Nationem Vniuersam deleri contingeret, ad ea euitanda primum in anno millesimo sexcentesimo sexto, pacificationis articulo primo libertatem religionis concedi oportuit. Quae quidem concessio prius tantum statibus et ordinibus, oppidis priuilegiatis et militibus facta, in anno millesimo sexcentesimo octauo ad villas quoque et oppida extensa fuit. Porro eadem concessionem iam anno 1618. ampliatae, postmodum vero 1622. Diplomati regiae coronationis articulo sexto insertae fuerunt, ac deinceps quibusuis fere comitiis, addito articulo confirmatae. Quibus non agnoscunt catholici sese contrauenisse, aut occasionem turbandae quietis pacisque publicae praebuisse, neque concessionem semel factas extinguere, aut abolere conatos, quin potius articulo praesertim Vinnensis pacificationis, quae fundamentum est ac robur totius status admissae religionis, praedictis articulis, atque adeo praesentis vltimi diplomatis regii articulo primo sese accommodare studuerint. Ad Templum quod attinet, quae ab anno 1608. euangelicis erepta queruntur, eorumque restitutionem postulant, non sunt conscii sibi catholici, ullum templum Dominorum euangelicorum cum iniuria eorumdem, aut in praeiudicium factarum concessionum eripuisse, quin potius se optimo iure suo in bonis propriis vsos fuisse. Et haec erant, quae domini catholici ad postulata dominorum euangelicorum respondenda habuerunt.

125. *Informatio catholicorum circa grauamina acatholicorum ratione templorum restituendorum. A. 1646.*

Vastam querelarum sylvam et confertam grauaminum farraginem, per euangelicos exhibitam, intellexerunt catholici, quibus Maiestatem vestram fatigare, nos one-

rare, tractatus comitiorum inuoluere et aggrauare, pretiosi temporis iacturam facere, parum pensi habuerunt. Singulis eorum ruminandis ac refutandis, non dies et menses, ne anni quidem sufficerent. Mirari satis nequeunt catholici, talia ac tanta ab altera parte praetendi, ut iis admissis, regnum vniuersum in immane chaos, et insuperabilem labyrinthum praecipitari, omnibus veteribus et nouis religionis confessionibus ac libertatibus contraueniri catholicam demum religionem prorsus conculcari ac opprimi oportet: Quare ne singula deducendo, benignitate Maiestatis vestrae abuti videantur, illud in vniuerso hoc scripto maxime considerant et animaduertunt, inter primaria turbatae religionis capita reponi, quod in bonis et pagis propriis templa inuitis rusticis occupent, ac suae religionis exercitio adigant; quod absque omni turbatae religionis nota, et saluis quibusuis concessionibus ac legibus in fauorem eorum constitutis, id sibi licere existimarint, suoque iure uti perrexerint hactenus catholici. Hoc igitur punctum vsque adeo principem locum inter querelas exhibitas tenere, ut in eo totius fere difficultatis cardo verti, et omnium grauaminum compendium in vnum collectum haberi videatur, quo superato caetera omnia facile componi et complanari poterunt. Vbi igitur satis ostensum fuerit ac declaratum, vel a Maiestate vestra iuxta continentias nouissimi Diplomatis determinatum, licere catholicis templa in bonis propriis occupare, non erit amplius, quod aëra querelis explere, Maiestatem vestram lamentis fatigare, nosque turbatae religionis et grauaminum plaustris toties onerare pergant, minus arreptis armis extremae ruinae et periculo patriam idcirco inuoluant. Vt igitur Maiestas vestra clementer intelligat, ac si opus, authoritate sua determinare valeat, quam aequo iure, legibus patriae, et concessionibus illaesis, ac sine iniuria quorumuis id fecerint catholici, breuiter et demisse Maiestati vestrae sacratissimae duxerunt repraesentandum, ea quae circa libertatem religionis a regibus Hurgariae diuersis vicibus concessa sunt, in sequentibus articulis contineri: Primo. Anno 1606. tempore pacificationis Viennensis sub archiduce Mathia, plenipotentiaro videlicet Rudolphi imperatoris, constitutus est primum de libertate religionis in Hungariae regno admittenda articulus, cum antea nullam prorsus a Romana fide alienum, ab ipsa sui ex Gentilismo conuersione passa fuisset gens Hungarica: quin imo seueros contra omnes peregrinae religionis cultores et seminarios constituisset articulos. Vti patet ex variis decretis S. Stephani lib. 1. cap. 1. Ferdinandi imperatoris anno 1563. articulo 32. Ludouici secundi Budae anno 1523. articulo 54. et in constitutionibus anni 1525. factis in campo Rakos, articulo 3. et passim alibi. Est autem praedictus articulus ille inter satuta pacificationis Viennensis primus, et sic se habet: Quantum itaque ad negotium religionis attinet, non obstantibus prioribus pro tempore constitutionibus publicis, sed neque articulo postremo anni 1604. (cum id extra diactam et sine regnicolarum assensu adiectus sit, propterea etiam tollitur) deliberatum est, ut iuxta Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis priorem resolutionem, ad quam se regnicolae in sua replicatione referunt. Nimirum, quod omnes et singulos Status et Ordines iutra ambitum regni Hungariae solum existentes, tam Magnates, Nobiles, quam liberas ciuitates et oppida priuilegiata immediate ad coronam spectantia: Item

in confiniis quoque regni Hungariae milites hungaros, in sua religione nusquam et nunquam turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Verum omnibus praedictis statibus et ordinibus liber religionis ipsorum vsus et exercitium permittatur. Absque tamen praeiudicio catholicae romanae religionis, et vt clerus, templa et ecclesiae catholicorum romanorum intacta et illibata permaneant, atque ea, quae hoc disturbiorum tempore vtrinque occupata fuere, rursus iisdem restituantur. Secundo: Extat Diploma quoddam interpretatorium Mathiae archiducis, postea etiam regis et imperatoris, quo ipse interpretatus est articulum primum anni 1606. cuius tenor est talis: Nos Mathias Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis et Goritiae; memoriae commendamus tenore praesentium significantes recognoscimus et notum facimus, quod cum splendidi et Magnifici Stephani Bozkai de Kismaria, eique adhaerentium Hungarorum Legati et Nuncii, in tractatu cum ipsis proxime concluso, super quorundam articulorum correctione, additione et explicatione, scripto singulari die 9. huius mensis septembris oblato supplicarunt; ob certas vero causas illis expositas, huiusmodi correctionem, immutationem aut additionem tractatus iam hic conclusus, et a Maiestate confirmatus amplius non patiatur. Ideo nos ea omnia, quae praeter paragraphum ultimum articuli primi in medium adduxerunt, ad proximam diaetam revidenda et complananda remittimus, prout in hoc etiam Domini ablegati ex rationibus supra memoratis quoque consenserunt. Quod vero praedictum paragraphum concernit, sicut omnia in dicto tractatu bona fide et acta fuerunt, ita etiam dictum paragraphum in verbis: absque tamen praeiudicio etc. Vsque ad finem, non mala fide adiectum esse, sed vt vtraque pars in eorum religione et exercitio et templis non turbentur. In cuius rei fidem hasce literas manu nostra subscripsimus, et sigillo nostro communiri fecimus. In qua nimirum Viennensi concessione solis Statibus et Ordinibus, vt pote Magnatibus, Nobilibus, liberis ciuitatibus et militibus concessa fuit libertas religionis, nulla prorsus rusticis; quos proinde neque articulus neque interpretatio Mathiae concernebat. Anno demum 1608. etiam in oppida et villos extensa; ac rusticis libertas religionis concessa fuit in haec verba: „Quantum igitur ad primum constitutionis Viennensis attinet, deliberatum est per Status et Ordines inclyti regni Hungariae, vt religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus, et Nobilibus, quam etiam liberis ciuitatibus, ac vniuersis statibus et ordinibus regni, in suis et fisci bonis, necnon in confiniis quoque regni Hungariae, militibus hungaris, sua cuique religio et confessio, nec non oppidis et villis eam sponte ac libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur, nec quisquam omnium in libero eiusdem vsu ac exercitio a quoquam impediatur; quin imo ad praecauenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones, vt quaelibet religio suae professionis superiores ac superintendentes habeat, statutum est. Tertio: Hic idem articulus praedicti anni 1608. renouatus est tempore coronationis Ferdinandi II. felicitatis remiscientiae, et positus inter condiciones numero 6. quae conditio inserta est in articulum 2-dum 1622. Sopronii editum, estque talis: „Quod religionis negotium inter vniuersos status et ordines regni, in suis ac fisci bonis, item in confiniis quoque regni Hungariae militibus Hun-

garis, propter regni tranquillio-rem permansionem, iuxta constitutiones Viennenses et Articulos ante coronationem editos, maneat liberum; illaesum et illibatum; ita videlicet, vt religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam ciuitatibus, uniuersisque statibus et ordinibus regni in suis ac fisci bonis, item in confinijs regni Hungariae, nec non oppidis et villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur: nec quisquam cuiuscunq[ue] status et conditionis existens in libero eiusdem vsu et exercitio religionis a Maiestate Sua Regia, et alijs quibusuis Dominis terrestribus quouis modo, aut quouis praetextu turbetur aut impediatur. Praeterea sequentibus quoque annis et diaetis renouatus est idem hic articulus, videlicet anno 1618. articulo 77. anno 1625. articulo 22. anno 1630. articulo 33. anno 1635. articulo 29. ac denique in diplomate moderni quoque Imperatoris ac Domini nostri Clementissimi, Ferdinandi III. tempore coronationis suae statibus et ordinibus concesso, diaetaeque Posoniensi anni 1638. artic. 1. inserto, cuius tenor conuenit ad verbum cum conditione sexta coronationis, dicti quondam Ferdinandi II. felicissimae reminiscetiae, iam iam citata, quam proinde, ne idem saepius repetamus, ex industria praetermittimus. Quibus ita positis, ex praedictis concessionibus concedunt catholici rusticis haec sequentia fuisse data: 1. Vt quilibet possit eorum fidem Lutheranam aut Caluinisticam profiteri ac tenere, neque in eo a quoquam impediendos. 2. Similiter vt suam religionem libere exercere, conciones audire, sacramenta ritu suo percipere, et similia possit; et neque in hoc impediendos vel turbandos esse. 3. Posse rusticum ad alium pagum, vicinum templum, et vbi suae religionis exercitium inuenire poterit, accurrere, eoque libere vti, haec enim omnia fatentur cum libero vsu exercitii fuisse concessa. 4. Demum in praesenti diplomate articulo tertio additum est, vt etiam volentibus rusticis liceat reducere expulsum praedicantem in ipsum pagum, ibique intertenere exercitium in domo, aut in aliquo loco habere publicum, neque in eo impedi debere, tanto magis, vt, quoties opus fuerit, aliunde praedicantem introducere, eiusque ministerio vti liceat. Id, quod de futuro tantum intelligendum, cum nunquam antea prius, nisi moderno diplomate sancitum fuerit. Solum restat quaestio, an domini catholici templa sua propria in suis pagis et oppidis, quae ante hac exercitio catholico addixerunt, propriamque religionem et catholicum sacerdotem induxerunt, possessionemque pluribus annis roborarunt, teneantur ad libitum rusticorum, aut maioris partis pagi propria templa ipsis concedere, idque ex vi praedictarum concessionum? aut aliter, quaestio est, an catholici domini ante moderni diplomatis emanationem et acceptationem, potuerunt sine laesione dictarum concessionum templa in suis pagis inuitis et contrariae religionis existentibus rusticis, pro se vsuque exercitii catholici usurpare. Et quidem catholici semper hactenus et adeo constanter partem affirmatiuam tuiti sunt, vt ne quidem per Betlenianas, Turcis et Bohemis permixtas rebelliones turbasque et arma hoc sibi ius eripi sint passi, quin potius eo adhuc vsque tempus vti, et in possessione perseverare voluerunt. Et quidem sequentibus nixi rationibus, Primo: Quia ex nulla vnquam concessionem, permissionem, articulo, diplomate ostendi, et probari potest rusticis con-

cessum fuisse, ius templorum et patronatus, in praeiudicium dominorum suorum terrestrium; quod patet ex omnibus actis, et revolutis concessionibus, diplomatibus. Secundo: quia nunquam haec particula libero exercitio religionis eorum addita reperitur: vna cum templis. Et quidem in articulo illo Viennensi nihil eorum reperitur, vbi nulla fit mentio rusticorum, sed statibus et ordinibus duntaxat conceditur libertas religionis. Similiter in anno 1608. prout et 1618. atque adeo concessionem sextam diplomatis coronationis vtriusque Imperatoris et alibi nunquam fuit addita haec particula libertati rusticorum: vna cum templis. Cum igitur eiusmodi concessionem, et extraordinaria indulta non plus valeant, nisi quantum sonant, nulla ratione admittendum est templorum ius rusticis esse concessum. Quin imo ex praedictis articulis et concessionibus manifeste probatur, non rusticis, sed potius dominis terrestribus, qui sunt status et ordines, templa fuisse concessa. Et primo quidem ex ipso articulo Viennensi, qui fundamentum est et caput omnium libertatum religionis, et quidem confirmatum et renouatum in omnibus de religione constitutis articulis anni 1608. et 1618. conditionis sextae diplomatis, atque adeo huiusmet vltimi diplomatis et pacificationis vigore, vnde triplex eruitur argumentum. 1) Si quidem in dicta pacificatione solis statibus et ordinibus ac militibus conceditur libertas religionis, rusticis nequaquam. Hi nihil plane habent, quod praetendant vigore illius, quin potius domini terrestres, quibus haec libertas data fuit. 2) Ex interpretatione diplomatis Mathiae, vbi expresse templa statibus et ordinibus, qui nimirum tunc fuerunt partes, conceduntur. Licet enim praedicti diplomatis validitas multis ex capitibus impugnari possit, vtpote, quod non a rege, neque in ipso tractatu, sed post ex expirata iam plenipotentiae archiducis, dum, occulte, sine scitu reliquorum commissariorum emanatum fuerit; contra illos tamen valet, cum ipsi extraxerint illam interpretationem, veluti genuinum sensum ipsorum quoque contrahentium, ac toties eo pro se vsi fuerint. Secundum argumentum ex eadem pacificatione desumitur, quod catholicorum templa libera et intacta permanent, vnde patet evidenter ea templa, quae ad catholicos dominos pertinent, a diversae religionis rusticis vsurpari non posse. Similiter et ex eo, quod haec libertas sine praeiudicio catholicae religionis fuerit data ipsis etiam statibus; quod autem maius praeiudicium esse posset, quam si rusticus templum Domini sui catholici eriperet, et sibi vindicaret, indeque sacerdotem et exercitium exturbaret. Tertio: non minus ex articulo anni 1608. probatur dominos terrestres ius in templa, non rusticos illud habere. Si enim hi ex eo, quod ipsis libertas religionis concessa sit, praetendunt etiam templa, magis ipsi domini, quibus eadem libertas et maior est attributa. Imo expresse habetur in praedicto articulo, vt Status liberum habeant exercitium vbique in suis bonis, ac proinde templis, quae sunt eorum bona propria, vti infra magis patebit. Quarto similiter ex conditione 6-ta diplomatis et articulo anni 1618. comprobatur, vbi eadem verba repetuntur. Imo constat ex actis et memoria illius anni 1618. diu multumque vrsisse eos, vt exercitio religionis libero adderetur particula vna cum templis. Evincentibus nihilominus firmissimis rationibus et legibus Catholicis, ex consensu etiam ipsorum particula illa fuit relicta, nec diplomati inserta. Quinto: Ex mo-

derno diplomate eiusque articulo primo euidenter patet, statibus et ordinibus liberam religionem cum vsu templorum attribui, ergo dominus terrestris et non rusticus habet vsum templorum. Neque valet dicere, eandem in secundo puncto rusticis concessam esse libertatem; quod secus habet, cum ibi nulla mentio fiat de vsu templorum, et illud, modoque vt supra simili non impediatur, de exercitio religionis, non vero vsu templorum esse intelligendum satis patet: Sexto: Et vltius, non debet admitti contradictio inter primum et secundum punctum huius diplomatis. Cum ergo in primo articulo expressis verbis templa sint dominis terrestribus concessa, non possunt in secundo puncto auferri eisdem et rusticis attribui. Quaestio enim quae agitur haec est: An in pago domini terrestris, vbi rustici aliam religionem profitentur templum competat domino terrestri vel rustico. Si id domino terrestri in priori articulo dedimus, ergo non rustico, alioquin esset contradictio, et quod ibi maxime cauetur, turbaretur eatenus exercitium religionis catholicorum dominorum per rusticos, et vsus templorum, si in propriis catholicorum dominorum templis exercitium non liceret, quod est maxime indignum, proprios dominos turbari, eorumque exercitium in propriis non admitti. Vel ergo in tali casu vterque suum exercitium habebit in eodem templo vel alteruter. Si alteruter, domino terrestri potiori iure, et hoc expresso verbo, cum templorum vsu, competit ecclesia. Vt vero ad vtrumque pertineat templum, hoc admitti non potest. Accedit quod hoc pacto nonnunquam omnium trium religionum exercitia in eodem templo esse oporteret maxima cum confusione. Praeterea, cum templa catholicorum chrismate delibuta esse oporteat, ibique Sacram Eucharistiam conseruari et sanctum Chrisma, imaginum praeterea venerationem, quam idolatriam Calvinistae appellant, profanarique templa catholicorum exercitio alterius religionis; tum ob haec, tum ob alia innumera conuenientia, commune pluribus ministris templum esse non potest. Quod vel ex hoc diplomate euadit manifestum, cum in quarto articulo habeatur: pro quibus vsus templorum determinabitur, parochiarum quoque proventus ad eosdem pertineant. Neque enim decerni posset, ad quem istorum trium parochia ipsa et proventus pertineat. Cum ergo euidenter in praesentis quoque diplomatis articulo dominis terrestribus sit attributum ius et vsus templorum, illa rusticis non competere euadit manifestum. Septimo: Praedictos articulos et concessionem vsus ipse docuit, et catholici in possessione suae praetensionis fuerunt ab initio statim conditi articuli anni 1608. in quo omnium primo rusticis data est libertas religionis, quod patet tum ex ipsa experientia, tum vero ex fessione ipsorum euangelicorum, qui in suo scripto erepta per catholicos ab anno 1608. praenotato huc vsque templa restitui vrgebant; quae non sunt alia, nisi per dominos terrestres in propriis fundis rusticis adempta. Octauo: Probatio desumitur ex iure Patronatus Dominorum terrestrium in propriis templis. Neque enim vel ipsi euangelici facile concedent, ius patronatus ad rusticos pertinere, vtpote quod non rusticis sed dominis terrestribus tot regum donationibus et priuilegiis, atque adeo eodem iure, quo reliquum corpus bonorum, patronatus quoque templorum donatus et et concessus fuit. Haec ergo sua priuilegia et iura a tot centenis annis habita et possessa, nunquam do-

mini terrestres rusticis concessa esse voluerunt aut intellexerunt. Quod vel ex eo vberius patet, si quidem ea sit rusticorum in hoc Regno Hungariae conditio, tum a prima sua conditione et statu, cum vero, per cruentam et funestam contra nobilitatem et regnum rebellionem; vt in eo victi, et omnibus, si quae forte antea habuissent; Priuilegiis et libertatibus exuti, in poenam nota perpetua infidelitatis fuissent condemnati, vti patet ex decreto Vladislai VII. Articulo 14. Tripart. part. 3. Titul. 30. in haec verba: Nam Rusticus praeter laboris mercedem et praemium in terris Domini sui, quantum ad perpetuitatem nihil iuris habet, sed totius terrae proprietates ad Dominum terrestrem spectat et pertinet. Per huiusmodi igitur legationem aut venditionem Colonus non nisi laboris sui mercedem et praemium, condignam scilicet aestimationem terrae, prati, molendini vel vineae, cuius legare vel vendere potest, perpetuitate Domino terrestri salua semper remanente; qui dum voluerit, terras, prata et molendina, secundum aestimationem communem, vineas vero iuxta condignum earum valorem ad se requirendi habet facultatem. Cum igitur rustici in fundo Domini sui nihil proprium habeant, consequenter neque ius Patronatus templorum in praeiudicium Domini ipsorum, et vsque adeo nihil proprium in fundis Dominorum ipsorum habent, vt possit ad libitum Domini terrestris loco suo et fundo proprio amoueri, vsuque eius priuari, persoluto solummodo laboris praemio et mercede, id quod ex praedicta lege patet, in hodiernum quoque diem vsu receptum quotidie practicatur.

Porro quid sit ius Patronatus, et qualiter ab Ecclesia Catholica secularibus concessum, patet ex ipsa origine eius et legibus nostris, signanter autem decreto Vladislai Regis II. Articulo 31. eiusdem decreto III. Artic. 66. item decreto V. Artic. 26. vt Patronus habeat ius praesentandi Catholicum Sacerdotem in Templo seu beneficio ad libitum suum, quem voluerit praesentare ordinario, iuxta veram et primaeuam eius Ecclesiae foundationem, quae sine dubio Catholica fuit. Licet igitur ei, qui ius Patronatus habet, quem voluerit proprium religionis Catholicum Sacerdotem iuxta primaeuam foundationem, facta Ordinario praesentatione in Templo collocare. Nonno. Emergit hic aliud quoque non absimile argumentum: Cum enim proprietates templi praeter ius Patronatus ad ipsum Dominum terrestrem pertineat ex lege supra citata, in proprio templo licet ei, prout voluerit, sine vllius iniuria et praeiudicio disponere, suumque ibi Religionis vsum et exercitium habere; sicut etiam potest arabiles terras et prata, quandocumque voluerit propriis rusticis auferre, et in vsum proprium applicare. Porro cum nemini liceat in Templo, cuius proprietates ad alterum pertinet, vni videlicet Domino in templo alterius, inuito eodem, suam Religionem exercere, vt haec prohibitio non praeiudicet libertati Religionis, sic neque rustici, praesertim in alieno, id est Domini sui templo, sua exercere possunt eodem inuito. Triplici porro ex capite Dominis terrestribus competit Templum: Primo, proprietate fundi et iure Domini terrestris ac lege supradicta. Secundo, ex iure Patronatus donationis Regum accepto. Tertio. Aedificio et erectione ipsiusmet templi, pleraque enim eiusmodi templa per Dominos terrestres fuisse erecta satis ostendi potest, et si

quae a rusticis fuissent aedificata, ea sane non a diuersae Religionis, sed Catholicis, et in vsum Catholicae Religionis sint constructa. Decimo. Si cautum est, ne rustici, tanto magis Domini terrestres in sua Religione eiusque vsu et exercitio turbentur aut impediuntur, sane Domini terrestres maxime impediuntur in suo exercitio aut vsu Religionis, si contra sextam conditionem et octauum Articulum, in suis bonis atque adeo templis, quibus nunc fruuntur, exturbarentur per rusticos, quod est indignissimum, vna cum eorum Sacerdotibus et exercitio atque vt supra dictum est, contra articulum Viennensem, in quo templa Catholicorum libera et intacta permanere debent. Vndecimo: Quia rusticis nihil plus concessum est, quam liberum exercitium et vsus propriae Religionis. Magna autem differentia est inter exercitium liberum, vsumque Religionis et eius Templorum, id quod tum per se satis patet, tum ex sequentibus. Primo, non tantum in hac Prouincia, sed etiam in aliis quibusdam liberum exercitium habent Euangelici propria quoque oris confessione, sine tamen vsu templorum. Secundo, pluribus annis habuerunt liberum exercitium Lutherani et Calvinistae Posenii, Tyrnauiae et alibi, licet nullum Templum habuerint. Tertio, vis ipsa vocabuli id significat, vt exercitium sit liberum, neque in eo quispiam turbetur, licet illud exercitium sit in domo tantum, aut alio loco priuato, sic enim etiam liberum et quidem publicum exercitium esse non negari potest. Quarto, si idem est liberum exercitium et vsus templi, Catholici nullibi habent liberis in ciuitatibus liberum exercitium, vbi non habent templa, quae maxima esset iniuria Catholicis, et vbique deberent habere templa Catholici pariter ac Euangelici, si habent vbique liberum exercitium. Demum liberum exercitium Religionis, vt supra dictum est minime impeditur ex eo, si in alieno et non tuo templo non permittaris exercere. Ex hoc igitur etiam capite manifestum euadit per liberum exercitium non esse rusticis templorum Domini sui vsum concessum. Ex hoc capite facile soluuntur omnia ipsorum argumenta et praetensiones, quae in his fere consistunt: Primo, liberum exercitium pariter concessum est rusticis et Dominis; cum vero exercitium secum trahat Sacerdotem, Sacerdos vero locum et templum, rusticis concessa esse templa deducitur. Secundo, liberum exercitium concessum est oppidis ac villis acceptare volentibus, cum autem oppidum aut villae trahant secum templum, rusticis data esse templa argumentantur. Tertio statutum est, ne rustici in eorum Religione et exercitio vsuque exercitii turbentur; quae autem potest esse maior turbatio vsus et exercitii, quam si templa iis auferantur, Praedicantes amoveantur. Quarto, concessus est vsus exercitii rusticis, et vt in eo non impediuntur, ergo vbi sunt in vsu, manere debent, vsusque templorum ipsis relinqui. Quinto, ex eodem capite respondent etiam argumento Catholicorum, vbi habetur: quod Jus Patronatus atque adeo ipsa templa pertineant ad terrestres Dominos, vsus nihilominus templorum peculiari priuilegio in praedictis concessionibus rusticis est attributus. Respondetur igitur ad primum; hoc argumentum magis pro Catholicis deseruire. Si enim liberum exercitium trahit secum templa, potiori iure Domini terrestres quam rustici templa possidebunt. Confirmatur ex articulo —
— Anni 1608. et sexta conditione, vbi expresse conceditur Statibus liberum exerci-

tium in suis bonis. Si ergo vbique in suis bonis liberum exercitium habent, vbique in suis bonis templa habere debent, ac pro se occupare, multo minus ab occupatis etiam et possessis per rusticos excludi; et tametsi maxime exercitium Religionis templa secum traheret, inde inferri non posset, quod in alieno templo, inuito eiusdem Domino, suam quis Religionem exercere valeat. Sufficiens igitur est, liberum Exercitium Religionis rusticis, si licet ipsis profiteri, quam voluerint Religionem, eamque exercere vbique possint, etiam in proprio pago, iuxta factam vltimam in hoc nouissimo Diplomate concessionem. Ex eodem capite responderi aliis fere argumentis Evangelicorum potest. Facta enim semel distinctione inter ius templorum et liberi exercitii omnes probationes aduersariorum eo tendunt, vt exercitium rusticorum non turbetur, in suo exercitio rustici non impediuntur, prout et villae et oppida. Concedimus enim in exercitio Religionis eiusque vsu eos impediendos non esse, sed asserimus, iura templorum nunquam illis esse concessa, neque illos impedi ac turbari in exercitio et vsu suae Religionis, si alibi quidem eos Religionem propriam exercere, prout voluerint, permittamus, in templis vero nostris proprium exercitium et non aliud habere velimus. Ad quartum pariter et quintum argumentum respondetur: nullibi haberi, quod rustici in vsu templorum non impediuntur, sed tantum in vsu exercitii, quod, vt saepe dictum est, est valide diuersum, cum hoc secundum datum sit rusticis, et non primum; vbi asseritur, sicut terrarum et aliarum rerum vsum quidem apud rusticos, sic etiam dominium penes Dominos terrestres permanere; respondetur licitum esse Dominis terrestribus terras suas, quibus rustici vsi fuerint, propriis vsibus applicare iuxta Tripart. 3. Tit. 25 et 30. Si ergo paritas est, idem licet etiam in templo ac eius vsu. Demum queruntur ipsi erepta esse illis templa per Catholicos Dominos, plerumque per illos, qui Catholicam Religionem, sprete priori, amplexi sunt, qui sine dubio etiam ex aduersariorum concessione suorum templorum vsum ac Dominium iusque patronatus habuerant ante conuersionem. Istud ergo ius non apparere qualiter per suam conuersionem amiserint, quin potius liberum exercitium suae Religionis ac templorum vsum, quemadmodum antea ita et modo retinuerint, neque per hoc, quod Catholici facti sint, suam Religionis libertatem ac templorum amiserint: quod totum inde confirmatur et comprobatur: Quicumque ex Magnatibus et Nobilibus Catholica Religione abdicata, Lutheranam et Caluianam amplexi sunt, ii omnes fere, vix aliquo excepto, in omnibus suis bonis protinus Catholicos sacerdotes amouerunt, et exturbarunt, contra voluntatem et retinentiam rusticorum Cath. et suae fidei Praedicatorum violenter intruserunt. Ita fecerunt maiores Dominorum Comitum Battyanyi, Nádasdi, Zerini, Homonnay, Szeczy, Balassy, Prenyi, Devsky, Illyésházy, Thurzones et omnes alii; quorum plerique momento fere temporis Catholicos Sacerdotes e suis pagis ac bonis eliminarunt. Vel ergo hoc ipsis licitum fuit ac iustum, vel iniuste contra iura et leges processerunt: Si ultimum merito Catholici iniuste perpetrata corrigere, possessores legitimos reponere ac suum cuique restituere nituntur, neque in hoc sunt arguendi; si primum idem ius est Catholicis, qui nihilo inferiores imo superiores in ea parte esse debent, vtpote illi ad

certos tantum concessionis limites et cancellos in negotio religionis adstricti sint, nos autem possessione auitae Religionis ac priuilegiorum eiusdem gaudere conueniat. Ad extremum, quod toties repetunt Euangelici, turbatam Religionem extremae ruinae huius Regni esse, foreque deinceps causam et occasionem; facile concedunt Catholici, illud Prophetæ repetentes: Non ego turbaui Israel, sed tu, et domus Patris tui. Utinam ipsi auitam Religionem suis nouitatibus non turbassent, et vnam in fide et Religione eundem Deum ac totius nationis consensum, in tot animorum dissensionibus, odiis, armisque et bella ciuilia non diuisissent, nunc quoque Hungaria staret, et in florenti statu remaneret. Verum, clementissime Imperator, non est ea ratio, quam ipsi asserunt, motuum intestinorum et extremae Regni calamitatis ac ruinae, quod Catholici in suis concessionibus et libertatibus Euangelicos quoquo modo turbassent, aut impediissent, quin potius quod ipsi nullis quantum vis magnis concessionibus redi possint contenti, sed semper plura et maiora desiderent, quae si aliter obtinere non possint, ferro etiam et armis extorqueant, nec desistant, donec penitus Catholica Religio opprimatur. Cuius extant complura in aliis quoque Regnis et Prouincijs Ciuitatibus etiam Imperialibus documenta et euidenter in hoc ipso Regno qualibet reuolutione maiores semper et ampliores concessionem postularunt et obtinuerunt. Utinam per modernas amplissimas concessionem videat Maiestas Vestra optatam pacem, charitatem et vniorem in afflicto hoc Regno fidelium suorum vniuersorum!

— Multa sunt et maxima, quae Catholici iure merito postulare possent in praesenti negotio Religionis, sed omissis aliis ea solum, quae in euidentibus articulis et concessionibus ipsis factis continentur, breuiter sic Maiestati Vestrae repraesentant: Pacificatio Viennensis cum sit fundamentum et caput omnium concessionum alterius Religionis, quae etiam renouata habetur et confirmatur in omnibus articulis et concessionibus subsequentibus, articulo anni 1608. diplomatis sexta conditione, atque adeo in moderno diplomate, cupiunt Catholici, vt iuxta eam pacificationem singula obseruentur, eique Euangelici se prorsus accommodent. Cum igitur in ea expresse habeatur, templa in iis, Boczkajanorum temporum videlicet disturbis occupata, Catholicis restitui debere, illud vero disturbium ab anno 1604. initium habuerit, aequum est, vt omnia templa ab illo anno Catholicis per Euangelicos erepta et nondum restituta reddantur. Talia vero Templa sunt numero plurima et pondere maxima, signanter autem: 1. Cassouiense maius parochiale, quod Canonicis Agriensibus ereptum, et ex vi eiusdem pacificationis est restituendum. 2. Templum maius Parochiale S. Michaelis Soproniensis, iisdem temporibus Catholicis ablatum. 3. Ibidem S. Georgii Templum eodem tempore occupatum, necdum est restitutum. Item Xenodochium S. Elisabethae in suburbio eiusdem Ciuitatis Soproniensis habitum. 4. Templa in plerisque montanis ciuitatibus Boczkajanis tumultibus ac post occupata. Inter quae censetur etiam Xenodochium S. Elisabethae Novizoliensis vsque ad motus Batzkajanos a Sacerdotibus Cath. possessum. Quod cum iuxta leges Regni accedente Pacificatione Viennensi restituendum esset, Suaque Maiestas eo tum per suos commissarios Ecclesiasticis personis restitui vellet, ciues Novizolienses concitata ac in arma conuocata

plebe, Suae Maiestatis conatui restiterunt. Sunt et alia quam plurima hinc inde templa iisdem temporibus occupata, quae omnia facta inquisitione restituenda essent, ea insuper quae inferius in serie coeterorum Grauaminum annunciata habentur. 5. Id quoque, iure suo postulant Catholici, vt in quavis libera montanaque ciuitate templum catholicum habeatur, iisque assignetur, idque tum alias multis ex capitibus, tum vero vigore moderni Diplomatis, vbi habetur, quod exercitium Religionis vbique Statibus et Ordinibus liberum esse debeat vna cum vsu templorum. 6. Quidquid contra praedictum Pacificationis articulum in praeiudicium Romanae Catholicae Religionis aut Cleri hactenus admissum esset, iuxta eiusdem Pacificationis continentias tollatur et emendetur. Talia autem plurima recensere possent; si instar Euangelicorum singula Catholici quoque annotassent; qui omissis aliis haec pauca, quae sequuntur demisse Maiestati Vestrae representare voluerunt, vt vel ex his appareat, non minora, imo grauiora esse ea, quibus Catholici ab altera parte laeduntur etc.

126. *Idem Rex Euangelicis 90 Catholicorum templa, non plura, cedi iubet. A. 1647.*

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis, Domini Domini nostri clementissimi nomine Spectabilibus et Magnificis, Comiti Joanni Draskouich de Trakostyan Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum eiusdem Maiestatis C. atque R. locumtenenti; C. Paulo Palfy de Erdeud, perpetuo in Detrekeö, Comiti Comitatus, Arcisque Poson. supremo Capitanec, Judici Curiae regiae, in Hungaria Camerariis, et Thomae Mikulich de Brukonowecz, Personali praesentiae Regiae in iudiciis Locumtenenti, et Consiliariis ad tractatum cum Euangelicis deputatis commissariis, praesentibus significandum; Praelibatam suam Maiestatem circa quaestiones et difficultates templorum motas, ob quas progressus comitiorum hactenus impeditus, ac retardatus fuit, pro categoria et vltimaria sua resolutione sese clementer declarare, atque etiam praefatis commissariis, vigore praesentis decreti facultatem concedere, vt dictis Euangelicis nonaginta templa, vtiam annotata ac consignata habentur, offerre ac cedere possint et valeant. Vltra vero hanc amplam templorum concessionem ad nullos tractatus hac in parte, cum iisdem Euangelicis, progrediantur. Cum quibus quidem, sicut merito contenti esse possint, et debeant, ita etiam omnino confidit sua Maiestas, illosque hortatur, vt iuxta laudabiles comitiorum regni consuetudines, ad vltiora publica negocia assumenda, et tractanda, et quae ipsorum commune bonum, tranquillitatemque et permansionem concernunt, communibus studiis procurare contendant. Quam etiam finalem complanationem et determinationem benigne vult sua Maiestas, ipsis Euangelicis per praenominatos Commissarios declarari. Quibus in reliquo praefata sua Maiestas gratia Caesareo Regia benigne propensa manet. Per Sacratissimam Caesaream, Regiamque Maiestatem. Posonii IV. Mensis Martii Anno Domini 1647. Georgius Orosi. — Hist. Dipl. Euang. fol. 45. App.

127. *Templa 90 Catholicorum Euangelicis cessa. A. 1647.*

In Abaujuarensi Comitatu: 1. Somogy, 2. Misle, 3. Alsö-Meczenseff. In Zempliniensi: 4. Varanc. 5. Garani. 6. Kuchin. In Sarosiensi: 7. Szent Péter. 8. Fel Sebes. In Sepusiensi: 9. Kaposztafalua. 10. Donavecz Krompach. In Liptouiensi: 11. Tepla. In Neogradiensi: Maskfalua. In Hontensi: 13. Bath. 14. Füzes Gyarmath. 15. Vizoka. 16. Brinczfalua. In Barsiensi: 17. Velika Poka. 18. Maroth. 19. Nagy Herestyén. 20. Keresztur. 21. Fenyö Kosztolyan. 22. Kis Keszes. 23. Semlye. In Nitriensi: 24. Vnum templum ex duchus. 25. Sopornye cum filialibus. 26. Negyed. 27. Kass. 28. Poruba. 29. Herdloua. 30. Kraszna cum filialibus. 31. Galgocz Hospitale. 32. Szerdahely prope Pösttyen. 33. Vduarnok. 34. Bayna, 35. Vylak. 36. Paszto. 37. Deáky templum extra claustrum. In Trenchinien-si: 38. Alsó Hrischo. 39. Jeszenicze. 40. Bedmir. In Turoczensi: 41. Szent András. 42. Szent Martony. 43. Mosocz. 44. Turan. In Comaromiensi: 45. Nagy-Megyer. 46. Apácza-Szakályos. 47. Baluany Szakalyos. In Posoniensi: 48. Nagy-Magyar cum filialibus. 49. In Németh-Gurab templum intra pagum: 50. Limpak. 51. Suly. 52. Taxon. 53. Nagy Maced. 54. Nagy Sely. 55. Vizközi Kürth. 56. Tartos. 57. Nagy Szegh. 58. Sz. Abraham. 59. Ivány. 60. In Szerdahely locum pro structura cum exemptione. 61. In Szencz locum pro structura cum exemptione. In Szaladiensi: 62. Kis Komarom in Pago. In Castriferrei: 63. Gyarmath. 64. Neuzidel. 65. Szent Groth. 66. Ovár. 67. Perenye. 68. Puszta Sz. Mihály. 69. Kuchenmezeü. 70. Kiczladen. 71. Wolffau. 72. Czem. 72. Horensdorff. 74. In Vész locum pro structura et parochia cum exemptione. In Soproniensi: 75. Sandorff. In Moson-dorff. 80. Kenilie. 81. Kanok. 82. Szolnok. 83. Czundorf. 84. In Liben minus templum extra Abbatiam. 85. Meczer. In Jaurinensi: 86. Zamoly. In Veszprim. 87. Vaszar. 88. Dobron. In Strigon. 89. Farnad. 90. Eölvéd.“ — Hist. Dipl. fol. 44—45.

Reliquae partes manserunt sub ditione Turcarum, ac Transiluanorum inexpilatae. Sed his spoliis contenti erant minime; plura et plura praetenderunt ab intimorato Ferdinando III. Catholicis intercedentibus.

128. *Vltterior declaratio Dominorum Catholicorum super postulatis A catholicorum. Anno. 1647.*

Quandoquidem ex praetensis occupatis et in Grauaminibus specificatis templis multo plura, quam quae Euangelicis restituta essent, prae manibus Catholicorum remansissent, liceat in talibus locis, Euangelicis (prout hoc in decreto etiam suae Maiestatis declaratum esset) pro exercitio Religionis ipsorum alia Templa aedificare, ordinatis ad id sufficientibus locis, coram Vice-Comitibus, et potioribus Comitatum nobilibus pari numero ex Catholica sicut et Euangelica Religione, iisdem per Vniuersitates Comitatum adiungendis, intra spatium trimestre a publicandis articulis per

Dominos Terrestres assignandis; sepulturae tamen et campanarum vsu donec praemissa templa extruxerint, et campanas comparauerint, pro iisdem euangelicis etiam communiter deseruientibus; atque iisdem quidem Vicecomitibus, sicut praescriptis potioribus eligendis nobilibus, vi statuti superinde sancienti, ad praescripta inspicere et inuigilare incumbet. Solutiones porro concionatorum in huiusmodi nouis aedificandis templis erunt ex stola suae religionis auditorum, et illorum erit, qui concionatorem adduxerint, de salario prouidere: nam prouentus parochiarum iuxta diploma eo, quo templa spectabunt. De prouentibus etiam clarum est diploma: quo templa eo et prouentus cedent. Filialia vero, quae in numero templorum restitutorum specificè per verba (vna cum filiilibus) sunt tradita, talia apud euangelicos manebunt, neque vltior quaestio de templis fieri potest.

Secundario hoc de poena transmittunt scriptum. Quicumque, siue sint ecclesiasticae; siue secularis dignitatis, templa et prouentus ad eadem spectantes occupare, campanarum et sepulturae vsum priuare comperti fuerint, aut praescripta templa vna cum parochiis, scholis et prouentibus earumdem iam praemissis, non restituerint, locaque pro structuris non assignauerint; in libero exercitio religionis suae ac vsu plebem turbauerint et impediuerint, tales in florenis sexcentis per tabulam suae Maiestatis regiam, abscissis omnibus iuridicis remediis, comperta rei veritate, per utriusque religionis aequali numero celebranda, competenti attestazione praevia, et restitutione templi, toties quoties conuincantur, et per vnum ex magistris protonotariis executioni demandetur, praescriptis sexcentis florenis in quinque ad confinia, sexta vero partibus executori cedentibus. Et hoc iudicium fieri possit tam in octauis, quam iudiciis extraordinariis, aut breuibus, prouti etiam sub celebrandis diaetis.

129. *Grauaamina Catholicorum ratione praetensionum A catholicorum in comitiis. Anno 1649.*

Nihil aequè inuiti faciunt, clementissime Imperator, catholici, quam Maiestatem Vestram, christiani orbis curis obrutam, suis insuper difficultatibus onerare, et comitiorum cursum praeter spem et expectationem, religionis quaestionibus prolongare. Verum cum videant, a parte altera vsque adeo nihil intermittere, quae in fauorem propriae causae faciunt, vt obtentis quantumuis maximis in proximis comitiis concessionibus, ac libertatibus, positisque iudiciis, et arbitris, poenaeque ex progressu ad dirimendas in negotio religionis emersuras deinceps quaestiones, eliberandamque Maiestatem Vestram et Comitiam a similibus molestiis odiosis, eum iactura temporis, et communis boni, agitari solitis, altercationibus; his tamen minime contenti, iterum ad querelas et grauaamina, praeterito eorum iudicio, erumpant; nec desinant nouis et nouis petitionibus ac postulatis, sua vberius dilatare, ac promouere. Ne igitur, ob silentium forte nostrum, religionis turbatae culpa nobis imputari possit, cum tamen longe et numero plura, et pondere grauiora sint ea, quibus catholici tam in communi, quum in particulari, ab ipsis premuntur. Demum, si licuit parti alteri, tanto co-

natu praetensiones suas promouere, non erit alienum nostras quoque difficultates ac iustissima et legibus consentanea postulata, breuibus attingere; denique ex quam pluribus pauca seligere, ac delibare, Maiestatemque V. SS. humillime rogare, vt quae parti alteri, in eorum causa, vsque adeo benignum se Dominum exhibuit, in sua quoque aequum iudicem, de quo non diffidimus, catholica religio experiatur. **Primo:** In diplomate pacificationis habetur: vt sua Maiestas singulis comitiis non solum euangelicorum sed et catholicorum grauamina in negotio religionis complanare teneatur; postulant catholici, vt eorundem quoque grauamina in negotio eodem cum satisfactione complanentur. Porro cum non minus vigore Diplomatis recentis, quam conditionis sextae pacificationis Viennensis, quae fundamentum et Basis est religionis, obseruari debeat, vbi habetur, vt templa Bocskaiianorum disturbiorum temporibus adempta restituantur, iure petunt catholici, ea sibi restitui. Si aequum existimauerunt euangelici, vt templa ab anno 1608. ipsis accepta, per catholicos restituantur, id ipsum catholicis denegari non debet: postulant igitur ea sibi ab euangelicis restitui, et in aliis loca idonea assignari. Id quoque congruum est iustitiae, vt quae templa catholici euangelicis minime accepissent, neque post annum 1608. ab euangelicis tenta fuissent, comperta rei veritate, catholicis restituantur: nemo enim tenetur restituere, quod non accepit. Similiter et illa templa, quae vigore pacificationis Viennensis restituta fuere catholicis, post annum 1608. eaque iure optimo tenuerint, deinceps quoque ad catholicos pertineant, et comperta veritate restituantur. Ea quoque templa, vbi contra voluntatem plebis catholicae, inducti sunt ministri euangelici, restituantur: cum hoc repugnet libertati religionis, quae illis, eam sponte, ac libere acceptare volentibus, concedit. Contra expressos articulos regni, iuraque et libertates introducuntur, in templisque et parochiis constituuntur Picarditae, Hussitae, et similes haeretici. Nisi igitur tales, cum Helueticis, in professione religionis, sacramentorum administratione et superintendentium subiectione, per omnia concordauerint, e regno eiiciantur, neque per Maiestatem regiam tolerantur. In partibus **Vltradanubianis:** et quidem comitatu **Castriferrei:** Cum in ciuitate **Köszegensi** et eiusdem suburbio tria haberentur templa, et alioquin pro Augustanae Confessionis hominibus, Germanis et Hungaris, vnum in ciuitate, et aliud in suburbio, sufficere abunde possit; postulant catholici, templum illud, quod et antea catholicorum erat, restitui, cum omnibus pertinentiis, appertinentiis, et redditibus; iustum enim est, vt pro quadringentis et ultra catholicis hominibus, ibi existentibus, ecclesia assignetur. In eadem ciuitate **Koszeghiensi**, penes mandatum suae Maiestatis proximis diebus et sub praesenti diaeta **D. Franciscus Tolnay**, Praepositus **Castriferrei** capitularis, et **Georgius Bokor**, homo regius, ad instantiam Illustrissimi Domini Archiepiscopi **Strigoniensis**, in negotio religionis missi, ad excipiendas attestaciones, non sunt admissi, per iudicem eiusdem loci, **Stephanum Hoszutóti**, in despectum mandati regii, et vilipendium legum patriarum, ac pericliationem iurium catholicorum. In possessione etiam **Saari**, Minister August. confessionis, catholicum sepeliri nullomodo permittit. Similiter factum est, in possessione **Szent Lórinz**. In possessione autem **Hegyfalú**, Aug. Conf. minister denegat rusticis catholicis exercitium ca-

tholicum etiam in aedibus propriis. In Comitatu Soproniensi: Templum suae Maiestatis parochiale, in tumultu Bocskaiano occupatum, et vigore pacificationis Viennensis ac aliorum subsecutorum articulorum restituendum. Sicut et capella S. Elisabethae, ad hospitale pertinens, et ante quatuordecim circiter annos occupata, et omnino in libera et regia ciuitate Sopron. existentia, vt ipsis catholicis restituantur, postulant. Pari ratione eadem beneficia, cum prouentibus, quae ab ecclesia catholica abalienata, ac in vsus proprios, scilicet intertentionem concionatorum, scholasticorum, organistarum et similium seruorum, iuxta arbitrium ciuitatis applicata, vt catholicis reapplicentur, vna cum campanis, summe necessarium est, et aequitatis. Praeiuudiciosum est catholicis, in eadem Sopron. ciuitate commorantibus, quod licet, qualibet religio ipsamet sibi parochum eligeret, citra tamen voluntatem catholicorum, Aug. confessionis Sopronienses, pro arbitrio ipsorum et ad placitum eligunt et inducunt parochum catholicum. Vnde, vt facultas eligendi plebanum, penes eosdem catholicos habeatur, iuri et iustitiae, ac catholicae ipsorum religioni congruum est. Porro siquidem catholici locum scholae ordinarium in eadem ciuitate Sopron. necdum haberent, conueniens est, vt pro erigenda schola locus sufficiens et idoneus, cum prouentibus, ipsis assignetur. Illud etiam ad bonum pacis spectaret, vt catholici in eadem ciuitate, iuxta conditos articulos (id, quod in praesentiarum vsque neglectum est) sine discretionem religionis, ad publica officia ciuilia, senatum ciuitatis et cehas opificum assumerentur, sicut in aliis liberis regni ac montanis ciuitatibus, et oppidis privilegiatis: non enim deessent subiecta, pro eiusmodi officii habilia. Iniuriosum et hoc videri, vbi processus iuridici in eadem ciuitate, ex parte catholicorum instituuntur coram tribunali senatus, plerumque retardantur, tamdiu videlicet, quamdiu catholici misere exhausti facultatibus, prosecutionem causarum suarum intermittere cogantur. Vti damnosum, ita et praeiuudiciosum catholicis est, quod vbi domos et alias haereditates in ciuitate Soproniensi coemere vellent, non permittuntur; verum mediis omnibus ac variis cogitatis, adiuuentisque impedimentis, impedirentur; cum tamen quibusuis Aug. conf. aduenis, iurium regni licet minime capacibus, id liberum esset, imo per ciuitatenses vltro procuraretur. Iniuriosa est turbatio catholicorum, ad processionem Vondorfensem proficiscentium; vbi sub praetextu, quasi sub aliqua necessitate, portas suburbii aperire non possent (cum antea nunquam similis consuetudo fuisset) vti proxima feria secunda paschatis practicatum est, quando sine vlla euidenti ratione, Nobilem Franciscum Nagy, catholicum, in pago Külö habitantem, ac ad dictam processionem pergentem, exclusissent, Aug. vero conf. ibidem nobilem, signanter Paulum Golhay, et alios, eodem plane tempore, per easdem portas suburbii misissent; vnde constaret euidenter, nullam necessitatem excludendi catholicos fuisse; praeter odium, et turbationem exercitii catholici, maxime vero sub his regni comitiis. Id ipsum etiam, odium scilicet religionis, vel ex eo pro comperto esset, quod iidem Sopronienses festa et solemnitates catholicorum turbare soleant, cogendo scilicet ad labores catholicas ipsorum familias; e contra vero sua festa celebrari per catholicos eorumque familias violenter adurgerent. Quia porro plerisque iam catholicis in hac diaeta in nego-

cio religionis querulantibus, minari praesumerunt praedicti Sopronienses; postula-
 rent instanter communi voto catholici, vt articulus 114. anno 1647. proxime prae-
 teritae diaetae Poseniensis renouetur, et contra eosdem et similes effectuetur. Domi-
 nus etiam comes Franciscus de Nádasd, volens sacristiam aedificando adnectere, in
 fundo proprio, Ecclesiae S. Joannis B. in suburbio ciuitatis Sopron, habitae; Sena-
 rarios. Porro in Röitegh, et Egyházósfalu, bonis scilicet nobilium, A. C. minister ca-
 tholicum sepelire prohibuit. In possessione etiam Némethy, itidem A. C. minister
 catholicos, qui ad possessionem Sül, domini comitis Francisci de Nádasd, religionis
 ipsorum exercitii causa pergerent, ab omni tam campanarum, quam sepulturae vsu
 prohibet. In Söjtör, possessione dicti domini comitis, eiusdem confessionis minister
 miserabilis cuiusdam fabri lignarii, catholici filium, mortuum aliter sepelire non per-
 misit, nisi firmiter promiserint catholici, quod neminem in posterum catholicum ibi-
 dem sepelire curabunt. Consimiliter etiam in oppido Kapuuár vsu campanae catholi-
 cos prohibuerunt; tandem in Thaboth possessione quoque eiusdem domini comitis,
 contra restitutionales dominorum exmissorum commissariorum, propria solummodo
 auctoritate, Aug. conf. rustici matrem ecclesiam ibidem existentem occuparunt. In
 Comitatu Moson. In oppido Leben, in festo S. Jacobi, in catholicum iuuenem
 cum eiusdem loci ministro, anno superiore disputantem, Aug. conf. homines irruer-
 unt, ac licet idem minister publice clamauerit, nullam sibi iniuriam, aut molestiam
 fuisse per iuuenem illatam; nihilominus contra omne fas et aequum, ex mero odio
 religionis, eundem interemerunt. In Comitatu Jaurinensi: In possessione
 Eöteuin. templum, neque inter nonaginta templa insertum, neque per commissarios
 a catholicis ademtum, per Aug. conf. rusticos, priuata duntaxat autoritate, in prae-
 iudicium catholicorum, ibidem existentium sibimet vsurpatum, et parochus violent-
 ter exturbatus existeret. In Comitatu Posen: In ciuitate Posen. habetur capella
 S. Catharinae, quam semper a memoria hominum catholici Posenienses possederunt,
 et temporibus rogationum ac pro festo S. Catharinae, sacra et conciones ritu catho-
 lico fuerunt ibi peracta; iam vero Aug. conf. Posenienses, vt exercitium catholicum
 impediatur, eiusdem capellae pertinentias ciuibus Posen diuidendo abalienarunt, ipsam
 vero capellam catholicis, quorum interesset, satis ruinatam haud permetterent. Ho-
 spitale S. Ladislai in suburbio ciuitatis Posen. ante tumultum quidem Bethleemicum,
 catholicorum, in quo capellani germanici maioris ecclesiae S. Martini diebus domini-
 cis et festiuis, sacra peragere, ac post eundem tumultum ciues Posen. sibimet vsur-
 parunt, incoluntque de facto mendici Aug. conf.; catholici autem mendici rarius ac-
 cipiuntur, ac pauci quandoque recepti, diuinis officiis destituuntur. Parochia etiam et
 schola in possessione Vizkelet, per catholicos, tam ante, quam sub disturbio possessa,
 sub proxime praeterita diaeta, per dominos exmissos commissarios, contra formam
 instructionis eorum, catholicis ademta est, et Aug. conf. incolis assignata; in praeiu-
 dicio catholicorum. Ex capella in possessione Hegy, quae alias nunquam ab Aug.
 conf. hominibus possessa, neque inter nonaginta templa comprehensa fuisse, clare

dignoscitur; non ita pridem Aug. conf. incolae catholicos, cum praeiudicio iurium et derogamine liberi religionis exercitii, exturbauerunt. Proinde peterent catholici in possessionibus Hegy, Kossolt, et Vizkelet commorantes, et ad numerum trecentarium se extendentes, sibi praedictam capellam, stante adhuc diaeta restitui, cum terris et pratis, a fundatione ad eandem pertinentibus, nunc tamen prae manibus incolarum Kossolt, Vizkelet, et Hegy diuisim habitis. Anno 1647. mense Junio, incolae oppidi Szencziensis, Aug. conf. inconsulto parochio catholico et campanatore, tumultuarii et armis infesti, coemeterium adierunt; campanas pulsarunt, scholae magistrum e coemeterio extractum, grauiusque percussum, domum repuletunt; neque hac insolentia contenti, parochum catholicum, sedandi tumultus gratia coemeterium ingressum, in brachio sinistro, eodem in coemeterio grauius vulneratum, lignis lapidibusque petatum, ni se subduxisset, procul dubio interimendum. Anno 1648. mense Decembri oppidi Cseklésiensis incolae, similiter Aug. conf. tecto domus parochialis ignem supponentes, parochum nihil mali suspicantem, adeo firmis occluserunt repagulis, vt concepta flamma, nullus ei patuisset exitus, adissetque vitae periculum, nisi catholicus quidam mane ad rorate pergens, et fumigantem parochiam praeter solitum operiens, parochum adisset, amboque deinde ardentem prunas detexissent. In Comitatu Comaromiensi: His non ita pridem elapsis diebus sacerdos in oppido Comaromiensi, visitans quemdam infirmum catholicum, in domo eiusdem infirmi, grauissimis et iniuriosissimis verbis per nobilem Georgium Fürst, affectus est, mere ex odio religionis catholicae, et nisi quidam obstissent, vltra iniuriosa verba ad inuasionem quoque progressus fuisset. In Comitatu Nitriensi: Summopere conqueruntur etiam catholici, et vel maxime status ecclesiasticus; super enormi facto proximis feriis paschalibus in villa Ludan patrato: vbi cum catholici, more suo et ritu ordinario processionem instituissent, irruentes in eandem nonnulli ex seruitoribus D. D. Ostrosics, Aug. conf. personas ad saltum (in odium et ludibrium catholicae religionis) rapuerunt; et in publico inuitis ipsis saltarunt; in alios autem vsque adeo grassati fuerunt, vt ex illis quibusdam in ipso etiam templo contumeliose inflictis vulneribus, ac cathedram, altare, ac mappas sanguine conspersas, polluere, ac profanare non reformidauerint, in maximum et graue praeiudicium exercitii catholici et immunitatum rerum ecclesiasticarum. Quare vt istius modi sacrilegia et enormes actus impuniti non maneant, et in exemplum aliorum similia patrare non verentium, debita animaduersio sub hac praesenti diaeta fiat; peremptorie in praesentiam SS. et OO. regni citentur, et debita poena mox et de facto puniantur. In possessione Litzno, ad dominium Beczkouiense spectante, Emericum Lutsani, sacerdotem catholicum, in strato suo quiescentem, de nocte, nulla per eum data causa, Augustanae confessionis homines crudelissime vulnerarunt, et tandem miserabiliter interemerunt. Conqueritur etiam familia Dominorum Nobilium Fardi, omnes catholici, quod licet medietatem arcis et bonorum Berentz, ad eundem pertinentium aequae cum familia dominorum Nyári participant, et suas etiam residentias in oppidis Szencze, et Szobotizza plerique eorundem habeant, nullum tamen ex alterutro oppidi templis hucusque

possidere potuerunt. Postulant itaque vt in Szenicze templum pro exercitio dominorum catholicorum permittatur et rusticis, sicut et Nobilibus Augustanae confessionis ibidem morantibus locus assignetur, relicto templo suo pro familia Nyari in Szobolice; locus tamen ibidem quoque similiter rusticis catholicis et aliis possessoribus, et nobilibus pro exercitio eorundem assignetur. Hoc etiam praefati Domini et Nobiles, possessores nimirum integrae medietatis arcis, et honorum Berencz, vt sunt Illustrissimus Dominus Gabriel Erdödy, et Magnifici Gabriel et Franciscus Horeczky, Joannes Amade; Georgius, Emericus, Gaspar et Joannes Maytini; Sigmundus Horváth; Elisabeth Eszterházy de Galantha; generosi item Michaël Mayteni, Andreas Kerekes, Franciscus Nagy Mihály, Dauid Bessani, et Dauid Henricus Szopek, omnes catholici, maximo cum cordis dolore, personarum postpositione, et vilipendio contra praerogatiuam et aequalitatem iuris haereditarii sentiunt, quod Magn. Dominus Ludovicus Nyáry, ius patronatus ecclesiarum, praefatorum oppidorum Szabolitsa, et Szenicse, xenodochii, parochiarum, scholarum, exclusis ipsis, proprio ausu sibi vendicet; xenodochii prouentus contra mentem testamenti acquiritoris, et dispositionem, praefatae arcis et honorum distrahat, dominium et directionem circa praemissa, sibi cum contemptu praefatorum vendicet, vt et in scholasticos effrenes, noctiuagos, homicidas, et quosdam sicarios; si quid lethale, vel cruentum commiserint, laesis, ne dominis eorum catholicis iniurias detegant, imponit, iudicatumque super talibus malefactoribus sibi ipsi, despotica quadam autoritate, praemissis dominis et nobilibus, aequalibus proprietariis neglectis, vendicat et attribuit. Vnde etiam emergit, quod in xenodochium, sibi ipsis cum eodem D. Nyáry commune, in vilipendium totius status catholici; eorundem religionis mendici non admittuntur. Sed nec parochi praefatorum oppidorum euangelici, aliquando ratione iniuriarum forte sibi illatarum, eosdem requirunt; imo licet plurimi eorum in praedictis oppidis, domos, residencias habeant; et caeteri quoque saepius in anno illuc conueniant, nunquam tamen in recognitionem domini patronatus, et submissionis eosdem, etiam inuitati, vel saltem salutatum adeunt. Postulant itaque, vt in praemissis omnibus, aequalitas per II. SS. et OO. praefatis dominis ac nobilibus articulariter declaretur. In Comitatu Barsiensi: Palam est, in quali loco indecenti, obscuroque domuncula ac incapaci angulo, in regia et montana ciuitate Kremniczensi, exercitium catholicorum peragatur; cui succurrere volens Ill. ac RR. D. Archiepiscopus Strigoniensis, zelo et officio suo pastorali motus, certam domum ibidem, accedente benigna Suae Maiestatis auctoritate, et priuilegio, pro exercitio catholico, non contempneudis expensis comparasset; ciuitas tamen Kremniczensis in huiusmodi domus coemptae dominio, priuata auctoritate turbaret, et impediret; sicque catholicos in odium religionis, ista oportunitate ac commoditate priuare niteretur. Cupiunt catholici, vt domus eadem, in praemissum finem ordinata, prae manibus eorundem conseruetur, ciuesque ab huiusmodi inferendis violentiis coërceantur, etiam cum poena articulariter illis infligenda. Oppidani Marotienses, Aug. conf. campanarum vsum, ac ad exercitium religionis catholicae deputatas domos, parochi interdiciunt. In pago Hitzer, catholicum paro-

chum, praedicans eiusdem loci, concitata multitudine, e pago exturbavit; grauius ipsum tractaturus, nisi Emericus Bottlik, miles Ujváriensis, obstitisset. Praedicans Marotiensis minatur Marotiensibus et Hirceriensibus catholicis, negationem in coemeterio vsus sepulturae. Si ad ecclesiam catholicam Kis Apacziensem, religionis exercitii causa, proficiscantur; Sicut et parochus Apaciensis ne a concionibus abstineat, mortem minatur. Licet praescripti Marotienses et Hircerienses parochum catholicum habeant, ab eoque sacramentum percipiant; nihilominus praedicanti quoque totam solutionem soluere coguntur, contra articulos proxime praeteritae diaetae superinde conditos. In possessione Nagy Lehota, in bonis Ladislai Rakóczy, templum per Aug. conf. homines occupatum est: licet in numero nonaginta templorum non fuerit insertum. In oppido Szarnocza, Vicecomes comitatus eiusdem, prouentus quosdam dominorum terrestrium ademit, et pro sustentatione ministri Aug. conf. in praeiudicium graue eorumdem dominorum adiudicauit. In Comitatu Thuroczensi: Etsi in nupera diaeta, omnia templa in bonis familiae de Reva existentia, praeter vnicum Pellense; catholicis sint erepta; nihilominus illius quoque templi, parochiaeque quartam et terras, cum censu, minister loci adimere ac pro se vi et potentia mediante, usurpare praesumpsit, in graue damnum ac praeiudicium catholicorum valde magnum. In Comitatu Aruensi: Non sine compassionis christianae sensu commemoratur status miserae plebis huius comitatus, in quo cum millia catholicorum reperiantur, et pagi integri, vbi nullus, aut vix aliquis alterius religionis habeatur, nullum tamen catholicum sacerdotem intertenere permittuntur; quin imo obtentum e Polonia ad sacramenta administranda sacerdotem, castellanus arcis Aruensis, multis vituperiis, variis minis, etiam mortis, retrocedere coëgit. Archidiaconum vero visitantem (quod eiusdem iurisdictionis suae catholici, in eodem districtu, in hospicium receperint) idem officialis, eosdam graui multa oneravit, Archidiacono verbera et alias iniurias comminatus, vt iam quasi ex regno Hungariae eliminato cultu catholico, vel ad exercitia religioni ipsorum contraria accedere, vel vero, in Poloniam extra regnum, causa iuandarum animarum, proficisci cogantur: cum indicibili status catholici despectu, maxime vero spiritualium. In comitatu Nogradensi: Anno 1647. Aug. conf. incolae, possessionis Maskfalua, templum catholicorum, cum duabus filiabus Lehota, et Praga, ab annis iam 34. per catholicos tentum, occuparunt. In comitatu Scepusiensi: In summum derogamen liberi exercitii religionis catholicorum, illud quoque est, quod catholicis non permittatur vsus templi Pongráczfaluensis, cum tamen omnes incolae loci, sint catholici, et nec illud aliquando Aug. conf. ministros possedissee probetur, neque inter 90 templa recenseatur. Templum catholicorum Kronpachiense, in nupera diaeta, inter templa nouaginta, Aug. confessioni cessa, est insertum; supplicant catholici, dicti pagi, vt vel illud templum illis restituatur, vel commodus locus iis pro structura templi catholici, parochiae, et scholae assignetur, cum exemptione. In Körtveles quoque, licet omnes incolae sint catholici, et insuper templum sit catholicum, parochiam tamen, vt et potentia mediante, tenet nobilis Chrystophorus Feökö, Lutheranus. Praeiudiciosum et illud catholicis videri, quod in

ciuitate Leucsoviensi, nullum exercitium diuinum pro ipsis haberetur, cum monasterium intra ipsam ciuitatem, ad calcem moeniorum habitum, sub disturbii Bocskaiensis, fuerit ipsis ademptum. Merito igitur postulant, vt dictum monasterium cum atinentiis iuxta constitutiones praeteritorum annorum iisdem restituatur. In comitatu Saarosensi: Tempore comitiorum proxime praeteritorum, in ciuitate Eperiesiensi, dum pro devotione commissariorum ibi praesentium sacerdos quidam catholicus sacrum celebrasset, exhortationemque fecisset, tota ciuitas facto tumultu, arreptisque aranis, in illum consurrexit, parumque abfuit, quin et ipsum, imo et commissarios tumultuarie, in vitae plane periculum coniecerint, factumque fuisset, nisi sacerdos alio migrando, furori eorum cesseret. Siquis etiam catholicorum in eadem ciuitate moritur, magistratus Aug. conf. ibidem exposcit, vt iudici mors talis denunciatur, sicut et sepultura, quod hactenus neque auditum, neque obseruatum vllibi fuit. Ad colloquium et visitationem autem captiuorum, sacerdotem aut secularem aliquem hominem catholicum, absque praescitu iudicis, non admittunt. Venerabile quoque Sacramentum, non nisi cum praescitu et consensu eiusdem, deferri patiuntur. Liberum erat stante concione ministri Aug. conf. catholicis exire, et ecclesiasticis personis ingredi ciuitatem; nunc autem neque exire ipsis licet, neque sacerdoti intrare. Praeterea, si quis catholicorum in captiuitate detentus, sacerdotem pro confessione sibi postulet, non aliter ei permitteretur, quam vt Augustanus incola penes eundem sacerdotem assistat, ne alii captiui monita salutis habere possint. Et quia in praefata ciuitate Eperies nullum locum haberent catholici pro suae religionis libero exercitio, vt claustrum ibidem existens, ipsis assignaretur, et in posterum a similibus, bonum pacis turbantibus excessibus, et iniuriis abstinerent iisdem ciues, merito postulant et instant catholici. Pariter etiam, vt in ciuitatibus Bartfa et Cibinio, pro templis, scholis et parochiis loca idonea assignentur. In comitatu Abaujvariensi: Tempus Cassouiae, vigore articuli 18. anni 1647. Siquidem nullam effectuationem hucdum sortiri potuit, postulant catholici, vt stante adhuc diaeta, praesertim per commissarios ad id deputandos, et exmittendos, continentis citati articuli satisfiat, et pro loco templi desolatam claustrum Dominicanorum quondam restituatur. Cum vero venerabile capitulum Agriense, una cum inlyti regni expeditionibus, protocollis, archiuo quoque, ex quotidiana Turcarum comminatione, insidiatione, ac terrore Jassouiae, vt in destituto, ac maiori parte exusto, et summo periculo exposito loco, minime subsistere possit ac valeat; ex eo etiam, quod regnicolae ad sua negotia peragenda, fassionesque varias celebrandas, in tam periculosum locum, minime accedere queant; idcirco pro tutiori residentia et expeditionum conseruatione, Cassouiam transferri, necessum est. Neque ad praesens excidere potest catholicis, in summum despectum et vilipensionem liberi exercitii suae religionis, per Cassouienses, cum Joanne quondam Gyóri factum, cui in carcere existenti, SS. Eucharistiam, non aliter administrari est permissum, nisi per fenestram, fracto et eiecto vitreo circulo. Accederet etiam, quod tempore occupationis templi Meczenses, cum minister Aug. conf. ad oppidum Stoops perrexisset, eundem comitantibus aliquot hominibus Aug. conf. occurrit fortuito illis

quidam catholicus, quem dum angariarent, vt eundem ministrum comitaretur; ipso vero recusante ac dicente; nihil sibi esse cum ministro Lutherano, praefati comites eundem Catholicum vulnerarunt, et manum absciderunt. Paramenta quoque ad Sacrificium Missae pertinentia, contra quemdam initum contractum cum catholicis, iisdem August. Confes. Metzenzefenses, magna iniuria catholicorum, de praesenti etiam retinent. Parochiae eiusdem inferioris Meczensef. Catholicus Sacerdos, sub praesenti diaeta, per quemdam hominem A. conf. nulla data causa; grauius est percussus, ac barba et crinibus euulsis, per plateam ad longum spatium tractus, cum graui derogamine ac iniuria intolerabili immunitatis ecclesiasticae. Non aliter quoque tractatus et iniuriatus fuit quidam catholicus, cum sua vxore, ab iisdem incolis inferioris Meczensef Aug. Conf. cum suae religionis partes tueretur idem catholicus; eundem ad publicam plateam protraxerunt; vna cum vxore, et verberibus affectos, semiuiuos reliquerunt. Quam graue sit catholico parochi, in oppido inferioris Mecaensef, ac art. 12. proxime praeteritae diaetae contrarium: quod nimirum medietatem decimae, quam pro intertentione ipsius catholici plebani Domini terrestres ex suo beneplacito olim ordinauerant, et assignauerant; alteram vero medietatem earundem decimarum Praepositus Jaszouiensis, tanquam Dominus terrestris, de facto possidet; tempore tamen assignationis templi ac parochiae ipsius inferioris Meczensef pro Augustanis, decimas quoque ab incolis seu conciuibus et plebe Meczensef prouenientes, quae iuxta eundem articulum 12. Catholico plebano deberentur D. Vice-Comes Comitatus Abaujvár. Aug. Conf. ministro dandas assignasset, contra tenorem articuli superinde conditi. Praeterea: maximo licet conatu, vniuersi SS. et OO. in eo desudauerint, vt miserae plebi liberum religionis exercitium stabileretur, pro comperto tamen habent catholici, nonnullos Vice-Comites esse qui contra omnem voluntatem et requisitionem rusticorum ad inducendos fidei ipsorum contrarios ministros, serio cogent. Vt igitur catholicae plebi sponte, ac libere parochum acceptandi immunitas integra permaneat, et similibus publicam tranquillitatem turbantibus excessibus mature provideatur, ac contra tales certus quoque articulus, cum seueriori aliqua poena infligenda statuatur condignum censent catholici. Grauius sentiunt etiam Catholici, quod vbi in liberis ac regis ciuitatibus, oppidisque priuilegiatis et alibi passim, certos et salutare ob respectus, in dispositionibus testamentariis ad pios vsus, bona et res suas legant; Aug. Conf. ciues, vel ob solum religionis odium, diminutionemque iuris ecclesiastici, licet saepius requisiti, executionem tamen ex officio administrare penitus recusant, quandoque etiam in proprios profanos vsus conuertunt, testarique prohibent, nisi praesentibus per senatum deputatis. Grauius et intolerabile onus in dies patiuntur ex eo etiam catholici, quod licet primario dominis terrestribus competeret tam libertas religionis et exercitium, quam etiam ius patronatus, in propriis eorum fundis, haberentque reale et absolutum dominium, vsque tamen arctantur, vt in propriis etiam residentiis et locis habitationum, suis templis potiri nequeant; verum rustici, in maximum ipsorum praeiudicium possideant. Ac licet in nonnullis locis duo etiam essent templa; nullum tamen haberent ipsimet Domini terrestres, vt in Leuka,

Soliom, et aliis arcibus ac dominiis passim. In oppido etiam, et reliquis pertinentiis Arcis Kabold, licet septem habeantur templa, et Domini terrestres omnes essent catholici, excepto vnico terrestri, qui honorum eorundem decimam duntaxat partem teneret, ne vnicum tamen templum possiderent. Itaque iuris et aequitatis esset, vt in bonis suis dicti domini terrestres, residentias habentes, vbi duo templa forent, vnum pro se occupare possint; vbi vero vnicum templum, pro exstruendo rusticis templo, per Dominos terrestres, locus assignaretur. Maxime vero pro plurimis Dominis terrestribus Kuboldensibus, ex tot templis, et praesertim cum ibidem residentiam haberent, pari numero ex praedictis assignarentur templa. Valde praeiudicium est hoc etiam dominis terrestribus, quod licet articulo 100. Diaetae proxime praeteritae ordinatum fuisset, plebanos Dominis terrestribus pro confirmatione eorundem praesentandos esse; concionatores tamen Helu. et Aug. conf. per rusticos nunquam praesentarentur; licet vna eademque esset libertas praerogatiuae nobilitaris, ac ius quoque patronatus Dominorum terrestrium. Vnde, vt deinceps eorundem quoque praesentatio obseruetur, communis ipsorum libertas dictaret. — Ad extremum autem animaduertunt Catholici, satis multos errores commisisse Dominos commissarios; in proxime praeterita diaeta ad reoccupationem in disturbii occupatorum templorum, et quorundam locorum designationem, exmissos. Et primo quidem occuparant quaedam templa, et Aug. conf. assignarunt, sub eo praetextu, quasi sub disturbii fuissent per catholicos adempta, contra instructionem ipsis per SS, et OO. datam. Secundo occuparant et eisdem assignarant certas matrices ecclesias, sub titulo filialium; praetendentes per nudam simplicem expositionem, easdem fuisse quondam filiales, pertinuisseque ad matrices, sicut et e conuerso. Ita similiter factum est per eosdem commissarios in distractione prouentuum. Quorum praerecensiti et alii similes commissi errores, rectificentur; aequitatis est. Et licet essent adhuc complura catholicorum grauamina, quibus in dies auita religio premitur; illa tamen, ne Maestatem Vestram ampliore difficultatum suarum et querelarum mole fatigent, et pretiosi temporis iacturam faciant, supersedendum existimauerunt. Orantes iterum M. V. demisse, vt quemadmodum Euangelicis, in praeterita diaeta, tot articulis ac legibus prouidere, eorum concessionem munire, dignata est, Catholicam quoque religionem protegere suisque gaudere libertatibus benigne velit; et templa ac loca nobis assignanda, sub praesenti adhuc diaeta, per Status et OO. regni exequenda, clementissime procurare. Anno 1649. — Ex historia Dipl. Euangelicorum fol. 91—97.

Est hoc spiritus Euangelicorum, artis ac technarum, quibus confessionem suam propagarunt, propugnaruntque documentum; est eius, quid cum catholicis, more Suecico. Anglico etc. facturi fuissent, si viribus praenaluissent, indicium; a Turcis sane, maiorem tolerantiam, aequitatem, in negotio religionis, experti sunt, quam ab Euangelicis! — Caeterum haec Catholicorum grauamina, et acatholicorum infestus iugiter insultus, fecerunt, quod Ferdinandus etiam III. ad finem regiminis sui, fidei catholicae propensior, eius praesidia et operarios, capitula, monasteria, S. Jesu viros, et Fratres ordinis Seraphici multiplicauerit, protexeritque: Cf. Fridrich Par. II. pag. 46. 63. etc.

130. *Idem Rex collegium Sacerdotum Agriensium Jaszouia Cassouiam translocat. Anno 1650.*

Fidelitatis, Seruitutisque meae demissae in gratiam maiestatis V. SS. humillimam subiectionem. Mandare mihi benigne SS. maiestas V. dignata est, vt pro exercitio religionis catholicae Sanctuarium cum Sacristia monasterii, ante hac religiosorum patrum Franciscanorum, in hac ciuitate Cassouiensi fundati, sed post decessum eorum pro vsibus armamentarii suarum Maiestatum applicati, simul etiam turrim cum spatio terrae, pro coemeterio occupando, ven. Capitulo Ecclesiae Agrien. assignarem Volens itaque clementi M. V. SS. mandato, vti par est et decuit, humillime obtemperare eique satisfacere die 29. iam elabentis mensis Aprilis, cum delectis personis ecclesiasticis, principalioribus, praelibati capituli Agriensis, in domum armamentariam, ad locum nimirum supra scriptum, ingressus sum, ibidemque in praesentia certorum M. Vestrae officialium, perfecta primum benignissima M. V. SSmae resolutione ac mandato, dictum Sanctuarium cum Sacristia et turri supereminente, memorato Capitulo Agriensi realitater per manus tradidi; et assignaui. Similiter etiam certam particulam terrae a reliqua, pro armamentario relicta, segregatam proque coemeterio sufficientem excindi curau; tormentis nihilominus et aliis munitionibus exinde amotis, et in anteriorem partem eiusdem ecclesiae collocatis. Simul etiam instrumentis ignitis, quae in sacristia habebantur reposita, in locum idoneum translatis, hacquè ratione, Deo iuuante, idem Capitulum Agriense dicta loca illico apprehendit, et recepit; nemine contradicente; gratis pro tanta Maiestatis V. SSmae erga ipsum Capitulum, et religionem Catholicam affectione, et benigna collatione per DD. capitulares praesentes, actis. Quod ipsum Maiestati V. SS. relationis instar, quam humillime significare debui, eandem M. V. SS. diutissime saluam et incolumam, felicissimeque florentem, et imperantem conseruare, diuina bonitas dignetur. Cassouiae I. Maii A. 1650. M. V. SS. humillimus, fidelis, et perpetuus seruitor, Emericus Mosdosy.“ Apud Schmitth. Epp. Agr. tomo III. p. 253.

Eodem anno scholis item a Benedicto Kisdý, Praesule Agriensi fundatis, et S. Jesu commissis, initium Cassouiae datum; quod mox mense Junio, opera regni Palatini, Pauli Pálffy, Fratrum seraphicorum in desolatam quamdam sacram domum illocatio est subsequuta. Hac Palatini pietate, ac sollicitatione Rex in montanis praesertim vrbibus plura religionis Catholicae praesidia introduxit. Tum ad Regis exemplum etiam Episcopi, et Magnates regni multiplicarunt, Jesuitarum praesertim, collegia.

131. *Idem Rex ad cultum religionis catholicae promouendum cooperantibus FF. Seraphicis, Cassouiae, subsidium hebdomadale deputat. A. 1650.*

Ferdinandus — Posteaquam certa relatione informamur religiosos FF. Franciscanos, in ciuitatem nostram Cassouiensem introductos, notabili animarum fructu, concionibus et vitae bonae exemplo, gregem Dominicum propagare, ipsosque catholicos ad amplexum religionis catholicae allicere; illud tamen flagrans ipsorum studium eo nonnihil impediri, quod condigna virtus prouisione destituitur: quapropter

fidelitibus vestris elementer et serio committimus, eam primo quoque tempore penes administrationem prouentuum nostrorum, in partibus regni superioribus facere velitis, et debeatis ordinationem, vt memoratis fratribus pro commodiori sui sustentatione hebdomadatim sesqui alter florenus Hungaricus ex prouentibus nostris eleemosynae loco infallibiliter pendatur et administretur. — Datum in ciuitate nostra Viennae die XIII. Jan. 1651. — Apud Fridrich. P. II. pag. 47.

132. *Idem Rex in patrociniū Sociorum Jesu binas iustificatorias, in Transilvania obtentas, transcribit. A. 1652.*

Nos Ferdinandus — damus pro memoria, quod fidelis noster, nobis sincere dilectus, RR. in Ch. P. D. Georgius Lippai, de Zombor, — coram personali nostra praesentia praesentauit binas litteras: vnas quidem illustrissimi quondam Principis Transilvaniae, Sigismundi Báthory, in simplici papyro emanatas, manusque eiusdem subscriptione ac sigillo roboratas; alteras autem nonnullorum ordinum Transilvaniae, sigillisque ac manuum subscriptionibus ipsorum communitas; super eo videlicet: quod religiosi Patres S. J. ex suis collegiis et bonis, in Transilvania habitis, non ob vllum delictum, verum ad instantiam, Romanae et Catholicae fidei contrariam opinionem sequentium, sint deturbati et exclusi; et in alia loca demigrare coacti; petens nos debita cum instantia, quatenus illas literas de verbo ad verbum transumi, illasque in transumtis litterarum nostrarum eidem dare et concedere dignaremur. (Sequuntur litterae, quas ad annum 1607. exhibuimus). Quas quidem binas literas de verbo ad verbum, sine dimmutione et augmento aliquali, transcribi et transumi, praesentibusque literis nostris inseri et inscribi facientes, eidem Archiepiscopo Strigoniensi duximus concedendas. — Datum in ciuitate nostra Poson. feria 5. proxima post festum Pentecostes anno 1625. — Apud Schmitth l. c. p. III. p. 226.

133. *Idem Rex comperta Jesuitarum in Transilvania persecutione, causa eorum ad Principem Transilvaniae Rákocziū scribit. A. 1652.*

— Non sine resensu intelleximus, Serenitatem Vestram eius esse intentionis, vt religiosos Patres S. J. ex Transilvania, adeoque ditione sua, exturbet et eiiciat. Quum autem nos dictos patres singulos fauore et affectu prosequamur, eorumque patrociniū atque protectionem benigne et vbique suscepimus; praeterire non potuimus, quin S. Vestram requireremus, eandemque hortaremur, ac ab eadem postularemus, ne dictos patres impediatur; sed, vti hactenus, ita deinceps quiete manere, suoque officio et vocatione fungi, permittere velit; quum et alioquin S. V. parens non modo eos pacifice manere, passus est, verum etiam non obscuris beneuolentiae signis, prosecutus fuerit; et licet aliquando, ab aliis persuasus ad turbandum eos inclinaret; nihilominus ad similem caesaream requisitionem acquieuerit omnino, seseque accomodauerit. Et quidem non solum parens serenitatis vestrae, sed caeteri quoque ante ipsum, eius religionis principes, Gabriel Bethlen, Gabriel Bathori, alii-

que eosdem minime arduerint, aut impediuerint, quo minus locum suum tenerent, vocationeque sua fungerentur. Neque expedit, vt S. V. singularem vel etiam maiorem erga eos alienationem ostendat, suisque antecessoribus acerbius contra eos agat, in considerationem assumpto eo: quo nimirum animo laturi simus nos eiectionem; neque consultum est, Eos disgustare, quorum fauore et protectione, maxime in casu hostilitatis, a Turcis inferendae, carere non possit; praesertim quum nos S. vestram vna cum sua domo in peculiarem nostrum fauorem et protectionem suscepimus; nosque iam antea benigne declarauerimus, neque sperauerimus futurum, vt S. V. hanc erga antelatos PP. Societatis alienationem animi ostenderet, praesertim, quod et Turcae, naturales Christiani nominis hostes, Constantinopoli et vbique eos retineant; similiter et Persae. Demum huiusmodi amotio toties factorum patrum haud quam fieri potest sine praeiudicio et laesione Catholicae religionis, cui vt et aliis tolerantis religionibus imponi aut praescribi nequit, quales ipsi ministros et magistros pro exercenda sua religione tenere debeant. Quum vero non minus in Transilvania, quam in Hungaria, libertas sit, praesertim catholicae auitae religionis, turbandi ac molestandi non sunt. Neque Catholici soli ad tenendum certos duntaxat sacerdotes limitari queunt; quemadmodum nec nos in ditione regni nostri Hungariae Helueticis imponere, cuius sortis ministros habere et tenere debeant. Quibus aliisque magni sane momenti rationibus bene perpensis, et ponderatis, benigne S. Vestram requirimus et hortamur, ab eaque impense desideramus, et postulamus, vt sepositis huiusmodi cogitationibus et intentionibus parentis sui laudabilibus vestigiis insistere ac toties fatos patres nullatenus loco suo mouere, aut eos Transilvaniae ditione exturbare conetur. Confidimus autem, hanc interuentionem nostram, eum locum ac pondus apud S. V. habituram, vt potius conceptam nostram de ipso spem et effectum semper augere, et crescere velit, ac studeat, quam talibus nouitatibus, praesertim religioni praeiudiciosis, frigidiorum reddere, et debilitare. Cui in reliquo firmam valetudinem et prospera quaeque comprocamur. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die 28. mensis Febr. 1652. Apud Kazium. l. c. p. 214.

Similiter consuluit etiam Rákotzio Casimirus Poloniae Rex; sed pariter apud ferocem, odioque religionis inflammatum hominem, profecit nihil. — Sed et Catholici Status nihil non egerunt, vt eadem Societas in Hungaria stabiliretur: ast huius ob ardua rerum adiuncta, pro optima sua voluntate, Rex modum non vidit; sed promisit, interimque illam tutandam Veselinio Palatino commendauit. Anno 1655. Apud Kazy l. c. p. 123. et 124. Idem Ferdinandus III. curam habuit Episcopatus etiam Segniensis, quum Petrum Mariani Episcopum, datis literis, per Nicolaum Zrinyi, Banum, aduersus perturbatores iurisdictionis episcopalis, raptoresque honorum ecclesiasticorum protegi iussit. Anno 1652. Apud Katona Hist. Crit. Tomo XXXII. p. 710.

134. *Articuli sub Ferdinando III. causa Religionis catholicae statuti. A. 1637—1657.*

Decreti I. Poson. Anno 1638. Art. 31. „Non absque aliquo causantium abusu animaduenterunt fieri Status et Ordines, quod nonnulli ex regnicolis, etiam in partibus regni superioribus degentes, per alios similiter regnicolas, obtentis Ordinatio-

rum indultis, per multas importunas sollicitationes, vsque ad forum Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis, in litem pro prima instantia attrahuntur; quorum causantium abusui, relegatione in posterum causarum ad forum primæ instantiæ ita, vt illinc fiat ad superiorem sedem, per viam appellationis earumdem causarum prouocatio, obuiandum esse censetur: quæ autem in processu essent, manéant iuxta eandem. Declinatoriis quoque Iudicum Regni Ordinariorum mandatis in omnibus causis (matrimonialibus solum exceptis) iuxta art. 70. Anni 1618. et XIII. anni 1630. locus detur. Capitula porro et conuentus, Iudices etiam Comitatus iuxta art. 74. anni 1609. paragraphum ante penultimum, de pecuniis, tanquam ad fideles manus depositis, vigesima saltem, idque semel pro semper, sint contenti. Idemque articuli prout et alii duo immediate antecedentes, 72. et 73. super taxis literarum emanati inuiolabiliter obseruentur: vtque etiam testamentis quorumcunque decedentium non nisi cum solemnitatibus consuetis emanatis, et emanandis locus detur. Art. 36. Controuersiæ, inter Venerabile capitulum Strigoniense ab vna, et ciuitatem Tyrnauensem partibus altera, ratione certæ cuiusdam concessionis a Ferdinando I. J. et R. Hungariæ promotione certarum domorum in eadem ciuitate — complanatae. — Art. 57. „Ne personæ Ecclesiasticæ et Nobiles, in confinio domus habentes, condescensionibus militum aggrauentur ad art. 46. et de executionibus iudicialibus in confiniis non impediendis.“

Dereti II. Posen. anno 1647. Art. 11. De solutionibus: prout Euangelici Status Catholicis Plebanis, ita et Status Catholici Euangelicis ministris ad nullas solutiones pendendas sint obligati. Prouentus porro Ecclesiæ Vnguariensis pacifice ab Euangelicis possideantur.“ Art. 12. „Quantum ad solutiones miseræ plebis: Vbicunque aliqui Parochiarum vel templorum prouentus (quos videlicet Plebani catholici pro sustentatione ipsorum perciperent) habentur; puta coloni, inquilini, molendina, terræ prata vel id genus alia; in talibus locis euangelici ad nullam solutionem cogantur, verum plebanus illius loci contentus sit huiusmodi prouentu parochiali, et auditorum suorum Catholicorum solutione, sicut et ministri euangelici in locis parochiarum eorundem. Vbi vero parochias non haberent auditores euangelici, solutionem pendant suæ religionis ministris, cuius videlicet ministerio seu opera vsi fuerint, sicut et Catholici parochis catholicis. Vbi autem hactenus Auditores Euangelici non soluissent Parochis catholicis, imposterum etiam ad nullas solutiones præstandas vlllo sub prætextu cogantur; prouti nec catholici Euangelicis. Quibus vero in locis nulli plane prouentus parochiarum haberentur, verum plebani ex solutionibus duntaxat personalibus, seu sessionalibus sustentationes habuissent; vt in eiusmodi locis pro bono pacis deinceps, tales per catholicos et euangelicos incolas præstandæ solutiones per iudices locorum talium exigendæ in duas rectas, et coæquales partes diuidantur, earumque vna parochio catholico, altera autem euangelico ministro eius, vel alterius loci, cuius videlicet ministerio vsi fuerint, absque defectu aliquo assignentur. Stolares autem prouentus seu solutiones, in quibusuis locis Plebani catholici et ministri Euangelici a suæ religionis auditoribus totaliter percipiant.“ Art. 15. Decernunt etiam Sta-

tus et Ordines Regni, vt causae testamentariae factum bonorum mobilium et immobilium, debitorum, et aliorum similium negociorum concernentes, in foro saeculari ventilentur, et diiudicentur iuxta titulum 52. Part. 2-dae Tripart. Salua duntaxat reuisione solemnitate testamenti, penes forum spirituale remanente. Fulminatoris vero mandata contra Iudices saeculares in officiis procedentes expediri, iisdemque legitimi processus nullo modo in posterum impediri possint et expedita nullius sint vigoris. De mandatis porro declinatoriis strictissime obseruetur art. 70. an. 1618. et 31. anni 1608. quibus extra solas causas matrimoniales sub amissione beneficiorum, locus detur. Quae ex superbundanti cum euocatione, Iudices regni ordinarii, eorumque Magistri Protonotarii ad instantiam partium, ex debito officii ipsorum extradare sint obligati. Euangelicis vero de vigore articuli anno 1608. ante coronationem. ad Primum, editi in Matrimonialibus in vsu consueto permanentibus. Art. 16. „Persona Ecclesiastica contra saecularem, et e conuerso secularis contra ecclesiasticam in omnibus causis aequali poenae, ac grauamini subiacet eiusdem decreti Tripart. Part. 2-a Tit. 44.“ Art. 95. De decimis, earumque arendis renouantur ad obseruandam annorum 1548. art. 61. 1609. art. 18. hoc tamen declarato, vt pretium consuetum ac limitatum decimarum maneat in eo statu, in quo nunc est, et nequaquam in posterum eleuare liceat.“ Art. 98. „In collationibus beneficiorum ecclesiasticorum renouatur Vladislai Dec. III. art. 56. Vladisl. VI. art. 13. Vladisl. VII. art. 59.“ — Non prouisorum Praelatorum, praesertim Domini cancellarii, in aula Suae Maiestatis occupati, condigna habeatur ratio.“ — Art. 100. „De praesentatione ac confirmatione Piebanorum, renouatur et confirmatur art. 26. anni 1504.“ Art. 120. „Status et Ordines Regni Capitularium etiam libertatem a nemine violandam esse cupiunt. — Art. 114. „Articulus 70. anni 1563. constitutionum Posenien. pro parte Nobilium et Ecclesiasticorum in praesenti diaeta conquerentium renouatur.“

Decreti III. Posen. anno 1649. Art. 24. „Quum non leuem abusum in decimatione vini, et applicatione baculi, decimatorumque ad recte ac iuste mensurandum non admissione, in liberis ac regijs Ciuitatibus Poseniensi, Szentgyörgyensi et Bazinensi contra art. 24. anni 1635. Dominus Archiepiscopus magno suo et arendatorum damno, committi solere queratur; eapropter art. citatum hoc loco declarant et ulterius addunt, et decernunt Status et Ordines, vt memoratae ciuitates in praemissa decimatione et decimatorum ad recte mensurandum admissione, modo et ordine in alijs liberis et Regijs ciuitatibus obseruari solito, sese accomodare debeant, et teneantur.“

Decreti IV. Posen. Anno 1566. Art. 46. „Statuunt regnicolae, vt testamentariae dispositiones Nobilium possessionatorum, de haereditatibus ciuilibus, non solum coram senatoribus liberarum ciuitatum aut oppidorum priuilegiatorum, sed etiam capitularibus et alijs authenticis vel sufficientibus personis confectae, suum vigorem et robur habeant. Nobiles vero im possessionati, vel suspectae nobilitatis, nihilque penitus bonorum in comitatibus habentes, extra casum necessitatis, coram Magistratu vel ciuilibus personis testamenta sua condere obligentur.“

Aatholicorum circa liberum religionis exercitum vis et insolentia, sub Ferdinando III. in Hungaria, sub Georgio ac Francisco Rákóczy, in Transilvania excessit maxime; Ferdinando IV. anno 1654. e variolis extincto, electionem Leopoldi principis, licet alter non fuerit, a XXIV. Januarii vsque XXVII. Junii nouis querelis, peruiaciter remorati sunt. In Transilvania Georgium Rákóczy religione duntaxat catholica in Calvinianam mutata, filium vero eius non nisi paterna obseruata, ad principatum admiserunt. Joannem Pál-faluaium, Episcopum nominatum in Transiluaniam non admiserunt; Jesuitas denuo proscripserunt, seu potius in veste rusticana latitare coegerunt. Ministri Calviniani prophetizarunt; Vnus: anno necdum circum acto, Romae se concionaturum praedicebat; alter Francisco Rákóczy, felicem successum in obtinendo Poloniae regno, vaticinatus. Sed erant hi pseudoprophetae non Spiritu S., sed ambitioso, agitati. A. Katona Hist. crit. tomo XXXII. p. 789—890.

135. *Conditiones, quibus Ferdinandus IV. ante coronationem in negotio religionis subscribere debuit, ast patri Ferdinando III. praemortuus. A. 1647.*

Nos Ferdinandus IV. — electus Rex Hungariae etc. Conditio prima: Quod vniuersas et singulas regni libertates, immunitates, priuilegia, statuta, iura, et consuetudines, simul et conclusionem tractatus Viennensis, omnesque articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post coronationem Mathiae II. Felicis reminscentiae in annis 1608. 1609. item defuncti beatissimae recordationis Domini Ferdinandi II. 1622. 1625. et aliis annis editos, nec non modernae etiam imperatoriae, regiaeque Maiestatis conclusionem, noui tractatus et pacificationis Linciensis, omnesque articulos ibidem specificatos, simul et constitutiones regni anni praesentis 1647. in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sua Maiestas similiter et sancte obseruabit, per aliosque omnes inuiolabiliter obseruari faciet. — Sexta conditio: Quod religionis negocium inter omnes status et ordines regni, in suis et fisci bonis, item in confiniis quoque regni Hungariae militibus Hungaris propter regni tranquillioerem permutationem, iuxta constitutionem Viennensem et articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illaesum, et illibatum, ita videlicet vt religionis negotium tam Baronibus, Magnatibus, et Nobilibus, quam etiam liberis ciuitatibus, vniuersisque statibus ac ordinibus in suis ac fisci bonis, item in confiniis regni Hungariae, nec non oppidis et villis illud sponte ac libere acceptare volentibus, vbique liberum relinquatur, nec quisquam, cuiuscumque status et conditionis existens, in libero eiusdem vsu ac exercitio religionis a sua Maiestate, et aliis quibusuis dominis terrestribus, quouis modo aut aut quouis sub praetextu, turbetur, aut impediatur. — Datum in arce Poson. die XIV. Mensis Junii. Anno 1647. E corp. iuris.

Spectatis praemissis, risum teneatis Amici! quum Joannes Okolicsányi, Diplomatarii Evangelici auctor folio 5. non erubescit dicere: „Tantum ergo abest, vt dici possit, quod nonnulli subinde causantur, religionem euangelicam vi aliqua externa, — tumultibus, vel etiam largitionibus, aliisque illecebris, diuitiarum, honorum, et munerum — aut potentia praeualente, introductam esse in Transiluaniam totamque Hungariam; vt potius, mirum dictu, quanta cum auaritate, zelo et desiderio plurima pars incolarum eam anhelauerit, suspirauerit, et auditis praedicatoribus verbi diuini, protinus interiori animo conuicta, cum maximo, et incredibili gau-

dio cordis, intrinsecumque solatium conscientiae, ac tranquillitatem inde impense percipiens, in hanc doctrinam, spontaneae, pronoque impetu ruerit, eamque arctissime complexa fuerit.“ — An enim vis externa abfuit: dum bonorum ecclesiasticorum occupatores, aut vsurpatores, parochis catholicis pulsus, templis occupatis, nouitiae doctrinae ministros audire coegerunt? Non audientes a magistratibus, muneribus, honoribus, coetibus, sunt exclusi; dum e Transilvania Episcopus, religionisque zelosi ac docti operarii, Jesuitae, eliminati? Ignorare ne nos iubet, quomodo Jeannes Sigismundus, initio Lutherianus, tum Caluinianus, demum Arianus, consilio Blandratae, contra Siculos catholicos anno 1559. exercitum mouit; ab afflicto populo in massa insurgente, fugatus; latereque, Stephanum Bocskaium, ac Gabrielem Bethlen — contra praeceptum Christi, religionem armis, vi, igne ac ferro imposuisse ac propagasse, catholicis expulatis, exustis, ad triginta millia, Turcis et Tartaris in seruitutem venundatis. — Quam non conuictione animi, sed libertatis, ac licentiae, a decimis, auriculari confessione, ieiunio, votis, disciplinaque immunitatis, illecebris perlecti, peruersique fuerint Transilvani, liquet ex eo: postquam a Sigismundo Báthori, principe, reuocati denuo Jesuitae, gregatim, vicatimque illis occurrerunt: Genuina conuictio tam desultoria non est; dissentientesque, ac horum praecones conuicti sustinent; Transilvani et Hungari heterodoxi Jesuitas ob insoporatas conscientias excitatas, horruerunt, insectati sunt, horrentque, et insectantur hodiernum in diem! — Quam arcte complexi fuerint tam Transilvani, quam Hungari heterodoxam doctrinam, euidentis est inde: quod vbicumque Jesuitae, Fratresque Seraphici pedem figere poterant, in gremium matris ecclesiae ex toto vel ex parte reuersi sunt. Religionem arcte complexi, ipsam adeo persecutionis probam sustinent, quin ad arma, haec Heterodoxorum praesidia, prorumpant. — A catholicorum nostratium in scribendis Historiis hic est naenus: quod 1) Fontes excutere, 2) Scriptores etiam catholicos audire, 3) Sanam crism adhibere, sicut sacram crucem, et aquam benedictam horreant.

136. Georgius Lippay Archiepiscopus Strigoniensis, commendatis societatis Jesu de educatione inuentus patriae, ac de religione catholica meritis, eadem in Synodo nationali, pro vero cleri Hungarici membro agnitam, attestatur. Datum Tyrnaviae. Anno 1648. Kaprinay MSS. Sub B. tomo 58. nro 34. p. 156.

Idem Lippay Archiepiscopus Strigon. Petrum Parthenium vnum e 400 Presbiteris, a schismate ad vnionem reuersis, episcopum Munkácsiensem electum, ast ab episcopis schismaticis consecratum, auctoritate pontificia confirmatum instituit. Anno 1655.

Nos, Georgius Lippay, Archiepiscopus Strigoniensis etc. Notum facimus praesentes, quibus expedit vniuersis, quod cum ante aliquot annorum decursum plures ex sacerdotibus Ruthenis, Schismaticis, habitantibus in hoc regno Hungariae, signanter autem in comitatibus Scepus, Sáros, Zemplin, de Vngh et Szabolch, Sanctae Romanae Ecclesiae catholicae vnionem amplexi fuissent, seque pro eadem vnione propemodum quadringenti, e praedictis sacerdotibus subscripsissent, inter quos enituit frater Petrus Parthenius, sacerdos religiosus ordinis S. Basilii, morum et vitae integritate conspicuus, et cognitione rerum ecclesiasticarum, iuxta ipsorum ritum, et linguam sufficienter imbutus, proinde sublato ex hac vita Basilio Tarassovich, schismatico episcopo Munkácsiensi, plerique ex vnitis sacerdotibus Ruthenis, praedictum Pe-

trum Parthenium in episcopum Munkácsiensem catholicum elegerunt; qui Petrus Parthenius studio praeueniendi alterum a schismaticis episcopis mox eligendum episcopum, errore quodam et imperitia lapsus, a tribus in Transilvania schismaticis episcopis, nempe Stephano Simoncuics, Gregorio Maldauczky, Zaba Bistrinczky, sese ordinari, et in episcopum consecrari fecisset; quem errorem suum agnoscens, factique poenitentia ductus, ad nos se contulit, remque nobis totam, et tam electionis, quam consecrationis, seriem fideliter et feliciter detexit; ac a nobis remedium salutare postulauit. Quibus intellectis nos pro pastoralis cura, qua saluti animarum, seductarumque ouium in vniuerso hoc regno Hungariae, regnisque eidem adnexis, conuersioni, intendere obligati sumus, atque etiam cum Dei adiutorio, quantum possumus, in Domino intendimus, considerantes ex vnione et conuersione tot sacerdotum, praesertim si catholicum habeant deinceps episcopum, maximum in honorem Christi, eiusque animarum messem inferendam esse, ac multa millia erroneae, rudisque plebeculae, ad viam salutis reducenda; subuenire praedicto Parthenio modis quibusuis conati sumus, ac proinde sanctitati suae, Innocentio X. pro tempore Romano Pontifici, negotium vniuersum et casum demississime repraesentauimus, ac pro supradicto Parthenio intercessimus, vellet Sanctitas sua intuitu salutis tot animarum rem cordi sumere, praedictumque Parthenium autoritate Apostolica Episcopum Munkácsiensem pronuntiare, electionemque factam in persona ipsius confirmare; item a censuris, quibus innodatus esset, ex eo, quod per schismaticos episcopos consecrationis medium postulasset; atque etiam suscepisset, absolui curare dignaretur. Interim nihilominus decedente ex hac vita Innocentio PP. X. successit eidem in sede Apostolica Alexander Papa VII. — — qui pro singulari erga animarum salutem zelo suo reasumpta praedicta supplicatione nostra, eam admisit, petitionique nostrae annuit. Quare transmisit nobis Sanctitas sua Breue suum singulare, in quo commisit nobis, omnemque licentiam, potestatem et autoritatem dedit, et contulit, quatenus eidem Parthenio illa omnia, quae necessaria in Domino iudicarem, censeremus, eidem Parthenio pontificalia et alia ordinis et iurisdictionis episcopalis munera in Ruthenos graecis ritibus tam in Munkácsiensi districtu, quam aliis regni Hungariae locis, per nos designandis, degentes exercere valeat, impertiri possemus, prout et a censuris omnibus, ob irregularitates, quas fortasse contraxit, absolueremus. Quare praedicta auctoritate vel concessione, publico superinde praehabito examine, ac solerti discussione, in toto hoc negotio imprimis quidem comperimus, supra fatum Parthenium a pluribus Ruthenis sacerdotibus vnitis in episcopum Munkácsiensem electum fuisse; secundo a praescriptis tribus schismaticis episcopis consecratum in Transilvania fuisse; verum quia idem Parthenius ideo dubia ac scrupulos conscientiae se habere detexisset, an episcopi, a quibus esset ordinatus, in episcopum valide consecrati exstitissent episcopi, propter confusionem et ignorantiam, quae etiam hodie inter Ruthenos schismaticos viget; itaque vigore antelatae facultatis Nobis ab Apostolica sede concessae, ipsi Parthenio ad cautelam essentialia consecrationis episcopalis, in quantum videlicet ab episcopis schismaticis, valide non fuisset ordinatus; peregimus, et in Domino contuli-

mus; absoluentes illum prius eadem auctoritate ab omnibus censuris, et irregularitatibus, quas contraxit. Tertio antelatum Parthenium, verum, legitimum episcopum Munkácsiensem catholicum, a sede apostolica confirmatum declarauimus, et pronunciamus; prout declaramus, et pronunciamus per praesentes. Quarto, eadem auctoritate apostolica memorato Parthenio iurisdictionem omnem et potestatem in Ruthenos tam districtus Munkácsiensis, quam praefatorum comitatum et omium aliorum, qui alias episcopo Munkácsiensi subesse consueuerunt, in Domino contulimus; et impertiti sumus, mandantes omnibus et singulis Romanae Ecclesiae vnitatis sacerdotibus, et Archidiaconis aliis ecclesiasticis Ruthenis tam religiosis, quam aliis, populo item vniuerso Rutheno, vt praedictum Petrum Parthenium pro vero et legitimo episcopo suo recognoscere, et habere debeant, eique in omnibus ad officium suum et munus episcopale pertinentibus parere teneantur, et obtemperare. In quorum omnium fidem et testimonium eidem Petro Parthenio literas praesentes, subscriptione nostra et sigillo munitas, dandas duximus et concedendas. Ex thermis Threnchiniensibus, die XXII. Iulii, anno Domini MDCLV.“ — Apud Práy l. c. p. 397. sqq.

Nec hac vice fuerat Ruthenorum vnio perfecta seu constans; sub fine saeculi huius iteranda. Id etiam singulare: Belgradensem, et non vnitorum in Hungaria et Transilvania Archiepiscopum in Episcopum Munkácsiensem porro quoque iurisdictionem sibi arrogasse: cf. eiusdem literas ad eundem l. c. p. 409.

136. *Leopoldus Rex Hungariae Eperiesienses, ob inobedientiam obiurgatos, monasterium apud se desertum Fratribus Seraphicis tradere iubet. A. 1660.*

Leopoldus — Probe recordamini, qualiter non ita pridem benigne, et serio vobis commiserimus, vt, augescente numero catholicorum, in illa ciuitate nostra degentium certum monasterium desolatum, pro exercitio religionis ipsorum resignaretis, remitteretisque. Vos tamen, non scitur, quibus ducti considerationibus, aduersanti prorsus voluntate, non vt huiusmodi benignis mandatis nostris pro eo, ac par esset obtemperando, id ipsum in effectu praestitissetis; sed ne responsum quidem ad ea dare voluissetis, magno cum auctoritatis nostrae regiae praeiudicio, et euidenti mandatorum nostrorum neglectu. Quod vtique licet nobis placere nequeat, et merito debitam quoque animaduersionem mereatur; nihilominus tamen, priusquam ad rigorosiora condescendum sit, iterum vos remonendos esse duximus, serio et firmiter mandantes, quatenus in conformitate prioris commissionis et mandati nostri, memoratum monasterium desolatum dictis catholicis, in medio Vestrum commorantibus, et magno religionis catholicae despectu, in priuatis aedibus sacra peragere debentibus, quantocius resignare et remittere debeatis; ne amplius eapropter ad maiestatem nostram recurrentibus, vltius quoque iis contra vos lamentandi et conquerendi causa relinquatur. Quod ipsum negotium, vt tanto efficacius finem suum sortiri queat, fideli quoque nostro, nobis sincere dilecto, regni huius Palatino, peragendum detulimus, cuius relationi, nomineque nostro fiendae ordinationi vt vosmet accomodare debeatis, omnino volumus et iubemus. — Datum in Castro nostro La-

xenburg, die 9. Maii anno Domini 1660.“ — G. Szelepcsényi Archiepp. Coloczen. m. pr. Apud Fridrich. P. II. p. 131.

Monasterium hoc desertum ab Eperjessiensibus tandem resignatum, Fratribus S. Francisci Prouinciae Saluatoris est conceditum. Iisdem etiam, ad fouendam Catholicorum pietatem, Cas ouiae a familia Perényiana pro seraphico ordine fundatum Monasterium cum templo S. Antonio de Padua dicato restitui iussum. Anni 1608.

Joannes C. Mayláth, motuum religiosorum in Hungaria compilator queritur fasc. 1. p. 29. se, cur Leopoldus I. in A catholicos tam seuerus fuerit, haud percepisse; ast vna causam huius, breuem scilicet visum suum, tabulariis Caesareo-Regis, sibi patentibus, necdum lustratis, ipsemet prodit. Si illa excussisset, si ad fontes recurrisset, si testimonia librasset, nouisset vtiq; A catholicos nostrates ab anno 1562, ad conspirationes, ab anno 1569. ad seditiones, ab anno 1604. ad fidem ac fidelitatem regi coronato negandam, proiectos fuisse; quoties militia caesarea foris occupata, aut bellum infeliciter gestum fuit, cum principibus Transilvaniae A catholicis, quin et Turcis ac Tataris se consociasse; cum legatis exterarum potentiarum, praesertim acatholicarum, clam et palam agillasse; articulis pacificationis Viennensis, Linciensis, diactae item Soproniensis incontentos, nouis praetensionibus, tractatus publicos interturbasse, aut retardasse; ministros eorum, pro verbo Dei, semina discordiarum iactasse; sententiae iudiciariae identidem se opposuisse; Capitaneos eorum, ita Petroczium, cum suis, quasi bellum sacris catholicis indixissent, templa occupasse, ordinis sacri viris caedem ac necem intulisse; testes huius crudelitatis sunt Seraphici Patres Eperjesienses et Homonnenses, omnibus rebus spoliati, suis domiciliis exturbati, cum aliis catholicae religionis ministris, ad mortem usque vexati; Joannes Bársony, Protonotarius, Turalukae, pluribus capiti securibus inflictis, crudeliter trucidatus, eius vero frater, Georgius Bársony, episcopus Varadiensis lethaliter sauciatus, ac pro mortuo relictus A. 1672. etc. Nihilominus Leopoldus, qui singulos comitatus, ne partibus Francisci Rákóczii adhaereant monuit, Dat. Viennae XXII. April. 1670. (apud Kaprinay MSS. sub B. tomo XIX. pro 68. p. 177) A rebelli Franc. Rákóczio excessus, rapinas factas, ciuitati Szakolcae indicauit. Dat. Viennae XXII. April. 1670. Ibid. no 74. p. 168: ideo ne valde seuerus, quod, pro munere suo, huic eorum furori restiterit, quod templa per vim et iniuriam occupata, Trenchinii, Szakolcae, Cassouiae, Poseni, Tyrnauiae, Samariae, Bartfae, Santouiae; Tallyae, Madini, Tokaini, Kereszturini, Comaromii, Miauiae etc. catholicis restituerit, seuerus ne inquam?! Si A catholici dominatum, ad quem aspirarant, ad se rapere potuissent, qualis fuisset catholicorum religionis exercitii libertas, patet ex Transilvania: vbi voti aliquamdiu damnati, suam tyrannidem, despotismum, iniustitiam, aeuernis iudiciis apud Bethlenium et Keményium A catholicos consignarunt. — A tam breuis visus motuum religiosorum commentatore, qualis Joannes Mayláth, cautum nobis sit. — Sententia Leopoldi perduellibus ministris dictata haec fuit: „Saluam libertatem, patriam, vitam habere; si manu propria, leuissimo cautionis genere, delicta sua confiterentur, ac corrigere.“ Et reuera ex 250 subscripserunt 236. — Anno 1674. — Ad triremes damnatis reditum in patriam concessit. Anno 1675.

137. Idem Leopoldus, maius in Hungaria superiori religioni Catholicae additurus praesidium, et Academiam per Benedictum Kisdium, Antistitem Agriensem A. 1656. fundatam, auctoritate regia sub cura Societatis Jesu confirmat. Datum Viennae 7. Mensis Aug. Anno 1660. Apud Sam. Timon. Epit. Chron. p. 510.

Hae occasione memorat Katona Hist. Crit. Tomo XXXIII. pag. 223. „Keményius, Princeps Transilvaniae, dicebat super mensam ministris suis Caluinianis, „dum a Tartari-

captus essem, a catholicorum Dominorum et militum captiuorum latere Jesuitae nunquam defecerunt, qui ipsis omne charitatis genus praestarent, nos pauperes ne fama quidem vidimus praedecantem, vltut numero potiores essemus. „Jesuitas, excepit minister, consueta impudentia agi, vt naribus omnia odorentur. Cui princeps: ad carceres et vincula solanda inquit, neminem impudentia impelli; sed hoc est, quod illos paupertatis professio, atque caritas facit omnia perrumpere claustra, vos vero euangelicum illud tenetis: „Vxorem duxi, et ideo venire non possum.“ Sed reuertamur ad Diplomata.

138. *Cleri Hungarici in negotio decimarum in Synodo regia propositum. A. 1662.*

Siquidem — — non tantum canonicis, omniumque aliarum nationum verum et Patriae huius nostrae legibus et decretis manifestum euaderet, Clerum absolutum ius, indubitatumque dominium in omnes et singulas decimas habere, nec quemquam sibi aliquid de eo sub quocunque colore et praetextu appropriare posse, et eum ad illum manutenendum, contraue quosuis impetitores propugnandum, iuramentali vinculo adstrictum esse; ideo eidem suo iuri, ac positiuis patriae legibus inhaerendo postulat, primo: vt omnes Domini Nobiles a terris colonialibus (extra dantaxat necessitatem in titulo 40-o Part. 1-mae circa finem expressatam) ad allodiaturam, vsumque etiam proprium applicatis, iuxta art. 50. 1492. art. 60. 61. 1548. art. 15. 1555. art. 70. 1563. art. 22. 1574. circa finem, decimam praestent. Secundo: Omnes Nobiles armalistae inscriptionalistae et libertini, siue in literis illorum inscriptionalibus clausula: Nullum ius etc. tit. 69. Part. 1-mae inseratur, siue non, decimam dare obligentur: siquidem Domini seculares lege tam canonica quam et regni positiua, cum iure decimarum nullo modo disponere valeant. Sigism. Dec. VI. art. 21. 1548. art. 16. in fine. Tertio: Praesidarii, milites, officiales, villici, stipendiarii Dominorum et Nobilium, Communitates, earumque publici et priuati serui, vtpote fabri, laniones, armentarii, vigiles, mercenarii et coadiutores; ipsi denique rustici inquilini, qui fundos et terras colonicales, ex quibus onera ciuilia, aut colonialia, terragium, nona census, datiae laboresque rusticani praestantur (aut vti per suam Maiestatem Sacratissimam ad mentem tituli 9. Part. secundae, exempti essent) quamuis tempore aliquo desertas, et denuo coli coeptas, inhabitarent, aut colerent, siue in sortem pignoris, salarii, vel arendae possiderent, vel ex quarta, quinta, etc. capetia vsuarent; de omnibus decimari solitis, integras ac sine vlla diminutione decimas extradent, iuxta Math. Decret. V. art. I. Decr. VI art. 43. Wlad. Decret. III. art. 15. Decr. VII. art. 18. 1563. art. 69. 1613. art. 4. 1635. art. 24. 1647. art. 95. 96. et 97. 1659. art. 54. — Quarto: Si quis Dominorum, aut nobilium terras colonicales allodiaturae suae applicando, ex post in fraudem decimae, ipsas easdem sub titulo liberarum, aut loco illarum alias colonicales inter suos subditos, aut inquilinos diuideret; ab eiusmodi terris vi art. 54. 1659. decima praestetur. Coloni ipsi in fraudem decimae, relictis terris colonialibus, alias liberas terras excolentes, ita et illi, qui terras quae alias decimales essent, sed per inundationem aquarum in prata conuersae fuissent, iterata nihilominus inundatione aquarum alio deriuata, perararent, nec non eo qui in agris

tertia culturae, vulgo Vgarmezö dictis sementem facerent, praestent decimam. Sexto opiliones Dominorum nobilium ab agnellis, et hoedis eorum propriis ad instar aliorum stipendiariorum, vigore praecitarum legum decimam extradent. Septimo: Et vt omnis fraus et dolus cuitetur Domini terrestres, aut eorum officiales in promontoriis — — — ac singulis annis decimari solitis, sine scitu Dominorum decimae aut eorum officialium iuxta titulum 18. Par. 3-tiae, sub poena inuigorositatis a praestatione decimae nec ad tempus, nec in perpetuum aliquem libertent. Octauo: Si quis decimatores, aut arendatores turbare, ad decimandum non admittere, decimas denegare pro se occupare, aut violenter auferre praesumeret, vel vero aliquam partatam se habere allegaret, prout et in casu, dum quis non ad Dominos Praelatos, venerabilia capitula, sed ad aliquem peculiarem locum seu personam decimas a terra vel vinea aliqua prouenientes, pertinere assereret, sicut et contra, si decimae obnoxii per decimatores vel arendatores se grauari querularentur, vlla dilatione desuper facta, et nec ipsa messe, aut vindemia obstante, statim vt intimatio per partem laesam facta fuerit, ad mentem articuli 37. decreti II. Vladislai art. 19. 1613. artic. 17. 1609. et art. 61. 1548. iustitia cum efectiua executione administraretur. Nono: De modo et tempore arendandi, exigendi, et conuehendi decimas, annorum 1548. artic. 60. et 61. 1533. art. 8. 1563. art. 60. 1622. art. 70. renouentur, et inuolabiliter obseruentur. Decimo: Et siquidem Sua Maiestas Sacratissima in negotio exstirpationum arborum eradicationem fieri debere benignissime resolueret, ideo si ex siluis grandiorum arborum plantarentur tunc ab eiusmodi vineis annorum decem; si vero adaptarentur agri, tunc annorum sex; pari formiter si ex siluis minorum arborum, seu dumetis exstirpatis idem fieret, tunc a vineis annorum octo, ab agris vero annorum quatuor, in recompensationem laborum et expensarum, exemptionem de non praestandis decimis admitti posse imo et sufficere, iudicatur. Quantum vero ad earundem per Dominos terrestres redemptionem fiendam attinet, citato titulo 30. Part. 3-ae, prout et Dominis Nobilibus, ne a suis exstirpationibus in fundis suorum propriis existentibus, et habitis decimam praestent, art. 22. 1574. sufficienter prouisum esse, dignoscitur. Quae omnia, vt tanto exactius obseruentur et plurimarum dissensionum fomes remoueat, specialis desuper articulus condendus expetitur. — Anno 1662. — Ex actis Synodi.

Testamentaria dispositio Georgii Bársony, Episcopi Agriensis, per Georgium Szelepcsényi, Archiepiscopum Strigon. executioni data Viennae 14. Martii Anno 1678. — E MSS. Kaprainai sub B. tomo VI. nro 57. et 58. pag. 128. et 135.

139. *Idem Leopoldus religioni catholicae etiam in Transilvania, misso ad Principem Michaelem Apafy nuncio, consulit. A. 1666.*

„Praesertim vero catholica religio, quae in vnione siue liga reliquarum trium religionum receptarum semper conseruata esse debuisset; saepissime tamen grauius laesa, vt in suis iuribus, priuilegiis et immunitatibus conseruaretur, ac ad instar aliarum

religionum trium receptarum illaesa et intacta permittatur. Confidit etiam hac in parte Sua M. C. quod omnes errores et defectus, in hoc passu admissos Celsitudo V. tanquam amans iustitiae ac vnionis, corrigere, cum fidelium suorum Romano Catholicorum contentatione, paterne non intermitteret, nec pro firmitate regni sapienter constitutam vnionem laedi, solui vel catholicos quoquo modo excludi, ab eadem patietur, praecipue, quum status Catholicus quoque non postremum membrum sit huius incliti regni Transilvaniae. Directio quoque ministrorum ecclesiarum Romano-Catholicarum, vt per ordinarios suos superiores fieret, nimirum vicarium, archidiaconos, et alios, similes officiales proprios, ad instar aliarum religionum receptarum; neue illos V. Celsitudo ab aliis turbari, violari, contumeliis affici, et opprimi patiatur, vt ipsi quoque, tamquam receptae religionis ministri, sub gubernio V. Celsitudinis quiete, ac tranquille, viuere possint, ac valeant; liberamque exercendae religionis facultatem habeant, ad instar aliarum receptarum religionum, neue ab aliis, sub quocunq; praetextu, impediantur. Sperat quoque Sua M. C. quod grauamina Romano-Catholicorum, ministrorumque eorundem, iustaque postulata ac laesiones paterne V. Celsitudo exaudire, et complanare his praesentibus comitiis (Fogarasiensibus) non grauabitur, tamquam summus iustitarius ac pater patriae. Notum quoque esse poterit V. Celsitudini, qualiter miseri Sacerdotes catholici Monostorienses, proxime praeteritis disturbis, ruinati fuerint; vnde ob metum ac vicinitatem Turcarum nec de facto, suam parochiam inhabitare possint; quam antea vniuersi SS. et OO. Catholicis contulerant; nec iuuentutem ibidem instruere, nec templum frequentare audeant; summopere metuentes, ne quo casu a Turcis circumuenti, in diram captiuitatem tam ipsi, quam populus abducantur. Magnum quoque in hac parte V. Celsitudo Suae Maiestati C. fidelibusque suis subditis catholicis praestabit gratiam; si templum, totaliter desolatum, in Óvár Claudiopoli catholicis reaedificandum, cum suis pertinentiis, conferre dignaretur vel alio condigno modo eis elementer dignaretur prospicere. Et haec habui, quae nomine Suae M. Vestrae C. humillime intimare debui, Deus V. Celsitudinem feliciter conseruet, ex animo desiderans. Fogarasini 10. Febr. anno 1666. Celsitudinis V. humillimus seruus et Capellanus Martinus Kaszonyi, Demesiensis Praepositus.“ Apud Bethien P. I. p. 270. sq.

Hanc Catholicorum in Transilvania tolerantiam etiam Rex Poloniae Apafio recommendauit. Apud Joan. Kernény Hist. ad hunc annum.

140. *Georgii Bárson, Episcopi Varadien. grauis contra Augustanae, ac Helueticae confessioni addictos, expositio. A. 1672.*

„Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens. Non nos terreant, fratres, quidam fluiui, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perstrepat, mox cessabit: diu stare non possunt. Multae haereses iam emortuae sunt; cucurrerunt in riuis suis, quantum potuerunt; decurrerunt, sicuti sunt riui: vix eorum memoria reperitur.“ Argumentum 1. Ex legibus Hungariae. Pacificationis Viennensis, anni 1606. Art. 1. concessit quidem Lutheranis et Calvinistis liberum suae reli-

gionis exercitium; sed sub tribus conditionibus: Prima conditio: Absque tamen praeiudicio catholicae romanae religionis. Haec conditio cum sit impossibilis, de lege habetur pro non adiecta; sensus enim huius conditionis hic est: Si Lutheranorum et Calvinistarum religionis exercitium in Ungaria sit absque praeiudicio catholicae romanae religionis, conceditur ipsis; si vero non sit absque praeiudicio catholicae religionis, non conceditur; sed certum est, illarum religionum exercitium esse cum praeiudicio catholicae romanae religionis; ergo illarum religionum exercitium non conceditur. Secunda conditio: Vt clerus, templa et ecclesiae catholicorum romanorum, intacta et libera permaneant. Haec conditio a Lutheranis et Calvinisticis saepius est violata: nam cum principe Transilvaniae, Gabriele Bethlehemio, non tantum templa invaserunt, et ecclesias (exspoliando, euertendo altaria, detruncando, concidendo etc.) verum etiam clerum et personas Deo sacratas, sacerdotes videlicet, persequendo, vulnerando, ino (quod vel ipse christiani nominis iuratus hostis, Turca, perpetrare cohorrui) crudelissime occidendo, et martyrizando. Testantur hoc crudele facinus tres Martyres Cassovienses. Deinde violarunt hanc conditionem, cum altero principe Transilvaniae, Georgio Rakotzio, quod etiam a nemine negari potest. Tertia conditio: Vt occupata disturbiorum illorum tempore, rursus restituantur. Sed neque hanc seruarunt conditionem: ostendant enim, quas ecclesias nobis restituerint? Quae bona ecclesiastica et religiosorum, aut monialium in liberis ciuitatibus occupata reddiderint? Nonne actu tenet ciuitas Soproniensis plurima beneficia ecclesiastica, vna cum ecclesiis nostris? Proh dolor! Foundationes illae piae, ad laudandum et glorificandum Deum a catholicis institutae, in vsus profanos et abominabiles, ab haereticis conuertuntur. Etiam in reliquis liberis ciuitatibus, similiter piorum catholicorum foundationes, atque ecclesiae ipsae, diuorum quondam Vngariae regum liberalitate et munificencia exstructae, et adornatae, actu ab haereticis possidentur. En, quomodo conditiones illas, sub quibus permissum fuit in Ungaria Lutheranis et Calvinisticis, liberum suae religionis exercitium, seruauerunt! Tenetur ne itaque S. C. Reque Maiestas, eosdem in libero religionis illorum exercitio conseruare? Neutiquam: Nam regula iuris nota est: non seruatis conditionibus, non seruari pacta; et violatis conditionibus violari pacta; et illud: frangenti fidem, fides frangatur eidem. Verum dicit aliquis: haec praerecensita, iuxta continentiam articulorum Vngariae, pridem in Amnestiam abiuisse; diplomaque regum Ferdinandi II. occasione pacis initae cum principe Transilvaniae, Georgio Rákóczy, editum; atque art. 5. anni 1647. insertum, aliud dictare: adeoque teneri suam Maiestatem C et R. praedictorum Lutheranorum et Calvinistarum religionis exercitium liberum permittere. Ast legatur praescriptus art. 5. et deprehenditur, illum non esse consensu et vnanimi voto quatuor statuum regni constitutum. Imo constat, ex eo manifeste, quod primus regni status, nempe clerus, contradixerit ex inclyto; item secundi, tertii, et quarti status potior pars, id est: vniuersi Magnates, Nobilesque catholici, cum catholicarum ciuitatum ablegatis, eidem articulo et clausulis eiusdem Diplomatis, catholicae romanae religioni perniciosius, contradixerunt. Sequitur igitur, illum articulum, vna cum aliis, eodem diplomate, in

fauorem Religionis Lutheranae et Calvinianae specificatis, conditos et factos esse solummodo ab ipsis Lutheranis et Calvinianis, armis Rákoczianis tunc praevalentibus. Ex praemissis itaque sequitur Argumentum II. Rationes deductae ex legibus S. C. Regiaeque Maiestas non obligatur ad articulos regni Hungariae seruandos, qui non sunt conditi consensu et vnanimi voto quatuor statuum regni: sed ex praemissis, articuli in fauorem Lutheranae et Calvinianae religionis conditi, non sunt ex consensu et vnanimi voto quatuor statuum regni, ergo sua M. non obligatur ad seruandos illos articulos. Et alioquin etiam iuxta antiqua Regni Vngariae statuta, Part. 2. tit. 3. leges, seu articuli condi et explicari non possunt, nisi vnanimi consensu Regis et regni, seu populi: regni autem seu populi nomine non intelliguntur Lutherani et Calvinistae, sed illi, quos declarat titulus 4. part. 2. in haec verba: Nomine autem et appellatione populi, hoc in loco intelligi solummodo Dominos praelatos, barones, et alios magnates, atque quoslibet nobiles; sed non ignobiles. Horum igitur est leges et articulos condere, cum regio consensu et confirmatione. In quemcunque ergo articulum hi non consenserint, talis articulus, pro vera lege regni haberi non potest: sed in praescriptos Lutheranorum et Calvinianorum articulos Domini praelati, barones, magnates, et nobiles catholici non consenserunt: immo, vt patet, contradixerunt, ergo articuli illi pro veris legibus haberi non possunt. Et consequenter sua Maiestas ad obseruandos illos non obligatur: etiam iuxta titulum 5. Part. 2. Ex quo apparet, illis solum legibus et decretis obligari suam Maiestatem, quae per praedictos dominos praelatos, barones et magnates, nobilesque, cum consensu et confirmatione eiusdem Maiestatis, sancitae fuerint. Cum itaque articuli illi, in fauorem Lutheranae, et Calvinianae religionis conditi, contradicentibus dominis praelatis, baronibus, et magnatibus, nobilibusque catholicis sint facti; nullo modo sua M. illis teneatur et obligatur. Isque etiam ipsorum iudicio Lutheranorum in Hungaria et Calvinistarum, qui articulos diaetae anni 1661. non volunt pro legitimis articulis agnoscere; ex eo solum, quod illis absentibus, seu non consentientibus sint conditi; ergo longe minus vniuersi articuli, in fauorem Luthero-Caluinicorum conditi pro legitimis sunt habendi, cum sint conditi contradicente clero, primo Vngariae statu ex integro; item contradicentibus potioribus ex 2. 3. et 4. statu, baronibus, magnatibus, nobilibus et liberis ciuitatibus, vt supra. Ergo si ideo non dicunt se vel suam Maiestatem obligari articulis anni 1662. quia iis aliqua pars non consensit; a fortiori articulis in fauorem Lutheranorum et Calvinistarum factis, quibus potior et principalior status ex integro contradixit, et alii status ex potiori parte contradixerunt, sacra Maiestas non obligatur. Vel ex eo etiam, quod licet praedicti Lutherani et caluinistae sint de numero regnicolarum: nihilominus nullus ex illis est, vel de numero praelatorum, vel de numero baronum regni, qui specificantur P. 1. tit. 94. qui videlicet sunt, regni potior et sanior pars; quae iuxta articulum 25. Vladislai, decreti secundi, anno 1495. in diaeta concludere solet; acceptis per Magistrum Janitorum suae Maiestatis, vti baronem regni, singulorum votis. Fiat reflexio itaque quis vel in anno 1606. vel 1608. et subsequentibus, vel 1547. dominorum praelatorum, baronum et magnatum, nobiliumque

catholicorum, pro libero Lutheranae-Caluiniananae religionis exercitio votum dedit? Imo ab his contradictum est: ut iam constat ex supra citato art. 5. anni 1647. Et utinam itum fuisset tunc per vota, iuxta praecitatum Vladislai regis articulum. Sed non placuit Lutheranis et Caluinistis; praeuiderant enim multitudinem votorum (sibi contrariorum) dominorum praelatorum, baronum, magnatum et nobilium catholicorum, et animaduertent bene, condendis in sui fauorem articulis, a tredecim comitatibus non plura quam 13. vota et earundem partium a 5. liberis ciuitatibus 5. vota, et totidem forte a suae religionis magnatibus; pauciora vero ex inferiori Hungaria habituros; ideo solummodo solitis suis clamoribus (contra tenorem etiam hac in parte praecitati articuli Vladislai regis) et minis armorum articulum 5. anni 1647. conscribi fecerunt: contradictione tamen ibidem specificata interueniente; cum autem nullum violentum sit durabile, iure merito ille articulus, ceterique ibidem in fauorem Lutheranorum et Caluinistarum citati, non modo obseruari non debent, sed absolute tolli, cassari et annihilari: articuli vero Ludouici II. regis, decreti Budensis, anni 1523. art. 48. et anni 1526. articulus 4. et Rudolphi anni 1604. art. 22. in eodemque diuorum quondam Vngariae regum citati, reassumi, confirmari, et debitae executioni mancipari debent.

Argumentum III. Ex aduersariorum concessione. Dato, non tamen concesso, quod tolerandi essent Lutherani et Caluiniani, in Hungaria: in tantum essent tolerandi, in quantum Lutherani profiterentur Augustanam, Caluinistae-Helueticam confessionem: nam articuli illi, quos in fauorem illorum conditos praetendit vtraque pars, loquuntur solum de hominibus Helueticae et Augustanae confessionis. Ast Caluinistae in Hungaria non profitentur confessionem Helueticam, sicut nec Lutherani Augustanam: ergo nec Caluinistae, nec Lutherani sunt in Vngaria tolerandi. Minor huius argumenti posset in longum et latum probari; sed quia non est huius fori nec instituti, ut in controuersias excurramus, ideo solummodo paucissima adferentur, ut sicut ex ungue Leo, ita agnoscantur Caluinistae an Helueticam, et Lutherani an Augustanam confessionem profiteantur.

1. Heluetica confessio art. 11. f. 22. haec habet: Comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum et praestantissimarum Synodorum, celebratarum Nicaeae, Constantinopoli, Ephesi et Chalcedone: Credimus corde sincero; sed moderni Caluinistae in Vngaria, non quod corde sincero crederent comprehensa primis hisce quatuor synodis, quin plane credunt contrarium: nam teste Justiniano Nouella 123. cap. 1. 12. 14. et Ambrosio ep. 52. inter canones Nicaenos hoc legitur: Patres Concilii Nicaeni statuere: neque clericum esse debere quemquam, qui secunda coniugia sortitus est. Hoc ipsum statutum, credunt doctrinam Daemoniorum moderni Caluinistae; ergo ergo non consentiunt cum Heluetica confessione, sincero corde statuta Nicaeni concilii acceptante; ideoque nec tolerandi in Hungaria, tamquam non Heluetici.

2. Idem concilium Nicaenum canone 39. ex arabico per Pisanum verso, haec habet: Qui tenet sedem Romae, caput est, et princeps omnium patriarcharum. Sed et huic moderni Caluinistae non consentiunt; ergo non sunt Helueticae confessionis, cum Nicaena synodo, corde sincero consentientis.

3. Idem concilium Nicaenum Edit. Pisan. lib. III. fol. 177. ha-

bet: „In Diuina mensa, non abiecti, intenti simus ad propositum panem et poculum: sed cogitatione sursum credita fide intelligamus, in sacra illa mensa situm esse Agnum, qui tollit peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum. Et can. 16 arabico, al. 15. in eadem materia sic loquitur: Diaconus offerendi sacrificii non habeat potestatem, sed sacerdos offerat corpus Christi.“ Sed et hanc veritatem Caluinistae in Hungaria execrantur; ergo non consentiunt Helueticæ confessioni, Nicaena statuta sincere acceptanti; ideoque nec tolerandi in Hungaria. 4. Idem concilium canone 65. arabico sic habet: Nunciatur mors episcopi in omnibus ecclesiis, et monasteriis dioeceseos, vt fiat oratio pro eo “ Sed et huic statuto Nicaeno sunt Caluinistae in Hungaria contrarii: ergo nec Helueticæ confessionis, acceptantis corde sincero statuta eiusdem concilii Nicaeni: consequenter nec tolerandi in Hungaria. 5. Concilium porro Constantinopolitanum Can. 1. confirmat et statuit, fortiter ea omnia, quae Nicaenum; ideoque adhaerens corde sincero, statutis concilii Constantinopolitani Heluetica confessio: declarat manifeste Caluinistas in Hungaria non esse confessionis Helueticæ, ideoque nec tolerandos. 6. Demum in canonibus concilii Ephesini habetur, quod ei synodo, vice Sancti Coelestini Papae (verba sunt concilii) praesedit beatissimus quondam Cyrillus, Alexandriae episcopus. Itaque concilium Ephesinum ratam habuit praesidentiam et praeeminentiam in spiritualibus omnem sancti Coelestini papae; qui tamen (vti habetur etiam in chronicis aduersariorum) pro sacro Missae sacrificio instituit introitum, graduale, tractum, offertorium, communionem; scilicet quoad sacras sententias, non autem substantiam. Itaque consentiens Ephesino concilio Heluetica confessio ostendit non esse Helueticos Hungariae Caluinistas; qui damnant, et exsibillant sancti Coelestini Papae factas quoad Missam institutiones. 7) Calcedonensis autem concilii Patres ad Leonem Pontificem Romanum Act. 3. relatione concilii sic loquuntur: Nos conuenimus, quibus tu, sicut membris caput, praeras; rogamus igitur tuis decretis nostrum honora iudicium; vt sicut nos capiti adiecimus consonantiam, ita summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. Actione item secunda circa medium expresse habet idem concilium: quod S. Petrus per Leonem pontificem loquatur, item act. 14. can. 16. sic habet: Si qua Virgo se dedicauit Deo, similiter monachus, non licet eis iungi nuptiis; si vero inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Haec et multa similia dicit se admittere confessio Heluetica, dum ait: se sincero corde credere comprehensa in concilio Chalcedonensi, quae tamen Hungarici Caluinistae damnant, ac reiciunt; ideoque minime sunt Helueticæ, et consequenter nec tolerandi in Hungaria. Quoad Lutheranos: Hi etiam in tantum essent tolerandi, in quantum sunt Augustanae confessionis; a qua tamen plane in substantialibus discordant, praesertim in negotio coenae Dominicae; ita ipsimet fatentur in praefatione libri concordiae, vbi sic est: quod alteram Augustanam confessionem, cuius in Naumburgicis actis fit mentio, attinet: animaduertimus quosdam sub praetextu verborum posterioris illius editionis, corruptelas in negotio coenae, et alios errores contegere. Nos sane nunquam posteriorem editionem in ea sententia accepimus, quae a priori illa, quae exhibita fuit, vlla ex parte dissideret. Dissident autem Lutherani in Vngaria, et

quidem substantialiter: nam prima illa confessio Augustana, Carolo V. exhibita, cuius exemplar in archiuis antecessorum suorum dicunt repositum conc. art. 10. de Coena Domini ad verbum sic habet: Docent, quod verum corpus et sanguis Christi veraciter sub speciebus Panis et Vini in coena praesens sit. Sed hoc Lutherani in Hungaria non docent; dicentes, non sub speciebus panis, sed vel in pane vel cum pane, vel sub pane esse Christum; ideoque discordant substantialiter ab Augustana confessione. Quod ipsum obiicit illis Calvinistica Palatinalis admonitio ad librum concordiae cap. 4. vbi sic habet: In editionis Germanicae decimo articulo cum in Coena verum corpus et sanguis Christi dicitur esse sub speciebus panis et vini, non substantia, sed duntaxat species panis et vini adesse dicitur; vnde et Papistae transubstantiationem verbis illis tradi crediderunt. Hinc apparet, quod et Calvinistarum iudicio moderni Lutherani non sint Augustanae confessionis, ideoque nec tolerandi in Hungaria. 2) Praeterea Augustana confessio art. 21. §. de missa, ad initium sic loquitur: Falso accusantur ecclesiae nostrae, quod missam aboleant: retinetur enim missa apud nos, et summa reuerentia celebratur. Seruantur et vsitatae caeremoniae fere omnes: praeterquam quod latinis cantionibus admiscetur aliquae Germanicae, quae additae sunt ad populum docendum. Nam ad hoc opus est ceremoniis, vt doceant imperitos. Ab hoc moderni Lutherani manifeste dissentiunt, dicentes: Missam esse maximam et horrendam abominationem, atque ipsam idololatriam: ergo non sunt Augustanae confessionis, quae non tantum substantiam Missae, sed et caeremonias fere omnes, ait, se retinere; nisi quod tantum cantiones linguae vulgaris admisceantur subinde latinis. 3) Dicit insuper confessio Augustana, prout recitatur lib. concord. art. 21. de potest. ecclesiast.: Quod episcopo competit cognoscere doctrinam; et doctrinam ab euangelio dissentientem reuicere. Hic necessario et de iure diuino debent eis ecclesiae praestare obedientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Haec Augustanae confessionis sententia, admittens iudicem controuersiarum ipsum episcopum, vehementissime exploditur ab omnibus in Hungaria Lutheranis: qui hac in materia solum ad criteria, et nescio quos cuiusque hominis Spiritus priuatos, recurrunt: vel ex hoc, Augustanam confessionem minime profitentes: consequenter nec tolerandi; vna cum Calvinistis, vti tales, qui sui in Vngaria receptionem nullo articulo probare possunt: posito enim, quod Lutherani non profiteantur Augustanam confessionem; neque Calvinistae-Helueticam, nullibi se in articulis regni reperient; multoque minus in illis, quibus contradictum est; vt supra. Praestat igitur, vt in vnitae Sanctae Romanae fidei catholicae, quae iuxta S. Petrum. Ep. 1. cap. 2, 17: Fraternitatem diligamus: Deum timeamus, regem honorificemus. Amen. Pro complemento: — Iniuriam nemini facit, qui suo iure vtitur; et hoc ipsum ius pontificium disponendi ecclesias habet rex Hungariae apostolicus: Viuat. — Ex impresso sub hoc titulo: Veritas toti mundo declarata, Sac. Caes. Regiamque Maiestatem non obligari ad sectas, a sua confessione desciscentes, tolerare. Concinnauit. G. B. C. V. R. S.

Argumentum declarationis huius tertium est eo difficilius hodie refutato, quo magis religiones receptae non tantum in tot sectas et sententias, quot scopa dissipata, partes,

disciuerunt, sed in ipsis capitalibus christianae religionis dogmatibus discordes, apostataeque facti sunt; Christi diuinitatem relegantes, omnem positiuam reuelationem et auctoritatem recusantes; sunt etiam qui ipsam Christi et Dei existentiam negant, saluo Euangelicorum nomine!! — Auctor huius expostulationis, fratris sui, Stephani, a Lutheranis Szakolczae crudeliter mactati, lugubri sorte fuerat irritatus. V. in MSS. Kaprinay sub B. tomo. XXV.

Vide Breue Clementis PP. X-i, ad Episcopum Georgium Bársony, quo ei gratulatur de caede fratris sui, Joannis Bársony, pro religione catholica obita, et verberibus ab Haereticis eidem Episcopo inflictis, eumque ad zelum hortatur. Romae XX. Augusti 1672. — MSS. Kaprinay sub B. nro 14. pag. 91.

141. *Georgius Szelepcsényi, A. Ep. Strigon. nomine regio, August. et Helu. conf. ministros, per Comitatus Posen. ac Moson. in Catholicos iniuriosos, violentos, in iudicium Ponium euocat. A. 1673.*

Discreti, nobis honorandi. Quando quidem Fiscus Suae Maiestatis SS. graues contra vos querimonias coram praefata S. M. detegendo, Eosdem, aliosque excessus et ausus temerarios vestros, in figura iudicii vberius recensendos, iuris via prosequi et vindicari velit; nosque ex benigno alte nominatae S. M. mandato, pro reuisione huiusmodi causarum fiscalium certum terminum, vtpote 25. Sept. ac si necessum fuerit, etiam Octobris, anni currentis infrascripti, huc in lib. ac reg. ciuitatem Poseniensem habendum praefiximus; ideo vos, auctoritate nostra iudiciaria locumtenentiae, qua pleno iure fungimur, firmiter per praesentes commonendos ac certificandos esse volumus, quatenus, termino ac loco supra scripto, coram nobis personaliter et non solum per procuratores vestros comparere, sufficienterque ad actionem per memoratum Fiscum suae Maiestatis contra vos proponendam, respondere noueritis: certi in eo existentes, quod siue huc modo praeuio comparueritis, siue non; nos tamen cum reliquis eorum ad latus nostrum adfuturis iudicibus, ad partis comparentis instantiam faciemus in praemissis, quod iuris ordo et aequitas dictauerit. Datum Posenii 23. Aug. 1673. beneuolus Georgius Szelepcsényi, Archi-Epp. Strigoniensis. Apud Ribini Mem. A. C. P. II. p. 21.

Eodem teste ad citationem comparuere numero 32. omnes Augustanae Conf. addicti, quibus se vnus duntaxat e sociis Helu. Confess. adiunxerat. — Praecipua accusationis capita fuere: Praecipua non tantum integrum statum catholicum, sed ipsum quoque Hungariae regem idololatriae accusare; de fide catholica ignominiose loqui; in sanctos, Beatissimam imprimis Virginem, immo ipsum crucifixum Saluatorem et sacras imagines, iniurios esse; scribere libellos infames; tumultum, imo rebellionem in regno excitare; Witnedium, Petroezium, Tokölium, partim consilio, partim com meatu adiuare; adeoque criminis laesae maiestatis reos poena, quam leges postulant, afficiendos. l. c. Specificae vide apud Wagner Hist. Leopoldi P. I. p. 337.

142. *Leopoldus Rex ssententiam a iudicibus minime suspectis contra ipsos latam, multum lenitam, exsequi iubet. A. 1673.*

Leopoldus — vt ministrorum, pastorumque se nomine abdicarent; eius muneris ne quidquam contingerent; ne ludos publicos aperirent; ne clam, aut palam de

religione verba facerent; ceterum saluam libertatem, patriam, vitam ea conditione haberent, si manu propria, leuissimo cautionis genere, confiterentur delicta et corrigerent. — Anno 1673. Apud Wagner l. c.

Recusantibus exilium eligendi facultas concessa, manu propria subscribenda. — Sortem condemnatorum omnes, Montanarum praesertim ciuitatum, ministri protestando ac tumultuando rem suam fecerunt.

143. *Idem Szelepcsényi, Locumtenens Regius, omnes contra sententiam protestantes, Posenium citat. A. 1674.*

Georgius Szelepcsényi, mis. diuina ecclesiae Strigon. Archiepiscopus, locique et Comitatus supr. ac perpetuus comes, Primas Hung. Legatus nat. summus ac Secr. cancell. nec SS. principis. ac Domini D. Leopoldi — intimus Cons. ac per dictum Hung. regnum in Iudiciis Locumtenens: — Expositum est nobis, nomine et in persona egregii M. Francisci Mayláth, veluti causarum regalium per Hungariam Directoris, et sacrae dicti regni Hungariae coronae Fiscalis, qualiter idem exponens nonnullos, in speciali signatura, vobis cum praesentibus exhibenda, contentos, ratione complicatae foedae rebellionis, proxime praeteritis annis ac temporibus contra alenominatam suam M. SS. a nonnullis nefariis hominibus practicatae, et exercitae, in figura iudicii vberius declarandae ad sedem nostram iudiciariam locumtenentialem, terminum videlicet delegatorum iudiciorum extraordinariorum pro 5. et subsequentibus ad id aptis et sufficientibus diebus adfuturi mensis Martii vsque ad ferias imminenti paschalis anni currentis, infrascripti, in liberam ac regiam ciuitatem Posoniensem — praefixum ac si necesse fuerit etiam post dictam feriam paschalis ibidem continuandum — sibi superinde contra eosdem a nobis iudicium et iustitiam impertiri facere vellet, lege regni requirente. — Datum in Curia nostra A. Episcopali Tyrnauiae die 10. mensis Januar. Anno Dom. 1674. Katona l. c. p. 166—7.

Postquam 250. quorum 57. Helueticae confessionis erant, teste Ribinio l. c. Posenium comparuissent, alii quidem obiecta crimina negarunt, alii, quantum poterant eleuarunt. Prodictis Vitnyedianis literis plerique non iam iustitiam, sed clementiam censuerunt implorandam. Mox omnibus rabulisticis artibus authentia literarum Vitnyedianarum impugnata. Leopoldus Rex, ne exceptioni locus esset, per Iudices, quorum pars, e protestantibus, pars e catholicis episcopis et fisci consiliariis delecti essent, causam extra ordinem cognosci et iudicari voluit. Hi ipsorummet literis, ac sociorum fassionibus incertos conuicerunt, damnaruntque. Sententiam hanc Rex Leopoldus multum leniuit; vt saluam libertatem, patriam, vitam ea conditione haberent, si manu propria leuissimo cautionis genere, confiterentur delicta et corrigerent. Eiusmodi scripto 236. ministri nomina sua inseruere; vt in Posoniensi chartophilacio hodie dum exstant; ferociores nonnulli, morituros se ante, dixerant, quam sua nomina infami tabulae inserendo tantam religioni maculam, fratribus dolorem inferrent. Hi proscripti alii, alii in carceres compacti; obstinatissimi, qui Turcis conductis contra salutem regni egerant, literis a Bassa Budensi Viennam submissis proditi, ad Triremes Tergestum sunt transmissi. Hi sunt Euangelicorum Martyres, aut fidei confessores; quos celebrant Auctor Historiae Diplomaticae Anno 1710. procius; Frid. Adol. Lampe, alias Paul Ember, in Hist. Ecclesiae refor. A. 1728. nouissime Joan. Ribini in Memorabilibus Aug. Conf. 1789.

et alii; Leopoldum vero Regem Despotismi, tyrannidis, periurii; Kollonicium ac Szelepcsényium, quæ sanguinarios, Jesuitas furciferos damnant. Cf. Cornelium Frag. H. H. pag. 64. 384. — Tumultuariorum receptaculum mox Kismartonium, Cassouia, Eperjesinum fuit, et Leutsouia. Ibid. p. 116. 436.

144. Idem Leopoldus Rex. Ordini S. Pauli primi eremite collatam a Pontifice Doctores creandi facultatem confirmat. Datum Viennæ 23. Jan. Anno 1674. — Annal. Ordinis S. Pauli vol. II. p. 129.

145. Idem Rex ad congeries querelarum per A catholicos obmoturum, *Hist. Dipl. pag. 87. App. 158. propositarum, per Nosztitz, cancellarium Imperialem respondet. Anno 1681.*

SS. maiestatem inspexisse memoriale euangelicorum, illudque examinasse; at, quia in eodem essent nonnulla magnæ considerationis; constituisse in eo, vt et altera pars audiat; ideo negocium esse cum DD. catholicis communicandum; ab ipsis expectaturos responsum. "Interim, dixit D. Nostitz, memores debere esse A catholicos, esse patriæ ciues, in regno Hungariæ sub vno rege degentes; ideo præstare, vt suauioribus mediis pro tranquillanda sua patria, sepositis odiis mutuis, agant." 3. Julii, Anno 1681. — *Hist. Dipl. p. 163.*

Augustus certe Leopoldus suspecta habere potuit ac debuit accusationis capita, tum ideo, quod iam alias calumniarum conuicti fuerint, tum vel ex vno hoc puncto: nonnullis per vim aperto ore hostia intrudebatur. "Nouit quippe ille, nouit vniuersus orbis, sacro sanctam illam hostiam inuitis vel indignis nunquam apud catholicos obtrudi, neque, sine grandi scelere, margarithas ante porcos prolici posse: non eandem apud catholicos, qui Christum in Eucharistia vere præsentem esse credunt, mysterii huius venerationem, et agendi modum obtinere ac apud acatholicos." — Caeterum graua mina Catholici dato responso abundantur retorsert.

146. Leopoldus Rex Hung. consideratis Georgii Szelepcsényi, Archiepiscopi Strigon. Primatis insignibus meritis summi Cancellarii, Personalis Praesentiae Regiæ ac ordinarii Iudicis dignitatem, in diaeta anni 1525. articulis 15. et 16. expressam, et diplomatibus confirmatam denuo roborat. Datum Sopronii 10. Decemb. Anno 1681. — E MSS. Kaprinay Tomo VI. sub B. nro 24. pag. 55.

147. Idem Leopoldus eundem Georgium Szelepcsényi, securum reddit, de dignitate art. 15. et 16. in diaeta 1536. expressa in successores quoque transmittenda. Datum Sopronii die X. Decemb. anno 1681. — Ibid. nro 25. pag. 57.

148. Idem Leopoldus super protestatione, contradictione et inhibitione circa negotium religionis, coram se a clero Regni Hungariæ facta testatur. A. 1681.

Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Sclauoniaeque etc. Rex,

Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgae, ac Superioris et inferioris Silesiae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae comendamus tenore praesentium Significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri Status et Ordines Ecclesiastici Regni nostri Hungariae et partium ei annexarum, in hac Generali eiusdem Regni diaeta, per nos ad diem vigesimum octauum elapsi mensis Aprilis Sopronium indicta congregati, coram nobis personaliter constituti, suo ac reliquorum etiam absentium Ecclesiasticorum, aequae ac Saecularium Romano Catholicorum nomine, per modum Solennis protestationis, contradictionis, et inhibitionis proposuerunt nobis, imo eiusmodi protestationem contradictionem inhibitionemque suam scripto tenore exhibuerunt huiusmodi sub tenore: Sacratissima Caesarea Regiaque Maiestas domine domine Clementissime. Ad humillimam aduersus Augustanae et Helueticae Confessionibus addictorum, titulo turbatae religionis contra nos sub termino praesentis diaetae praesentiuose suscitatae querimoniam, vice versa Maiestati vestrae Sacratissimae eodem in negotio demisse porrectam, et fundamentalibus rationibus innexam supplicationem, et informationem nostram, sperauimus equidem talem, quam vota nostra exoptabant, resolutionem atque satisfactionem nos esse impetraturos, proindeque huic ipsi vnico desiderio, ac optato fini adipiscendo innixi, praescriptam demisse exhibitam instantiam nostram, postmodum etiam in aliis publicis Regni grauaminibus attingendam, et taliter per nostros quoque Ecclesiasticae pariter et Saecularis dignitatis deputatos, Maiestati vestrae Sacratissimae humillime praestandam esse duximus. Quia vero Maiestatem vestram Sacratissimam medio extradatae benignae resolutionis suae, Regia autoritate, et potestate sua certis quibusdam ibidem declaratis modis, sese determinasse intelleximus: Ob hoc nobis quidem Praelatis, imprimisque Primati, et A. Episcopo Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis et caeteris omnium Statuum Ecclesiasticis, ex debito obligamine et incumbencia officii nostri Pastoralis et Sacerdotalis (sine tamen vlla benigni animi ac Regiae dignitatis vestrae Maiestatis offensa) licebit priores in hoc negotio Religionis semper interpositas Status nostri contradictiones, et protestationes anno signanter millesimo sexcentesimo trigesimo octauo, in publicis regni comitiis in haec verba expressam, nunc quoque reiterare, et ex eo Maiestatem vestram Sacratissimam per misericordiam Dei, per animae suae salutem, per Augustae domus Austriae illibatam fidem, per aeternum posteritatis de Maiestate vestra iudicium obsecrare, vt libertatem dictarum religionum et confessionum omnibus communi voto sancitis legibus regni nostri contrariam concedere non velit articulisque includi non patiatur, sed contenta sit maiestas vestra tolerare, quod corrigere non licet; si vero (quod absit) maiestas vestra aliter statuerit faciendum, nos omnes et singuli Praelati vna cum attacto Primati nostro, Capitulis, Conuentibus, caeterisque omnium ordinum Statibus Ecclesiasticis coram diuina maiestate, gloriosissimaeque virgine Maria, item coram maiestate vestra et toto mundo protestamur, ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, nec consensurum deinceps esse in hanc libertatis concessionem, atque adeo ante tremendum diuinae iustitiae tribunal rationem animarum

quae occasione huius libertatis aeternae damnationi adiudicabuntur, a se transcribere; supplicant demisse maiestati vestrae, vt hanc protestationem nostram benigne suscipere dignetur. Deus enim qui corda scrutatur, et renes testis est, quod nullo alio fine haec nostra reclamatio et protestatio a nobis fiat, quam vt nostrae imprimis, quos Deus animarum saluti procurandae praefecit, deinde vero et ceterorum conscientiae consuleremus. Nos autem catholici, status Saeculares, quamuis immunitatem, et indemnitate sanctae fidei nostrae similiter in omnibus toto corde integram et illibatam conseruari expectamus, nihilominus benignae maiestatis vestrae Regiae dispositioni, quam in vnicum publici Patriae boni incrementum tendere non diffidimus, nosmet humillime subiicientes (ita cogentibus modernorum temporum iniuriis) maiestati vestrae sacratissimae omni cum submissione denuo supplicamus, quatenus ex innata pietate sua, ac ipsius etiam iustitiae moderamine negotium hocce Religionis ita temperare, quo auita sacro sancta fides nostra diuersis temporum bellorumque ciuiliu calamitatibus iam hactenus satis lacessita, a modo in posterum in sinu paternae gratiae vestrae maiestatis illaesa, et imperturbata conquiescere fouerique, et conseruari possit, quam clementissime dignetur. Etenim Maiestatem vestram Sacratissimam veluti et Augustalis sanguinis propagatione Christianissimum principem, et ex diuorum quondam Hungariae Regum, gloriosorum videlicet suorum praedecessorum potissimumque primi Apostolici Regis decretis specialiter constitutum Ecclesiae Dei protectorem, ac sacro sanctae fidei propugnatorem concerneret, et condecoraret; vel maxime illius quam a gloriosis suis praedecessoribus haereditauit, sanctae catholicae et Apostolicae fidei conseruatio, et augmentum: e conuerso autem iniquum esset a fidelibus subditis desiderari, vt orthodoxa a tantis maioribus haereditata, perque legitimum ipsorum Regem pientissime professa, et custodienda religio, aut totaliter opprimatur aut in dies magis magisque coarctetur. Caeterum quod instantiam illorum concernit, si quidem tum articulus primus pacificationis Viennensis omnibus subsequentibus Regis diplomatibus confirmatus, tum vero eorundem diplomatum per ipsos multimode violatorum, legum item, nonnisi armorum potentia extortarum, cogenteque illicite inducta necessitate conditarum, et solennibus interpositarum contradictionum cautelis impeditarum manifesti defectus, tum vero intolerabile contra diuina pariter, et humana iura auitae, ac antiquae Religioni nostrae illatum praeiudicium, modernus denique in gremium sanctae matris ecclesiae nostrae congregatorum vniuersorum pene Baronum, Magnatum, Ciuitatum, maiorisque partis nobilium Regni catholicus potior status, longe aliud exigent, iusteque persuaderent, ex eo vltiorem ipsorum immeritam instantiam inconuenientesque praetensiones minime admittendas, sed legitimam, ac iustissimam causam nostram in benignissimum maiestatis vestrae sacratissimae patrocinium, et hanc protestationem, contradictionem inhibitionemque nostram clementer suscipere, ac desuper gratiosas testimoniales nobis elargiri clementissime dignetur. Nos enim quemadmodum semper ita et nunc modo praeuio in omnibus contradicimus protestando et protestamur contradicendo coram maiestate vestra sacratissima denuo et iterato, palamque et publice, ac manifeste.

Nos itaque huiusmodi memoratorum Statuum et Ordinum Ecclesiasticorum, et Saecularium etiam Romano-Catholicorum, fidelium nostrorum iusta instantia benigne exaudita, clementer et admissa praesentes litteras nostras super praemissa eorundem protestatione, contradictione, et inhibitione testimoniales sub secreto authentico Sigillo nostro iurium ipsorum futura pro cautela clementer dandas duximus, et concedendas. Datum in attacta libera, et Regia Ciuitate nostra Soproniensi, die trigesima mensis Decembris Anno domini Milesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo. Regnorum nostrorum Romani 24. Hungariae, et reliquorum 27. Bohemiae vero Anno 26.

149. *Replica Catholicorum ad grauamina ab A catholicis mota. A. 1681.*

Sacratissima Caesarea et Regia Maiestas, Domine, Domine nobis Clementissime. Quod Grauamina Augustanae et Helueticae Confessionibus addictorum, certo memoriali ad Maiestatem vestram Sacratissimam directo comprehensa, nobiscum benignissime communicare dignata sit, Maiestati Vestrae pro eo innatae Clementiae suae argumento, humillimas magna animi demissione gratiarum actiones deponimus. Non tamen sine iusto dolore sentimus, quod illi, alias pars et commembra huius afflicti Regni, inter tot nutantis, et extremorum discriminum mole grauatae Patriae suae pericula, de ineundis potius reducendae optatissimae pacis, et Regni contra ingruentem totius nominis Christiani hostem muniendi remediis, tum per se necessariam, tum vero Clementissimo Maiestatis Vestrae ardore concupitam operam protinus non ad mouerent, quam iterum ea, quae vel experimento praeteritorum temporum communi bono non solum obicem et neglectum posuisse, quin et multas calamitates addidisse satis compertum esset- reassumerent; ne tamen exquisita ipsorum lamenta coram Maiestate Vestra Sacratissima, aut etiam orbe Christiano (silentio duntaxat nostro) pondus acquirant, e conuerso autem in Statum Catholicum exercitatae grauissimae persecutiones et furores subiticeantur, vel etiam maiora incommoda et praeiudicia eidem sacrosanctae Religioni inferantur; Ex eo nos quoque partem aliquam nostrorum, et numero (si praesertim vniuersa recensere velimus) et magnitudine longe ampliorum Grauaminum, Maiestati Vestrae Sacratissimae, humillimae informationis loco omni cum submissione exhibere necessitamur. Et quidem, tametsi illorum, partim adhuc in Anno Domini 1662. partim vero abinde impraesentiarum vsque, vniuersim tamen nonnisi ab Anno 1642. (quo nempe summam votorum suorum attingere) conquisita et in supplicii suo generalibus terminis apposita grauamina, prima fronte quasi arduum ac praeponderosum aliquid prae se ferre videantur, si tamen a primordio praeualescentiae praedictarum confessionum, cum irrogatis per easdem sanctae Catholicae et Apostolicae Religioni nostrae praeiudiciis, legalibus pariter et Diplomaticis contrauenientis, ac aliis inauditis iniuriis conferantur, omnium sane iudicio nusquam grauiora ipsis quam nobis, imo longè leuiora, aut respectiue nulla dignoscuntur fuisse illata. Etenim posteaquam contra manifestissima gloriosissimorum quondam cuius Inclyti Regni fundatorum et Regum, vnanimi Regnicolarum consensu firmata Statuta,

vtpote Sancti Stephani libr. 1. cap. 2. et Diui Ferdinandi I. Decreti Anni 1563. Art. 31. et 32. antea vero Anni 1548. Art. 5. 6. 7. 8. 9. et 10. item Anni 1550. Art. 12. 13. 14. Anni 1552. Art. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1554. Art. 7. Anni 1556. Art. 25. 26. Anni 1557. Art. 10. tandemque Anni 1603. Art. 22. et alia passim illa conspicua, ad quam ex gentilismo conuersa fuit Hungaria, sola Romano-Catholica vereque christiana, multo seculorum tractu felicissime florens Religio, excitatis subinde intestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficacis verbi Diuini praedicationis, verum cruenti gladii, etiam a naturalibus Christiani nominis hostibus accersiti, omnia perturbari, innumerae Ecclesiae violenter occupari, cultus Diuinus a maioribus traditus et acceptus immutari coeperit; quid ni sub natis fidelibus Orthodoxae Patriae filiis licebat auitas suas haereditates (templa videlicet et Ecclesias) quas vetusta priuilegia, situs altarium, tituli Diuorum nominibus inditi, et structurae ad normam sanctae Romanae Ecclesiae accommodatae, manifestissima videlicet prioris Domini et haereditatis signa, viua quasi voce contestabantur, priorum olim Catholicorum manibus, auxiliis, et praegrandibus expensis fundata esse, nec nisi iniuriis subsecutorum turbulentorum temporum potenter occupatas, et hactenus illegitime tentas atque possessas exitisse, iterum vel ex dictamine communis iustitiae, (quod in proprio nemo violentus iudicatur) rehabere, suaeque pristinae iurisdictioni redintegrare? Sed (scilicet) leges ac Diplomata Regia in fauorem ipsorum posterius condita, ac etiam vsus diutius continuatus haec fieri vetabant? Nequaquam Augustissime Imperator. Tum quia leges illae violentia duntaxat armorum extortae, communique vniuersorum ordinum assensu minime constitutae, quin imo eisdem tum legibus, tum vero praetense vsui, vel potius abusu per totum Ecclesiasticum Statum, compluresque Magnates et Nobiles Catholicos solennissime contradictum et reclamatum fuisset semper. Tum vero quod Diplomaticum tantopere allegatum fundamentum, tanquam per ipsos manifesto violatum nihil pro ipsis militaret: siquidem iuxta tenorem pacificationis Viennensis Anni 1606. art. 1. (ad quem vniuersa etiam ex post subsecuta Regia Diplomata Annorum 1622. 1638. 1647. et 1659. conditione 6. sese semper referrent, suoque in vigore relinquerentur) id per expressum conclusum fuerat: Vt liberum in hoc Regno sit Religionis exercitium, absque tamen praeiudicio Catholicae-Romanae Religionis; et vt Clerus, templa et Ecclesiae Catholicorum Romanorum intacta et libera remaneant, atque illa, quae disturbiorum tempore occupata fuere, rursus eisdem restituantur: Nihilominus tantum abfuit, vt restituta fuissent, quin imo in grauem conclusae eiusdem Pacificationis, exindeque subsecutorum Reginorum Diplomatum contemptum, indeque ruinam multarum animarum et totius Catholicismi apertum praeiudicium violenter occupata, violentissime retinuisent. Hinc si ipsis contra primaenum Reginorum Diplomatum fundamentum, nostra innumera templa, scholas et parochias turbulentissima vi, imo auxiliantibus Paganorum armis occupata retinere licuit, licebat etiam nostrae, non inferiori, deteriorie conditioni vera nostra repetere, et quibus placidioribus fieri potuit mediis, absque tamen Turcicorum armorum imploramentis rehabere. Sic itaque contra citatum per se Di-

ploma delinquentes beneficiis eiusdem vti non valerent: accedit, quod per Dei gratiam iam alia, quam quae antea fuerat, sit in hoc Regno facies Religionis: antea enim, quis nescit praepotentes Palatinos et Proceres, ex Thurzoniana, Illyesháziana, Periniana, Nádasdiana, Szechiana, Battyana et Rakocziana, aliisque familiis, vix non maiorem Regni partem possedis, et ad suam confessionem amplectendam, populum quoque et dominia sibi subdita compulisse, vnaque cum fundo sibi subiecto, templa superaedificata ad arbitrium disposuisse; iam vero maiori procerum parte, ad gremium nostrae sanctae Matris Ecclesiae redeunte, admodumque paucis Magnatibus et Nobilibus, sed rusticana duntaxat, eaque potissimum Catholicorum Dominorum potestati subiecta plebe confessionum illarum reliquias recolentibus: quae ratio, quis rerum ordo suadebit, vt subditorum conditio Dominorum suorum terrestrium conditioni praeferretur, templaque in fundis (in quibus rustici de lege Regni praeter mercedem laboris nihil haberent) Dominorum super exstructa coloni possideant, Domini vero et Patroni iisdem spoliati, et exclusi ad Domesticos parietes, priuataque Religionis suae munia exercenda redigantur. Imo si ad liberum Religionis exercitium templa requiruntur, hac ipsa ratione Domini terrestres, tamquam iurium omnium praerogatiuis anteferendi, ab eadem templorum possidendorum Religionis libertate impediri non valebunt. Quod denique ante acto rerum statu libebat illis, liceat etiam nobis moderno. Porro si reliquae sat longa serie deductae, variisque praetensis iniuriis congestae, imo praetextu legis ad subeundam superinde sancitam articulem poenam prouocantes quaerimoniae considerentur: et ad has facile responderi posset punctatim. Sed non opus est vniuersa et singula contra nos obiecta, veluti partim incognita, partim longe aliis, aut nullis modis patrata, partim vero sufficientibus rationibus contrariis (quemadmodum captiuationes, aliasque delictis longe mitiores poenas Ministri ipsorum, non qua tales, sed qua seditiosi, et publicae quietis perturbatores, in quo ne catholicorum ratio habeatur, subiere, ac ille etiam Minister, cuius mentio fieret, tamquam incendiarius, manifestique criminis, in praesentia suae quoque Religionis trium Assessorum condemnatus comburi, meruisset) diluenda singillatim refellere. Sufficit hoc vnicum excusari, quod nos multo grauiora, enormiora, et crudeliora, quam quae contra nos praetenduntur ab illis perferre debuerimus, illi vero ad acta propria diluenda vel studio iniuriam in nos coniciunt, vel respectiue minima passi, ea quoque non nobis, ast suis in nos, sacramque Religionem nostram et ruinam Patriae, extreme commissis excessibus sunt imputanda. Horreret profecto animus in funestum illud deformatae Patriae theatrum (in quo a propriis illius Religionis Ciuibus inculti redditus agri, incolae omni substantia exhausti, fumantes exustorum oppidorum et villarum cineres, effusus plurium secularium, et Deo dicatarum personarum innocens sanguis, profanatae Ecclesiae, et Religio Catholica omnibus adiuuentis modis afflicta, spectarentur) condescendere, nisi et iusto dolori aliquantisper indulgendum esset, non vt renouetur, verum salutaribus per Maiestatem Vestram Sacratissimam tum hactenus quaesitis, tum vero etiam imposterum admouendis medelis, optatae suae sanitati restituatur. Propterea confiteri debemus, nihil in laesionem ac

odium Religionis Catholicae, ruinamque miserandae Patriae praeconcupi potuisse, quod (vel maxime modernorum disturbiorum occasione, ac etiam antea) per exultantes, pariter et Domesticos, attactarum Religionum cultores, ipsosque Praedicantes exerceri intermissum fuisset indifferenter. Tam exosa et despecta fuit nostra Religio, vt tam in Comitatibus, quam in liberis ciuitatibus, oppidisque ac villis, nostras, quamuis idoneas et benemeritas personas ad nulla prorsus officia applicarint, non ad coetum artium Mechanicarum, imo, ne ad vilissimum seruile munus, nisi abiurata prius fide Catholica, admiserint; Vice-Comites suarum Religionum pro minima Ministris suis illata iniuria in Catholicos onerosissime processerint, de iniuriis autem vel maximis e contra illatis nullam satisfactionem impenderint, sed ad iudicia superintendentium relegauerint, asserentes, Catholicos legum non esse capaces; Processus ratione Diuortii contra nostros in sede sua instituerint; suos auditores a sacris et concionibus nostris serio interdixerint; idololatrias nos esse communi titulo proclamauerint; Superintendentes extra ditionem Vestrae Maiestatis habitantes, iurisdictionem nihilominus in ditionibus Vestrae Maiestatis exercuerint, nostros, proprios suos Parochos habentes, ad soluendum suis Ministris adegerint, alioquin ex ipsis etiam campis frumenta rapuerint, ab emptione honorum et domiciliorum inter ipsos excluserint, in matrimoniis contrahendis impediuerint, contrahentes vero copulare noluerint; Incestuosa matrimonia concesserint, demortuis pulsum campanae negauerint, nonnullarum Illustrium familiarum, et Dominorum terrestrium, magnam partem Comitatus possidentium, et plurium sepulturarum loca habentium, demortuos cum ceremoniis Catholicis sepelire armata manu obsistendo, non permiserint, aliarum magni stemmatis familiarum corpora effoderint, capitibusque priuata, et praetiosis vestimentis denudata foras eiecerint; Exitiosissimas rebelliones, tum in proprios Dominos, tum etiam alios Catholicos in communi correptis armis concitauerint; Iudices Comitatum, et testimonia capitulerum, Regiosque homines publicis in negotiis procedentes, turpissimis conuiciis inuaserint, et homines securitatis gratia penes destinatos traiecerint, interemerint; alii etiam Commissarii Vestrae Maiestatis in commissionibus suis armata manu impediti; alii officiales Maiestatis Vestrae dirissimis verberibus cruciati, temporeque hyemali aliquot milliaribus seminudi educti, et equis alligati, viribusque omnibus destituti, penes equos tracti, in publica via ad partem dissecti, ad notabilemque Religionis nostrae despectum frontibus eorum cruces incisae, et sic in praedam canum et bestiarum relictis; contra militem Vestrae Maiestatis pacifice proficiscentem, audita sola fama, hostilia vexilla erecta, auxilia Turcica perpauca etiam ante menses, contra plebanos Catholicos implorata; Nobiles, barba, mistacibus et capillis ab-rasis, ludibrio expositi, nonnullis lingua abscissa; alii in Castellis, et Curii Nobilitaribus propriis comprehensi, inde in captiuitatem et partes Turcicas abducti, dirissimis verberum et vulnerum plagis affecti, neque aliter, nisi post longos carcerum squalores magno lytro dimissi, multi vero (inter quos etiam Barones) crudeli mortis genere, variisque adhibitis torturis interempti; plurima oppida, villaeque succensae, vbi partim igne, partim ferro multa centena hominum consumpta fuere.

Nondum hisce satiabatur inexplebilis persequendi sitis, sed in Ecclesiasticas Religiosasque personas longe ardentius exaestuauit: Hinc parochorum substantiae expiatae, multi quibusuis excogitatis ignominis, irrisionibus traducti: alii grauissime verberati, vulnerati, contusi, alii captiuitati, grandique lytro dimissi: alii penes equos rigidissima hyeme in solo indusio raptati: alii nudo corpore hinc inde per villas circumducti: alii cum summo dedecore et mundi scandalo totaliter denudati, per plateas ciuitatum, alligatis (pudor vetat dicere sed res exigit) ad naturalia semicentenariis lapidibus circumducti; et lupina pelle ad derisum, nudo Religiosi corpori ad modum militis appensa, duris scuticarum ictibus, ad saltandum, ignesque transiliendos adacti: alii nudi in vrticis spinis et tribulis volutati, alii in puteos iniecti: alii elorati, aliis ferrei clauis, veluti equis in pedes et manus incussi: alii ad partes Turcicas abducti et venundati: alii sub patibulum educti, ibique more carnificum laniati, alii sclopis traieci, neque sepeliri permisi, alii in suis cubiculis trucidati, alii decapitati, alii gladiis transfixi, alii igne cremati: interque caetera quidam parochus Catholicus captus funibus lorisque colligatus ad Ecclesiam ductus, dissecto ibidem altari, partes dissectas vlnis suis alligatas tenere debebat, eosque donec per Praedicantem, longa contra cultum imaginum et Sanctorum scommatica et maledictoria supra caput eius peracta concione, ad publicum forum eductus est, succensisque exportatis dicti altaris partibus iniectus, postea septem vulneribus capiti inflicis extra portam oppidi per capillos extractus, tandemque aliquot scloporum globis in pectus explosis seminiuis in effossam scrobem iniectus, atque terra obrutus fuit; alii denique per venenum, alii tabaca in dorsum scissa, fronteque in arborem impacta, alii aliis quibusuis inexcogitabilibus modis cruciati, ad mortemque tristissimam adacti. Neque in his conqueuit efferata rabies virusque in odium Religionis intumescens; sed in aras, aedesque sacras omni horrore grassabatur, campanae ex turribus dejectae, perfracta templa, et supellectilia depraedata, altaria confracta, sacra vestimenta et apparamenta dispoliata, calices (imo sese iisdem ingurgitantes) profanati, casulae et antependia in ludibrium induta, asportata, ex cibariis venerabile Sacramentum Eucharistiae hinc inde dispersum, pedibusque conculcatum, alibi particulae nondum consecratae, equis ad vorandum datae, sanctorum reliquiae disiectae, nomen sanctissimae Matris Dei blasphemis proscissum, icones vero eiusdem, aliorumque sanctorum ac ipsius Domini cruci affixi dissectae, exoculatae, denasatae, caeterisque membris mutilatae, et capite detruncatae, effigies Crucifixi in veru ad ignem assata, sacra Missa in vestibus laruatis decantata, publicae processiones (Sacerdote cum Venerabili procedente inuaso, et per lutum hinc inde raptato) violenter interurbatae, calumniosissimi libri et scripta in nos euulgata, sacra denique Religio Catholica adeo exterminata et attenuata, vt in Comitatu Liptouiensi, nonnisi duae Catholicorum, illorum vero 46. reperiuntur Ecclesiae; in Szatmariensi et Szaboczensi, praeter fortalitia Szakmar, Ecsed, et Betzermen, nec nomen Sacerdotis auditur, templum nullum possidetur; in Zempliniensi, Vnguariensi, Bereghiensis, Vgociensi, et Abaujuarensi, Comitatibus Sacerdotes vix aliqui, Praedicantes multi, in Scepusiensi, Thornensi, Gömöriensi praeter

ciuitates liberas, et pauca oppida, parochi rari (qui etiam nonnisi in dumetis, aliisque occultis latebris delitescunt, et cum periculo vitae curam fidelium habere possunt). Praedicantes vero clam et palam plures, stante etiam praesenti diaeta passim introducti, par ratio est in nonnullis comitatibus cis danubianis, vt pote Veszprimiensi, exceptis confinibus et insulis Muraköz, parochi 5, praedicantes 16, in Sümeghiensi parochus nullus, praedicantes circiter 100, in Baramiensi parochus nullus, praedicantes circiter 50. Nonnulli recenter contra expressa et beneuola sua transactionis puncta, ecclesias violeuter occupare, apparamentaque vendere, distrahere, et inter sese dividere nihil pensi duxerunt. Refugit calamus infelici Patriae, nostroque sacro sancto cultui tanta immanitate irrogatis (quae non in paginas, sed et codices integros referri possent) ulterius recensendis immorari, nolentes Vestrae quoque Maiestati Sacratissimae, tantis huius aliorumque regnorum suorum curis intentae, longiorem afferre molestiam. Cum itaque praemissa humillime repraesentata, et si necessum fuerit, tam uberior declaranda, quam vero etiam comprobanda grauamina nostra, longe plura, modisque omnibus grauiora et ponderosiora existant. Idcirca Maiestati Vestrae Sacratissimae, tamquam christianissimo Imperatori, Regique Apostolico, et Domino nostro clementissimo humillime supplicamus, quatenus benignos paternae prouidentiae suos oculos in nos conuertere, ac tantopere iniuriatis, afflictis et damnificatis debitam satisfactionem impertiri dignetur clementissime. In gratiam et benignitatem Maiestati Vestrae Sacratissimae nosmet humillime submittentes. Eiusdem Maiestatis Vestrae Sacratissimae Deuotissimi Capellani ac humillimi et fidelissimi subditi vniuersi Status et Ordines Praelatorum, Baronum, Magnatum, Nobilium et liberarum Ciuitatum Regni Hungariae, Partiumque eidem adnexarum catholici.

150. *Idem Leopoldus, obstinatione A catholicorum reprobata, rerum pro comitiis propositarum pertractationem vrget. A. 1681.*

S. C. Rque Maiestatis — nomine — significandum. Eandem suam Maiestatem SS. fidelibus SS. et OO. benigne in memoriam reuocare, qualiter tum in serie gratiosissimarum suarum regalium et propositionum, iteratorumque regionum decretorum, immo etiam verbali paterna admonitione clementer requisierit, et hortata fuerit, eosdem SS. et OO. quatenus citra ullam moram consultationes et tractatus dumtaxat publicos de restauranda patriae tranquillitate, et ea, quae proposita sunt, actutum aggressi fuissent, rerumque circumstantiis prudenter pensatis, priuata quaeque pro nunc seposuissent, quemadmodum iidem SS. et OO. in demisso suo libello, eidem suae Maiestati SS. pro candidatura palatini suppliciter porro, vbi eandem assequerentur candidaturem, obsequiosissime facturos se etiam declarassent; verum, quia intelligeret sua Maiestas SS. particularibus illis compilationibus et priuatorum quorumuis pro arbitrio ipsorum, ac absque praescitu eorum, quibus vi officii similia prius cognoscere, ac seponere competeret, submissis instantiis etque grauaminibus, publica magisque necessaria et vtilia negotia retardari ac praepediri, tantamque rerum priuata-

rum seriem ac farraginem iam etiam esse coaceruatam, vt vel huius perlectioni integrae vix sufficere possint hebdomadae; per quod, praeter expectationem suam, praesens diaeta cum summo temporis et publici boni dispendio ac iactura, in longum protraheretur; quam tamen quantocius optato fine terminandam eadem sua Maiestas benigne exoptaret; ac proinde fideles status vltcrius etiam paterne requirendos, simulque et eos, quorum potissimum vi officii similes abrumpere moras interesset, serio commonendos esse, duxit; vt solita generali grauaminum compilatione quamprimum, priuatorumque instantiis quorumuis sepositis, et iis ad commodius tempus vel competens suum forum, solitosque processus ad iudices remisit, ea dumtaxat, quae pro reducenda afflicto huic regno exoptata tranquillitate et stabilienda omnium segura permansione per eandem suam M. benignis suis propositionibus, regisque decretis, et orali etiam paterna adhortatione intimata fuere pertractent, et quantocius feliciter perficiant et concludant: quum non deessent grauissimarum reipublicae christianae curarum necessitates; propter quas eadem sua M. praesentem diaetam in longum tempus protractam habere nequiret; neque iuxta art. 44. anni 1649. ob rationes ponderosas sane, inibi appositas, comitia vltra bimestre spatium protrahi deberent. — Per. SS. C. Rque M. Neostadii 19. mensis Iulii 1681. Joannes Maholányi mpr. — Acta com. Sopron. p. 35.

Sed protestantes 26. Iulii declarant ad amicam compositionem se descendere nolle; quumque postridie hoc ipsum repetissent; ingrato animo recipiuntur a DD. commissariis: exprobratur obstinatio; et quasi vellent imponere, extorquereque a sua Maiestate satisfactionem. Sed nec Legatorum exterorum, acatholicorum consiliis, suasionibus, cesserunt; nunciantes, ministris; se ad sessiones non comparituros, donec id, quod peterent, concederetur. Hanc peruicaciam Acatholicorum redarguit Leopoldus literis ad comitia datis, Sopronii die 28. mensis Augusti anno 1681. Sed nehis profecit quidquam tumultibus supremum apicem attingentibus. Metu malorum maiorum coactus quaedam iisdem Acatholicis concedere catholicis praeiudiciosa. Ita Hist. Dipl. append. p. 261—281.

151. *Replica SS. et OO. catholicorum vniuersorum ratione fauorum Acatholicis concessorum. A. 1681.*

Sacratissima Caesarea Regiaque Maiestas, Domine Domine naturaliter clementissime. Iteratas, easque benignas Maiestatis vestrae sacratissimae resolutiones, eo quo par est, status et ordines, perpetuae fidelitatis, submissionisque cultu ac obsequio perceperunt: Et quia in nonnullis earunden Maiestatis Vestrae Sacratissimae resolutionum punctis advertunt fideles status et ordines, vel nobilitatem ipsorum praerogatiuam et immunitatem laedi, vel legitimum, eumque ordinarium iuris huius patriae cursum variari, aut demum intolerabiles eorundem statuum et ordinum iniurias, quibus tam per naturalem christiani nominis hostem, quam per ipsos tumultuantes patriae filios, ac etiam vicinas externasque nationes affliguntur, naud tolli posse. Ideo Maiestati Vestrae sacratissimae memorati status et ordines vltcrius quoque molesti esse coguntur, eandem velut dominum et regem ipsorum clementissimum perquam humillime exorantes, dignetur eosdem per benignam subsequentium reiteratorum postula-

torum suorum annuentiam, tam in iuribus, immunitatibus, auitisque libertatibus suis, ac benignis diplomatibus conseruare, quam vero demisse implorata remedia ad tollendas tot et tantas regni colluctationes, aerumnas et immensas calamitates, restaurandumque attenuatum huius regni statum deseruientia, pro paterna cura, regique sui animi affectu et sollicitudine clementer resolvere etc. Ad sextum. Licet vterque status tam catholicus quam euangelicus pro benigna eaque diplomatica religionis complanatione iterato humillime institissent, ad easdemque demissas suas instantias per iteratam etiam benignam Maiestatis Vestrae Sacratissimae datam resolutionem, iuxta contenta benigni diplomatis regii, nec statui catholico, sed nec euangelico (vti ab vtrisque querularentur) satisfactum esset: Ideo status et ordines regni demisse reiterata sua humili eatenus instantia, vterius quoque pro satisfactione iuxta sensum benigni diplomatis regii ab vtrisque fienda supplicant, inhaerendo grauaminibus et priori repliceae suis ab vtrisque praesentis etc.

Epilogus. Quae omnia dum fideles status et ordines cum reiterata humilitate, et ea semper, qua debent submissione, supplicant, ac iniuriarum quoque hactenus mille modis sibi illatarum medelam a Maiestate Vestra Sacratissima, veluti summo totius christiani orbis iustitiaro simul et rege suo clementissimo, pro innata Augustissimae Domui Austriacae et Justitia et Clementia sibi clementer impertiendam implorant: Cognita demissae supplicationis ipsorum, et causae aequitate, in quantum iustum, legale, et suum proprium, propria Maiorum suorum virtute, et proprio sanguine penes christianitatem cum prodiga libertate saepius effuso partum, per Gloriosissimos Majestatis Vestrae Sacratissimae Antecessores clementer admissum, ac per Maiestatem Vestram Sacratissimam benigno suo diplomate, et in verbo eiusdem regio clementer confirmatum, sibi benigne concedendum, humili animorum suorum desiderio exorant, paterne admittere, et auctoritate Sua Regia pro exigentia iustae ipsorum instantiae benigne resolvere. In quantum vero vti fideles subditi pro remedio et alleviatione afflicti sui status ad paternam Maiestatis Vestrae Sacratissimae benignitatem prouoluti, innatae eiusdem clementiae se submitunt; eosdem paterno regiarum gratiarum sinu excipere dignetur. Ita, vt dum in Maiestate Vestra Sacratissima, velut domino et rege ipsorum clementissimo, patrem et in patre regem se habere confidunt, eandem ipsam M. V. S. clementiam in hac sua extrema agonizantis patriae et sui necessitate, stante praesenti diaeta, cum consolatione experiantur, et dum iam se vndiquaque fere derelictos existimant, ex funebrali ipsorum interitus puluere, ad vteriora fidelia M. V. S. et totius christianitatis seruitia sublevati reuiuiscant: Quod dum sub auspiciatissimo iustitiae et clementiae M. V. S. patrocinio se obtenturos sperant, eidem Maiestati Vestrae Sacratissimae diuturnum et felix gubernium, gloriosumque contra omnes hostes imperium concordibus votis apprecantur. Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Domini Domini ipsorum clementissimi. Sopronii die 22. Novembr. Anno Domini 1681. Humillimi perpetuoque fideles vniuersi status et ordines regni Hungariae, partiumque eidem adnexarum ad praesentem generalem regni diaetam conuocati.

152. *Leopoldi Regis ad Statuum et Ordinum regni, Sopronii, instantiam resolutio. Anno 1681.*

Sacra Caesarea Regiaque Maiestas, Dominus Dominus clementissimus, vniuersis fidelibus regni sui Hungariae, et partium eidem adnexarum statibus ac ordinibus, qui vel in persona, vel etiam legationis munere fungentes, nomine principalium suorum, ad benignam eiusdem suae Maiestatis sacratissimae requisitionem, atque mandatum, pro praesenti generali huius regni diaeta congregati sunt et confluerunt, praemissa paterni sui regii affectus et clementiae oblatione, haec sequentia iisdem statibus et ordinibus benigne proponenda esse duxit. Et in primis quidem, tametsi non dubitaret sua Maiestas sacratissima eisdem statibus et ordinibus regni luculenter constare, vel ex ipso tenore benignarum regalium literarum, causam, et rationem praesentis institutae diaetae praecise eam esse, vt tot malis pressum, totque hostium infestationibus, ac priorum etiam patriae filiorum intestinis seditionibus turbatum, factiosis et perniciosis motibus concussum, diuulsumque, olim florentissimum hoc suum Hungariae regnum, in tranquilliores statum reponi, desiderataque quies ac securitas eidem restitui, Fideles denique regnicolae pacis amoenitate deinceps frui possint. Nihilominus, vt ante actos, in tranquillandis his motibus, atque tumultibus, pacandisque in transuersum actis animis, et reducendis a debita fidelitate auulsis ac eos sequacibus patriae huius filiis, eo luculentius obtutui fidelium suorum statuum et ordinum regni, regios suos labores et conatus ponat, quo feruentiori zelo ad effectum id deducere Paternae sane desiderabat; memores esse eosdem status et ordines clementer iubet: qualiter auulsioni huic diaetale hoc remedium, refractariis illis, et extremam suam, ac propriae patriae perniciem meditantibus, in ipso statim initio, infelicis factionis, pro complanandis quibusuis controuersiarum causis, sub Neozoliensi adhuc conuentu clementissime obtulerit; quod ipsum, cum pertinaciter iisdem respuisent, et in arma ac seditiones apertas prorupissent, abstinere quidem sua Maiestas sacratissima, ab oppositione armorum, quae plurimas incommoditates et calamitates secum semper traherent, ita et a rigorosioribus mediis capessendis supersedere, clementissime intendebat; verum regia dignitas et autoritas ad iustam sui defensam, eandemque suam Maiestatem prouocabat. Unde, ad retundendam tam perniciosam seditioem, inducendus copiosior miles, aliaque remedia ad tanti mali curam adhibenda videbantur, vt caesaream suam regiam dignitatem eadem sacratissima Maiestas vindicaret, et manuteneret, ac extremam regni ruinam auerteret, violatam denique fidem in auulsis subditis, regiiis viribus reprimeret. Oblata fuere successu temporis diuersa clementiae et gratiae media, adhibiti ad hoc etiam immensi labores et sumptus; sed, quo clementius cum iisdem actum fuerat, eo in peius proni ruebant, dum alii nationibus sese associantes, grauia quaeque contra patriam machinari non omiserunt. Intendebat equidem sua Maiestas sacratissima ex post etiam, saepissime hanc diaetalem, his malis adhibere medelam et ad generalem confluxum suos fideles status et ordines conuocare; sed grauissimis impedimentis, et maxime ob pestiferam ubique locorum diffusam contagionis luem distracta, paterni sui desiderii efficaciam consequi,

hactenus non fuerat integrum. Nunc, Dei optimi, maximi misericordia, aliquantum securioris temporis occasionem nacta, noluit deesse regali suo muneri, quo deplorandum regni sui Hungariae modernum statum graui, commiserativoque regii animi sui sensu respiciens, vel hoc diaetale quoque medium intentatum relinqueret, palamque vniuerso orbi christiano, pro conseruatione huius, eiusdem christianitatis antemuralis impensos labores, curas, solitudines, sumptus, armorum vim, et omnis caesareae atque regiae operae studium solícite exquisiuisse, paterneque adhibuisse, se demonstraret; ac proinde ad exoptatae tranquillitatis rem hanc diaetalem plurimum profecturam rata eadem sua Maiestas sacratissima, benigne requisitos et monitos esse voluit status et ordines, vt priuatis quibusvis rebus, negotiis et praetensionibus sepositis, ita et intestinis odiis et simulatibus remotis, pro sua fidelitate et obsequio erga eandem sacratissimam Maiestatem, ac eiusdem regiae authoritatis conseruationem, debito pro sincero erga dulcem suam patriam amore, publica duntaxat, et quidem ante omnia, qualiter videlicet dudum desiderata illa pristina salus, pax et quies restituenda sit huic regno? diligenter consulere velint. Praeterea, vt vnitas armorum et animorum simul sit sincera, constans et stabilis, adeoque ad omnes casus fortior ac validior; qua via ad hanc vniopem et debitam fidelitatem reducendi sint avulsi, ab eodem exulantes? sua enim Maiestas sacratissima iisdem ea, quae pro demeritis ipsorum iuris, iustitiae-rigoris essent perpetuae obliuioni tradituram; imo, quae aequitati congrua forent, admissuram clementissime obtulerat, dum modo resipiscerent, et ad debitam fidelitatem ac obedientiam reuerterentur, calamitosoque huic regno pax et tranquillitas restitui possit: verum, cum enormia quaeque et dignitati regiae repugnantia nonnulla eorumdem exulantium postulata, eadem sua maiestas sacratissima minime admittere quiuisset, nonnulla autem ad solitam generalem regni diaetam, rationibus ex praegnantibus, provocasset, in priori iidem exulantes haeserunt, haerentque etiam num pertinacia; illi enim (prout constans fama ferebat) in regni et religionis perniciem, talibus moliminibus se inuoluisent, quibus ipsi status et ordines regni, sine discrimine etiam religionis, suis testimonialibus laudabiliter contradixerunt. Porro, quandoquidem ex parte praedictorum exulantium stetit hactenus, quo minus tot votis exoptata quies haberi potuit; si quo casu exoptata etiam ex parte eorumdem in tranquillando regno obex quispiam poneretur; et cum non deessent tam internae, quam externae in hoc regno periculosae machinationes: in praueeniendis et compescendis eiusmodi conatibus, quibus vtendum mediis? Eadem sua Maiestas sacratissima vnanimi statuum consensu deliberandum benignissime exoptaret. Nec minus ad bonum publicum spectare animaduertit sua Maiestas sacratissima in casu huiusmodi periculorum et necessitatum, militem copiosiore, quam in locis iam praesidio munitis interteneri debere, qui ad ingruentes quoscunque casus sufficiens sit, et hosti regnum populabundo vbi-que occurrere possit; per quam necessarium existimari, vt status et ordines regni, pro alendo tali milite, subsidio in praesenti diaeta determinando succurrant; cum ad id regi et regno suo praestandum, diuino aequae, ac humano iure, et debiti homagii obligatione teneantur; e contra non intermitteret sacratissima quoque Maiestas onus re-

partitionis clementissime tollere. Vt autem miles in praesidiis et confiniis securior subsistere, et hostiles conatus exinde reprimi validius possint, perquam necessarium fore iu licat sua Maiestas sacratissima, quatenus confiniis, et praesidiis eiusmodi, de quibusuis necessariis rebus, et munitionibus in tempore prospiciatur; cum n essent pleraque confinia et praesidia, quae (reparatione, a compluribus annis intermissa) in tantum ruinosam reddita sunt, vt nisi reparationibus requisitis, iisdem quam primum succurratur; cum summa regni, et regnicolarum pernicie collabi et pessumire debeant, cui dispendio praecauendo, eadem sua Maiestas per status et ordines determinandum censet, vt de ruinis restaurandis, et aliis quoque aedificiis necessariis erigendis, certi quidpiam (quod et in effectum deduci debeat) decernatur. Illud quoque ad promovendam eiusmodi confiniorum ruinosorum restaurationem cumprimis utile esse sua sacratissima Maiestas existimat, et hactenus non paruum defectum exinde emersisse cognouit, quod gratuiti labores tot diebus in hunc finem limitati et ordinati, per comitatus vel non fuerint in tempore administrati, vel vero totaliter intermissi, et in restantiis haereant, vt plurimum vsque ad praesens; adeoque efficacior quispiam modus per status et ordines regni determinandus esset, quo exposit diligentius eiusmodi gratuiti labores administrantur, ac restantiae quoque eorundem, debito modo rectificatae, exigantur, et ad praemissas necessitates conuertantur. Maxime regni huius damnò ac detrimento fieri id quoque inaudiuit sua Maiestas sacratissima, quod plurima oppida, villae et pagi, tum in superioribus, quam in his inferioribus regni partibus existentes, nulla prorsus necessitate pressi, sed priuatae duntaxat commoditati studentes, clam et absque villo praescitu confiniorum officialium, a tempore nouissime cum Turca initae pacis, sese iisdem turcis subdidissent, tributariosque effecissent, adeo, vt verendum nimiam esset, ne, continuata huiusmodi ditione, sensim totum regnum in ditionem hostis Turcae deueniat; ac proinde expediens videri, vt per status et ordines regni ad coërcendos similes incolarum temerarios ausus, secundum regni constitutiones, consilia efficaciam subministrantur. Et quia pro bono et salute patriae plurimum faciat etiam, vt bona disciplina apud omnes milites, sine nationis discrimine, obseruetur, id circo suae Maiestati curae erit, vt omnibus insolentiis, rapinis et depraedationibus occurratur, et quidem transgressores, siue sint milites, siue vagabundi praedones seuerissime puniantur. Denique, si quidem per hos continuos et intestinos motus, atque tumultus, iuris quoque cursus hactenus fuisset remoratus, exindeque neque debita regionum et ordinariorum regni iudicium mandatorum reuerentia obseruetur, et in iudicialiarum etiam sententiarum executionibus varii irrepsissent abusus; id circo requiri vel maxime, vt pro circumstantiis moderni temporis, in huiusmodi mandatorum, iuris quoque cursus obseruatione, ac sententiarum iudicialiarum, vi et armis quandoque executioni demandatarum, vel effectui mancipari impeditarum abusu, deinceps etiam per quoscumque attentando, conuenientior, et oportunior quispiam modus per status et ordines regni, communi sensu ac consilio, adinueniatur. Atque haec sunt, quae inter caetera, pro statu moderno, magis necessaria sua Maiestas sacratissima fidelibus regni statibus et ordinibus proponenda esse censuit.

Quae omnia, si quidem eo tendant, vt afflictae patriae desiderata tranquillitas, publica quies, et auulsa securitas restituatur, atque stabilatur; fiduciam suam ponit eadem sua Maiestas in debita statuum et ordinum fidelitate, et erga suam charam patriam zelo ac amore, quod in his omnibus sedulam sint iidem status et ordines inpensuri operam, eosque adiuuenturos modos, quibus communi saluti et permansioni, ac regiae quoque Maiestatis authoritati quam optime consuli possit et prouideri, et eo quidem alacrius ac celerius laboraturos, quo suam Maiestatem sacratissimam, sacri sui romani imperii, ac etiam aliorum regnorum, et prouinciarum curis, atque negotiis plurimum intentam esse, praesentiaque pericula moram haud pati, vel ea in longum protracta, in deteriorem statum vergi, exactissime notum habeant. De reliquo, sacra caesarea regiaeque Maiestas, de paterna sua gratia et clementia, eosdem status et ordines regni, certos et securos reddendo, benignum iisdem voluntatis suae affectum, et regii animi propensionem clementissime offert. Per sacram caesaream regiamque Maiestatem in eiusdem libera ac regia ciuitate Soproniensi. Die 24. mensis maii anno 1681. Joannes Maholányi mp. Sacratissimae Caesareae atque Regiae Maiestatis benignissimo nomine, vniuersis regni Hungariae, et partium eidem adnexarum statibus ac ordinibus, pro praesenti generali regni diaeta Sopronium congregatis assignandum.

153. *Puncta, quae Leopoldus ad supplicationem SS. et OO. A catholicis concessurum se, declarat. A. 1681.*

„Quum Sua Caesarea et Regia Maiestas inclitis regni Hungariae ordinibus ad sextum suorum grauaminum articulum super humillimis omnium statuum instantiis vltra declarationem, ipsis August. et Heluet. religioni addictis singulariter iam exhibitam, clementissime responderit, se in negotio religionis finaliter determinaturam, qualis libertas et exercitium in merito religionis in futurum sit concedendum, idcirco altissime memorata Sua Caesarea et Regia Maiestas se sequenti modo declarat; simulque determinat, scilicet: I. Pacificatio Viennensis in totum et maxime in I. articulo, vtramque religionem concernente, in omnibus repetitur et confirmatur (confirmatur igitur et illud: absque praeiudicio tamen catholicae religionis). II. In supplementum dictae pacificationis omnes et singuli status et ordines non solum romano catholici, sed etiam confessioni Aug. vel Helvet. addicti, siue sint magnates et nobiles, siue liberarum ciuitatum indigenae, oppida etiam priuilegiata ad coronam pertinentia, pariter milites et regnicolae in confiniis commorantes, in illa, quam modo profitentur, religione sine omni turbatione permaneant: nec non in transgressores, sublato religionum supra dictarum discrimine, seuerè animaduertatur. III. Neque dicti Aug. et Heluet. religioni addicti ad alias suae religioni contrarias ceremonias peragendas, semoto tamen publico scandalo, compellantur. IV. Vltra libertatem hanc dictis Aug. et Heluet. religionis sequacibus concessum sit insuper suae religionis exercitium et vsus, saluo tamen in his iure dominorum terrestrium, in dominiis et bonis, praecise catholicos concer-

nentibus, et e contra Aug. et Heluet. confessioni addictos respicientibus; in aliis vero mixtis et per vtriusque religionis dominos comportionaliter possessis, pro illis, qui de praesenti ibidem in vsu et actuali possessione templorum essent, permanente, et integro relicto. V. In locis etiam, vbi liberum religionis exercitium concessum, non liceat ex causa religionis pastores et parochos ecclesiarum amouere, pellere aut turbare. VI. Nullae etiam vltra occupationes templorum fiant. VII. Propter bonum pacis et tranquillitatem publicam, ne regnicolae paene infinitis litigijs templorum aut ecclesiarum causa implicentur; illa templa, aut ecclesiae, nec non etiam reditus, aut prouentus, ad eas pertinentes, si haec ab initio anni 1610. hucusque occupata non fuissent, possessoribus permaneant. VIII. Poseniensibus Aug. conf. addictis, liceat aedificare suis sumptibus templum vnum in loco commodo, atque in suburbio, a Sua Caesarea et Regia Maiestate designando. IX. Ciuitas Soproniensis maneat in possessione et exercitio suae religionis, quam modo profitetur, nec in hoc turbetur. X. Quoad reliquas liberas ciuitates, a Sua Caesarea Regiaque Maiestate similiter loca, pro aedificando templo, praeuio modo designanda, clementissime indulgentur. In ciuitatibus et vltra Danubianis, vtpote Trencsimiensi, Cremnicensi et Novisoliensi, in superiori Hungaria Bartfensi, Leutsoviensi, Eperiesiensi, Cassoviensi et Nagy Bánya. XI. In comitatibus porro Heluet. et Aug. confessioni addictis, sequentia obseruentur: scilicet in comitatu Castriferrei pro illis, qui Aug. conf. sequuntur, in Dölmölk et Nemes Csó, pro Heluet. vero confess. incolis in Felső Ór, demum in comitatu Soproniensi in Vadossalua et Nemeskér, in Poseniensi in Réthes et Pusztafödemes; in Nitriensi in Nitra Szerdahely et Strása penes Vágum; in Barsiensi in Simony et Szelesin; in Szoliensi in Osztróluka, et Garamszeg, in Thuroczeni in Nedszpal et Ivánhalva, in Liptoviensi in Hibet et Nagy Palugya; in Aruensi in Felső Kubiny et Isztebnye; in Trencsimiensi in Szulov et Zay Ugrócz; in Scepusiensi in Görgő Toporc, vel Batisfalua; in Sárosiensi in Ketszer Peklin et Tarca; pro Heluet. autem confess. addictis in Tót Selmes et Balpataka; in Szaladiensi siquidem, Veszprimiensi, Jauriensi, Comaromiensi, Abaujvárensi, Vnghensi, Bereghiensi, Tornensi, Gömöriensi, Borsodiensi, Neogradiensi, Szolnok et Hevesiensi, Pest et Pilisiensi, Szabolcsensi, Szatmáriensi, Zempliniensi, et de Ugocsa, ac Hontensi comitatibus, quae de praesenti essent in vsu; tandem in confinijs etiam regni, et quidem in generalatu contra Canisam, in Egerszegh, et Sz. Gróth; in generalatu Jaurinensi, in Tibany, Váson, Papa, Veszprém, Jaurini et Comaromii; in Generalatu antemontano: Lauae, Carponae et Fülekini; in generalatu superioris Hungariae: in Putnok, Onod, Szendrő, et Tokay; trans Tibiscum in Kallo et Szathmár. XII. Permissum etiam sit, magnatibus et nobilibus, qui vel Aug. vel Heluet. religionem profitentur; et in suis arcibus habitant, oratoria et sacella pro exercitio suae religionis erigere. XIII. Quum romano catholicis merito sit, et esse debeat, in vniuerso regno liberum religionis suae exercitium et vsus; ideo hi nullo modo aut tempore, nulloque loco, in hoc exercitio vel iam turbentur, vel in futurum impediuntur. XIV. Si quae grauamina futuro tempore, in negotio religionis emergerent; dissidia nunquam armis, sed per regem,

auditis partibus, determinentur. XV. Sub graui Caesareae et Regiae maiestatis indignatione, abstineant status et ordines ac regnicolae, nequis alterius partis religionem, aut eius asseclas conuiciis vel scommatibus villo modo proscindant. Unde sua quoque Maiestas Caesarea et Regia omnes suos fideles status et ordines et regnicolas, non solum contra omnem vim et violentiam, clementissime proteget, sed etiam transgressores, sine status discrimine, prout regni tranquillitas exigit, condigna poena afficiet. Quae tamen omnia nec aliter, nec alio modo conceduntur, quam vt Aug et Heluet. confessionis sequaces, si hac concessione frui velint, quiete, pacifice et prout alios fideles decet, viuant, et debitam obedientiam regi suo praestent. Et quum per haec omnia sua Maiestas sacratissima suam ergo illos innatam clementiam et benignitatem abunde demonstrauerit, ne quid vltius ab illa in hoc religionis negotio desiderari possit; vnde etiam pro certo habet, regni status et ordines et incolas suae clementissimae resolutioni omnino acquieturos. — Sopronii die 9. mensis Nov. anno 1681. Per SS. C. Rque M. Joannes Moholányi.“ — Hist. diplom. p. 191.

Sed frustra sperauit rex, acatholicos hac indulgentia sua contentos fore: in sextum et septimum protestati denuo sunt; nec gratiosis responsis affidati quieuerunt, a diaeta recedere voluerunt; contradictionem iterarunt; quae toedium vsque agitata lege in eadem Historia diplomática a p. 203—222. — Denique ad arma Tökölö perduelli. Transiluanis item ac Turcis socianda proruperunt.

154. *Clerus Catholicus sui per Aatholicos incriminationes diluit. A. 1681.*

„Quamuis probe sciat clerus catholicus, se toties rebellionibus, et bellis intestinis, immo plerumque Turcicis etiam, per suas persecutiones religionis euangelicae, in propria patria ansam dedisse, eoque ipso regem suum in summum periculum amittendi regni, omnesque regnicolas per caedes, incendia, et vastationes innumerabiles, in summam miseriam praecipites dedisse; nihilominus zelo indiscreto, et propria utilitate, nec non audissima libidine ab exuuiis et praedis euangelicorum, ex sua sententia eliminandorum, ditescendi, occoecatus adeo est, vt praeferat priuatum vtile publico regis et patriae, regnicolarumque saluti. — Articulo XXV. diaetae anni 1681. infausta clausula de dominio terrestri, urna illa tantorum malorum, dominos terrestres catholicos Hungariae ad eiiciendos sedibus suis euangelicae religioni addictos subditos, imprimis ipsorum praedicantes, adegerat. — Denique omne malum; quod ex tot reuolutionibus in religionem catholicam et regnum redundauit non euangelicis, sed principaliter regi et catholicis adscribendum esse; vtpote, qui libertatem, quam Aug. et Heluet. confessioni addicti petebant, negauerint. Haereticis, nulla dogmata, fini ciuitatis opposita habentibus, omnia iura ciuium concedenda esse, nullumque a principe negari posse, quin officio, vtpote securitati ciuitatis suae et propriae consulens, desit.“ Hist. dipl. p. 105.

Responſa Catholicorum: Ad Ium: „Commissum nobis a Deo ecclesisticae munus functionis exigit, vt orthodoxae fidei, et ecclesiasticarum personarum defensionem, cum extremo etiam vitae discrimine, suscipere non dubitemus. Nam

ut Sanctus Augustinus obseruat ad Vin. cap. 1) Si quisquam inimicum suum, periculosus febribus phreneticum factum, currere videret in praeceps; nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic permetteret currere, quam si corripiendum, ligandumque curaret? Euangelici in prima sua reuolutione, libertatis, quam 1605, et 1606. armata manu petebant, nullum ius habuerunt; quum ante hos annos nullus in eorumdem fauorem conditus sit articulus; adeoque ipsi ad hoc vsque tempus sub communi dispositione iuris patrii in haereticos quippe parte II. tit. 14. §. 14. item art. 4. 1495. §. 12. vti etiam art. 54. 1523. 4. 1525. 11. 1548. permanserint. Tum libertas, quam armata manu in prima reuolutione extorserunt, quaeue illis a rege (regium solum concupiscente, paucis Hungaris praesentibus) in pacificatione Viennensi concessa, limitata erat, et multo minor illa, quam ipsi per posteriores turbas et reuolutiones vi impetrare contendebant. Immo irrestrictam hanc libertatem, quippe religioni catholicae praeiudiciosam, inque eius ex regno exterminium directam, atque plurimarum animarum aeternae salutis iactura coniunctam, rex ex iure suo, tum regio, tum aduocatae ecclesiasticae, vti etiam ex munere Apostolatus, regibus nostris proprio, non modo euangelicis concedere non potuit, sed etiam negare debuit. An ergo, quod euangelici libertatem, nullo iure sibi competentem, per grauissima mala extorquere primitus attentarint, et postquam illis tolerantia, quae sola concedi poterat, concessa, hac non contenti, iisdem viis et mediis ea, quae iis nulla ratione et pro nullis rerum circumstantiis concedi poterant, impetrare voluerunt, nihilominus culpa penes clerum potius, quam penes euangelicos est nullo iure vtentes??

Ad II. Catholicorum intercessio, clausula art. XXVI. non eadem causa, qua protestantes reclamauerunt, processit; sed ex eo 1) quod in his duobus articulis renouarentur per expressum articuli I. pacificationis Viennensis. 1. 1608. ant. coron. n. 1647., quibus ipsi semper contradixerunt; periculum autem erat, ne nunc, iis non contradicendo, pro consentientibus in eos haberentur. 2) Quod, vt ex §. eodem intelligitur, per hanc articularem concessionem iisdem Aug. Helueti confessioni addictis, vltior praetensionum suarum via, in futuris diaetis instantias suas promouendi, minime praecluderetur. Quippe cum catholici templa, parochias et caetera iure patronatus et fundi occupassent; iure negabant, per hoc euangelicos grauatos, seque violentos esse propterea, quia, vti saepius repetebant: nemo in proprio fundo violentus. Per consequens, nullo ex parte euangelicorum existente grauamine, merito quoque contradixerunt, contra datam ipsis deinceps quoque querulandi ac per hoc tractatus publicos retardandi facultatem.

Ad III. A catholici, contra articulum XXV. quo liberum religionis exercitium ipsis conceditur, addita hac clausula: Saluo iure dominorum terrestrium⁶⁶ volebant catholicis dominis id non licere, quod ante sibi arrogarunt. Ipsi, desertis sacris catholicis, templa catholica sibi vindicarunt; cur eorum posteris ad sacra catholica reuersis ea repetere non licuisset? Nec est cur tantos excitauerint clamores, quod hic articulus se referat ad decretum anni 1608., quo tamen haec clausula non habetur: nec enim propter clausulam hanc, sed propter liberum exercitium ad decretum

illud prouocatur, quod aucto iam catholicorum dominorum numero restringi per eam clausulam „saluo iure dominorum terrestrium“ et potuit et debuit.

Ad IV. Ponamus, communitatem aliquam, aut societatem, in regno quopiam, numero, auctoritate, potentia ita praeualere, vt certorum illegalium factorum suorum, tum iam perpetratorum, tum deinceps quoque perpetratorum, impunitatem petere audeat; eaque ad euitanda, iam etiam attentata, maiora mala, illi concedi debeat; num culpa attentatorum malorum penes principem propterea, quod eidem communitati praetactam impunitatem non illico, et primitus concesserit, quam alioquin, nisi ad vitanda maiora mala concedere non potuit; an non potius penes communitatem, quae nullo iure siue facta perpetravit illegalia, siue eorumdem factorum impunitatem per attentata adhuc grauiora mala extorsit, censenda? Si quid hoc in casu peccatum a principe, illud est: quod eiusmodi communitatem in suam ciuitatem receperit, et vbi recepit, ita numero, potentia, auctoritate inualescere siuerit, vt ei, quiduis petenti, nihil amplius negari valuerit; nihil vero peccatum per id, quod eorum illegalia facta, vti debuit, etiam puniuerit. Similiter, si quid peccatum a regibus nostris, a statibus et ordinibus regni illud est, quod Aug. et Héluet. confessioni addictos, in regnum penetrare; quod articulis sub regibus Austriacis saluberrime conditis non effectuat, eosdem numero, potentia, auctoritate, tantopere inualescere siuerint, nouis et nouis concessionibus, et indulgentia eorum inquietem incitauerint.“ Vide cleri Hung. Vindicias. A. 1790.

Georgii Szelepcsényi lamentabiles literas, de afflicto Ecclesiae Hungaricae statu, sub bel-
lis intestinis ad Pontificem Romanum datas, ne animos exulcerare videar, subliceo.

155. *Innocentius XI. Papa dolore percussus, super afflicto catholicorum Statu, Szelepcsényio. A. Episcopo respondet. A. 1683.*

Innocentius — Ad recitationem literarum, quibus de afflicto Hungariae, ac dioecesis imprimis, tibi commissae, statu diligenter non docuisti; ex intimis plane praecordiis ingemuimus, effusisque ad patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, qui iustos in tribulationibus diu esse non sinit, humillimis precibus eum enixe rogauimus, vt exortam in isto regno aduersus fideles suos saeuissimam tempestatem spiritu oris sui quamprimum dissoluat; et educat eos e potestate tenebrarum, et de manibus furentium haereticorum. Dum vero tantam rerum perturbationem vobiscum impense dolemus, non possumus non vehementer laetari de inuicta fortitudine, qua eosdem fideles acerbissimam persecutionem pati, et nonnullos sanguinem ipsum vitamque pro catholicae fidei confessione profudisse intelligimus, diuinamque bonitatem non omittimus accurate obseruare, vt in aduersis omnibus alacriter sustinendis magis, magisque gratiae suae ope superstites roborat, atque confirmet. Quod quidem, sicut paternitas tua salutaribus monitis hactenus egregie praestitit, ita indesinenter etiam praestituram non dubitamus. Vberes vero, de hoc eximio zelo ac pastoralis vigilantiae tuae laudes in praesens tribuentes, nullam, quae se offerat, occasionem dimitte-

mus, propensos erga te animi nostri sensus, re ipsa tibi declarandi. Ceterum ad sacra Apostolorum limina, tuo nomine visitanda, dilectum filium, Joannem Janium a te ad deputatum libenter admisimus, et congregationi, eiusmodi negociis examinandis praepositae, mandauimus, ut quae supra memoratis litteris ad ecclesiam tuam spectantia nobis exposuisti, serio perpendat, iisque oportune consulat. Fraternitati interim tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 22. Maii, 1683. Pontificatus nostri anno 7." Apud Schmitth Ep. Agr. tomo III. p. 316.

156. *Postulata ac grauamina Status Ecclesiastici vniuersi, patriis legibus fundata. Anno 1688.*

Augustissime Imperator. Quantopere fidelis semper ac obsequens Augustissimae Austriacae Domui vniuersus Vngariae Ecclesiasticus Status fuerit, probe notum est Maiestati Vestrae Sacratissimae ac omnibus veterum Historiarum peritis, qui, uti primus quatuor inter legales Regni Status legitime censetur, ita eosdem inter primas sibi in debita erga legitimos Reges suos obseruantia vindicauit hactenus, et de facto vendicat. Neque opus est praeterita in Argumentum reuocare tempora, quando vel haec ipsa in praesenti decurrens Diaeta feliciter Posoniens. locuples testis esse perspicitur. Vix enim salutaris et iusta M. V. S. intentio certis in punctis proposita nobis innotuerat, mox eandem vnanimi conatu promouere statuimus expendentis nempe deliberatione matura, quae et quanta nouissimis hisce temporibus in Regno hoc Apostolico, pro Religione Apostolica, imo pro vniuersa christianitate, contra immanem Ottomannum M. V. S. Rex vere Apostolicus egerit, es posthac quoque plura agere perrectura sit; ac idcirco corde vno et ore, per Illustrissimum ac Reuerendissimum Archi-Palatinum nostrum, tribus reliquis Statibus in exemplum ad mentem Maiestatis Vestrae Sacratissimae sententiam nostram palam ediximus. 1. Habuissemus equidem prope innumeras, easque iustissimas aequae ac grauissimas quaerelas, siue Grauamina concinnanda videlicet ex Rebus perperam per A catholicos actis contra Deum et Diuos, contra Regem et Legem, contra Clerum et fidelem sanctae Matris Ecclesiae populum, quae tamen alto tantisper silentio premenda duximus, subuerentes, ne fors eosdem in apertum proferentes obicem aut remoram aliquam salutaribus Maiestatis Vestrae intentionibus poneremus. Verum ubi ex ipso Excellentissimo Regni Hungariae Palatino inexpectate plane intelligimus, quod nonnulli Augustanae et Helueticae Confessionis sectarii in persona et nomine suae Farinae A catholicorum, coram dicto Domino Palatino paucos ante Dies Articulis nouissimae Diaetae Soproniensis Anni 1681. in negotio Religionis confectis contradicere praesumpserunt, Grauamina contra Catholicos Maiestati Vestrae Sacratissimae praesentare; nos quoque ulterius, iam silere piaculum grande foret, vix vlla vnquam poenitudine expiandum. Et quamuis memoratis Articulis contenta, per iniuriam temporum extorta, permissiuia indulta dictae confessionis vtiusque sequacibus re ipsa nulla fuerint, ob solennem contradictionem integri primi

Status Regni (quaemadmodum et de facto exstat, Authenticum contradictionis exemplum a M. V. S. subscriptum) cum ad validitatem singulorum articulorum, vniuersalem omnium quatuor Statuum Regni consensum, antiquae leges Patriae exigant, nihilominus tamen vt hac in parte permissiuae voluntati M. V. S. intuitu, vtique maiorum euitandorum malorum, quae prudenter metui censebantur, impetratae, nos accommodauimus magna animi cum reluctantia, et putaticia A catholicorum iura, tum in dicta Diaeta Soproniensi, tum in aliis omnibus ab articulo 3. huius seculi (quibus semper solenniter primus Status Cleri, et alii ex reliquis tribus Statibus Catholicis conscientiose contradicebant) taliter qualiter fundata, dissimulanter, in quantum salua conscientia sinebatur, sustinuimus, consensum tamen, in nullas eiusmodi permissiones Religioni Catholicae praeiudiciosas praeuimus vnquam, vti neque de facto praebemus, aut absque graui noxa praebere possumus. Quod si etiam Clerus nullam aduersus saepedictos Articulos nouissimae Diaetae Soproniensis contradictionem fecisset, ille tamen per ipsam A catholicorum, tum ibidem, tum in Comitatus quibusdam, tum recenter in praesentia Excell. Domini Palatini contradictionem factam annullati sunt, praesertim cum finita memorata Diaeta caeteros Regnicolas ad praesentationem de more Articulorum Diaetalium Suae Maiestatis Sacratissimae faciendam comitari proterue renuerint. His accedit certum illud principium, quod conditione non seruata, neque seruari debeant, siue promissa, siue permissa, quod sub tali conditione siue promissa vel permissa fuere. A catholici autem appositam Articulis sibi fauentibus conditionem nimirum vt quiete et pacifice viuant nullatenus seruauerunt, quin potius, millies, ac millies violarunt. Post finitam enim Diaetam Soproniensem inundante potestate Thököliana maiorem Regni partem, ante et sub obsidione Viennensi, tam scelerata licentia in Religionem Catholicam debachati sunt, vt piae et Christianae aures, vel audire exhorrescant, plurima, iis temporibus occuparunt et expilarunt templa, peruetusto Catholicorum zelo quondam exstructa, Parochos Catholicos, vel praeiudiciose expulerunt suis e Parochiis, vel contumeliose captiuarunt, ac nonnisi praegrandi exsoluto lytro dimiserunt. Religiosos varios, praesertim vero Societatis Jesu Patres, de Ecclesia Hungarica optime meritos, grauissimis vexationibus et arestationibus ita vt ex illis mortem obierint, affligerunt, sacra templorum vasa et apparamenta Sacerdotalia diripuerunt, profanarunt, pro equorum etiam tegumentis, sacris abutentes Casulis: Cruces et columnas Sacras sacratissimae Passionis Christi referentes, ad fines vrbiū, pagorum ac oppidorum sitas, vel in toto vel in parte diruerunt: Altaria, Statuasque Magnae Vngariae Dominae ac illorum sanctorum securibus infestarunt, mutilarunt, super carbones assarunt, cremarunt etc. genuinam plane antiquorum Iconoclastarum repraesentantes progeniem: mensas ipsas Sacrorum Altarium foedissime (proh scelus) conspurcarunt, neque aliquod sacrilegorum scelerum perpetrare omiserunt. Quorum omnium oculati testes vsque modo supersunt, tum e secularium, tum Ecclesiasticorum ac Religiosorum hominum sorte et haec inulta remaneant? Aut reliqua scelera tam grauia patrantium intra Regni viscera foueantur? Conuertat quis etiam num ad peruersam Regni Vngariae faciem pientioris mentis

suae oculos, et a piis lacrymis sibi vix temperare poterit, si zelum Dei suo in corde habuerit: manent etiam vsque modo quam plurimis in locis desolata templa, sacra supellectilia spoliata, altaribus priuata, Domus Parochiales dirutae, vel semirutae, prouentus abalienati, animarum oues Christi sanguine redemptae, sine Pastoribus errantes, ac in viam damnationis miserrime deuiantes, sunt perquam multi, superiori praesertim in Vngaria, Comitatus, in quibus paucissimos, hoc in duos aut tres, quinque aut sex Parochos Catholicos, vix est reperire et hos calamitosissime vitam suam transigentes, vtpote Pseudo-Pastoribus, stationes eorum et praebendas occupantibus, abligurientibus. 2. Committere quidem dignata fuit Maiestas Vestra Sacratissima defuncto nuper iudici Curiae Nikolao Draskouith, aliisque, vt ad normam articulorum Diaetae Sopron. Religionem Catholicam reducerent, sed quam paucis in locis executio huius commissionis facta sit, palam est omnibus in Aatholicorum vicinia degentibus. 3. Durum valde et visu lamentabile est, Augustissime Imperator, quod passim per Diaeceses Vngariae praticari conspiciamus ex infirma sorte Nobilium sunt, qui rudissimos, et ad stium magis aptos, quam erudiendis animabus idoneos suis in domibus conseruent, Tabulas, ad quas caeco impetu, dum simplex confugit plebucula, non solum huiusmodi pseudo - Ministros, sed et eorundem intertentores miserabiles sustentat. Parochos autem, quorum iurisdictioni subiacet, egregie famere semique laceros incedere facit. Ex hoc et alia grauis animarum peruenit ruina, cum graui pariter scandalo, quando nimirum eiusmodi rudissimi Ministelli coniuges inter, de quorum alterius partis obitu, necdum sufficienter liquet, putaticia contrahi faciunt Matrimonia, exindeque numerosae sceleratae nascuntur Bigamiae, quandoque etiam cum defectione a fide Catholica sociata. Neque politico perniciosi mali carent periculo priuata huiusmodi ad priuatorum Domos Pseudo-Cultus diuini gratia, conuenticula. Quae proinde Maiestati Vestrae Sacratissimae nequaquam vltius sunt dissimulanda, quin potius quam efficacissimum adhibendum remedium, ne tam grauis et copiosa vltius serpat animarum ruina. 4. Displicet et illud perquam vehementer, in praesumptuoso Aatholicorum, quam Lutheranae tam Calvinianae sectae ausu, quod passim, qua ore, qua scripto nomine Status, se vocitare praesumant, cum tamen iuxta leges Patrias, nonnisi quatuor legitimi Regni Status numerentur (vid. Art. 1. post Coronationem Regiam Anni 1608.) Praelatorum videlicet, Baronum, siue Magnatum, Nobilium, et liberarum Ciuitatum, nullus igitur est, e quibuscunque sectariis conflatus Status, quintus admittendus, quae non solum in graue praeiudicium Regni nostri Mariani, verum etiam in Maiestatis Vestrae Sacratissimae perquam graue detrimentum vergeret, si vel secundum dici, huiusmodi vocitatio Status, dissimularetur. Nec minus indigni sunt titulo Euangelicorum, vtpote qui non iuxta, sed contra Euangelium docentes et degentes Anti-Euangelici debeant nuncupari. 5. Neque alius tolerandus est, passim inualescens abusus, quod in hospitalibus Ciuicis per zelozos Catholicos olim fundatis pauperes haeretici postpositis Catholicis interteneantur, ac si permixti sint, prae his foueantur a Praefectis hospitalium non raro haeticis positus, non obstante quod aptissimi pro huiusmodi Praefectura Ciues Catholici

habeantur. 6. Praejudiciosa quoque aeternae animarum saluti est praxis illa facile caeteroquin tollibilis quod orphani siue pupilli vtriusque sexus Parentibus Catholicis orbati tutelae Acatholicorum quandoque committantur, sicque per eosdem in Haeresi in aeternam damnationem educentur. 7. His paucis ex innumeris aliis delectis circa Acatholicos Grauaminibus, quorum alleuiandorum, in Maiestate Vestra Sacratissima spem certam ponimus, succedunt quaedam: Schizmaticorum salutari cum sede Romana vnioni vnice studemus, sunt hi dispersi per Regnum Croatiae, Sclauoniae, Bosniae, partes superioris Hungariae et Vayuodatus Daciae, siue Transyluaniae, alii Ruteni, Valachi alii nuncupantur, et idioma fere Sclauico vtuntur. Hos omnes, quotquot per sacram vnionem ad gremium sanctae Matris Ecclesiae legitime redeunt, dignetur Maiestas Vestra Sacratissima Suam sub tutelam recipere, fouere, eorumque Graeci ritus Sacerdotes libertate et immunitate Parochorum Romanorum Catholicorum gaudere, clementer faciat, ne velut abiectae sortis Coloni ad operas Dominis terrestribus praestandas contra decentiam ordinis sacerdotalis impellantur. 8. Post Schizmaticos perfidae quoque Judaeorum Sectae meminisse debemus, haec enim nimium quantum certis in locis ac Dominiis Hungariae ditescere volentibus neque tamen valentibus inualescit, tamque familiaris redditur viris Christianis, vt iam promiscue Iudaei addicant sese Christianorum seruitiis, et vicissim, ex qua mutua nimia correspondentia quae et quanta contra Deum emergunt peccata, assequetur facile Maiestas Vestra Sacratissima, si exempla Viennensium olim Iudaeorum in mentem reuocauerit. Remedium proinde tantis malis seueram eorundem e Regno proscriptionem suspiramus. 9. Occurrit hic et perniciosa Anabaptistarum Secta, quae cum plurimis Christianis opificibus subtrahat vitae sustentandae emolumenta, et baptismum erronee administret, sicque ipsam teneram aetatem visione aeterna Dei priuari faciat, satius foret, vt penitus e Regno emandarentur. 10. Subnectimus miscellaneas quasdam difficultates, Catholicorum nonnullorum quoque personas concernentes, quarum leuamen a Maiestate Vestra Sacratissima nobis pollicemur, et primum quidem, autoritas sedis fori spiritualis, nimium quantum quandoque impetitur, et labefactatur, dum vel causae, ad illud spectantes, ad forum seculare perniciose trahuntur, vel in illo decisae, a diuersis siue maleuolis, siue rerum ignaris taxantur, damnantur, praesciduntur et non absque manifestis calumniis atque contumeliis traducuntur. Sunt qui decimarum iure Diuino statutarum decisionem ab hoc foro abstrahere nituntur, quod tamen etiam cum detrimento prouentuum Camerae Regiae accideret, cum enim Camerae quot annis plurimae decimae arendari soleant, si per iudicium Ecclesiasticum ad integre exoluendas compellantur, qui obligantur, numerum modernum et quantitatem excedent, adeoque emolumentum vberius adferent. 11. Graui nobis dolori est, quod postquam praeterlapsis temporibus variis exquisitis Titulis a Statu Ecclesiastico abstracta sunt munia quaedam publica et honorata eiusdem membrum idoneis olim conferri solita, qualia sunt Praesidis Camerae, siue Thesaurarii Regni, locumtenentis Regii, Comitum supremi etc. iam de praesenti quorundam ingenium sategat, ipsum quoque officium Cancellarii sub titulo iustitiae melius administrandae, a

Personis Ecclesiasticis abstrahere vel saltem Vice-Cancellarium secularem in praeiudicium Cancellarii constituere, quo casu non leue Religioni Catholicae et rei Politicae eveniret detrimentum: reflectantur oculi super munia Regni quae pure secularium ministerio exercentur; annon plures longe defectus, quam in Cancellario Ecclesiastico (humana sors quandoque imbecillitate exerrante nullas vero malitia) manifeste deprehenduntur, anne ideo mox secularibus eripienda sunt, certo non absque graui et salutari causa primi sancti Reges, prima Regni huius officia per Deo dicatum Clerum exercere volebant, quorum laudabilia vestigia, vt in aliis sectatur Vestra Maiestas Sacratissima, ita hoc in puncto particularum posthaec quoque sequi nequaquam desistet.

12. Non ignorat Maiestas Vestra Sacratissima quantopere diminuti sint ob bellicorum praesentium temporum iniuriam prouentus omnes Episcopales, ita vt non solum non sint sufficientes ad Alumnos Clericos pernecessarios intertenendos; sed vix ipsis Episcopis suppetant ad sustentandam iuxta Status sui rationem vitam. Vnde per quam demisse supplicamus Maiestati Vestrae Sacratissimae, ne sinat per Cameras aut fiscum Regium tum decimas, tum alios prouentus ex bonis Episcopalibus in profanos vsus conuerti, cum manifesta numerosarum pernicie animarum. Hac occasione occurrit intimidandus Maiestati Vestrae Sacratissimae casus particularis Anno proxime praeterito contingens cum Episcopo Varadien. in puncto decimarum, qui grauius sane et iniuriose damnificatus iustam satisfactionem rite exigit, quam etiam Maiestatis Vestrae Sacratissimae fauore, vt speramus, obtinebit.

13. Illud quoque in Camera et Fisco Regio efficaciter emendari cuperemus, ne post obitum Ecclesiasticorum eorundem substantiam ac bona vix vlllo habito spiritualis emolumenti respectu, varie distrahant, aut exhauriant, aut plane oppugnent a successoribus postmodum graui cum onere redimenda, propter quae etiam summe expediret, vt Beneficia vacantia, qualia de facto Episcopatus Zehinensis iuxta sacrorum Canonum Statuta quantocius personis idoneis a Sua Maiestate Sacratissima benigne conferantur, hacque ratione deterior occasio bona Ecclesiastica damnificandi subtrahatur.

14. Placet etiam Maiestati Vestrae Sacratissimae summam annuam sex millium florenorum, iuxta sanctam intentionem pientissimi Caesaris Ferdinandi III. Vngariae Regis, pro pauperibus Parochis a Camera Poseniensi quotannis pendendam, ita mediante Sua Celsitudine Archi-Episcopali in omnes Hungariae Diaeceses dispertiri facere, vt pro magnitudine et necessitate eorundem propositionem fiat diuisio, in Parochos egentissimos: neque sinat in nullos alios vsus praedictam summam, quocumque sub titulo conuerti. Nam caeteroquin extincto poenitus, aut valde modico superstite, prouentu stolari alioque Parochorum ob desolationem populi impossibile est plurimis in locis posse eosdem subsistere.

15. Spirituali et illud nostrae incumbit Curae, vt vigilantem impendamus operam, ne grauissimum vsurarum scelus inualecat. Rogatur proinde Maiestas Vestra Sacratissima velit opportunum tanto malo opponere remedium, inhibendo videlicet, ne vllus posthaec praesumat amplius, quam ad summam sex percentum accipere, et si quis secus facere attentauerit, eo ipso talis vsurarius totam summam capitalem amittat, in ruinatorum templorum instaurationem, aut egenorum subleuationem,

utiliter conuertenda. Est et aliud vitium (fors quidem Materiale in aliquibus casibus) in Magistratibus Politicis necessario corrigendum, qui nimirum proba Bab. ei, in aquis communiter a Doctõribus prohibita, vtuntur, ad sagarum et magorum sortem dignoscendum. Ex quo saepe contingit, vt innocentes pronocentibus mortem grauisimam subire cogantur, quaemadmodum in Historicis videre est. 16. Graues est nonnullorum Dominorum terrestrium excessus, qui sub titulo iuris Patronatus in Bona Parochorum ab intestato (imo quandoque etiam praeuio testamento) decedentium mox inuolant, eademque pro lubitu distrahunt, grauius delinquent et illi, quae contra Jura etiam Patriae miseros plebanos (quandoque fors exerrantes) per iudices seculares de Bonis ac fundis Ecclesiasticis mulctare praesumunt: quo in genere veniam petimus fusius explicandi mentem nostram, siue oretenus, siue scriptotenus coram Regia Maiestate communi obseruata distinctione, inter Parochum et Parochiam. 17. Meminerit quoque Maiestas Sacratissima supra memoratum per omnes fere Vngariae Ecclesias calamitatum et desolationum, ita vt in plerisque apparamenta sacerdotalia, vasa sacra, Altaria Portalia etc. desiderentur, ex qua carentia similibus, populus quoque diuinis carere Ministris, et vix non pecunia viuere cogitur. Ad haec igitur auerenda, per necessarium videtur, vt certa aliqua persona Ecclesiastica decorem domus Dei diligens a Maiestate Vestra Sacratissima constituatur, quae vigilante suo zelo grauibus eiusmodi Ecclesiarum necessitatibus subuenire sciat, velit ac possit. 18. Optarem illud in quantum praesens belli Turcici circumstantia concedit, vt haec Hungariae Metropolis Posonium, vbi et sacra diuorum et Regum corona seruatur et supremum Hungariae Cleri caput Archi-Praesul Strigoniensis ordinarie versatur et Regia Camera Hungarica commoratur, imo, vti speramus et Maiestas Vestra Sacratissima frequentius posthac residere dignabitur, vt inquam locus hic, si non penitus omnino publico A catholicis exercitio priuetur, facta eiusdem translatione, ad aliud minus celebrem, praememoratique circumstantiis carentem locum, ad minus tot praedicantium numerus, animarum saluti perquam perniciosus, constringatur. 19. Neque obliuioni tradendum est, pietissimi Caesaris, ac Vngariae Regis Ferdinandi II. Diploma facultatem indulgens voluntate Testamentaria disponendi libere circa res mobiles, omnibusque Ecclesiasticis, quod tamen saepe saepius per duos saeculares, aut Cameram Regiam in effectum praepeditur. Placeat igitur Maiestati Vestrae Sacratissimae idem Diploma confirmare, et actualem eiusmodi proximam Authoritatem Caesareo-Regiamque manuteneri. 20. In hoc quoque rem Deo gratissimam Maiestas Vestra Sacratissima praestiterit, vbi ob immensas prope in bellum praesens expensas novas, Deo, Diuisque erigere Ecclesias, fundare beneficia, cum Ecclesiastica, tum Regularia, ne quod si munifica voluntate demandet, vt antequam olim fundata, recens vero recuperata Beneficia Ecclesiastica secularia, et regularia, rursus Deo dicatis personis reddantur, quemadmodum et Domus, tum Ecclesiasticorum, quam Religiosorum siue Budae, siue alibi ab antiquo eos concernentes, iisdem restituantur, aut aliis Religiosis conuersionis animarum studiosis consignentur templa quoque piis et magnis expensis a fundatoribus zelosis condam erecta, ne sinantur in locis

receptis, absque urgente necessitate dirui, aut in vsum profanum conuerti, quae omnia si Maiestas Vestra Sacratissima in opus deducere dignabitur, maiorem in terris a Deo benedictionem, in coelis vero centuplum recipiet mercedem. 21. Pro coronide demum humillarum nostrarum impensissime, aequae ac humillime supplicamus, vt religiosissimos patres societatis Jesu, centum et triginta amplius annis, tot inter A catholicos, persecutiones et graues in promouenda religione catholica exantlatos labores de ecclesia Hungarica optime meritos, publicis tandem aliquando regni Vngariae, eidemque annexarum partium tabulis inscribi ac incorporari faciat, sicque maiorem iisdem animum adiciat, iuxta pium et sanctum institutum, maiorem Dei gloriam et animorum salutem imposterum etiam promouendi. Id ex eo etiam congruum est fieri, quia iam olim synodali decreto solenni intra membra cleri Hungariae adsciti fuerint, vtpote clericorum regularium, re et nomine, ab ipsa sede apostolica approbato, mox a sua origine prima, gaudentes; speramus nouissimam hanc nostram instantiam coram Maiestate Vestra Sacratissima, sincere expositam, optatum finem sortituram, ex eo vel maxime capite, quod notum perspectumque nobis sit Maiestatem Vestram Sacratissimam exemplo gloriosorum suorum sacrae horum religioni beneuolam semper extitisse. Atque haec pauca e plurimis delecta sunt, quae Maiestati Vestrae Sacratissimae representare conscientia dictante tenebamur, vt auctoritate sua regia et apostolica pro zelo suo, per vniuersum orbem christianum nouissimo saluberrimam in omnibus dignetur adhibere medelam, quatenus verus cultus veri Dei, cum incremento saluificae religionis catholicae indies maiora sumat incrementa, huius in mercedem piae operae novis de coelo contra omnes hostes Victoriis beabit Deus Maiestatem Vestram Sacratissimam. Quas dum vn̄ affectu flagitante vouemus omnes, nos pariter totos quantos, obsequiis eiusdem humillime deuouemus Maiestati Vestrae Sacratissimae deuotissimus et subiectissimus status ecclesiasticus regni Hungariae. E diplomatio Euangelicorum pag. 238. sqq.

157. *Stetuta circa liberum religionis exercitium in Transilvania sub Leopoldo I. Anno 1686—1693.*

Diploma Anni 1686. XXVIII. Junii. Leopoldus. — Notum sit, quorum interest, vniuersis: Quod postquam sacra caesarea regiaque Hungariae ac Bohemiae Maiestas, a Turcarum Sultano, armis foedifrage lacessita, ad societatem sacri belli inter alios etiam dominum principem, satusque et ordines Transilvaniae, ac partium Hungariae eidem adnexarum, pro defensione communi adhortata esset, et dominus princeps, status et ordines Transilvaniae, deuotum suum erga sacram caesarem regiamque Maiestatem, et rempublicam christianam, animumque per expressam Legationem testati essent, propositis nonnullis desideriiis, de quibus conueniretur, in sequentes articulos itum est: Art. 6. Neque sacra caesarea Maiestas quatuor religiones, in Transilvania, partibusque Hungariae, Transilvaniae adnexis, receptas, vilo ibidem modo, tempore, et praetextu turbare curabit; et adlaborabit in templorum, schola-

rum, parochiarum, et honorum eorum occupatione, iuxta leges eorum approbatas. Art. 11. Nunquam adlaborabit sua Maiestas in Transilvania erigere ius Patronatus, aut sacerdotale, nec demandabit eam materiam statibus proponi.“

Tractatus Serenissimi Ducis Lotharingiae cum Celsissimo Principe Michaelē Apafy et II. Statibus Transilvaniae anno Domini 1687. die 27. Octobris. — In negotio religionis nullus articulus est conditus.

Humillima Transilvaniae Instantia per D. Antonium comitem a Caraffa — commendantem suae sacratissimae Maiestati porrecta: Datum in generali Transiluanorum congregatione, in oppido Fogaras 1. Junii 1688. Art. 1. „Quatuor receptae religiones nullo vnquam modo, tempore et praetextu in suo libero exercitio turbentur; sed omnes Ecclesiae, templa, scholae, parochiae, in suis vsibus, cultibus, terminis, prouentibus, priuilegiis et consuetudinibus, hactenus vsitatis, ita etiam earum ministri in suo ministerio, honore, libertate, intacte conseruentur, sicut serenissimus etiam Lotharingiae Dux gratiosissime super hoc nobiscum concluderat.“ — Hanc conventionem praeuaricatus mox est Apafius, proclamatione virulenta edita, ad rebellionem Tökolianam deficiens.

Diploma a Leopoldo caesare ac rege Transiluanis datum Viennae, IVta Decembris anno 1691. Cardinale. — Art. 1. In casu receptarum ibidem religionum, templorum, scholarum, parochiarum, aut introductionis cuiuscumque alterius cleri, et personarum ecclesiasticarum, quam ibi nunc exstant, nihil alterabitur, contradictionibus quibuscumque, siue sacri, siue profani ordinis, nil vnquam in contrarium valentibus; ita tamen, vt catholici propriis suis sumtibus, adeoque citra omne aliarum religionum grauamen, Claudiopoli in praesenti deuotionis suae loco, sibi ecclesiam; nec non Albae Juliae templum minus, olim a Chrystophoro Báthorio erectum, nunc desolatum reaedificent; iidemque catholici vbique locorum, si pauci et peregrini sint, priuatim, si vero eorum multi, tunc publici religionis suae exercitii, et condendarum ecclesiarum iure gaudeant, aequae ac aliae in Transilvania receptae religiores; tali casu, vbi nimirum in aliquo loco numero praevalent, gaudere consueverunt. — Art. 5. In omnibus necessariis officiis vtetur indiuiduis Transiluanis, nullo habito religionis respectu. Art. 9. „In consilio Intimo duodecim virali saltem tres sint catholici, et in Tabula Iudiciaria duodecim virato etiam tres catholici. — Inter Magistrōs Profonotarios vero vnus sit catholicus.

Resolutionis Suae Caesareae Regiaeque Maiestatis per Dominum Petrum Aluintzi allatae anno 1693. Art. 2. „Optasse Suam Caesaream Regiamque Maiestatem clementissime, vt praefatum religionis negotium inter ipsos dominos status amicabiliter complanari potuisset; cum autem tentata concordia effectum sortita non sit, et ab vtraque parte vicissim ad decisionem suae Maiestatis prouocatum, visis et consideratis iis, quae tum hinc, tum inde in medium allata, tum a Gubernio Transiluanico proposita sunt; rem pro aequitatis ratione ita iudicauit terminandam, prout ex annexo authographo, ad dominos status deferendo, et copia mandati, ad Gubernium Transilvaniae desuper expediti, videre est. Cui decisioni tametsi stet Sua Caesarea Regia-

que Maiestas, declarat tamen sibi gratus fore; vt loco reformati, Vnitariorum templum Claudiopoli catholicis euacuetur, et tradatur; accipietque illud tanquam singulare deuotionis argumentum Caesareo Regia gratia in aliis occurrentiis agnoscendum; et iussit etiam statim eo casu 5000 florenorum Hungaricalium summam Vnitariis pro subsidio sumptuum iisdem incumbentium numerari.

Copia Decreti Caesareo Regii anno 1693. die IX. Aprilis dati. „Leopoldus — Memoriae commendamus, tenore praesentium, quorum interest, vniuersis et singulis: Optasse nos quidem, iuxta appendicem articuli III. Diplomatis a Nobis IV. Decembris anni 1691. statibus et ordinibus Transilvaniae benignissime concessi controversias de exercitio et bonis inter catholicos et alios in Transilvania receptis religionibus additos, potuisse amicabiliter inter ipsos componi. Cum vero ex relatione Gubernii nostri Transiluanici de 22. Julii anni superioris, vberius intellexerimus, tractatus desuper institutos fuisse irritos, et vtrinque ad decisionem nostram C. R. prouocatum sit; Nos visis et consideratis iis, tum quae hinc inde in medium allata, tum quae a dicto Gubernio proposita sunt, rem iudicauimus sequenti modo terminandam: 1) Quatuor religiones in Transilvania receptas in libero exercitio, iuribus, bonis, et possessionibus, vti nunc fruuntur, sine turbatione qualicunque, quiete et pacifice imposterum relinquendas esse. 2) Cum catholicis ab addictis caeteris religionibus, reformatum, vt vocant, templum, vna cum Vnitariorum collegio Claudiopoli et Albae Juliae templum Bathorium, et simul oblatum sit, quod quindecim florenorum millibus pagum Monester, a moderno possessore redimere, et catholicis iure perennali in vsus ecclesiarum et scholarum catholicarum applicandum tradere velint: Nos id omne ratum, gratumque habentes, executioni quantocius volumus mandari. 3) Curam habitari sumus, vt pro institutione iuuentutis catholicae et scholis tales adhibeantur ecclesiastici, qui virtutum ac concordiae, non minus quam literarum studiosi, nulli religioni merito suspecti esse possint; agemusque, vt catholicae religioni de idoneo Vicario Apostolico, qui omnia episcopalia, et quae muneris aut iuris ordinarii sunt, administrare, rite possit, prospiciatur liberum denique catholicis iuxta ipsorummet statuum reliquis religionibus addictorum declarationem et oblationem sit, eritque in residentiae suae locis, et ciuitatibus ecclesias et exercitia, sine vicio aut detrimento exercitorum, templorum, aut redituum, aliis religionibus addictorum stabilire. Et ita articulum primum et secundum praelibati diplomatis nostri declarantes omnia diplomatis capita perpetuae sanctionis pragmaticae et fundamentalis sanctimonia inuiolabiliter volumus obseruari. Datum Viennae. Anno 1693. die 0. Aprilis.“ — E Historia diplomatica religionis euangelicae in Hungaria, Principatus Transilvaniae. fol. 12—32. Sub A—F.

158. *Idem Leopoldus suauitiam, a Generali Caraffa contra seditiosos Eperiesini exercitiam, reprobat. A. 1687.*

Leopoldus — Vt iuxta Hungaricas leges cognoscat; veniam alias lapsis a se datam, religiose custodiat; quare diligenter dispiciat, an postquam iis indultum est,

denuo in rempublicam peccauerint? Confessi prius suam ipsorum turpitudinem, per tormenta luant; atque adeo non modo recte legem maiestatis exercent, sed etiam rite; vnde omnes intelligant, in tanti criminis cognitione, cuius poenae mortuos etiam infamia, et insontes soboles egestate persequuntur, nihil temere actum esse; itaque, quam graue est nefas, tam grauibus argumentis religiosissime edoceatur. — Anno 1687. Apud Joan. Vicum Lib. II. cap. VI. p. 189.

159. *Adnotatio de laniena Eperiesiensi, contra seditiosos habita, ex ipsius protocolli urbani testimonio. A. 1687.*

Hic annus 1687. supra notatus aeternum memorandus, quo iudicium Suae Maiestatis Sacratissimae delegatum, in hac regia ac libera ciuitate Eperiesiensi celebratum est; in quo non solum quorundam primariorum ciuitatis huius ciuium, verum etiam quam plurimorum nobilium pariter ac ignobilium personarum, cum rebellibus Munkácsiensibus correspondentiam fouentium, causae ventillatae, ac post in theatro, publica in ciuitatis platea, vltra nouam scholam, per Lutheranos contra iteratas suae Maiestatis Sacratissimae prohibitiones aedificatam, portam superiorem versus erecto, executioni quoque mancipati sunt.“ Ex protocollo eiusdem ciuitatis.

160. *Idem Leopoldus de Castris Érsekújvár, et Strigoniensi, a Georgio Széchényio, aere parato redemptis, executorias edit. A. 1691.*

Leopoldus Diuina fauente clementia, electus romandrum imperator, semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque rex. Spectabiles ac magnifici, et egregii fideles Nobis dilecti. Qualisnam contractus per cameram nostram aulicam cum reuerendissimo in Christo patre domino Georgio Széchény, metropolitanae ecclesiae Strigoniensis archiepiscopo, locique et comitatus eiusdem supremo ac perpetuo comite, Primate Hungariae, legato nato, summo secretario et cancellario ac consiliario nostro intimo, ratione restitutionis eidem, et successoribus suis, futuris etiam archiepiscopis Strigoniensibus, amborum Vjváriini, et Strigonii fortalitorum, vna cum vtriusque veris et antiquis appertinentiis, sit initus, ex paribus annexis uberius Vestrae fidelitates intelligant. Cum, itaque, Nos, pro nostro, quo ferimur in rem diuinam. et statum ecclesiasticum, modis omnibus benigne permouendum, singulari zelo; non attentis immensis sumptibus, in recuperationem attactorum fortalitorum impensis; hancce mutuam accordam et conuentionem, in omnibus suis clausulis et articulis, reseruato nobis praesidio militari, per omnia ratam et gratam habuerimus, et clementer approbauerimus, taliterque conclusa, effectui suo debito, quam primum mancipanda sint. Id circo benignissime resoluiimus, Vestris quoque fidelitatibus, vigore praesentiam superinde quoque firmiter ac serio committimus et demandamus: vt antelato fidei nobis sincere dilecto archiepiscopo Georgio Széchény praememorata bina fortalitia Strigoniense et Ujváriense, cum suis appertinentiis quibuscumque, depositis pro nunc ad manus istius camerae Hungaicae nostrae decem millibus florenorum et

reliquis suo tempore rite praestandis, vel per camerae praesidem nostrum, aut vnum ex gremio vestro consiliarium, cum adiuncto Budensis administrationis nostrae cameralis contralore Adamo Langh, iuxta tractatum praerepetitum inso certo termino, cointelligenter eatens praefigendo, realiter assignanda, prope diem ordinare velint et debeant. Benignam in eo mentem nostram et voluntatem fideliter executuri. De caetero, gratia nostra caesareo regia clementer vobis propensi manemus. Dabantur in ciuitate nostra Viennae, die quarta mensis Martii, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo. Regnorum nostrorum romani trigesimo tertio. Hungarici trigesimo sexto, Bohemici vero trigesimo quinto. Leopoldus mp. W. A. comes de Urs et Rosembergh mp. Ad mandatum electi domini imperatoris proprium. Sigefrid. Christoph. Breiner mp. Jacob. Theob. de Mayeren mp. Ex actis cameralibus.

161. *Contractus Széchénianus cum camera ratione duorum castrorum receptorum. Anno 1691.*

Contractus Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Domini Domini nostrae clementissimi nomine, a camera caesareo aulica ex vna, cum reuerendissimo ac excellentissimo domino Georgio Széchényi ecclesiae metropolitanae Strigoniensis archiepiscopo, locique, et comitatus eiusdem supremo ac perpetuo comite, primate Hungariae, legato nato, summo secretario et cancellario, sacrae caesareae regiaeque Maiestatis consiliario intimo ex altera partibus, circa restituenda sibi ac successoribus suis, futuris nimirum dominis archiepiscopis Strigoniensibus fortalitia Ujvárinum et Strigonium, vna cum eorundem appertinentiis, ad ratificationem altaefactae suae sacratissimae caesareae regiaeque Maiestatis de super demisse praestolandum, modo subsequenti initus, et quidem: Primo: Restituuntur suae excellentiae ob singularem eiusdem respectum, praefata duo loca, Strigonium et Ujvárinum cum omnibus eorundem appertinentiis, de iure, et ab antiquo ad archiepiscopatum Strigoniensem ibidem spectantibus, saluo nihilominus iure alieno, et quidem in specie venerabilis capituli Strigoniensis, cum ex parte fisci, ob defectum literalium instrumentorum, bona eadem tangentium, non constaret, quatenam sit ibidem, et an omni modo iurisdictio archiepiscopalis, et quae capituli? aut aliorum? pro nunc vero de sola iurium archiepiscopalium traditione agatur; si fors autem contingeret, quod capitulum, aut alius legitimus competitor in illis, quae suae excellentiae ab hac camera restituantur, Jus quodpiam praetenderet, et sufficienter edoceret, ac euinceret: ex tunc capitulum, vel talis legitimus praetendens, qui commodum sentit, etiam onus subsequens, proportionaliter supportare debet. Secundo. Assumitur in tantum, hocce in passu, in fiscum regium contra quosuis excellentiae suae, et successorum legitimos impetitores evictio, in quantum iidem super bonis, occasione huius transactionis remittendis, solida sua priuilegia, vbi necessum foret, coram fisco producerint. Tertio: Cum restauratio praesidii Ujváriensis per inclytum consilium aulae bellicum summopere adurgeatur; ideo sua excellentia, promissa decem millia florenorum de facto in paratis

deponet: e contra mentionata loca, cum eorumdem appertinentiis eidem domino archiepiscopo statim assignabuntur. In ordine vero ad futuram tam Ujvári, quam Strigonii moeniorum, portarum et pontium conservationem, sua excellentia proportionaliter cum iis, qui etiam antehac, et ab antiquo id praestare tenebantur, concurret. Prouti etiam id ipsum comitatibus, pro gratuitis laboribus, tamquam ab antiquo eo destinatis, et suo tempore, ac modo consueto, praestandis, debite insinuabitur. Quarto: Dominus contrahens, iuxta oblationem suam, pro intertentione praesidorum vtriusque loci, annuatim mille quingentos cubulos frumenti, Strigoniensis mensurae, suppeditabit, ac ad id futuri quoque in archiepiscopatu successores obligati erunt. Similiter: Quinto: Idem dominus archiepiscopus reparationem et conseruationem fortalitii Strigoniensis, iuxta possibilitatem, et vires suas praestabit. Sexto: Vtriusque tamen loci annonarii, qui, ne se in oeconomiam, iura et prouentus excellentiae suae quoquo modo immisceant, serio inhibebuntur, a camera hac aulica dependeant: similiter consilium aulae bellicum requiretur officialibus armamentariis, caeterisque militaribus serio iniungendis, ne idem, in praeattacta re oeconomica quidquam impediendi eidem domino contrahenti causent. Septimo: Loca tricesimalia cum reseruatione domuum tricesimalium, pro fisco regio, in vtroque loco, permanent: Exactio vero telonii ibidem suae excellentiae relinquitur. Tricesimatoribus autem vtriusque loci demandabitur, ne in iisdem domibus educilla, vel macella, aut quaecumque iuribus et prouentibus archiepiscopalibus praeiudiciosa instituant. Octauo: Circa educillationem vini in praemissis duobus locis, singulis annis, per duos menses, nimirum Julium et Augustum, solum fiscale vinum educillabitur intra muros duntaxat: extra muros vero, liberum educillum tunc etiam habebit sua excellentia archiepiscopalis, et eius successores, modo, Jaurini obseruato. Nono: Sub restitutione autem Strigonii, non intelligatur regia ac libera ciuitas Strigoniensis, nec derogabit haec transactio eidem ciuitati quoad antiqua iura, et priuilegia sua, prouti nec petitus per suam excellentiam pro domo et allodio ibidem fundus, in labefactionem eiusdem ciuitatis, concedi potest; cum aliunde valde exiguum territorium habere perhibeatur praefata ciuitas, et archiepiscopalis residentia, absque hoc sat magnum spatium in se contineat; nihilominus a solutione decimarum, modo dicta ciuitas, si easdem antiquitus soluere debuit, et eatenus nullam exemptionem haberet, non eximatur. Et siquidem: Decimo: Domini commendantes vtrobique locorum educilla, et macella praetendant, nisi ab illis certo modo redimatur; hinc sua excellentia cum camera hac aulica, pro aequivalente Ujváriensi et Strigoniensi commendantibus, in parata pecunia annue pendenda concurret, et cuilibet illorum, quouis anno ducentos florenos, hoc est: centum ad initium novi anni et residuos centum, ad festum Pentecostes enumerare curabit. Undecimo: Fundatio, quam sua excellentia pro erigendo Strigonii hospitali, nimirum summam sexaginta sex millium florenorum Rhenensium ex bonis Csejtensibus deputauit, et conseruandam promittit, fundationi hospitalis pesthiensis, vtpote summae septuaginta septem mille florenorum, ex bonis quoque suis Vágh Besztercensibus leuandae, incorporetur; cum in Pesth, intra muros ciuitatis pro

ambabus foundationibus ac pharmacoplae, et medici accommodatione, sat amplus ac spaciosus locus habeatur, et haec commoditas Strigonii, aut in aliis locis difficulter inueniatur. Caeterum summa quoque centum octuaginta millium florenorum Rhenensium, pro xenodochio Belgradiensi, vel Poseniensi, ex bonis suis Hornstain deputata, praeter et vltra praedictas summas in saluo et suo vigore permaneat. Duodecimo: Compromissa a sua excellentia viginti millia florenorum Rhenensium, pro erectione duorum propugnaculorum Budae, in duobus terminis, videlicet ad festa Pentecostalia, et Assumptionis Beatae Virginis Mariae anni huius, prompte exoluantur. De reliquo camera haec aulica nullatenus erit contraria, immo ipsamet apud inclytum consilium aulae bellicum allaborabit: vt praesidarii milites, si tamen pro commodo et seruitio suae Maiestatis sacratissimae diiudicabitur, obueniante pace, aut confiniis regni Hungariae, Deo dante, victricibus armis suae Maiestatis sacratissimae laxius dilatatis; ex supra mentionatis vicinioribus fortalitiis, ad alia remotiora transferuntur, et tali modo archiepiscopale dominium absolutum, et totaliter redintegratum existat. In cuius rei, sic actae fidem, bina contractus istius, eiusdem tenoris instrumenta, confecta et consueta subscriptione, et sigillorum appositione ab vtrinque corroborata sunt; quorum vnum reuerendissimo ac excellentissimo domino archiepiscopo, pro sua seueritate traditum est: alterum vero, vrae manibus camerae huius aulicae caesareae conseruatur. Actum Viennae, die prima mensis Februarii, anno millesimo sexcensesimo, nonagesimo primo.

162. *Idem Leopoldus ad urgentes A catholicorum querelas, per Cancellariam Aulicam fauorabilem illis declarationem edit. A. 1691.*

Sacratissimae Caesariae Regiaeque Maiestatis, D. D. N. clementissimi nomine, Aug. et Heluet. confessionis ad augustissimam aulam cum grauaminibus pro eorum complatione ablegatis plenipotentiaris et agentibus, hisce significandum: alte memoratam suam Maiestatem sacratissimam grauamina haereditarii sui regni Hungariae, Aug. et Helv. confessioni addictorum, fidelium subditorum suorum, circa turbationes, aliasque molestias, ipsis in religionis exercitio contra articulorum diaetalium, tum Soproniensium de anno 1681. tum Poseniensium de anno 1687. crebrius, instanterque delatas, prout alia etiam, quae ad religionem spectare videbuntur, puncta, eorumque circumstantias rite matureque pensitasse, considerasse, ac benigne ita resoluisse, nimirum: Si quidem vniuersi praefatae Aug. et Helv. confessioni addicti querulantes, praecitatis inhaerentes, eorundem effectuationem vnicam catholicis, articulari commissione mediante, genuino praetactorum articulorum sensu fiendam adursissent; eiusmodi autem commissio actu etiam iam peracta esset, eidemque, praesertim in cisdanubianis ac transdanubianis etiam partibus, districtibus, vtraque pars acquiesisset; nihilominus aliqua contra sensum ipsorum articulorum per dictos commissarios facta aliqua non effectuatoria, alia denique, ex post per abusum quorumuis abutraque parte, propria auctoritate, introducta fuisse exponerentur; ideo de praesenti etiam eadem

sua Caesarea Regiaque Maiestas, eorundem articulorum benigna reflexione habita, propter bonum pacis, internamque regni tranquillitatem, in eo, vbi publico exercitio se prorsus destitutos iidem querulantes lamentantur, ibi sua Maiestas sacratissima ulterius articulari determinationi ita standum esse censuit, vt videlicet in locis, articulariter pro libero publico exercitio expresse denominatis, liberum eiusmodi publicum religionis exercitium iisdem querulantibus admittatur, ita tamen, ne debitos limites excedere, et ad loca articulariter ommissa excurrere non praesumerent; secure tamen plebs talium locorum templa, in eiusmodi articularibus locis assignata, frequentare, ministros suos accedere, publicoque exercitio suo ibidem vti possit, ac valeat. In quibus locis, veluti articulariter pro exercitio eorundem expressis, parochi catholicorum ex aerario communi, ad quod ipsi querulantes contribuunt, non interteneantur. Immo ibidem xenodochiis, sepulchris, campanis, pro communi vsu destinatis, cum praescitu parochi et aeditui, vti fruique permittantur; neque ad amplectendam fidem catholicam vbiunque per totum regnum cogantur; attamen ferias ac festiuitates catholicorum, quoad publicum et forum externum obseruare teneantur; et id tanto magis opifices, seu mechanici, in quorum priuilegiis id ipsum expresse inseri solet; ideoque, si placet, in reliquo gaudere eiusmodi priuilegiis, praescriptaeque conditionis onus subire, tanto minus disciplicere debet. De reliquo ministri Aug. et Helu. confessioni addicti, ab omnibus actionibus parochialibus vti est baptizare, copulare, sepelire, et similibus, tamquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis, vbi articulariter iisdem concessum non est, omnino supersedeant, neque eo excurrant; si quidem plebi, in eiusmodi locis degenti, liberum esset eosdem ministros et templa, in locis articularibus habita, accedere, seseque ibidem baptizari, copulari, sepeliri curare, et alias deuotiones facere; prouentibus tamen stolaribus parochi loci catholico praeuie depositis. Quibus decimas etiam, in toto regno Hungariae, a sanctissimis regibus Deo et ecclesiae catholicae ministris dumtaxat ordinatas, praestare, sunt obligati, praeter decimas, si quas forsitan ipsi aut suae religionis praedecessores a terris et vineis suis propriis nobilitaribus, et decimis regalibus minus antea subiectis, sponte, ac libera voluntate, pro intertentione suorum olim ministrorum deputassent. Quod vero ad generalia puncta, quae vniuersi Aug. et Helu. confessionis sequaces diuersimode interpretari videntur, et cum facultate in arcibus, castellis, curiisque nobilitaribus, capellas, oratoriaque erigendis, in quouis tali loco praedicantes intertendi, auctoritatem se habere; praeterea vigore articularis clausulae: saluo iure dominorum terrestrium, de subiectione solummodo iobbagionali, iureque seruitutis corporalis intelligi; non vero ad conscientiam trahi debere putarent; ea taliter intelligenda esse, altedata Sua Maiestas Sacratissima declarauit; et quidem quoad primum: facultatem erigendi capellas et oratoria pro priuatis dumtaxat inibi habendis precibus et sepulturis concessam, vt in illis cum familia sua, prout et in locis articulariter ommissis, cuius in domo sua orare, postillas legere; nullatenus tamen alios vicinos vel proprios subditos, tanto minus praedicantes eo, tamquam ad priuatam dumtaxat suae domus, aut residentiae orationis locum, admittere integrum esse aut licere.

Non secus quoad secundum: eo quidem praedictae clausulae: saluo iure dominorum terrestrium: non obstante praemissa ipsorum querulantium ratione: velut in articulis expressae, omnino standum esse; et consequenter ipsos querulantes eidem se submittere debere: si quidem omnis clausula regalis in eo sumenda censeretur sensu, quo debitum suum sortiri quiret effectum; in sensu autem eorundem querulantium, effectum prorsus destitueretur; nam ius domini terrestris in subditos, quoad seruitutem corporalem, aliaque quaecumque temporalia, qualitercunque mutato religionis statu, absque hoc saluum, et immutabile semper manet; praesertim quum hoc ipso clausulae ipsius sensu, ipsi quoque Aug. et Helu. confessiones sequaces, olim pluralitate, et potentia dominorum terrestrium praepollentes, in eiusmodi effectum antea vsi fuissent; adeoque, quod semel ipsis placuit, ac pro iusto et aequo positua lege agnitum, recognitumque fuisset, id modo displicere, aut catholicis iniquum reputari minime posset. Ad quorum nimirum debito modo fiendam exequutionem, rectificationem et accomodationem quam primum certos deputandos fore commissarios, coram quibus particularia quaecumque alia grauamina iidem querulantes in facie loci, et parte altera praesente producere poterunt; iuxta rei aequitatem, resolutionemque hanc, ipsis intimatam, postulatorum suorum effectum praestolaturi. Quibus de caetero eadem SS. M. C. R. gratia sua propensa semper permanet. Per SS. C. et R. Maiestatem Viennae, 2. mensis Aprilis, anni 1691. — Hist. dipl. p. 133.

Nec hac benigna suae Maiestatis declaratione fuerant Aecatholici contenti, ad maiora semper, et in quemdam super religionem catholicam dominatum aspirantes, vt, sicut in Saxonia, Hassia, Anglia, Dania, Suecia, etc. eam denique opprimere, extirpareque possent. Impugnarunt illam multimode. — Felicius cessit Leopoldi regis vnionem religionum conciliandi studium apud Ruthenos Hungariae Schismaticos, de quibus Péterfius conc. P. II. praef. nro VIII. ita perhibet: Leopoldus Kolonitsius Munkácsini circa annum 1692. ex archidiaconis, parochisque confecta synodo, in hac recitata prius ex formula concilii Tridentini, fidei professione; ducentis plures sacrorum administri romano pontifici se adstrinxerunt, chirographis, signisque suis cerae impressis. Longum foret enarrare, quos obices Calviniani et Lutherani, quamuis ad eos minime pertineret, sancto huic operi iniecerint. Optato hoc successu Christophorum a Roxas, commeatus literis instructum, denuo in Hungariam superiorem ablegauit.

163. *Idem Leopoldus ad Aecatholicos, in vnionem Catholicorum reducidos, Episcopi Neostadiensis operam commendat. A. 1691.*

Leopoldus — vniuersis et singulis fidelibus nostris, regni nostri Hungariae, et Transilvaniae statibus et ordinibus, aliisque cuiuscunque conditionis, dignitatis et religionis subditis nostris, praesentes nostras visuris, lecturis, aut legi auditoris salutem et gratiam. Quando quidem omnis lex diuina et humana obliget, plurimi etiam recessus imperii et zelosissimae ac recentes maioris partis protestantium, qui hisce postremis annis cum fidei nostro, nobis dilecto, R. Christophoro, moderno episcopo Neostadiensi, conferentias personales habuerunt, literae summam necessitatem expriment, vt in regnis christianis, tam in, quam extra Germaniam, sub praesentibus pr. eser-

tim difficultatibus, ad perfectam vnionem, in temporalibus aequae ac spiritualibus, iis scilicet, quae veram et orthodoxam fidem, et vnus Dei verum cultum concernunt, ita adspicimus, vt si non quoad omnes, vti tamen, diuino auxilio, sacrae literae et recta ratio, nos sperare faciunt, saltem quoad substantiales fidei controuersias, difformitas et mutuae dissidentiae minuantur; praecipue, quum nonnullis videatur et ex magna parte deprehensum sit, illas circa principaliora animorum et opinionum dissensiones, ex mutuae et charitatiuae patientiae, sincerae intelligentiae mentium et sententiarum, rectae interpretationis, et verae significationis defectu, denique ex varietate nominum significationum oriri. Considerando etiam, cum quanta hactenus felicitate et vtilitate tam praefatam sacram materiam, quam etiam illa, quae praefati regni Hungariae conseruationem concernunt; tam in, quam extra diacetam, imperii praetactus episcopus tractauerit: hinc est, quod eidem pura potestas, in iis scilicet, quae ad regiam nostram auctoritatem et protectionem spectant, generalisque commissio ex parte nostra confertur, cum quibuscunque regnorum, ditiorumque nostrarum, praecipue autem cum praetactis Hungariae et Transilvaniae statibus et communitatibus, nec non etiam cum quibuscunque priuatis personis, protestantium religioni addictis, de dicta reunione fidei, aut controuersiarum omnium inutilium abolitione, aut diminutione, siue per se, siue per viros, a se deputatos, siue per literas tractandi, et cum iisdem vbiuis (sub vltiori tamen pontificia, et nostra regia respectiue ratificatione) ea omnia et singula peragendi, quae ad illorum affectum lucrandum et sanctum reunionis effectum obtinendum, magis conuenientia et expedientia iudicauerit. Et hoc in passu supradictis quoque omnibus Hungariae et Transilvaniae protestantibus, subditis nostris, praedicantes etiam ipsorum comprehendendo, facultatem quoque plenam hisce concedimus, praefatum episcopum siue in Austria, siue in quouis alio loco existentem accedendi, vel ad illum, quemcunque suorum, siue publice, siue secreto mittendi; omnibus et singulis, quibus ad haec attendere vi officii competit, hisce serio ac districte, ac sub graui poena praecipiendo, ne vllis horum, qui ad memoratum sacrum finem per saepius dicti episcopi literas incitatus huc accesserint aut miserint, impedimentum vllum causentur; aut permittant; sed potius omni fauore, eos prosequantur; quemadmodum ipsum etiam episcopum, tum de clementissima nostra protectione, pro quocunque loco ac casu, vbi institerit et expetierit, tum de occasione sanctae suae sollicitudinis, quandocunque de religionis exercitiis, tolerantibus, aut illius appertinentibus agatur, aperienda clementissime asscuramus. — Datum in ciuitate nostra Vienna Austriae, die 20. mensis Martii, anno Domini 1691. Reg. nostr. Rom. 33. Hungariae ac reliquorum 36. Bohemiae vero 34. Leopoldus. Blasius Jaklin. Episc. Nitrien. Joannes Maholányi.“ Apud Lampe Hist. Eccles. reform. p. 506.

Omnibus bonis optanda haec vnio, sicut in Germania, ita nec in Hungaria, est effectum sortita. — Diuersa tentamina perstringit idem Lampe: aliis, vt salua ipsorum confessione, fiat haec vnio; aliis, vt catholici vniant se etiam in dogmatibus, praetendentibus; aliis sententiam Germanorum, Anglorumque expetentibus. Sed nec Augustanorum cum Helueticis vnio successit: vide eundem Lampe loco citato, p. 509. sqq.

Cf. Lunigs Litt. Proc. Eur. P. III. p. 341. Unio cum Graeci ritus Schismaticis Transilvaniae, ac Hungariae feliciter successit.

163. *Episcopi Neostadiensis ad Superioris Hungariae Aetholicos, in negotio unionis, epistola. A. 1692.*

Quandoquidem varii protestantes imperii Principes apud S. C. suam Maiestatem per litteras humillime sollicitauerint, ut pacem illam ecclesiasticam, quam Germanis clementissime commendauit, etiam apud proprios Hungariae Vasallos promouere dignetar, hi e contra se declarauerint, quod illam sub protestantium Germanorum, aut Anglorum directione desiderent perficere; placuit Augustissimo Caesari, ut quia neque imperium totum, pro rei consultatione huc, neque Hungaria istuc transire valet; aliqui saltem Theologi praecipui, ad id adducantur. Interrogat ergo supradictus Episcopus, an id vobis foret gratum, et acceptum, quod tale colloquium institueretur? assecuratque, quod per hoc nullius libertatis diminutio intendatur, immo, peracta ista et tali collatione, liberum fore illa, quae in isto consensu declarabuntur, ad Germanicas vel Anglicas academias pro ulteriori consultatione transmittere, atque ea tandem credere, quae verbo Dei et conscientiae bene informatae consona quisque agnouerit. Dat. Cassouiae 11. Maii 1692. Christophorus Episcopus Neostadiensis." Apud Lampe l. c. p. 509.

Idem scriptor diuersorum Reformatorum, Ribinius vero Augustanae confessioni addictorum exhibuit specimen.

164. *Debreccinensium responsum. A. 1692.*

Fauorem et gratiam S. C. Rque Maiestatis, DD. nostri naturaliter clementissimi, per Ill. ac RR. D. Vestram oblatam, per generosum Valentinum Veres transmissam, cum deuotione animorum nostrorum humillime accepimus; pro qua ut eandem S. C. Rque Maiestatem, nec non Ill. ac RR. D. Vestram Deus S. V. M. diu superesse sinat, aliisque successibus, coronet; votis ardentissimis optamus. Beati pacifici, adeoque Christianae pacis assertores! Dicit vix potest, post et tantas rerum Hungaricarum concussiones, quantopere Ecclesiae Hungaricae indigerent pace; nosque quantopere eandem optemus; tamen quia de negotio religionis agitur, quod non solum nos Debreccinenses, verum totam Superintendentiam concernit, circa cuius notitiam, iuxta art. I. diaetae anni 1608. in hac et similibus rebus quicquam determinare ex nobis ipsis non possumus, omnibus igitur serio pensatis, placuit nobis hanc ipsam rem, utpote arduam et maximi momenti, cum superintendente nostro, fratrumque senioribus, communicare, et defecatis illorum iudiciis, consiliisque accedentibus, illust. D. Vestrae perhumaniter respondere; manentes eiusdem Ill. ac RR. D. Vestrae Seruitores humillimi, communitas oppidi Debreccinensis, Helueticae Confessioni addictissima. Anno 1692. — Ibidem.

165. *Eiusdem Episcopi ad Bártfenses literae. A. 1692.*

Christophorus Episcopus N. — Quandoquidem, ex solo erga Deum amore, magnificis, generosis, ac honorabilibus DD. VV. negocium vnionis ecclesiasticae anno praeterito proposuerim, ob eandem interea sollicitauim, vt ille protestantium monarcha, sub cuius patrocinio tractandum declarastis mediante Viennensi suo ablegato, se se ad concurrendum offerat; idque de facto, Deo laus! obtinui, vt Ser. Princeps Palatinus, ex copia epistolae, quam hisce diebus accepi, distinctius exhiberi dignabitur. Quia vero nunc est moraliter certum quod alii principales protestantes suos mitent, solique Regi Sueciae meritum circa tantum non relinquent; et per hunc meum pro quaerendis vobis patronis conatum sinceram meam, patronorumque meorum palpatum intentionem; spero, quod ad DD. Poseniensium exemplum tam S. C. R. Maiestati, clementissimo Domino nostro, quam toti Christianitati certum et reale indicium amoris, circa pacem ecclesiasticam praeteritis, in responso ad has meas praesentes lineas. — Datam Neostadii die 20. Martii Anno 1692. — Ribini l. c. P. II. p. 88.

166. *Bartfensium ad eundem responsum. A. 1692.*

— Quum in arduo saepius meditatae reunionis fidei negocio, nec faciles sine iudicio, nec difficiles absque ratione nos esse deceat; insuperque legibus humanis quoque vnus iudicium et auctoritas, caeteris partibus, post habeatur conseruioni plurimum; omniumque se exponat risui, qui vnus contra omnes, recte sentientes, sentire praesumit; hinc quidquid in praefata reunionis sollicitudine, iuxta S. C. Maiestatis clementissimam intentionem, secundum infallibilem verbi diuini cynosuram, qua nihil notius, ac certius haberi potest, salua conscientiarum libertate, per sinceros a principibus imperii ac rebus publicis deputandos theologos, doctores, et Ecclesiarum Augustanae Confessioni inuariatae addictos superintendentes, vtrique parti gratos, proponetur, discutietur et vtrinque libere et recte dehinc ratificabitur, id omne nos quoque pro rato habituri sumus. — Bartfae, die 7. Maii 1692. — Ibid. p. 93.

Sed rursus frustra et Leopoldus, et Episcopus et Palatinus Rheni mouerunt lapidem: vice consultationis armorum Francisco Rákotzio et Tökölö perduellibus contulerunt vnionem.

167. *Leopoldi constitutio ratione decimarum. A. 1697.*

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rex etc. Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici, Egregii, et Nobiles, Prudentes item, ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Ex demissis et querulosis, tum etiam Cleri, ac Parochorum per dictum Regnum nostrum Hungariae diuersis in locis in cura animarum existentium, muniisque sua Parochialia obeuntium repraesentationibus benigne informamur, decimas, et Metretas a fundis rusticanis per Nobiles, ac Armalistas vel Inscriptionalistas, et alios quoscunque tentis, possessis, et vsuatis, annonatis Cameris nostris, veluti Decima-

rum Arendatricibus, Clero item, et Plebanis citra omne aequum et iustum passim denegari, taliterque tam praenotatis Cameris nostris, Clero item, et Plebanis, quam etiam sacro sanctae Diuorum quondam Hungariae Regum circa decimas Deo dicatas decretaliter factae Intentioni derogari, et praecudicari. Quia vero praeter plurimas Regni leges de exacta decimarum praestatione sancitas, certa quoque iisdem legibus conformis Anno millesimo, sexcentesimo, nonagesimo quarto, die trigesima mensis Junii, iam euolutis, sub Iudiciis extraordinariis ex benigno Mandato nostro in Libera ac Regia Ciuitate nostra Posoniensi celebratis, in eo, vt nimirum iuxta sensum Articulorum nouellarum constitutionum, signanter vero quarti, millesimi sexcentesimi decimi tertii et nonagesimi quinti, millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi Annorum, Nobiles, siue sint antiquioris, siue recentioris nobilitatis, seu Possessionati, vel inpossessionati (siquidem inter Nobilitatem praerogatiuam nulla esset distinctio, et discrepantia) fundum colonicalem colentes, et inhabitantes, ad praestandas Decimas obligentur, facta fuisset Tabularis decisio, et determinatio; iustum autem et aequum omnino foret, vt Leges et Statuta vigorem suum, et condignum effectum sortiantur; sed et articulo duodecimo Anni millesimi, quingentesimi, quinquagesimi septimi ad calcem; quae aliena sunt, pro se cupiam vsurpare, aut violenter retinere, per expressum vetaretur, quae sentiret commodum, incommodum quoque, et onus sentire deberet, res siquidem cum onere vadere soleret; neque tam Sanctis Diuorum Hungariae Regum de Decimarum praestatione conditis decretis per putatum quodpiam, nulla lege firmatum Jus derogari posset; debito autem praestandarum decimarum, iuxta sensum praeallegatarum legum et decisionis Tabularis, omnes omnino fundos rurales colentes, tam respectu Cleri, Parochorumque, et Plebanorum Catholicorum, quam et Camerarum nostrarum Arendatricum substernerentur. Ideo vobis hisce benigne simul ac firmiter committimus, et mandamus acceptis praesentibus, legibus et rationibus ex praemissis, iuxta mentem praementionatae Tabularis Deliberationis, Decimas et Metretas, a fundis rusticanis per Nobiles, et Armalistas, vel Incriptionalistas, et alios quoscunque tentis, possessis, et vsuatis, praedictis Clero, Plebanis, et Camerae nostris, citra omnem renitentiam, et remoram, praetari, et persolui facere, huicque benigno Mandato nostro, sub poena non observationis legitimum mandatorum nostrorum, et executionis Militaris incursu, vosmet conformare velitis, ac debeatis, omnesque praemissi debeant, ac teneantur, secus neque vos, neque illi facturi. In reliquo, vobis gratia nostra Caesarea, atque Regia, benigne propensi manentes. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austria, die duodecima mensis Augusti, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo Nonagesimo Septimo. Ladislaus Matyassovsky Episcopus Nitrien. m. pr. Joannes Domanisky m. p.

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis. Egregiis et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Supremo ac Vice-Comitibus, Iudicum et Jurassoribus. Toti denique Vniuersitati Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium Comitatus Borsodiensis etc. fidelibus nobis dilectis. L. S. Agriam. Onodinum. 1697. die, 25. Septembris in Generali Congregatione Comitatus

Borsodiensis in oppido Miskolcz celebrata. Praesentes Benignae Suae Maiestatis Sacratissimae publicatae sunt per me Juratum eiusdem Comitatus Notarium. Georgium Seres m. pr.

Ex originali J. Comitatus Borsod Tabul. Spéciei XXI. Fasc. VII. pro 627.

168. *Valachi Transilvaniae, graeci ritus, parte magna unione cum Romano-Catholicis amplectuntur. A. 1697.*

I. Agnoscimus Romanorum Pontificem totius Ecclesiae Christi, per orbem diffusae, caput esse visibile. II. Profitemur praeter coelum sedem beatorum, ac infernum, carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animae nondum expiatae, detinentur ac purificantur. III. Panem azymum sufficientem materiam coenae dominicae, ac sacrificii Missae, seu Iyurgiae esse, non dubitamus. IV. Spiritum S. tertiam in Trinitate personam, a Patre et Filio procedere, credimus; ac caetera omnia admittimus ac profitemur, credimusque quae Sancta mater Ecclesia Romano-Catholica admittit, profitetur ac credit.“ Apud Benkő Trans. Tomo II. p. 231.

Reconciliatio haec opera potissimum Paulli Baranyi, S. J. Parochi Albensis, in Transilvania facta et a Theophilo, eorum Antislite, ac duobus Archidiaconis subsignata.

169. *Postulata Valachorum unitorum. A. 1698.*

I. Vt sacerdotes, et ritus Graeci monachi eorundem priuilegiorum ac iurium participes fierent, quibus iam gaudent non solum sacerdotes Romano-Catholici, sed etiam Ariani, Lutherani, et Caluiniani. II. Vt in quolibet pago, in quo parochus est, domum habeat Ecclesia parochialem; ne in aliena domo aut fundo cogatur parochus habitare. III. Vt adaequata dependentia et dispositio parochorum sit penes episcopum, et nullo modo penes saeculares, vt hactenus.“ Anno 1698.

Nec postulatis frustrati sunt; anno enim 1698. 14. Aprilis, Viena sic pro Valachis conclusum, atque a D. Leopoldo ad Regio-Transiluanicum gubernium transmissum est: Qui ex sacerdotibus graeci ritus Valachus, edita professione, ad obseruantiam ritus apud Catholicos, cum agnitione summi pontificis, se declarauerit, gaudebit priuilegiis Catholicorum.“ Ibidem pag. 232.

170. *Leopoldus a Kollonics, Cardinalis et A. Episcopus Strigon. unitorum patrocinium suscipit. A. 1698.*

Nos Leopoldus, miseratione diuina S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum presbiter Cardinalis, a Kollonics, Archiepiscopus Strigon. locique et comitatus eiusdem supremus, perpetuus Comes, primas regni Hungariae, legatus natus, summus secretarius, et cancellarius, S. Joannis Hierosolymitani ordinis Prior, et commendator Egrae, Maylbergae, S. C. R. que M. intimus consiliarius actualis, omnibus, ad quorum manus praesentes deuenierint, maxime vero graeci ritus Valachis sacerdotibus, per Hungariam, Transiluaniam, partesque eidem adnexas, existentibus, salutem in

Domino sempiternam. Notum facimus tenore praesentium, quibus expedit vniuersis: quod alte libata SS. C. Rque M. Leppoldus I. Imp. S. A. tam die 23. Aug. A. 1692. quam die 14. mensis Aprilis, anni currentis, elementissime resolverit; qui ex sacerdotibus graeci ritus, edita professione, ad obseruantiam Graeci ritus apud catholicos, cum agnitione summi Pontificis, se declarauerit, iisdem prorsus iuribus, priuilegiis, exemptionibus ac immunitatibus frui ac gaudere debeat, quibus Sacerdotes Romano-Catholici, siue ritus Latini, iuxta sacrorum canonum sancita et diuorum Hungariae Regum statuta, frui et gaudere dignoscuntur. Quam benignissimam suae Maiestatis SS. resolutionem intelligentes, praeterquam quod ingenti gaudio perfusi simus, quod vobis aperiri, audierimus et videamus, qua ad auitum ecclesiae Romanae-Catholicae gremium, vnionemque saluificam redire possitis; illud pariter muneris nostri et pastoralis curae, qua per Hungariam vniuersam vti et regna, prouincias, eidem adnexas, vt primas et legatus natus, fungimur, vique auctoritatis nostrae Archiepiscopalis Metropolitanae Strigoniensis, speciali Sedis apostolicae priuilegio, nobis concessae, esse duximus, vt nostrum vobis omnibus, ad vnionem cum Ecclesia Romano-Catholica redeuntibus ac redituris, fauorem et specialem in omnibus protectionem offeramus. Quod etiam tanto efficacius praestabimus, quanto vos in dictae vnionis professione et conseruatione feruentiores, ea nimirum omnia quae S. mater Ecclesia Romano-Catholica docet, profitetur et credit, priuatim et publice docendo, profitendo et oredendo; speciatim vero 4. illa puncta, in quibus hactenus potissimum deuiasse videbamini, protestando, extiteritis: I. nempe Romanum pontificem esse caput vniuersale totius diffusae per orbem Ecclesiae. II. Panem azymum esse sufficientem materiam sumendae coenae dominicae, seu sacramenti Eucharistiae. III. Praeter coelum, sedem beatorum, et infernum carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animae defunctorum, nondum satis expiatae detinentur ac purificantur. IV. Demum Spiritum S. tertiam in Trinitate personam a Patre et Filio procedere. Quod dum facitis, non solum a Deo, bonorum omnium largitore in praesenti quidem vita vberem suarum gratiarum influxum, ac largiorem etiam in temporalibus benedictionem, in futura vero aeternam felicitatem sperare poteritis; verum etiam Augustissimi Caesaris fauore, et regiae potestatis plenitudine, tum personae Vestrae tum Ecclesiae, reliquaue ad eandem spectantia immunitate et exemptione pari condecorabimini, qua ecclesiae personae resque ecclesiasticae latini ritus, ex sacrorum canonum praescripto effectiue perfruuntur. Et, si quis hoc suae SS. Maiestatis decretum ausu temerario contemnere, aut praedeclaratae huic graeci ritus vnitorum immunitati Ecclesiasticae, aperte vel occulte, vilo sub praetextu, aut etiam praetensi vsus et consuetudinis, antequam vnirentur, sub velamine contraire praesumeret; iisdem prorsus poenis, tum ab Ecclesiastici, tum a secularis fori iudicibus, tum etiam ab Augustissimo Caesare, si opus fuerit infligendis obnoxius erit, et subiacebit, quas fidelium Latini ritus immunitatem Ecclesiasticam laedentes de iure ac consuetudine, incurrunt. Ac insuper in huius ecclesiasticae immunitatis vsu vniuersi DD. Episcopi, gubernium regium, magnates, supremi capitanei, ac iudices regii, tum Ecclesiastici, tum secularis fori,

iudices et iustitiani, si coram eis in praedecarata immunitate vos laesos esse, questi fueritis, eorumque auxilium et assistentiam imploraueritis; iudicium et iustitiam non minus ac Latinis S. matris ecclesiae fidelibus, eadem immunitate gaudentibus, administrare debebunt, et tenebuntur. Quod si praestare intermitterent, nobisque ac successoribus nostris desuper relationem feceritis, vt malo tam euidenti, seueriori etiam manu medela tempestiue adhibeatur, adlaborabimus. Datum in curia commendae nostrae Maylbergensis beneficiata, Viennae Austriae, die 2. mensis Junii, anno Domini 1698.“ Kaprinay MSS. sub B. tomo XXV. nro 27. pag. 109.

Hae ratione, vt Schmithius in A. Episcopis Strigon. p. 142. perhibet, facile centum et amplius mortalium millia errorem schismatis posuerant; ea occasione domus S. Adalberti Tirnauiæ, pauperum adolescentum vsibus destinata, ad alendos nempe clericos, qui excolendis Valachis operam darent, opibus aucta. Idem Kollonich templum, Posoniense, anno 1672. Latheranis, causa qua supra ereptum, ac S. Saluatori consecratum, Collegio S. J. condito, transcripsit; eiusdem Ordinis viros etiam Eperjesini, ac Cassouiae nouis uectigalibus auxit. Hi, variis in Transiluania fatis agitati, longoque tempore solitas ordinis vestes mutare coacti, munia nihilominus sua, quantum licuit, obibant. Verum vt Cl. Benkő perhibet (l. c. tomo II. pag. 248.) imperio Augustissimae domus Austriae in Transiluania confirmari coepto, ibidem firmati, legibus contra eos latis, rescissis, Academiam Claudiopolitanam, anno 1698. 17. Novemb. restauratam acceperunt, in eaque Philosophiam docere coeperunt.“

Episcopos Munkácsiensis, ab anno 1491. notos, non mansisse continuo vnioni fideles, ex epistola etiam Cardinalis Kolonics liquet: hic tutor Rakoczianus, Roma secum eduxit vnitum Graeci ritus Sacerdotem, quem etiam Episcopum consecrauit, atque Munkácsinum sic imposuit. Schismatico prouentus a familia Rakocziana obtinere solitos negauit, si vero abire vellet, liberale viaticum obtulit; quo etiam allectus, ad fines Transiluaniae, in Marmaros Comitatum, recessit; vnitum vero eidem anno 1690. substituit. — Pray Hier. Sacrae P. I. p. 381.

171. *Idem Rex Hungariae A. Episcopis Colocensibus, in prouincia Bács. vetus supremi Comitatus reusserit. A. 1698.*

Nos Leopoldus — memoriae commendamus — quod nos, benigne consideratis, fidelitate, et fidelium seruitiorum meritis, non minus eximiis quoque virtutibus et animi dotibus, fidelis nostri, nobis dilecti, RR. in Ch. P. Pauli Széchényi Colocen. et Bacs. ecclesiarum Canonice vnitum Archiepiscopi, administratoris episcopatus Veszprim. Comitatusque eiusdem supremi Comitatus, et consiliarii nostri, officium seu honorem supremi comitis comitatus Bachien. eidem iam antehac iure temporali per Maiestatem nostram benigne collatum, per eundemque hactenus laudabiliter, cumque omnimoda satisfactione nostra, tentum ac possessum, eidem Paulo Széchényi, eiusdemque successoribus, futuris nempe Colocen. et Bach. Ecclesiarum, canonicè vnitum Archiepiscopis, vna cum omnibus consuetis eiusdem officii seu honoris supremi ac perpetui comitis iurisdictionibus, solitisque obuentionibus, prouentibus, et emolumentis iure perpetuo, clementer dandum duximus et conferendum; ita tamen, vt ipse nobis iuramentum fidelitatis seruandae praestare, iudicium et iustitiam citra personarum delectum omnibus ex aequo administrare, cunctosque SS. et OO. in eo-

dem comitatu Bácsiensi degentes, in iuribus, libertatibus et praerogatiuis eorum conservare, debeat et teneatur; attendatque insuper et aduigilet, vt omnes singuli proventus nostrae camerae regiae, de eodem comitatu prouenire debentes, nobis et ad dictam cameram nostram, fideliter administrentur; et quod mandata nostra tam ipsemet obseruet, quam et aliis omnibus, in eodem comitatu existentibus et commorantibus, obseruari faciat; inimicis nostris resistere, et cum amicis amicitiam seruare debeat; imo damus et conferimus, praesentium per vigorem. Quo circa vobis fidelibus, reuerendissimis, honorabilibus, spectabilibus, ac magnificis, nec non egregiis et nobilibus, ac alterius cuiusuis status, dignitatis et conditionis possessionatis, aequae ac aliis dicti comitatus Báchiensis incolis, ac inhabitatoribus, subditisque nostris, harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus praefatum Paulum Széchényi a modo in posterum pro vestro vero, legitimo, ac indubitato supremo comite tenere, habere, ac recognoscere, ac iudicio et iudicatu eiusdem adstare, in omnibus denique licitis et consuetis rebus et negociis iurisdictioni ipsius parere, et obtemperare, modis omnibus debeatis et teneamini. — Datum in ciuitate nostra Vienna Austriae die 16. Octob. anno Domini 1698. Regni nostri Romani 41. Hungariae 44. Bohemiae vero anno 43. Leopoldus m. pr. Ladislaus Mattyasovszky, Episcopus Nitriensis m. pr. Joannes Domaniszky m. pr.“ — Ex suppl. libello 1790. SS. et OO. Hung. porrecto.

172. *Idem Rex Bulgaris, in Transiluaniam receptis, liberum religionis orthodoxae exercitium addicit. A. 1700.*

Nos Leopoldus.—IV. Religionis orthodoxae, liberum exercitium habeant; nec quisquam eosdem hoc in passu, quocumque sub praetextu aut colore turbare, vel impedire praesumat; cuius tanto maiori feruore ac deuotione continuandi gratia, licebit illis templum suis sumtibus excitare, et parochum catholicum, ac vnum vel plures capellanos pro exigentia intertenere; qui non aliunde, quam ab episcopo catholico ordinario, sibi vindicet dependentiam. — Dabantur in Laxenburg, die XV. mensis Maii anno 1700. Regni nostri Romani 42. Hung. 45. Bohemiae vero 44.“ — Apud. Pray. Diss. VII. p. 172.

173. *Deputatio, a Leopoldo rege, ad occurrendum controuersiis ratione substantiae a Praelatis Hungariae relictae, constituta. A. 1700.*

SS. C. Regiaeque Maiestatis inclitae cancellariae Hungaricae Aulicae praesentibus per quam officiose significandum: Meminerit haud dubie eadem inclita cancellaria Hungarico-Aulica, quidnam in nuperno congressu, 5. huius currentis mensis sub praesidio eminentissimi D. Leopoldi Card. a Kollonics, inter inclytum et venerabilem Clerum regni Hungariae et cameram hanc Caesareo-Regiam aulicam, praesentibus ex parte Inclytae Cancellariae Regio-aulicae illustrissimo et RR. Domino Ladislao Mattyasovszky, episcopo Nitriensi, ac aulae Cancellario, et RR. Domino Augustino Benkovic, episcopo Varadiensi, Ill. ac RR. D. Emerico Chaky, episcopo Nouiensi, spe-

ctabilibus ac generosis D. Francisco Klobusitzky, L. B. de Sétén, incl. comitatus de Zarand supremo comite, nec non personalis praesentiae regiae in iudiciis Locumtente; D. Barone Hoffmann, D. B. Mednyánszky, ac ex parte camerae aulicae C. R. eiusdem consiliario et referendario intimo, hic subscriptis, celebrato, occasione grauium motorum a RR. Dno Stephano Telekesi, Episcopo Agriensi, tam circa contrauentionem resolutionis ratificatoriae 14. Augusti, anno 1694. super restitutione bonorum ad episcopatum D. Episcopo Georgio Fenesi, piae recordationis, obtentae, quam ratione bonorum mobilium ac spiritualium, tempore mortis praefati D. Episcopi, antecessoris sui, exstantium, vti et in medio tempore vacantiae perceptorum; a fisco regio apprehensorum et praetensorum, stabiliendam in hisce casibus, eueniente scilicet morte alterius D. praelati, non tantum quoad formalitates, in obsignatione haereditatis, conficiendo inuentario, ac administratione bonorum sede vacante; sed etiam quoad, quantum pro confiniis, et fortaliciis, iuxta tenorem et mentem diplomatis a piissimo imperatore et rege Ferdinando II. gloriosae reminiscentiae, pro inlyto et venerabili clero Hungariae adhuc anno 1625. die 11. mensis Decembris, ratione concessae de bonis mobilibus testandi facultatis, emanati; applicandam certam regulam et normam firmam, ad tollenda in eiusdem casibus hucusque inter saepe fatum venterum et fiscum regium ob inde in summum praeiudicium vtriusque exorta sumtuosa litigia, controuersias ac querelas, nec non praecauendas occasione et subleuamine eorumdem, saepe non paruo religionis nostrae scandalo, practicatas haereditatum expilationes, et distractiones, omni ex parte proficuum et omnino necessarium fore visum fuerat, nimirum: (sequitur conuentio a Leopoldo, qui causam promouerat, et confecerat, Koloniciana dicta. Anno 1700: Sed ea tertio post anno, punctis quibusdam auctis et vberius declaratis, fuerat ab eadem cancellaria Cardinali Kolonicio, clero regni Hungariae euulganda commissa, vt sequitur nro 187.

174. *Articuli sub Leopoldo I. in subsidium religionis et Ecclesiae catholicae statuti.*
A. 1657—1705.

Decretum I. Poson. anno 1659. Art. 38. „Cum benigna Suae Maiestatis an-nuentia statutum est: vt sua Maiestas officia et beneficia tam ecclesiastica, quam secularia, personis nationalibus et indigenis regni bene meritis, nullo modo extraneis, gratis conferre dignetur.“ Art. 56. „Regnum Croatiae et Slauoniae, quoad defensionem patriae refert se ad articulum 4. anni 1558. et art. 12. anni 1631. — De Parochis, viduis, senio confectis, et in seruitiis suae Maiestatis, vel Dominorum Magnatum constitutis, articuli iam superinde conditi, hoc quoque loci pro insertis habeantur.“ Art. 105. „Circa exactionem et aquisitionem decimarum tam capitularium quam episcopalium, in regno Slauoniae et Croatiae, art. 3. eiusdem regni in anno Domini 1636 regia autoritate confirmatus, et alii quoque articuli regni Hungariae superinde conditi obseruentur: Contumaces vero armata manu iustae decimationi resistentes, brachio quoque banali ad iustas decimas pendendas, et soluendas compelli possint et debeant.“

Decretum II. Poson. anno 1662. — Art. 5. „Ad exercituationem vniuersi Domini Praelati, Magnates et Nobiles possessionati omnino sint obligati; capitula etiam, conuentus, monasteria, collegia, moniales, abbatiae et praepositurae capitulis non incorporatae, suadente art. 13. anni 1543. ad instar aliorum nobilium possessionatorum, a bonis suis modo praemisso equites et pedites, in defensionem suam, regni et ecclesiarum Dei expedire, et in castris intertenere debeant; et insuper capitula, monasteria et collegia, vnum vel alterum de medio sui sacris initiatum, pro diuinis ibidem peragendis dictante articulo 3. circa finem anni 1552. in castra submittere. Abbates vero et praepositi capitulis non ingremiati, etiam minus possessionati, et episcopi titulares, siquidem nobilitari praerogatiua gauderent, vel in personis, modo praemisso insurgere vel loco personarum suarum equites idoneos submittere teneantur. Plebani quoque pauperiores, iuxta art. 23. anni 1543. a decem ipsorum personis vnum equitem conducere ac pro defensione patriae in castris tenere sint obligati, cum ea tamen declaratione, vt de quantitate exsolutionis conducendi per ipsos equitis, inter eosdem plebanos, archidiaconi vel vicearchidiaconi ipsorum limitationem peragant. Ditiores vero parochi, altaristae, siue rectores altarium et magistri capellarum capitulis non incorporati, 200 circiter florenos annuos in prouentibus habentes, nec non beneficiati Sopronienses, et alii similes, praesertim in articulo 25. anni 1545. declarati, qui 200 similiter annuos in prouentu possident, ratione beneficiorum suorum, singuli singulos equites conducant et expediant.“

Decretum III. Sopron. Anno 1681. — Art. 27. „Cum benigna suae Maiestatis annuentia, renouato hec loci articulo 38. anni 1659. nec non 9. et 10. 1608. ante coronationem editis, vt vniuersa officia et beneficia tam secularia videlicet, quam ecclesiastica, et praefecturae, capitaneatusque confiniorum in Hungaria et Croatia, personis nationalibus, indigenisque regni benemeritis, conferatur, sancitum est.“ Art. 46. Prouisio de insurrectione anni 1662. art. 5. iteratur.

Decretum IV. Poson. anni 1687. Juramentum Josephi I. filii Leopoldi pro libertate ecclesiarum et regni. Nos Josephus, Dei gratia, rex Hungariae etc. iuramus per Deum viuum, et per eius sanctissimam Genitricem Virginem Mariam, per omnes Sanctos; quod nos ecclesias Dei, Dominos Praelatos, Barones, Nobiles, Ciuitates liberas, et omnes regnicolas in suis immunitatibus, libertatibus, iuribus, priuilegiis, ac in antiquis bonis et approbatis consuetudinibus, prout super eorum intellectu, et vsu regio etc. communi statu consensu conuentum fuerit, conseruabimus, omnibusque iustitiam faciemus; serenissimi quondam Andreae regis decreta (exclusa tamen et semota articuli XXXI. eiusdem decreti clausula incipiente: Quod si vero Nos, etc. vsque ad verba: in perpetuum facultatem) obseruabimus; fines regni nostri Hungariae, et quae ad illud quocunque iure, aut titulo pertinent, non abalienabimus, nec minuemus, sed quoad poterimus, augebimus et extendemus, omniaque alia faciemus, quaecunque pro bono publico, honore et incremento omnium statuum et totius nostri regni Hungariae iuste facere poterimus. Sic nos Deus adiuet.“ Art. 20. Vt a modo in posterum religio societatis Jesu nomine collectiuo sumta, quum ad

clementem suae Maiestatis sacratissimae resolutionem, tum superinde coram inclitis statibus et ordinibus factam demissam instantiam, in hoc regnum Hungariae, et partes eidem adnexas, pro recepta et stabilita habeatur; vnanimiter sancitum est.“ Art. 23. „Ad conseruandam porro animorum concordiam et publicam regni tranquillitatem, quae in vnitae religionis stabilita fuisse dignoscitur: Ex benigna suae Maiestatis annuentia conclusum est: vt in Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae regnis, secundum municipales leges hoc loci confirmatas, tam in partibus, sub iurisdictione eorundem ad praesens existentibus, quam in futurum iuxta clementem suae Maiestatis sacratissimae resolutionem ad eam legitime reapplicandis, soli catholici bonorum, vti hactenus, ita in posterum, sint capaces.“

175. Georgius Széchény, Archiepiscopus Strigon. in vrbe Budensi Academiam et Vniuersitatis collegium fundat. Dat. Strigon. Anno 1689. — Kaprinay MSS Tomo 58. Sub B. nro 77. p. 319.

176. Idem Archiepiscopus Seminarium Alumnorum cleri Junioris Budae fundat. Anno 1689. Ibidem nro 78. p. 324.

177. Idem Archiepiscopus conuictum pro nobili iuuentute saeculari sub S. Jesu fundat. Anno 1689. Ibid. nro 79. p. 332.

178. Leopoldus Rex Hungariae Patribus S. J. Parochiam Budensem ac vicos Török Balint etc. confert, foundationem vero seminarii, conuictus et academiae Budensis confirmat. Datum Viennae Anno 1689. — Ibid. nro 76. p. 314.

Leopoldus R. H. Nicolao Plumbeo, Episcopo Bosnensi, contra Episcopum Zagrabensem, processum Romae mouenti, per Joannem Cardinalem de Goes, mandat, vt ab intentione sua supersedeat, seque ad suum Episcopatum conferat. Datum Viennae anno 1695. — MSS. Kaprinay sub B. somo LIX. nru 69.

179. Idem Leopoldus decimas et bona Ecclesiastica reacquisita ecclesiis restituenda, certis sub conditionibus, constituit. A. 1701.

Leopoldus Dei gratia electus romanorum Imperator, semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniaeque etc. rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marehio Morauiae; Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae etc. etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis, Reuerendissimis, Reuerendis, Venerabilibus, Honorabilibus, Dominis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Capitulis et Conuentibus, generaliter vero quarumuis sacrae regni nostrae Hungariae coronae subiacentium dioecesium, ecclesiasticae, simul et regularis conditionis praelatis, archidiaconis, plebanis et ecclesiarum Dei rectoribus, ac ministris; nec non illustri sacri romani imperij principi, dicti regni nostri Hungariae palatino, spectabilibus et magnificis, ma-

gnificis item et egregiis, prudentibus et circumspectis, iudici curiae nostrae regiae, praefatorum regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae bano, Tauernicorum nostrorum regalium magistro, praesentiae nostrae regiae in iudiciis locumtenenti, eorumdemque vicesgerentibus; praeterea supremis, es Vicecomitibus, iudicibus nobilium, ac iuratis assessoribus, totis denique vniuersitatibus dominorum praelatorum, baronum, magnatum et nobilium quorumcunque, praefatorum regnorum nostrorum, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, partiumque his annexarum et comitatum; ac demum iudicibus, magistris ciuium, senatoribus ac communitatibus liberarum ac regiarum ciuitatum nostrarum, prout et oppidorum, pagorum, et villarum rectoribus, cunctis denique, cuiuscunque status, gradus, honoris, conditionis et praemi-
 nentiae hominibus, praelibatae sanctae regni nostri Hungariae coronae subiacentibus subditis nostris salutem et gratiam. Notum facimus tenore praesentium: quod Nos pro singulari, ad promouendam Dei ter optimi, maximi laudem et gloriam, et ecclesiae suae sanctae incrementum, cura atque studio nostro, velut praefati regni nostri Hungariae rex apostolicus, et summus ecclesiarum Dei patronus, ac orthodoxae religionis protector, sponte nostra, motuque proprio, non tantum in executionem clementissimae, super restitutione honorum ac iurium, victricibus armis, ab immani christiani nominis hoste vindicatorum sanctae ecclesiae et venerabili clero Hungariae facienda, anno adhuc 1690. die 11. mensis Augusti iam praeteritis emanatae resolutionis nostrae: verum etiam ad pientissimum votum nostrum, bello adhuc Turcico durante, ex solo pietatis et deuotionis nostrae, diuinique cultus per totum regnum nostrum Hungariae restabiliendi, atque promovendi zelo sollemniter emissum, nunc tandem per diuini numinis gratiam obtenta pace, ac praefati regni nostri Hungariae tranquillitate subsecuta, rite complendum; non minus, quam ad humillimam mentionati venerabilis cleri Hungarici, eiusdemque supremi antistitis, domini archiepiscopi Strigoniensis, et totius regni eiusdem primatis, reuerendissimi nimirum in Christo patris, domini Leopoldi sanctae romanae ecclesiae tituli sancti Hieronimi Illyricorum cardinalis a Kollonics, qua plenipotentiarum eatenus ab vniuerso clero Hungariae specialiter requisiti, sollicitam instantiam, et vltiorem declarationem, superindeque prius medio superioris in neoacquisitis per Nos clementer deputatae commissionis demissam relationem Maiestati nostrae in pleno factam, clementissime resoluerimus, omnia et singula iustissimis, ideoque gloriosissimis armis nostris a Turcarum tyrannide feliciter recuperata bona, iuraque ecclesiastica, legitime edocta, praesertim vero decimas Deo, et eiusdem ecclesiae catholicae per Hungariam antiquitus cessa et dicata, omnino restituenda, suisque legitimis praetensoribus, modis tamen, ac conditionibus subinsertis, et harum serie luculenter declaratis, reassignanda esse. Ita nimirum, vt:

Primo: Omnis generis decimae iuxta primaevae diuorum quondam Hungariae regum, praedecessorum nostrorum, ac nominanter sancti Stephani Proto-Regis apostolici Hungariae, foundationes et constitutiones, ac vsu roboratas consuetudines patrias, antiquitus exigi et percipi solitas generaliter Deo et ecclesiis dicatae, mentionato

clero; statim ab insinuatione et publicatione huiusmodi benignissimae resolutionis, resignentur; imposterum pleno et integro iure ab eodem percipiendae, et vsufructuandae. Attamen iure praerendationis decimarum fisco nostro regio ad confinia competente, in euentum vltioris bellicae necessitatis, et exigentiae, pro Maiestate nostra, per expressum reseruato, et omnimode saluo permanente; prout non minus Nos ad nostrum desiderium gratuitum, ab antelato quoque domino cardinale a Kollonics proprio et vniuersi Hungariae cleri ecclesiastici, et regularis, quicumque decimandi ius exercere dignoscitur, nomine, tam in aliqualem gratitudinis suae contestationem, et sic dicti iuris armorum, immensis diuturni huius belli sumptibus, ac copiosissima sanguinis profusione, acquisiti recognitionem: quam in uicem praehabiti oneris banderiorum militarium, ante hac ingentibus cleri Hungarici expensis, ad insurrectionem contra communem christianitatis hostem vsitatorum, nunc vero, penitus sublatorum, oblatum quasi lytrum, decimas nempe decimarum cuiuscunque generis frumenti, tritici, siliginis, hordei et auenae. Et quidem ab omnibus et singulis in toto regno existentibus cleri membris, eo, quod non minus omnes et singuli securitate, tranquillitateque regni publica, gloriosis armis nostris stabilita, gaudeant, quamdiu necessitas fortalitia et milites intertenendi exposcet (salua tamen abinde prius separanda consueta sedecima, pro parochorum intertentione deputata) annuatim praestandarum benigne acceptauimus, adeo, vt ab hac vniuersali granorum decimalium decimae partibus subsidiaria praestatione, nullus omnino sit eximendus; ac proinde quoque omnis, et singulus, quicumque nunc et in futurum exstiterit decimarum arendatarius (et quidem sine vlla defalcatione seu diminutione contractualis summae arendatitiae, repetito clero nihilominus integraliter exoluendae) non secus ac ipsemet clerus praelibatam decimalis frumenti partem decimam regiae nostrae Maiestati pendere sit obligatus, eamque ex hac aequali decimarum decima parte resultantem supradictorum granorum quantitatem et ecclesiastici ac regulares, non minus quam arendarii, quicumque fuerint, per ipsosmet dominorum terrestrium tam ecclesiasticorum, quam saecularium subditos decimatarios, tanquam aliunde etiam pro publica regni vtilitate, laboribus gratuito praestandis obligatos, ad certa loca, seu praesidiaria, seu annonaria per caesareo regiam cameram nostram aulicam specificè denominanda, atque certis in comitatibus designanda, semper tempestiue, nimirum in vna medietate, circa festum sancti Michaelis Archangeli, et in altera dimidietate, circa festum sancti Georgii militis et martyris, aut (si maluerint) citius in toto simul, et gratis, meliore, quo fieri potest, modo, conuehi curare debeant. Ne vero:

Secundo: Tam contra primorum fundatorum quondam Hungariae regum, praecessorum nostrorum, quam et modernam nostram, vtpote neofundatoris piam intentionem, in praestatione, seu collectione decimarum et ab eisdem nobis per totum obtingentis decimae partis, defraudatio quaedam, aut circumventio dolosa, vel renitentia plane committatur, prioribus hac in parte sancitis regni constitutionibus, et legibus patriis firmiter inhaerendo, clementer praecipimus, ac regia apostolica auctoritate nostra serio demandamus: quatenus omnes, et singuli fideles nostri, tam ro-

mano Catholici, quam graeci Ritus, aut alteriur, cuiuscunque Religionis, aut Nationis, in Hungaria, et eidem antiquitus appertinentibus Regnis, et Partibus nostris degentes homines, plane ad diuorum antea Regum, atque fundatorum in literis eorundem collationalibus expressam mentem, et eatenus in Hungaria passim receptam consuetudinem, praestandas omnis generis decimas, honorabili Clero, vel eiusdem loco, denominatis arendatariis, aut decimatoribus omnino genuine, rite, ac fideliter insinuare, statutisque temporibus recipiendas tradere non praetermittant; secus facientes poenam dupli, consequenter et seueriores animaduersiones, cum grauissima indignatione nostra, qua (vt supremus Ecclesiarum Protector, et vindex) huiuscemodi (quot quot eatenus euenire contigerit) refractarios, et fraudulentos actus inultos non relinquemus, haud dubie sint incursum.

Tertio. Neque minus exacte, quam fideliter bini a quolibet capitulo deputandi, et exmittendi Canonici, vel Praebendarii sub homagiali suo (quo Deo, Ecclesiae, et Maiestati nostrae sunt obstricti Juramento, in certis eisdem capitulariter assignandis districtibus, antelatas Decimas, modo et ordine iam praescitis, ad fideles Regnicolarum quoque (si necessum fuerit) solenniter adiurandorum fassiones, et pro rerum exigentiam in faciebus locorum, manipulos dinumerando, vel Horrea, seu granaria ad libitum visitando, in Regestum capitulare congerant, et omnia ad amissim conscribant, ac genuina de super Cameris nostris Regiis, vel officialibus ad id constitutis facta communicatione, veram ac sinceram decimarum repartitionem et condiuisionem ita peragant, vt deducta prius sedecima, Parochorum intertentioni debita, semper iusta et adaequata iam recensitorum granorum decimarum decima Pars in toto Regno Hungariae, et omnibus eo spectantibus partibus, integre et quidem, vt nullus Regiorum ad collectionem Decimarum alias deputandorum hominum grauaminibus saepius expositis subiiceretur, in granis extrituratis et bene purgatis, secundum probam a decimatoribus Capitularibus, sub dicto Juramento faciendam, Maiestati nostrae, modo supradicto, pro publico fidelissime subministretur, perque decimatores siue Ecclesiasticorum, siue saecularium Dominorum tarrestrium subditos, ad designata Praesidia in domos annonarias, vecturis gratuitis, conuehatur, et transportetur; qua in parte (quod tamen de saepéfato Clero haud praesumendum, ideoque magis auertendum est) si per reticentiam, quando nempe talis mentionatorum granorum decimalis quantitas Regiis nostris officialibus non ita candide, et integre, sicut de puritate conscientiae deberet insinuari et aperiri, dolosa sponte fors intermitteretur, aut quouis alio modo, fraus aliqua, vel circumuentio damnosa, fisco nostro Regio eatenus illata comperiretur, eo casu toties quoties, eueniente, pars illa Cleri; in hocce delicto actualiter deprehensa, poenam, alias Patriis legibus contra Laicos, in puncto praestandarum decimarum renitentes, ac defraudatores statutam, ipsamet luere; scilicet duorum annorum decimas amittere debeat, adeo quidem, vt (nihilominus deducta prius Parochorum sedecima, continuo salua manente) loco vnus alioquin fisco Regio solum debita decimarum decimae, nguem plane decimarum praestitorum granorum partes

(vnica decimarum decima attunc simili delinquenti tantum cedente) reseruat Maiestati nostrae propter emendam pendere et concedere teneatur, praeterea:

Quarto. Omnia et singula bona, iuraque Hungarico-Ecclesiastica; etiamnum prae fisci nostri Regii manibus existentia, et in quantum illa ad repetitum Hungariae Clerum tam Ecclesiasticum, quam Regularem prioribus seculis, et temporibus bono iure spectasse, et ab eodem actualiter iusto titulo tenta, et legitime possessa fuisse, literalibus instrumentis sufficienter edoctum fuerit (siquidem Episcoporum, aliorumque, beneficia Ecclesiastica possidentium bona, et iura possessionaria haereditaria, post mortem eorundem, non extantibus aliis legitimis successoribus, fisco nostro Regio, iuxta leges Patriae, competere dignoscerentur) de praefati fisci nostri Regii, seu Cameraticorum officialium nostrorum manibus, ad manus eiusdem Cleri Hungarici transferenda, actualiter extradanda, perpetuo possidenda, ac debite fructuanda, resignentur; ea tamen cum modalitate et limitatione, firmiter obseruanda, vt haecce honorum et iurium, atque prouentuum Ecclesiasticorum facienda restitutio, cum onere euictionis in venerabilem Clerum, omnino translatae intelligenda: ast vero, ad fructus ab ipsamet Maiestate nostra, vel gloriosissimae recordationis, praedecessoribus nostris perceptos, extendenda minime foret. Quo e contra:

Quinto. Siquidem communi non minus iustitia suadente, quam lege Regni dictante, et potissimum innuente clausula saluatoria, Regiis donationibus semper inseri solita, videlicet: „Saluo iure alieno, praesertim vero Ecclesiarum Dei“ liceat vnique id, quod suum est, recto iuris tramite reacquirere; oh hoc denuo praesentibus expressam eidem Clero tribuimus plenariam, omnia, et singula bona, et iura, quondem pure Ecclesiastica recuperandi et omnino reluendi potestatis facultatem; ea tamen conditione pariter annexa: quatenus idem Clerus, illa propriis suis fatigiis, curis et expensis, suoque periculo, per consuetam viam iuris, euincere, consequenter et summas pecuniarias similibus bonis, et iuribus, caeterisque prouentibus Ecclesiasticis antea legitime inscriptas, seu pro iisdem hactenus legitimis regibus, ac sacrae Regni nostri Hungariae Coronae liquido persolutas, omnino refundere, et alias quas-cunque superinde pactatas conuentiones, liciteque stipulatas conditiones, eo modo (quo Nos, ut Hungariae Rex, de iure teneremur) adimplere, desuperque omnia quarumuis euictionum in fiscum nostrum Regium forsitan hactenus assumptarum onera, pariter in se leuare, sicque eundem fiscum Regium eatenus omnino liberam, et quietum reddere debeat: ne tamen ea honorum, atque prouentuum Ecclesiasticorum debito Juris ordine recuperandorum Clero data facultas extendatur ad illa bona, quae ab ipsomet Clero plane deserta, cumque magna animarum iactura, contra sanctam fundatorum intentionem, pro derelictis habita, cuidam alteri Catholicae religionis ordinis iam actualiter collata, vel allis beneficiis Ecclesiasticis incorporata seu pro bono publico, ad alias pias eiusdem orthodoxae Religionis Causas (inter quas tamen A Catholicorum fundationes, quaecunque forent, nullatenus recensendae) hactenus ex bene placito Regum applicata fuerunt, quo in passu, via litigandi neutiquam esset aperienda, sed tantum respectu illorum Ecclesiasticorum, aut Regularium, qui aliquando

hostili vi, et potentia maiori, suis bonis expulsi, et habitis Juribus violenter destituti, sicque inuiti bonis cedere coacti sunt, iisdem abinde iure postliminii, contra illegitimos detentores, saluo permanente, quem in finem, tali sub limitatione, melius assequendum:

Sexto. Quaecunque prae fisci nostri Regii manibus sunt, et in Camerarum notarum Archiuuis reperibilia Documenta, et Instrumenta literalia Ecclesiam Dei et eiusdem Clerum, tam Ecclesiasticum, quam Regularem Hungaricum ab antiquo tangentia, et quouis modo concernentia, per vnam Cameralem, et alteram Capitularem seu Ecclesiasticam, eatenus hinc deputandas, sumptibus autem vniuersi eiusdem Cleri (ac ideo absque vltiori Cancellariae Taxa) penes archiuua tantisper intertenendas personas fide dignas, et antiquarum scripturarum commode legendarum peritas, omnino exquirenda (nec non, posteaquam a Juratis Notariis de verbo ad verbum genuine descripta fuerint) propriis vtriusque Deputati manibus subscribendis, ac sigillo nostro Regio corroborandis authenticis in Paribus eidem venerabili Clero, primum quidem vniuersaliter ad Archiepiscopi Archiuum Strigoniense, deinde etiam vnicuique praetendenti Episcopo, Praelato, et cuiunque beneficiato, indiuidualiter sua pro notitia, et iurium Ecclesiasticorum vberiore cautela, erga tamen praeuie assumenda et a fisco nostro Regio plene leuanda, quarumlibet Euictionum, hactenus in Nos, vel praedecessores nostros Hungariae Reges forsitan assumptarum onera, quae tunc (vt supra mentionatum est) ipso facto in Clerum conderuantur, omnino communicentur, et fideliter extradentur; et haec ipsa Paria tunc, et imposterum coram omnibus, ac singulis et summis, et infimis dicti Regni Hungariae, et annexarum partium Dicasteriis, et Iudiciis, ipsorumet originalium loco valitura, plenae probationis fidem, ac robur habeant; quia vero Regiae nostrae Maiestatis Apostolicae, qua perpetui ac supremi Ecclesiarum Patroni, atque honorum eorundem conseruatoris, nec non sacrae Regni nostri Hungariae Coronae (velut ad quam, et Regiam nostram collationem omnia tam Ecclesiastica, quam Saecularia bona, Juraque possessionaria, per defectum vnus, aut alterius, semper deuoluuntur) plurimum interest, exactas omnium honorum, et iurium, caeterorumque prouentuum Ecclesiasticorum notitias, et positiones huiusmodi rerum scientias habere; clementer resoluiimus, et harum serie demandamus, vt omnium ac singulorum eiusmodi bona, iuraque Ecclesiastica, etiam saltem praetensa, quouis modo concernentium, ac tangentium literalium Instrumentorum, atque Documentorum paria (quae in Camerarum notarum Archiuuis forte nec originaliter, nec authentice reperirentur) sed in praerepetiti Archiepiscopatus Strigoniensis, aut aliorum quorumcunque in Hungaria, et eo pertinentibus Regnis, atque prouinciis nostris existentium, et habitarum Capitulorum, Conuentuum, ac aliquorum fidedignorum locorum Archiuuis deposita, seu quarumcunque Ecclesiasticarum es Regularium personarum priuatis in manibus forsitan existerent: hinc inde sedulo, et grauiter exquirenda, et sub Iuramento quoque semper Deo, et Maiestati nostrae debito, fideliter extradi, et per antelatos Regium nostrum, et Capitularem homines, modo praedecarato, reuidentia vel authenticanda, parisque fidei, et autho-

ritatis robur attunc vbiuis habitura, vicissim per praefatum Dominum Archiepiscopum, Camerae nostrae Hungaricae communicari debeant, in eiusdem archiuio, cum reliquis fideliter asseruanda; quin imo, pro firmiori bonorum, atque Iurium Ecclesiasticorum tuitione et magis euitanda litium, tricarum, aliarum similium difficultatum (quibus ea saepius inuoluerentur) ansa, et occasione penitus amouenda, et eatenus per modernum venerabilem Clerum nouiter introducendo meliori ordine, quam optime consultum existimamus, firmiter praecipiendo, quatenus ad normam, ac formam in reliquis nostris Regnis, atque Prouinciis haereditariis passim obseruari consuetam, non tantum in nouiter acquisitis, verum etiam in reliquis Hungariae partibus, super vnus cuiusque beneficii bonis, Juribus redditibus, atque prouentibus (quantumuis ampla, vel exigua fuerint) particulare quoddam Vrbarium seu Inuentarium in duplo conficiatur, cuius vnum in Capituli seu Conuentus sui, et alterum Exemplar originale, in nostrae Hungaricae Camerae Archiuio conseruandum esset, toties quoties vacaturi cuiuscunque vel Episcopatus, aut Praelaturae seu Praepositurae vel Abbatiae, sin etiam Canonatus, aut praebendae Parochiae, vel alterius simplicis beneficii neo installando possessori, cum onere conseruationis, et restitutionis, de successore in successorem authenticis in paribus tradendum, ac consignandum; vt autem circa bona, et Jura Cleri, maxime decimas, omnia, etiam quoad temporalia, bono et debito Iuris ordine procedant.

Septimo. Autoritate, et Regii Apostolatus nostri munere nobis competenti, per modum ad hoc specialiter delegatae commissionis nostrae Regiae, eam praehibito Domino Cardinali a Kollonicz, vt Archiepiscopo Strigoniensi, et Supremo Cleri Hungariae praesuli, nec non totius Regni illius primati, et legato nato, vi praesentium benigne conferimus potestatis facultatem: quatenus omnes, et singulas inter ipsummet Venerabilem Hungariae Clerum, et Ecclesiasticum, et Regularem, tam ratione decimarum, quam bonorum, caeterorumque iurium ac prouentuum Ecclesiasticorum, etiam quoad temporalia forte motas, aut mouendas lites ventilandas partium hinc inde controuertentium causas, et negotia coram sacra sede sua Archiepiscopali in forma primae Instantiae, meliori, qua par est, legibusque Regni consona modalitate iam praescita complanare, et pro iustitia determinare valeat; ne tamen, caeterum hoc ipso, posituius Regni legibus, et eiusdem Judicum ordinariorum officiis, atque iurisdictionibus (quibus et ipse Clerus, suo modo his in casibus quoque subesse, et iudicatum in temporalibus sustinere debet) vti nec iuris beneficiis, ad iudicem scilicet superiorem, vel Aulam Augustam nostram recurrendi in minimo praeiudicetur. Cum vero:

Octauo. Paucissimae et vix aliquae Parochiae in partibus Hungariae, et eidem annexarum prouinciarum nouiter acquisitis, et recuperatis dotatae habeantur, obidque propter defectum honestae sustentationis, Parochorum maxima sit penuria, ex quo, praeter diuini Cultus intermissionem, certa quoque multarum animarum iactura sequitur, et complurium sectarum irreptio; clementer itaque cupientes tantis malis etiam congruo remedio prouidere: benigne ac serio statuimus, quatenus omnes

et singuli terrestres Domini (prout de iure tam municipali Hungariae, quam Imperiali communi ad hoc essent obligati) qua Parochiarum Patroni, Ecclesias Catholicas in bonis suis illico restaurare, et consequenter dotare, nec non Parochos, Ludimagistros, ac aedituos competenter sustentare debeant; quem in finem Episcopi quoque, Praelati, et Abbates subordinatis Parochis annuatim suppeditandas sedecimas fideliter, et exacte conferant, et omnem in eo curam, et operam suam collocent, vt viri bene docti, et probae vitae homines, qui gregem sibi concreditum non tantum verbo diuino pascere; sed illi etiam bono exemplo praecire nouerit, pro Parochis suscipiantur, et in numero (si non plane sufficienti, saltem hic et nunc apprime necessario, et suis cum requisitis, et ministris debite, congruenterque sustentandis in bono statu conseruare sint obligati) locis commodioribus constituentur.

Quem in finem suos Alumnatus restaurare et ampliare, casu autem, quo nullos haberent, saltem in vna quaque Dioecesi vnum erigere, sufficientibusque mediis locupletare satagant; vnde capaciora subiecta altiori scientiarum Theologicarum, saltem moralium, atque legum Canoniarum eruditione gnauiter imbuenda, vt cum fructu Rebus et Muniis sacris tanto melius peragendis, pro Dei gloria, et animarum salute, queant suis Dioecesibus vtiliter seruire; quibus omnibus debito effectui mancipandis, primo quidem Episcopi Dioecesani, ac deinde etiam Domini Archiepiscopi, ex officio sibi incumbente conatus suos viriliter impendant, ac inter eos praecipue, mentionatus Dominus Cardinalis a Kollonicz, vt Cleri Hungarici Caput, tanquam Archipraesul Strigoniensis, ex omni parte superintendendo, quam optime consulere nouerit; qui deinde ad sibi subiectum vniuersum Hungariae Clerum bene dirigendum, et res Ecclesiasticas paulatim in meliorem ordinem redigendas, consuetas synodos singulis angariis celebrare velit; his, et praeuiis denique:

Nono. Pro maiore Diuini cultus ornamento, veraeque orthodoxae Religionis Catholicae incremento successiue promouendo, Nos, tamquam Rex Apostolicus, et supremus Religionis protector, ac perpetuus Ecclesiarum Dei patronus, ex plenitudine potestatis nostrae, absolute resoluiimus, ac sancte constituimus, quatenus in partibus Hungariae, et eidem annexarum prouinciarum nostrarum nouiter acquisitis Iura Patronatus Ecclesiarum nullis aliis, quam personis Romano Catholicis imposterum conferantur, et casu quo talis antea Catholicus terrestris, aut alter quidam vnius, aut plurium Ecclesiarum existens patronus, vel eiusdem successor aliquis, futuris temporibus, a vera saluifica fide et Catholica Religione quoque modo deficerent, vel etiam vni, aut alteri A catholicis vna cum huiusmodi bonis, siue per connubium, siue concambiationis, emptionis, aut impignorationis, seu quocunque alio, etiamsi iustissimo titulo comparatis, simile ius patronatus accederet, tunc ipsum ius patronatus in proximum similis deficientis a fide vel A catholicis acquiritoris cognatum, vel agnatum, talibus autem non existentibus, aut passim a fide vel in semine deficientibus, illud ius patronatus, plane in fiscum Regium (vsque dum ad Catholicorum manus eadem bona cum perennali, et rursus addendo iure patronatus redierint) indispensabiliter et continuo deuoluatur. Quapropter vniuersis et singulis, quibus supra,

fidelibus nostris dicti Regni nostri Hungariae, et Regnorum ac partium eidem annexarum, hisce firmiter committimus, et mandamus, quatenus praemissam benignam Resolutionem nostram in omnibus eiusdem punctis, Clausulis, et Articulis, debito effectui mancipare, et eidem debitum morem gerere obsequentissime debeant, et teneantur. Executuri per hoc absolutam benignam voluntatem nostram, secus non facturi. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae die 9. mensis Aprilis. Anno Domini millesimo septingentesimo primo. Regnorum nostrorum, Romani 43. Hungariae et reliquorum 46. Bohemiae vero 45. Leopoldus m. pr. Ladislaus Mátyássovsky Eppus Nitrien. m. p. Franciscus Somogy m. p. Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregiis et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Supremo, et Vice-Comitibus Iudium et Jurassoribus, Toti denique Vniuersitati Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium Comitatus Borsodien-sis fidelibus nobis dilectis, L. S. Agria. Onod. — Proth. 14. fol. 1283.

181. *Idem Valachis etiam, graeci ritus non vnitis, liberum religionis exercitium vindicat. Anno 1701.*

Leopoldus — Memineritis procul dubio clementissimae resolutionis nostrae, sub 14. Aprilis an. 1698. repetitae qua serio decreuimus, vt Valachis Graeci ritus integra libertas sit, vni ex quatuor in Transilvania receptis religionibus se vniendi, vel etiam in suo religionis statu quo nunc sunt, manendi ita quidem, vt iisdem privilegiis gaudeant, quibus illa religio, cui se Valachi vniuerint, gaudent. Quum autem magna cum displicentia intelligamus, quod contra praefatas nostras clementissimas resolutiones non solum agatur, verum etiam seditionis et turbationis inquietis publicae amantes spargere audeant, quod intentio nostra esset, vt praefati Valachi ad vnionem eum religione catholica cogerentur, proinde vobis hisce constantem nostram Caesareo regiam voluntatem, mentem, et intentionem clementissime declarare volumus, quod dictis Valachis integra libertas sit, seu vni ex 4. receptis in Transilvania religionibus se vniendi, aut in suo statu moderno manendi, gaudeantque illis privilegiis, quibus religio, cui se vniuerint, gaudet, aut ipsi Valachi, in moderno statu manentes, fruuntur; ita quidem vt nemo, sub poena grauis nostrae indignationis, praesumat praedictos Valachos in hac sua libertate turbare, aut minimum aggrauare. Immo contrafacientes ad instantiam grauatorum bono ordine factam debite puniantur, et laesis congrua satisfactio ac iustitia fiat. Volumus enim, vt quilibet, iuxta regium nostrum diploma, vitam in religione sua quiete degere possit, ac valeat; vobis denique clementissime demandantes, et serio, vt praefatam nostram regiam declarationem per totam prouinciam sine minima mora, non solum publicari faciatis, verum etiam in observationem huiusmodi nostrae clementissimae resolutionis omne studium et diligentiam, vti Zelosos et fideles consiliarios decet, impendatis. — Datum in Ciuitate nostra Vienna die 12. Decembris. Anno 1701. Regnorum nostrorum Rom. 44. Hung. 47. Boh. vero 46. Julius Frid. C. Bucellini. — E MSS. Cornidesianis.

Vel harum literarum tenore confit iniqua fuisse arma Francisci Rákotzii, oppressae religionis libertatis obtentu, aduersus regem legitimum obmota.

182. *Idem Rex liberi religionis exercitii limites A catholicis declarat. A. 1701.*

Leopoldus — I. Exercitium Aug. et Helu. confessionis concessum est tantum in partibus Hungariae, quae anno 1681. in actuali suae Maiestatis SS. potestate erant. Vnde in partibus, hoc bello recuperatis, nullum ius est, alterius a Religione catholica exercitii. Ideo sua M. ius patronatus omnium Ecclesiarum in neo aquisitis sibi reseruauit, in eo casu, quo illud ad acatholicos deuolui deberet. II. Quum exercitium A. et H. confessionis compluribus in locis, articulariter nominatis, solum ob eam causam concessum sit, quod confinia fuerint; clarum proinde est, ibi publicum acatholicum exercitium tolerari non debere, vbi confinia esse desierunt. III. Quando in aliquibus locis, articulariter nominatis, concessum est exercitium Aug. et Helu. confessionis, non ideo inferri debet esse concessum, vt vllus e catholicis Apostata m agat, et ad Acatholicorum confessionem transeat; maxime talis, qui ab A. vel H. confessione per fidei catholicae professionem aliquando recesserat. Contra tales enim, qui a fide catholica deficerent, tanquam contra iuris iurandi violati reos, iure in patriae legibus praescripto procedi poterit.“ — Anno 1701. — Mand. Reg. P. I. pag. 5.

Causa declarationis huius sunt per Acatholicos tumultus excitati. Contra Palatinum etiam Eszterháziū excanduerunt, quod Papa oppido, postquam praesidium esse desiit, haereticum ministrum per Comitatum Vesprimiensem amoueri fecerit. Tam parui ipsis erant Leges regni, et mandata Regia. Mand. Reg. p. 148.

183. *Idem ea propter tumultuantes Carponenses Augustanos coërcet. A. 1701.*

Leopoldus — Ex demissa nonnullorum fidelium nostrorum informatione displicenter intelleximus, quod licet ex benigna dispositione ac ordinatione nostra regius Commissarius noster, per cameram nostram Hungaricam de more consueto exmissus, occasione proxime praeteritae magistratualis officiorum in hac quoque libera ac regia ciuitate nostra Carponensi restaurationis, ad mentem benignissimae instructionis nostrae sibi datae complura puncta tum ad promouendum cultum diuinum, tum incrementum fidei orthodoxae, ac emolumentum et conseruationem istius regii peculii nostri, mediante decreto suo commissionali, vobis assignato, per vos et quosuis incolas et conciuēs, titulo confiniario et praerogatiua praesidiaria iam cessantibus, obseruanda et effectuada commiserit; et haec omnia auctoritate nostra et verbo nostro regio acta et facta sint; tantum tamen abest, vt nonnulli inquieti genii, nouissimas regni constitutiones ac subsequutas superinde benignas resolutiones nostras in transuersum detorquentes, eiusmodi ordinationibus et benignis dispositionibus nostris, se accomodare cuperent; quin potius in euidentis arrogantiae suae indicium et supremae auctoritatis nostrae regiae vilipendium praeattactis dicti Commissarii nostri regii ordinationibus e diametro se opponere, et contrauenire praesumerent; immo effectiue in

nonnullis punctis tumultuario fere ac seditioso modo iam contrauenissent. Ne itaque benignae ordinationes et dispositiones nostrae taliter in contemptum veniant, supremaque auctoritas nostra per nonnullos obstinatos prostituatur, et vilipendatur; et hi in se ipsis de sua arrogantia glorientur; alii vero exemplo horum in priora quaeuis attentanda perperam inducantur; vobis harum serie benigne simul ac firmiter committimus et mandamus, quatenus in auctores et concitatores eorum, qui benignis ordinationibus et resolutionibus nostris, per memoratum commissarium nostrum regium praevio modo factis, temerarie contrauenire ausi sunt, serio inquirere et inuestigare, ac tum de specie facti, tum vero nominibus eorundem Maiestatem nostram quantocius genuine informare, interea vero praenotatas dicti commissarii nostri regii dispositiones, quas priuata auctoritate nemini infringere competit, tam vos ipsi obseruare, quam et per reliquos magistratuali iurisdictioni vestrae subiectos obseruari facere debeatis, et teneamur; nisi grauem animaduersionem nostram incurrere velit. Gratia ceteroquin nostra Caesareo regia vobis benigne propensi manentes. Datum in castro nostro Laxenburg, die 26. Maii, anno domini 1702. Leopoldus." Hist. Dipl. pag. 134.

Venit certe tandem tempus, ut A catholicorum cyclopica arrogantia compescatur: „diu iam, Leopoldus ait, auctoritas regia, a Stephani Bocskai perduellione vilipensa, leges, ac dispositiones regiae despectae“; quoties reges nostri bellis exteris impliciti fuerant, tumultuarie ad arma proruptum, ad signa Bocskaii, Gabrielis Bethlenii, Georgii Rákotzii, Tökölly, et Franc. Rákoczy perduellia concursum magis, quam vnquam a pugna Mohacsiana aduersus hostes patriae! Fidelitas solum titulus fuit. A c a t h o l i c o r u m Formale, legitimumque iudicium Posonii, atque Eperjesini de perduellibus celebratum, ac supplicium, persecutio, liberi religionis exercitii oppressio, libertatum regni praeuaricatio iniquissime proclamatum infamatumque fuit. — Genuina Hungaricae gentis Historia hucdum caremus! Insultant hic A catholici nostrates, Catholicos quoque Dynastas, bello ciuili contra placita Leopoldi I. et Josephi I. acerrime decertasse. Ast non iure ex aequo: 1) Etenim Franciscus Rákotzius, Francisci I. a Zriniana coniuratione per Sophiam matrem, ad frugem reuocati, filius, non religionis Catholicae seu tuendae, seu propagandae, sed libertatis, quam haereditaria domus Austriacae primogenitorum successione in diaeta anni 1687. constituta, violatam praetendebat, clam vero Principatus Transilvaniae ambitu, arma corripuit seditiosa. 2) Exuto in prouinciis exteris Hungarico animo, vestibusque germanicis indutus, illa neququam attentasset, si a Stephano Szyrmay, et Paulo Okoljcsányi Lutheranis, Fratibus Adamo, Ladislao, ac Michaelē Vay Caluinianis, tumultuariis item Carponensibus sufflaminatus haud fuisset. Postquam proditus, comprehensus, ad carceresque, in quibus proauus illius maternus, Petrus Zrinus ante tricenos annos detinebatur, redactus, in Poloniam profugit, ibi cum Nicolao Beresényio delitisset, nisi ab Alberto Kissio Beregszásziensi, ac Thoma Esze, Tornensi, collectaque ab his latronum colluue, excitus, a Keeskemetiensibus, Agriensibus, Threncsiniensibus, Montanarum ciuitatum accolis acatholicis, inuitatus, stipatusque non fuisset. 3) Adeo seditio haec catholica non fuit: quod Rákotzius, in Comitibus Széchényianis anni 1707. Dux confoederatorum declaratus, litium circa religionem componendarum arbiter constitutus, Catholicis multa eripuerit templa, Jesuitis, nequicquam reclamante Melchiore Rakovszky, ademerit bona, quin et solum patrium, ni suam ab Austriaca diuiserint prouinciam, interdixerit. Legi sine horrore nequit, quantum furorem Rákotziani Betzkouiae in Catholicos exseruerint. Horum documento est, manifestum quo Josephus I. contra rebelles conqueritur, eorumque Onodiensia acta et facta irrita declarat, Dat. Viennae

XXV. Aug. 1707. MSS. Kaprinay tomo XIX. sub B. nro 87. pag. 204. Vide Ribini P. II. p. 513. etc. Historiam Josephi I. p. 241. Seditionem hanc, idè a parte potiori Catholicam fuisse protestamur. Cf. nro 190.

184. Idem Leopoldus, Abbatiam ad S. Gothardum ordini Cisterciensium restituit. Dat. Viennae Austriae, die 23. Octob. Anno 1703. — Apud Heimb. Notitiae pag. 169.

Hanc Leopoldi pietatem imitati tam Praelati, quam saeculares Patroni, Ordines etiam religiosos zensim restabiliuerunt in Hungaria et Transilvania: Stephanus Apor, in Tõvis coenobium Paulinorum a Joanne Hunyad fundatum; Frater August. Benkovics, Episcopus Varad. Monasterium Ordinis Minorum S. Francisci reformatorum prouinciae SS. Saluatoris, etc. Apud Benger Ann. Tom. II. p. 348. Fridrich Hist. Prouin. Salu. P. II. p. 190. — His in religionem Catholicam fauoribus Rex Leopoldus, licet religionis causa, neminem solum vertere, vel in custodiam, nedum in supplicium duci iusserit, euitare non potuit; quin homines seclerati, perduelles, legum violatores, irrogatas criminibus poenas, acatholicorum religionis odio adscriberent, scriptoreculi uero ignobiles, nulla tantae maiestatis uerecundia, inuidiosis ad plebem chartis, incomparabili alioquin lenitate caesarem, ab Kolonicsio nempe Cardinali, ac Jesuitis in hanc saeuitiam detortum calumniarentur. Fecit hoc Historia Diplomatica Euangelicorum uulgata anno 1710. maxime. Wagnèr Hist. Leopoldi Par. II. p. 796.

185. *Mathiae Radonay, Episcopi Quinque-Ecclesiensis, in ministros Caluinianos rebelles feruor. A. 1702.*

Admodum Reuerendi in Christo Patres P. et Fratres F. nobis addictissimi. Salutem plurimam et fraternam. Seruitiorum meorum commendationem. Peramanter rogamus praetitulatos Dominos fratres, indefesse, discreto zelo, laborare non intermittant, vt Deo, Caesari, ac Sacrae Romanae Catholiae Ecclesiae dulci Patriae, et saluti animarum rebelles Caluinistae Pseudo praedicantes, ex Simontornya caeterisque vicinis locis immediate extirpentur; et si quispiam officialium Romano catholicorum hoc in passu paternitates Vestras praepediuerit, et rebelles praedicantes protexerit, immediate excommunicent, et nullo modo ad templum catholicorum neque ad sacramenta, ingredi permittant. Pseudo-Caluinisticus Episcopus Vesprimiensis, per Celsissimum Principem Archiepiscopum Colocensem captus est et incarcerationis; capientur et reliqui, per vniuersam dioecesim; et immediate Paternitates Vestrae inhibeant, ne Caluinista Praedicans Symontornyensis in futurum vllo modo, suos haereticos auditores audeat copulare; baptizare, sepelire, neque perfida doctrina sua ad aeternam damnationem praecipitare. Sed si conuerti noluerit, abeat, quo placet et si non abiuerit; ferro cingetur et in captiuitatem ducetur. S. R. Imperii Princeps Palatinus, absolute nullum haereticum, nec schismaticum in bonis suis Pinczehelyiensibus, Vzora, Tamasy, Dombavarensibus, et reliquis permissurus est habitare vel incolatum agere; sed qui bono modo non fuerint conuersi, bona eorum omnia, mobilia et immobilia officiales Palatini sunt confiscaturi; et similes refractarios rebelles, haereticos et schismaticos ex bonis serenissimi Domini extirpaturi; idem etiam facturus est D. M. Baro Adamus Viczay, et reliqui boni catholici Domini terrestres; et

qui non fecerit, ipso facto excommunicabitur et tanquam protector haereticorum rebellium, et Schismaticorum bonis suis priuabitur. Viennae die 8. Julii, Anno 1702. Seruus addictissimus et in Christo Frater Mathias Radonai.“ Hist. Dipl. p. 142.

Hic insultat ecclesiae Catholicae Diplomarius, quae vi et potentia vtatur ad alienos conuertendos: ast nobis excusandus videtur hic Episcopi fernor, quatenus rebelles concernit; nec dicendus coactione propagasse religionem catholicam, cum ei Helueticae confessionis ministro, si conuerti noluerit, abeundi libertatem reliquerit: qui eligendi facultatem habet, ille coactus dici non potest. Secus fecerunt in primordio Protestantes, qui subditos suos, non rebelles, templis ac parochis spoliatos, nec abire libere permissos, ad sectam Lutheri amplectendam compulerunt: hi fuerant vere coactiue peruersi.

186. *Parochi Wizowiczensis catholici ad ministrum Threnchiniensem Lutheranum litterae responsoriae. A. 1702.*

Gratia Saluatoris nostri Jesu Christi illuminet tenebras mentis tuae et emolliat duritiam cordis tui. Praedicantiae sceleratissime! Sex effluerant menses, quo Wizowiczii curam animarum, ex gratiosissimo mandato RRmi vener. Episcopalis officii susceperam, et pro augmento sanctae orthodoxae Romanae, omnium ecclesiarum verae matris Ecclesiae, parochiam administrare, amore Christi et proximi, orsus sum; plurimum in his montanis asperitatibus laboriosam, quia confusione, et quidem tanto maiori confusione et periculo, et labori obnoxiam, quo maiori conatu niteris nebulo nebulonum, et impostor peruersissime falcem mittere in messem alienam; meosque ad te contententes falso dogmate imbueri, eos ab obedientia et lege sacratissima Ecclesiae S. Dei catholicae et antiquissimae auertere. Infernalis furcifer et senecio, necdum a via prauitatis et falsitatis discedens, adhuc alios peruertere non desinis? Sat tibi his eo nunciatum sit, ni poenas luere velis; nam non noueris zelum Leopoldinum, in tuenda pura et sancta R. C. et Apostolica fide? Deuorabit te zelus sacer Maiestatis Augustissimae, ad quam mihi accessum parare cogito, et tuam denunciare versutiam, draco tartaree, possem, si aliter fieri nequiverit. Vel doctum te reputas, vel stolo es etiam in tua cantate: si posterius, mille es meritis fustes, quod vt stolo nauiculam Petri gubernare, et regere cupias, quo te duce tot Christi sanguine redemptae animae patiantur naufragium irreparabile; si doctum te credis, quis te non peritorum rideat? qua enim basi firmas doctrinam tuam Doctor (scilicet!) egregie? Monstrum abominabile, membrum resectum, membrum foetens, membrum putridum, membrum mortuum, membrum viuum te dixeris? Absit a me, vt id de te asseram: quod si enim viuens membrum esses, Christi corpori iunctus esses; sed corpori Christi nusquam iunctus es, ergo foetens, resectum, abiectum, abscissum, mortuum membrum es. „Multi vnum corpus sumus in Christo“ ad Rom. Cap. XII. v. 5.; sed non omnes, et tu quidem minime, nisi te fors monstrum fateri velis. Quomodo enim vnum corpus sumus, nisi vnitae visibili, et collectione Deo placenti? Quid enim est Ecclesia Christi, nisi collectio fidelium fide firmata, visibilis, quae nobis visibilibus vnitatis mortalibus in vnum constat? Vnde Ecclesia, Sancta comparatur

tanquam visibilis, ciuitati super montem positae; quae vtique conspicua et visibilis est (Math. V. v. 15). Idem a Propheta Dauid praedictum est Psalmo XVIII, v. 6: In sole posuit tabernaculum suum; vt ibidem explicat Augustinus: in manifestatione posuit Ecclesiam suam Deus, non in occulto. Numquid Christus, visibile caput Ecclesiae visibilis, per ascensum suum ad Patrem coelestem, caput inuisibile effectus, ecclesiam suam, visibilem in mundo relinquens, necessario Caput aliud sui loco visibile, quod corpus ecclesiae visibile regere debeat, substituere noluit? Negabis credo, quia non vis capere vel non potes; quod autem id oportuerit patet sole clarius: Qualia membra tale, corpus, quale corpus, tale caput. Sed membra ecclesiae, quae nos homines sumus, visibiles sumus, erga ecclesia per membra visibilia vnum corpus visibile, sumus, ergo et caput visibile habemus, vtique non Christum visibiliter, qui nobis inuisibilis est, ergo aliud, hic in terris visibile caput, quod a Christo inuisibiliter regitur; vicarium Christi, successorem Petri, pontificem infallibilem quoad fidei articulos, qui Spiritu sancto, praeter sua merita, regitur, ne simus tamquam paruuli fluctuantes; a quo, cum ad coelum nobis misellis accessus non pateat, absque periculo haurire queamus veritatem dogmatum credendorum. Vnde cum te necessario visibile membrum ecclesiae iactare debeas (si quid euincere cupias) te monstrum et portentum ridiculum nuncupato, corpus mutilum, absque capite, qui caput, Pontificem in vicem Christi mordicitus repudias; quale enim corpus es, cui caput inuisibile? Vel cuius caput in concauo lunae est? Christum, cui omne genu curuatur, caput reuereor, sed inuisibile, qui ideo necessario praeterea aliud sui loco visibile in terris caput instituit nobis, quo recurrere valeamus, videlicet Petrum, cui dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; non super petram, intellegendum se ipsum Christum, sed Petrum; alias enim non bona constructio foret; hoc est clarum. Cui etiam dixit Christus: Pasce oues meas et alia. — Tu quis es? Sacrilegus es, idolatra: et hoc indubitatum est omni sano homini: Quis enim te non sacrilegum et idolo latram censeat omni veritate, qui panem simplicem et vinum adoras, et ad adorandum rudi plebi exponis? Calix tuus sacratur pro opinione vel nequitia tua (cuius consecratio nulla est) ex parte falsae consecrationis tuae talis est, vt mereatur excrementa pleni alui solidi agricolae: vnde enim tibi consecrandi facultas, qui laicus es? Quis te sacrauit, vt sacrare et consecrare praesumas? Nam sacerdotium rides, qui praeter duo sacramenta alia non admittis; si Ordo sacerdotalis Sacramentum, vt doces, non est, nec sacer nec sacerdos es: nemo enim dat, quod non habet, ergo tu non sacer, non sacras quidquam. — Matrimonium non esse Sacramentum procul dubio mordicitus tenes, ergo te et haedos tuos acatholicos, quos eadem lege imbuis, omnes meretricarios, quia non sacros, sine exceptione, cum vestris prolibus spuriis, bene et iuste nuncupo, et vxores vestras meretrices: Quis enim vos honestaret? nisi sacramentum matrimonii, quod Apostolus ad Ephesios Sacramentum magnum nuncupat; quod Deus coniunxit, homo non separet; idem est: ac quod Deus sanctificauit, quod rati habuit, quod benedixit; omnia enim quae a Deo procedunt, sanctificantur, et sic honestantur. — Epistola S. Jacobi Apostoli tibi non placet pro Sacramento ex-

tremæ vnctionis: „infirmatur quis ex vobis? inducat presbiteros Ecclesiae et orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini;“ ast tua tuorumque assecularum oppositio parum militat, verbum Dei manet in aeternum. Hic Apostolus non intelligit commune oleum: nam alias non praerequireret introductionem presbiteri, nec preces, et alia si oleo haec vis insita esset sanandi, et peccata remittendi; ergo intelligit oleum sacramentum singulari ritu ecclesiae, et Caeremonia, pro salute animae conferendum; vno verbo: sacramentum speciale, vnum ex septem ab Ecclesia nostra sola saluari dandum. — Liber Machabaeorum, vti forte praecedens epistola, tibi pro authentico vel canonico non est? bene: saltem te sciam Hebraeo multo deteriorem esse; qui hunc librum veneratur, Purgatorium, vel admissio historice hoc Machabaeorum libro, infallibiliter admittere debes: lege bene II. lib. caput XII. v. 43. Vel nebulo, certo certius concesserim pro te purgatorium non exstare, qui mittendus es in stagnum ignis ardentis, vnde nulla redemptio; ad profunda inferni, qui non vis agnoscere, salutare esse orare pro imperfecta iustitia mortuis, vt ab ea poenis purgatorii ignis soluantur. — Venerationem Sanctorum et inuocationem, ad nobis miseris, in hac lachrymarum valle, succurrendum, nec non sacra lypsana et reliquias honore tentas, cachinnis explodis: quid mirum? Quia demens es; nam stultis risus proprius est. An non legis Abraham SS. Angelos sibi comparentes, curuo poplite, veneratum fuisse; vt alia exempla taceam. An non recordaris, quae libro Tobiae cap. XII. continentur? An non memineris verborum lib. Job: Ite ad seruum meum, et ille orabit pro vobis? Lege lib. 4. Regum cap. II. Num non ope Eliae Elisaeus, pallio Eliae, tanta patrauit; quia pallium Eliae erat: cur non nos sacra lypsana et reliquias Sanctorum, contra mala ingruentia, debita reuerentia asseruaremus? Oh Stolo! — Ast aute omnia sumtio sub vtraque specie radicata est cordi tuo; quo autem praeepto? Vere nullo: Illud nisi manducaueritis, et biberitis, Joannis, tibi non suffragatur: quia est praeeptum non quoad modum, sed quoad substantiam; sumimus itaque vere corpus et sanguinem, licet vna sub specie; quia vna sub specie totum Christum, cum corpore et sanguine et anima et diuinitate accipimus; illud *xai*, et, idem valet, ac vel, vt multi doctissime interpretantur: vide biblia Graeca: an non idem inuenies, quae tuis vetustiora sunt bibliis, toto hoc capite, mentio fit vnus speciei, videlicet panis, non vini. Fateor equidem praeeptum exstare pro magis expressa memoria mysterii Eucharisticae institutionis sub vtraque specie in Ecclesia: sed nego id praeeptum esse laicis, sed solum presbiteris, et Sacerdotibus, apud coenam vltimam mensae assidentibus; solis presbiteris ordinando videlicet XII. Apostolis; non assidente nec sacra Virgine Maria, matre Christi, nec domus hospite, nec alio laico, quibus SS. Apostolis praeecepit Christus, tanquam sacerdotibus, et quidem solis, per *To omnes*; vt omnes (sacrificantes) ita sub vtraque specie consecrarent; et in sacrificio sumerent; minime vero laici; bene scimus, 2. discipulos Christum puisse solo pane; hic pii interpretes traditionem eucharistiae intelligunt: quia cognouerunt, eum in fractione panis. Etiam populo Israëlitico sola vna species, videlicet manna, de caelo rorans, figura fuerat Eucharistiae: Sed claudio: quis enim tempus tecum tereret?

Hoc solum tibi satis sit. Caue esto: ne praesumas meos, aliosque seducere; ipsis calicem sacrilegum porrigere; scio enim, quid mihi faciendum restet: ne seduxeris Christi cruore redemptas animas, quia tibi sanguis Christi erit in aeternam et perpetuo duraturam damnationem — sceleste nebulo. Dabam Wizowicii, in domo parochiali mense Aug. 1702. p. t. Parochus et Curator animarum, Petrus Paulus Gabriel Zablitzky, Eques de Tuleschitz mpr. — P. S. Argumenta mea tibi valde leuia videbuntur, ponerem tibi alia magni ponderis, et claritatis, si mihi aliunde non forent irremissibiles labores.“

Alterum hoc est argumentum, quo Paulus Okolicsányi, Diplomatarii Euangelici auctor p.143 —6. nos arguit: ast meo iudicio stylus Parochi est Lutheranus: haec epistola et Lutheri ad Henricum Angliae Regem, ad Oecolampadium, ad Vniuersitates data nec ouum ouo similis. Quod A catholicis probatur. — Dogmata, quae propugnauit Parochus sunt Ecclesiae catholicae: quae inurbanitatem in scribendo probauit nunquam; adeo sunt catholici ab acatholicis quantum etiam ad humanitatem distincti!

187. *Conuentio Kolonicsiana ratione substantiae, mortuis Hungariae episcopis relictæ, inter clerum ac fiscum regium. A. 1703.*

I. Vt quoad obsignationem bonorum et facultatum omnium, etiam allodialium a quouis Praelato vita functo relictorum, immediate et omni mora seclusa, post casum mortis, a duobus capitularibus et vno officiali cameratico, cuiuscumque gradus aut officii, in illo loco existente, omnia bona mobilia, quouis nomine vocitata, maxime vero litteralia documenta, exceptis tamen vtensilibus communibus, in loco, quantum fieri potest, tuto fideliter reponantur, ac totum ante dictorum sigillis obsignentur: si autem illo in loco cameraticus nullus adesset; personae capitulares interea soli obsignent, et ab iisdem casus mortis viciniori cameratico quantocius per cursorem aut tabellarium proprium intimetur: quod et cameraticus vice versa praestabit: si, ipso praesente, capitulares abesse contingeret. Expost II. super mobilia haec obsignata (autenticis, in quae cognati succedunt, et iuridationibus, quae beneficio adnexa manent, seclusis) a praedictis duobus capitularibus, cum deputato eum in finem a camera regia homine, seu commissario, simul plenum, bene ordinatum et legitimum, sigillorum ac manus appositione roboratum, conficiatur inuentarium, cum adnexa taxatione seu aestimatione rerum singularum iusta et aequa. Tale inuentarium vnus capitularium cum testamento defuncti D. Ordinario; alter metropolitano, cameraticus vero suae instantiae conseruandum tradat: si vero bona sint immobilia, siue haereditaria, siue acquisita, nullo consensu regio pro vltiore dispositione firmata, ex quo soli fisco regio, qua legitimo successor, cedere deberent, capitulares nullam in iisdem iurisdictionem exercere, aut super iisdem aliquod inuentarium seu conscriptionem formare possent, hoc iure exmissis solum cameraticis competente. III. Exsequutio testamenti, siquod adest, aut, si nullum adesset, bonorum ordine sic dicto in inuentario conscriptorum et taxatorum, distributio ab iis, quos defuncti ordinarius et metropolitani, ac ex sua parte fiscus constituerit, quam primum, ne mora temporis res

vel distrahantur, vel deteriorentur, modo fiat sequenti: vt omnium primo expensae funebrales, pro viribus facultatum ac cuiusuis gradus competentia insumendae, nec non stipendiati seruitores, vti et creditores solvantur: vbi tamen attendendum, quod, si aliqua debita in praeiudicium ecclesiae aut seminarii, de quo inferius mentio erit, a defuncto essent contracta; ea, vti hisce expresse prohibita, pro irritis habeantur; adeoque nulla ratione soluantur: dein libri omnes, vti et MSS. capitulo, si cuius membrum defunctus fuerit, aut beneficio, quod ante habuit, ad augendam et erigendam bibliothecam cedant: indumenta vero sacerdotalia, vasa sacra et altarium ornamenta, tamquam res Deo iam sacratae, ecclesiae obuenant; prouti utensilia domestica, scilicet mensae et culinae cellariique supellex, sedilia, lecti, tapetes, successori relinquenda: in quem finem non tantum liceret ecclesiasticis quoddam eiusmodi domesticae supellectilis inuentarium conficere, quae de successore in successorem venire quis desideret; sed etiam vtile, necessarium foret, bene ordinatum vrbarium, seu omnium iurium, possessionum, fructuum beneficii regestrum pro directione successorum conscribere. IV. Vt, quod, deducto sic aere alieno, in rem episcopatus aut praelaturae eiusdemque ecclesiae verso, distributis supra dictis superfuerit; id in tres partes aequales diuidatur: e quibus vnus partis praelectio fiat in emolumentum ecclesiae, id est, in vsum erigendi vel augendi clericorum seminarii aut ecclesiarum meliorationem ac parochiarum restorationem, quo defunctus designauerit; secunda tertialitas obueniatur fisco regis, Hungariae praesidiis et fortaliciis vel conseruandis, vel instaurandis impendenda; et de tertia pro libitu et arbitrio quisque ecclesiasticorum disponere possit, siue pro refrigerio animae in pia legata, siue pro cognatis aliisque: aut, si praelatus ab intestato decederet in hanc tertiam partem si cognati succedant, qui vi legum patriarum ab intestato morientibus succedere deberent: si vero talium cognatorum nullus superesset; eo in casu haec tertialitas, tamquam a defuncto indispota, et ita relicta, ex media parte fisco, et alia ex parte ecclesiae diuidatur. V. Bonorum ecclesiasticorum, seu ad foundationem ecclesiasticam spectantium, administratio sit penes duos, iuxta benignissimam mentem suae maiestatis caesareo-regiae, anno 1675. die 29. Dec. explanatum, nempe ecclesiasticum vnum, et fiscale alterum: illum defuncti ordinarius; hunc camera constituent: qui mutua potestate administrabunt omnia: et eo maxime reflectant, ne bona desolentur, aut eorum proventus minuantur; aut quae ad bonam oeconomiam exercendam spectant, negligantur: ob quam diligentiam competentem remunerationem in fine administrationis accipient. VI. Proventus et fructus omnes, durante hac beneficii vacantis administratione, collecti aut pro hoc tempore colligendi, vsque ad installationem successoris, si beneficium vltra quadrantem anni vacare contingat, bifarie diuidantur, vna parte fisco, altera ecclesiae remanente. VII. Quodsi vero aliquis, cuiuscunque conditionis ille fuerit, a praespecificatis bonis, ex haereditate defunctorum ecclesiasticorum aut etiam fructibus, medio tempore vacantiae perceptis, quidpiam auferre aut celare, vel quacumque ratione ecclesiam et fiscum eatenus damnificare auderet; condigna legum poena rigore ponatur. Quae omnia et singula, suae maiestati SS. C. Rque per delegatam

in Hungaricis commissionem ministerialem demissime sunt approbata et ratificata; ac abinde eminentissimo cardinali a Kollonits eum in finem insinuata; vt sancitam desuper hanc benignissimam suae maiestatis declarationem ac resolutionem finalem saepe fato ven. clero regni Hungariae debite notificare, ac pro regula et norma in futurum, in hisce casibus, inalterabiliter obseruanda, intinere non grauaretur. Viennae, 15 Junii, 1703.

188. *Idem Leopoldus fideles suos ciues Pestienses in suis iuribus, libertatibus, immunitatibus pristinis confirmat, armis, seu insigni donat, eo tamen declarato, ne ullus ab orthodoxa fide alienus in conciuem, vllò sub praetextu admittatur, aut toleretur. A. 1703.*

Leopoldus — memoriae commendamus — quod nos penitus considerantes, quantum gloriae accedat regibus et principibus, ex multitudine populorum; quantum decoris et roboris aquirant regna ac prouinciae in diuitiis et amplitudine ciuitatum; quam expediens sit, principibus, vt populis seruandis, beneficiisque tribuendis, ac ciuitatibus magnificandis, et fouendis omni studeant diligentia, vtpote ex quibus regni ac regum accedant commoda; has pro suis obsequiis liberalissime condignis studeant decorare honoribus, quatenus et regnantium ex hoc laudetur prouidentia, et regni ipsorum status vberius commodi et profectus suscipiat incrementum; dignum insuper existimantes, vt Principes ea, quae fidelibus subditis suis liberaliter largiuntur, quo iisdem stabiliter vti valeant, regionum suorum priuilegiorum patrocinio memoriae commendent sempiternae. Hinc, posteaquam superioribus non ita dudum euolutis temporibus Deo ter O. M. rei christianae miserto, iustaeque causae nostrae opitulante, eam gloriosis armis nostris coelitus clementer placuit impertiri benedictionem, vt non solum ferocissimos immanissimi hostis Turcarum et Ottomanici imperii insultores (quibus praeter amplas praefati regni nostri Hungariae partes, ipsum quoque inferiorem archiducatum Austriae ferro, flamma et vltimo propemodum excidio hostiliter deuastauerat, ipsamque prouinciarum nostrarum metropolim, residentiamque nostram, Viennam arctissima aliquot hebdomadarum obsidione cinctam ad extremum vsque constrinxerat) feliciter repressissemus; verum etiam offensiuo contra eundem naturalem hostem bello, felicibus auspiciis suscepto, et in plures annos gloriose continuato, tot fere victorias, quot praelia, numerassemus; et vniuersa quasi, in praefato regno nostro Hungariae, ac adiacentia Selaoniae fortalicia et munimenta, ac cum famosissima regia olim sede, Buda, etiam Pestinum ab immani iugo Ottomanico cui prope sesqui alterum saeculum misere subiectum gemebat, feliciter eripuerimus; iamque per Dei gratiam numerosis populis, et hospitibus populari fecimus, pristinoque statui, quasi postliminio asseruimus; benigno reuolentes animo, quod eiusdem Pestiensis ciuitatis ciues ab antiquo vel ex eo, quod eadem etiam inter ceteras liberas et regias praefati regni nostri Hungariae ciuitates numerabatur, vniuersis iis, si non amplioribus libertatibus et praerogatiuis, quibus aliae liberae ac regiae ciuitates no-

strae, tum ex indultu diuorum condam Hungariae regum, tum etiam posituius regni constitutionibus vsos et fruitos fuisse, manifesto constaret; sed et antiqua eorum privilegia memoratos ciues et incolas variis et amplis libertatibus, gratis, praerogatiuis, concessionibus, munificentissime dotatos fuisse, sat superque testatum redderent; tum igitur ob id, tum etiam ob nonnullorum fidelium nostrorum, pro parte prudentum et circumsectorum modernorum consulis, iudicis, ceterorumque senatorum ac iuratorum ciuium, inhabitatorum, adeoque totius communitatis praefatae ciuitatis nostrae Pestiensis demissam supplicationem, nostrae propterea factam maiestati; sed et attentis et consideratis fidelitate et fidelium seruitiorum meritis eorumdem incolarum, hospitum ac ciuium, qua ipsi a tempore ciuitatis eiusdem gloriosae recuperationis, suique in eadem collocationis et inhabitationis, ac alias etiam semper, pro posse suo et virium facultatumque exigentia, speciali semper solitudine et cura sacrae praerogatiuis praefati regni nostri Hungariae coronae, vti et Maiestati nostrae, pro locorum et temporum varietate, constanter et alacriter exhibuissent et impendissent; parique posthac promptitudinis obsequio semet exhibituros et impensuros pollicerentur; similiter in contestationem debitae suae et homagialis fidei, gratiosique specimen, pro redemptione iuris armorum certam summam pecuniarum, effectiue persoluendam, et in publicas necessitates conuertendam obtulissent; volentes nos quoque benignitatis et munificentiae nostrae eosdem ciues et incolas nostros participes reddere, ac vt ipsi in pristinum decus, feliciorumque conditionem nostra clementia restitui, taliterque stabiliri valeant, ac in sera etiam posteritate fidelitatem et fidelia seruitia per Maiestatem nostram remunerata fuisse, experiantur, ac eadem quoque ad futura de Maiestate nostra, augustaque domo Austriae, sacroque regni diademate, bene merendi studia eo magis incitentur, et calcar aquirant ac stimulum; praementionatam ciuitatem nostram Pestiensem, cum suis ciuibus, hospitibus, et inhabitatoribus in antiquum postliminii iure statum reponendam et praefato regno nostro Hungariae, eiusdemque statibus et ordinibus reincorporandam, et insuper id iisdem clementissime concedendum et annuendum esse duximus, vt vniuersis et singulis iuribus, et praerogatiuis, immunitatibus, et priuilegiis, tum regni articulis, tum etiam generali reliquarum liberarum regiarumque ciuitatum nostrarum consuetudine eisdem competentibus, libere vti, frui et gaudere valeant; et quarto regni statui rursus cum sessione, voto, prout antiquitus fuissent, vniantur, ac ad generales regni dietas per regales euocentur; pro peculio S. coronae habeantur; nec ab ea vnquam separari, alienari, vel oppignorari vilo pacto possint; ac valeant; magistratus et ciues collectiui nomine sumti, pro vero et indubitato regni nobile censeantur; publicas contributiones non secus, quam cum regno, et taxas diaetales, ad instar reliquarum ciuitatum nostrarum liberarum ac regiarum praestare sint obligati, ius territoriale in suis territoriis et praediis, hactenus etiam quiete possessis, signanter vero Szent Lászlo, et Burgundia sic dictis, cum vniuersis eo spectantibus aliis, de lege regni nomine pertinentiarum intelligendis, ad instar aliorum dominorum terrestrium, cum iurisdictione domini, fructu et vtilitatibus appertinentibus habeant, et super huiusmodi fundis ac aedificiis vrbarium con-

ficere, et illud licito et legitimo modo dirigere, impositaque seruitia, velut dominis terrestribus consueta, a quocunque possessore exinde colligere, ipse Magistratus in-perturbate possit, ac valeat; prout et in possessionibus, pagis et bonis quibusuis, quae ab antiquo ad se bono iure pertinuisse praetenderent; respectu quorum tamen prius sub delegata commissione nostra, quoad eiusmodi bona, neoaquistica, clemen-ter ordinata, eiusmodi praetensa iura sua edocere, ac legitimare iisdem incumbet; ad decimas vero minores, vtpote agnellorum et apum, ipsi ciues Pestienses; sed nec ad nonas, vel in vicem huius etiam quampiam praestationem, contra antiquam ciuita-tum libertatem, per neminem vlllo pacto cogi possint. Et quia commercium ciuile in educillando praecipue et macellando, aut alio quocunque nomine appellatum, nemini in ciuitate aut eius territorio competit; hinc nulli pariter, prout nec clero, praeter-quam ab antiquo priuilegiato; nec comitatui, nobili, cameratico, aut militi, nisi qui ius ciuitatis more solito consequutus fuerit tale commercium aperte, vel occulte, aut directe vel indirecte, exercere, nec vina externa ad educillandum, sine praeuio ma-gistratus consensu inuehere, liberum erit; attentatum vero, per quemcunque hocce educillandi beneficium, plenam ipse magistratus ciuilis, id impediendi et turbandi ha-beat facultatem. Pro bono porro et publico ciuitatis commodo, singulis angariis per annum, per 14 dies tota ciuitas hactenus etiam vsitati iure educilli fruatur. Interea vero nulli ciuium, nisi in diuersoriis, pro solis diuertentibus, educillare liberum erit. In suis porro propriis territoriis ius pascuationis, lignationis, venationis, aucupii, aut maiorum piscium piscationis, cum redditibus similium piscationum, etiam in Danubio, ad medietatem vsque fluuii, extensionem videlicet territorii sui, — ac ibidem com-prehensis insulis, ad ipsam ciuitatem aliunde pertinentibus; molendinis etiam, nec non iure itidem riparum, portus seu traiectus Danubialis, vectigalisque, tum nauium sta-tione, tum etiam transmigrantium, rebusque ac personis, vectigalium solutioni ob-noxiis, colligendis et percipiendis; praeterea diuersoriis, tabernis, pharmacopoliis et balneis, cum potestate quoque ibidem inquirendi et corrigendi; vti et physico, seu medico ordinario, pro communitate suscipiendo, ac etiam officina pistrina, domi-bus seu aedificiis ad cocturam et ad ussionem calcis, laterum, tegularum et similibus exstructis, cum fructu inde emergente, vti et omnibus prouentibus pro communi bono applicandis; similiter lapicidinis, in territorio existentibus, theatris, domibus iaculatoriis, et aquae ductibus aliisque locis publicis, foris; ius item braxandi, sine vlllo onere, cum facultate ad extraneam et alienigenam cereuisiam inuehendam; erga tamen practicatam, nonnullorum grossorum pro hospitalis seu xenodochii duntaxat conseruatione colligendam, concedenda; pro memoratis ciuibus Pestiensibus saluum et illaesum permaneat, Auctoritatis etiam solius erit magistratus pondera et mensuras aridorum et liquidorum obseruare; ac hunc in finem libram etiam publicam, et men-suram legalem erigere et statuere, et his iniuste vtentes vel defraudantes punire, nec non in ordinariis nundinis, forisque publicis ad actus temerarios, et violentos curam habere; aduentantibus mercatoribus, institutoribus, aliisque hominibus protectionem territorialem adhibere; ad opera quoque et manufacturas, vt sine dolo, furo et frau-

de, sed et iuxta cuiuslibet artis leges solidae sint, attendere, ac prouidere; de per-
 gulis, stationibus, venditisque pecoribus, moderatam et alibi etiam consuëtam col-
 lectam, ac telonium, penes speciale superinde obtentum benignum priuilegium no-
 strum exigere; ciues etiam et incolas in medium sui recipere, Iudaeos et Zingaros
 admittere vel non admittere; super orphanos et bona eorum curam habere; tutores
 et curatores, rationibus dandis obnoxios, constituere; parochum siue plebanum cum
 beneficiis et oneribus canonicè legalibus, denominare; et, cui competit, praesentare;
 ciues ipsos pro communi ciuitatis necessitate, et ad iurisdictionis tuitionem, ad prae-
 standas operas adigere; collectas iisdem, legibus regni conformes, ac in reliquis etiam
 liberis et regii ciuitatibus nostris receptas, imponere, et municipalia inter se statuta,
 constitutionibus tamen patriis minus contraria, condere; denique iure caducitatis, et
 retractus, iurisdictioneque priuatiuae in ciuitate, eius territorio, magistratualique iu-
 dicatu, in politicis, ciuilibus et criminalibus, virtute iuris gladii, eidem plene com-
 petentis, cum potestate super quibuscunque delictis cognoscendi, incaptiuandi et ex-
 sequendi; signaque iurisdictionalia erigendi, in criminalibus quidem sine appellatione,
 iuxta leges regni et statuta ac iura municipalia et communia (salua ad sedem tauerni-
 calem, iuxta veterem vsum et consuetudinem, prouocatione) vti, frui et gaudere;
 iudicatu porro magistratuali omnes et singuli ciues et incolae inhabitantes, ibidemque
 ex officio, artificio, quaestura, vel ex fundo ciuitatis, siue nobiles, siue ignobiles, et
 cuiuscunque nationis, et signanter quidem Rasciani et Iudaei, qui non in alterius quam
 ipsiusmet ciuitatis protectionem seu iurisdictionem amplius assumi possint; et praeter
 communia, communiter sufferenda, quoad cunctas causarum species, in proprio ter-
 ritorio exortas, ciuiles et criminales, reales et personales, exentis tamen legaliter
 priuilegiatis, iudicio tam possessorio, quam petitorio, subesse debeant; hoc per ex-
 pressum declarato: vt nemo a vera orthodoxa Romano catholica re-
 ligione alienus, in conciuem vlllo sub praetextu admittatur, aut
 toleretur.“ Praedeclarati demum ciues, hospites et incolae memoratae ciuitatis
 nostrae Pestiensis liberam etiam Iudicis et Consulis, praesente nihilominus regio com-
 missario nostro, ad restaurationem magistratuaalem, de more in aliis ciuitatibus nostris
 obseruato, exmittendo) electionem in die consueto, singulo hiennio habituri sunt;
 ita vt selectus ciuium, rite a iudice vel consule conuocatus, in domo ciuica, officiis
 prius resignatis, iuxta votorum pluralitatem, in praesentia, vt praemissum est, com-
 missarii nostri regii, ciuium oratoris, et iurati notarii, singillatim a ciuibus colligendo-
 rum, vel priorem confirmare, vel illum ex senatu electum pro consule et iudice,
 medio etiam iuramenti ordinarii, in parochiali ecclesia ante altare desumendi, in eadem
 die denominare valeat: similiter magistratus ex 12 numero senatoribus vno vel altero
 demortuo, alium idoneum, habita virtutis et prudentiae ratione, in locum eius sub-
 stituendi, vt et contra senatus iura delinquentem, a functione suspendendi, munia
 ciuilia distribuendi; curam super prouentibus ciuitatis habendi, et ab officialibus de-
 hitas rationes exigendi, et exsequendi habeat facultatem. Quo vero praefati ciues,
 hospites, et incolae, praespecificatae ciuitatis nostrae Pestiensis supra declaratis be-

nignis concessionibus, libertatibus et praerogatiuis, aliis aequae liberis ac regis ciuitatibus nostris communibus, et legibus et constitutionibus regni contentis et approbatis, omni cum tranquillitate et quiete, saluaeque et imperturbate uti, frui, et gaudere valeant, atque eatenus impedimentum et cuiusuis dissensionis ansa submoueatur; omnem omnino domorum et fundorum in vel extra ciuitatem existentium, sine consensu aut in praeiudicium ipsiusmet communitatis, exemptionem et liberationem cautam esse volumus, et vetitam; imo per expressum statuimus, ut si quae bona immobilia, haereditatis, siue alio quocunque titulo, ecclesiasticam vel exteram alienigenam personam deuolui contingeret; tali similia bona intra annum, nisi medio tempore se iurium et beneficiorum ciuiliu consortem et participem reddiderit, ciuibus diuendere teneatur; secus penes magistratum stabit, praeuia aestimatione et pretio eorundem possessori exsoluto, eundem ab eiusmodi bonis amouere. Ac ut iuris municipalis cursus et iurisdictio sarta, tecta conseruetur; et hinc neutiquam turbetur et confundatur, per expressum volumus et declaramus, ne ullus alius, seu militares, seu camerales officiales nostri, nec etiam comitatus, cum praeiudicio legum et dictae ciuitatis nostrae Pestiensis, quamquam iurisdictionem nostram exercere, iudicium contra ciues ferre, vel alijs actibus iurisdictionalibus, in specie vecturarum, vulgo *Vorspann*, indebita impositione et similibus in eos procedere, et semet immiscere, ac inexequendo actu criminali, in portis, seu alibi iudicium ciuile impedire praesumant; quumque iusti pro iniustis, et innoxii pro reorum excessibus non debeant quoquo modo impediri; hinc prout saepe factos incolas, hospites et ciues praefatae ciuitatis nostrae Pestiensis vbique locorum, propter aliorum debita, in persona vel rebus suis arestari et detineri facere; imo et debitorem ciuem absque postulata praeuie, et denegata iustitia turbari et arestari cautum omnino et vetitum esse, volumus et iubemus; ita et quibuslibet vectigalibus, tributis, telonijs, tricesimis, intra ambitum praefati regni nostri Hungariae; prout et violenta in domos ipsorum, inuitis hospitibus, et praeter magistratualem assignationem, cuiuscunque conditionis hominum condensatione quartirijs et hospitalitate, antiqua eorum et reliquarum liberarum et regiarum ciuitatum nostrarum libertate, id exigente, exemptos et supportatos esse declaramus; ita tamen, et ea conditione, ut praerepetiti ciues, incolae et hospites, in omnibus alijs ciuitatibus nostris regis se conformare, et ab ingratitude et infidelitatis nota et macula, sub poena amissionis et ablationis horum et aliorum omnium priuilegiorum et libertatum suarum perpetuo sibi cauere, hoc in signe beneficium et non vulgarem gratiam et clementiam nostram, in ipsos collatam, de maiestate nostra haeredibusque et successoribus nostris legitimis, videlicet Hungariae regibus, omni fide, constantia et fidelitate, iugiter demereri studeant et debeant: imo reponimus, reincorporamus, eximimus, supportamus, decernimusque, et confirmamus; saluo tamen quoad omnia et singula praemissa iure alieno, praesertim vero ecclesiarum Dei. Quo vero perpetuum et celebrius huius nostrae benignitatis et clementiae, erga praefatam ciuitatem nostram Pestensem declaratae, exstet documentum, eademque pleniore beneficio decorata, clarius in oculos incurrat hominum; antiqua armorum eiusdem, quibus ante-

hac dudam a diuis olim Hungariae regibus condecorata et nobilitata, ac iisdem vsa fuerit, insignia etiamnum exstantia clementer approbauerimus, roborauerimus, et confirmauerimus, et sigillum in hanc, vt sequitur, formam in posterum etiam futuris et perpetuis temporibus, ac vsum cerae rubrae in sigillando, et quavis sigilli eorundem appensione, benigne concesserimus: scutum videlicet erectum, coelestini coloris, duabus cornucopiis, ex istisque diuersis floribus eminentibus circumcinctum; in cuius meditullio turris, rubris tegulis, siue lateribus tecta ex quadratis lapidibus, solido muro, et propugnaculis constans, portaque inbifariam aperta, et patente, cataractisque de more intra ipsius portae introitum suspensis et pendulis locata esse cernuntur; quemadmodum haec omnia in praecipuo suo capite, praesentis diplomatis nostri, pictoris edocta manu et artificio, propriis et genuinis coloribus suis clarius depicta, et ob oculos intuentium lucidius posita esse conspiciuntur; decernentes, et ex certa scientia nostra, animoque deliberato concedentes, vt memoratae nostrae ciuitatis Pest. ciues, hospites, et incolae, ac eorum posteri et successores vniuersi, sigillo eiusdem ciuitatis, praeuio modo armorum insigniis notato et insculpto, vniuersas et quaslibet literas, quacumque de causa in medio eorundem emanandas, cera rubra sigillare, huiusmodique sigillo in cera coloris praenotati, quibuscumque literis ipsorum appensa, perinde sicut literis seu sigillis aliarum liberarum et regiarum ciuitatum nostrarum, cera similis coloris in sigillo vtentium, vigor et fides adhibeatur, adhiberique debeat effectiue, et indubitanter. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras, secreti maioris sigilli nostri impendentis, quo vt rex Hungariae vtimur, munimine roboratas, iisdem ciuibus, et incolis, adnotatae ciuitatis nostrae Pestiensis, pro ipsis, eorumque posteris, et successoribus, in aeuum valituras, dandas duximus, et concedendas. Datum per manus fidelis nostri, nobis dilecti, R. Ladislai Mattyasovszky, Episcopi Nitriensis, — in ciuitate nostra Vienna die 23. Octob. MDCCIII.“ — Apud Bel. Not. H. N. Tom. III. pag. 89.

Leopoldus I. Rex Hungariae, ad preces Mathiae Ignatii Radonay, Episcopi Oqueecclesiensis, omnia priuilegia Episcopatus Quinque-Ecclesiensis confirmat. Dat. XIX. Aprilis 1703. MSS. Kaprinay sub B. tomo XXV. nro 12. pag. 65.

189. *Ipse Franciscus II. Rákotzi, seditiosorum Princeps, Statum Ecclesiasticum, ad conuentum publicum paribus votis, euocandum ducit. A. 1707.*

Huszonkettődik Articulus: A' szabad Nemzethez, mellynek szabad voxa, vagy alkarattyanak szabados kimondása vagyon, illendő lévén az, hogy minden Egyházy 's világi Méltóságban lévő Uraknak, Nemeseknek, tudokra legyen mi tractáltatik 's végeztetik az országnak közönséges Gyülekezetében: annak okáért köz akarrattal elvégeztük: hogy minden Praelatusok, ugy világi Uri Rendek, 's Nemesek, arról való Hazánk törvényei szerint, 's azokban felett büntetés alatt, efféle Generalis Conuentusokra, 's gyülekezetekre personaliter személyek szerint, tartoznak comparealni, ha csak némelylek közülök törvényes, helyes mentséggel meg nem akadalyoztatnak, és a' köz jót egyező értelemmel és segítséggel tractallyák. És kivált-

képen a' Varmegyék zászlókkal, petséttyekkel úgy legyenek jelen, hogy a' kik a' köz Gyülekezetre jönek, azok tartassanak Varmegye Universitasának, az otthon hagyattak pedig csak magános Particularis Személyeknek." Ex originalibus actis conuenticuli Onodiensis.

Idem Princeps per Commissarios emitti Patres Jesuitas ex regno iubet. A. 1707.

Franciscus Rákoczy etc. — Ad Michaëlem Mérei, Canonicum Strigoniensem — Admodum Reuerende, nobis honorande, salutem et diuinam benedictionem. Ex decreto Statuum confoederatorum, de emissionem ex regno Patrum Jesuitarum, commissarius per districtus ordinatis, Dominatio Vestra, ex venerabilis cleri parte adiuncta est fideli nostro Magnifico Thomae Schmidegg, tanquam ad similem Commissionem deputatus. Qua de causa Dominationi Vestrae praesentibus intimare voluimus; vt sepositis omnibus aliis negotiis, sine mora associet se illis, vt secundum instructionem datam, dexteritati Dominationum Vestrarum commissa opera, quamprimum finem sorciatur; neue detur occasio aliis ob absentiam Dominationis vestrae se excusandi de neglecta mandati nostri executione. Caeterum eandem feliciter valere desiderantes. Datum ex castris nostris ad Strigonium positis. Die octaua Mensis Septembris 1707. P. Franciscus Rákoczy m. pr. Franciscus Aszalay." Ex originali Hungarico.

190. *Josephus I. Rex Hungariae execrandis Rakotziano-Berchenianae rebellionis sequelis oggestis, A catholicis legale religionis exercitium liberum manere vult; omnem tamen vim, ac violentiam priuata auctoritate, seuerissime interdicit. Anno 1709.*

„Josephus — Neminem latere arbitramur; immo memorabili malo et incommodo suo proprio quam plurimos expertos esse, nulli ambigimus, quam exitiosae sub modernis ad huc dum fumantibus intestinis et seditiosis tumultibus perduellium; Francisci Rákóczy et Nicolai Bertsényi, nefario ausu concitatis et promotis, passim per totum praefatum haereditarium regnum nostrum Hungariae, cetera inter execranda flagitia, non solum in politicis, verum etiam spiritualibus, inductae sint et inualuerint mutationes, ac variae irrepserint innouationes; templorum videlicet et ecclesiarum Romano-Catholicarum, capellarum, parochiarum, scholarum et beneficiorum ecclesiasticorum piarumque foundationum, non secus secularium etiam honorum occupationes, sacrarum aedium et supellectilium profanationes et direptiones, legitimorum plebanorum ex sacris (suis) parochiis amotiones, comitatensium et ciuilium magistratum reformationes, et quam plurimae aliae detestandae fidelium quoque nostrorum persecutiones ac damnificationes, potissimum ex illegalibus et illicitis Szetseniensi, Rosnauensi et Onodiensi conuenticulis, eorumque perniciosis conclusis promanantes. Quae omnia, non sine commoti regii nostri animi resensu ac paterna etiam compassione intelleximus; et his medelam adferre cupientes, iam etiam vigore reiteratorum

benignorum edictorum nostrorum, suffragantibus eatenus posituis regni legibus, ibidem citatis, nouissime vero sub dato 24. mensis Iulii anni modo decurrentis, in libera ac regia ciuitate nostra Pisoniensi, sub ipsius diaetae actuali decursu, vnanimi fidelium nostrorum SS. et OO. ibidem congregatorum, voto et consensu; immo ad specialem eorundem apud maiestatem nostram factam eatenus demissam instantiam, publicati amnestialis et respectiue proscriptionalis edicti, ad vniuersos etiam comitatus transmissi, omnia et singula in praenotatis, ac ne fors aliis illegalibus et ipso iure vetitis conuenticulis acta, facta et conclusa, eatenus etiam, quatenus nonnulla in effectum deducta fuissent, cassata, annullata et mortificata, ac pro vanis et vetitis declarata essent. Demum vero post felices armorum nostrorum in praefato regno nostro Hung. progressus, viceversa, alias in negotio religionis a nonnullis, sine praeuio benigno mandato nostro, priuata dumtaxat auctoritate, exercitas violentias, templorum vtpote reoccupationes, Aug. et Helu. Confessionis ministrorum ac praedicantium persecutiones; praesertim vero nonnullorum alterutrius praefatae religionis hominum, per prius demortuorum ac in templis sepulcorum, exhumationem et eiectionem, ex humillima praefatorum Aug. conf. addictorum querela displicenter percepimus. Ac proinde, ad stabiliendam et conciliandam laesorum ab vtrimque animorum quietem, redintegrandumque priorem legalem in facto religionis ordinem ac regni statum, quaemadmodum cuncta et quaelibet sub detestandis hisce motibus, seu ex fundamento praedictorum conuenticulorum, ipso et iure, et facto irritorum, seu aliter, qualitercumque, priuata vi et potentia, aut etiam perduellium antesignanorum nefando ausu et assistentia ac illegitima dispositione et commissione, in praemissis immutata, innouata et variata aut introducta essent, ad priorem, in quo nempe ante modernos tumultus fuerunt, statum reponi et restitui clementer et absolute volumus; ita omnem vltiorem pariter aduersus Aug. et Helu. conf. ministros ac praedicantes priuatam quorumlibet vim et violentiam, aut eorum persecutionem, vel templorum, scholarum et parochiarum, ipsis competentium, occupationem, contra genuinum articulo- rum Soproniensis et Pisoniensis nouissimarum diaetarum sensum ac tenorem, quouis modo attentandum, serio ac districtim inhibemus; immo liberum religionis suae exercitium, ad mentem praecitatorum articulo- rum, pro iisdem Aug. et Helu. conf. additis permanere; et neququam eosdem eatenus turbari debere volumus et iubemus. Quapropter vniuersis et singulis — hancce seriam et benignissimam intentionem et voluntatem nostram notam facientes; iis vero, quorum interest, vtpote legitimis magistratibus, harum serie firmiter praecipientes, benigne committimus et mandamus, quatenus, acceptis praesentibus, statim et quamprimum ac absque vltiori dilatione, vniuersa et singula templa, parochias, scholas et quaslibet pias foundationes, contra tenorem praecitatorum articulo- rum Soproniensis et Pisoniensis diaetarum, praeuio modo occupatas, et cum suis accessoriis ademptas, non secus tenore eorum articulo- rum concessum liberum Aug. et Helu. conf. exercitium, nefors per quoscumque impeditum, prout et innouatas magistratuales functiones, in priorem suum, in quo nimirum ante modernos tumultus fuerunt, statum ac legalem ordinem reponere et re-

ducere, non secus secularia etiam bona, sub his motibus, quocumque modo, via et forma, velut illegalibus, per rebelles adempta, suis prioribus possessoribus, fidelibus nostris, restituere, et praedecarati quorumvis comitatum ac ciuitatum magistratus, caesareo regia auctoritate nostra, per praesentes iisdem concessa et attributa, restitui facere debeant et teneantur. Nec vllus a modo in posterum propria auctoritate et priuato ausu, vltiores quaspian violentias et vim in facto religionis ad inuicem, contra sensum praerepetitorum articulorum cuiuspiam inferre, et praesertim demortuorum exhumationes attentare, sub graui indignatione et animaduersione nostra caesareo-regia, praesumat modo aliquali. Dabantur in ciuitate nostra Vien. Austr. die 12. mensis Decembris, anno dom. 1709. — Josephus. C. Nicol. Illyésházi, Ladislaus Hunyadi.“

Studium suum, quo Aatholici agitati clam fuerant, dominatum scilicet in Hungaria quoquo sibi asserendi, palam prodiderunt, Rákótzio anno 1707. in Transiluaniam ingresso, ac Marosvásárhelyini a quibusdam factiosis inaugurato, Conuentu Onodini celebrato, Melchioris Rachovszky, ac Christophori Okolicsányi caedibus infami, decernentes: Josephum I. solio haereditario deturbandum: ni publicata hac sententia, vt Szegedius perhibet, scelestae huic eorum machinationi illico per scriptum publicum Palatinus, S. R. J. Princeps Paulus Eszterházy, solidis, ex iure patrio depromtis rationibus, ostendisset, Josephum, verum legitimum haereditarium, et indubitatum regni Hungariae partiumque adnexarum Regem esse; subnexo catalogo DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum etc. qui in fidelitate Regis sui persistenter, secum protestarentur, reclamarent, et contradicerent, et quidem A. Episcopi 2. Episcopi consecrati 8. non consecrati 12. Barones regni 11. Supremi ac perpetui Comites 10. non perpetui 16. Capitula 6. (nam caetera cum suis solitis residentibus occupata sub rebellium potestate manere cogentur); magnates alii 40; liberae ciuitates 13. et regno Croatiae, Dalmatiae ac Sclauoniae cum suo Bano.“ — Apud Lambert Memoirs — Tom. IV. p. 490. Ribini P. III. p. 246. etc.

191. *Idem Josephus res ad Ecclesias Catholicas pertinentes, sed per Aatholicos seditionos, fundamento illegalium conuentuum Széchényien. Rosnauien. et Onod. ademptas, restitui seuerissime iubet. A. 1710.*

Josephus — Tametsi nos vnice propter bonum pacis, et ad conseruandam mutam, cui semper plusquam paterno studio incumbimus, inter fideles praefati nostri regni Hung nobis cumprimis cari, subditos nostros animorum vnionem, concordiam et tranquillitatem, in negotio religionis clementissimam et dilucidam intentionem expressamque voluntatem nostram, tum respectu prouentuum, alioquin ad ecclesias catholicas pertinentium; sed per Aug. et Helu. conf. ministros, ad parochias catholicas, amotis legitimis plebanis, sub hac nefaria rebellione introductos, perceptorum, tum ceterorum etiam vniuersorum et quorumlibet, sub eadem detestanda rebellione, seu ex fundamento illegalium et illicitorum, Szetseniensis, Rosnauiensis et Onodiensis, conuentuum ipso et iure, et facto irritorum, seu aliter, qualitercunque, priuata vi et potentia, aut etiam perduellium antesignatorum nefando ausu et assistentia aut commissione innouatorum, immutatorum ac variatorum, ad priorem, in quo nempe ante hos tumultus fuerunt, statum restitutionis, repositionis ac redintegrationis, tenore

iteratarum benignissimarum resolutionum nostrarum, in constitutionibus regni, et si-
 gnanter postremis nouissimarum Soproniensis et Poseniensis diaetarum articulis, su-
 perinde sancitis, fundatarum, ac per benignas etiam patentes nostras, sub dato in
 hac ciuitate nostra Vienna Austriae, die 12. mensis Decembris, anno proxime praer-
 terito 1709. emanatas, sufficienter declaratam, adeoquo pro homagiali cuiusuis erga
 maiest. nostram debita obligatione et obedientia, rite obseruandam, et nullatenus per-
 quempiam; sub graui indignatione ac caesareo-regia animaduersione nostra, temere
 violandam et transgrediendam, vniuersis fidelibus nostris — intimari et publicari fe-
 cissemus, ac simul etiam firmiter commissemus; nec aliud omnino sperabamus, quam
 ex eiusmodi benignissimis dispositionibus nostris alienos hoc in passu animos per mu-
 tuam concordiam coalituros, quietemue et tranquillitatem fore reducendam; tantum
 tamén abesse, displicenter sane, nec sine commoti regii animi nostri resensu, tum
 ex ven. cleri, tum etiam Aug. et Helu. conf. addictorum querimoniis, ad M. nostram
 delatis, intelleximus, vt praeconceptae spei et intentioni nostrae satisfactum, benig-
 naeque dispositiones nostrae debitum sortitae fuissent effectum, vt potius iisdem, pro-
 ut respectu praedecretorum prouentuum, ita ceterorum etiam in priorem statum re-
 poni, restitui et redintegrari commissorum et ordinatorum, in transuersum sensum
 detortis, et pro libitu interpretatis, vltiores exinde subortae vigeant quaestiones et
 controuersiae. Vnde ad praescindendas et definiendas easdem, benignaeque in prae-
 missis prioris dispositionis et voluntatis nostrae vberiore declarationem, non secus
 praedecretorum Sopronien. Poseniens. diaetae constitutionum genuino sensu dilucidan-
 darum effectuationem, inuiolabilemque ex post earundem obseruationem, denuo et
 iterato clementer resoluiamus, vt vsquedum certam et specialem in negotio religionis,
 siquid adhuc superesse posset, necessariam (exemplo etiam post praenotatas ambas
 diaetas practicato) instituamus commissionem, quam omnino, vt primum moderni,
 necdum adhuc plenè sopiti tumultus, sed potissimum funesta in praefato regno nostro
 Hung. desaeuiens pestifera lues admiserit, finita diaeta, statim et absque vltiori di-
 latione, per deputandos e statu seculari commissarios nostros, plene instruendos et
 auctorisandos, reassummendam clementer intendimus. Interea praementionatarum
 etiam benignarum patentium nostrarum, sub 12. mensis Dec. anno proxime praer-
 terito 1709. in conformitate articulorum 25. et 26. diaetae Sopronien. emanatorum vigo-
 re, ante omnia praetensos prouentus, sub hac rebellione ab Aug. et Helu. conf. mi-
 nistris perceptos, vltius etiam annestiandos et condonandos, omnemque eatenus
 catholicorum plebanorum praetensionem, non obstante quacumque interuenta cum
 iisdem plebanis catholicis superinde conuentione etiam vel transactione, in quantum
 penes eandem effectiua in toto vel in parte nec subsequuta fuisset refusio, amplius,
 propter bonum pacis, nullatenus mouendam, sed prorsus cassatam et mortificatam,
 autumnales autem anni proxime praeteriti 1709. seminaturas, in terris, ad catholicas
 parochias pertinentibus, per Aug. et Helu. conf. ministros factas, seu anni modo cur-
 rentis praeteritam messem frugesque et procreationem erga solam insemiati eorum
 grani seu seminis in qualitate et quantitate refusionem aut supputationem, ipsis semi-

nantibus per plebanos catholicos fiendam, pro iisdem plebanis et ludimagistris catholicis cedendam et resignandam statuimus. Demum vero vniuersas ecclesias, templa, capellas, parochias, scholas et beneficia ecclesiastica, piisque fundationes, cum vniuersis suis clenodiis, supellectilibus et appertinentiis contra sensum praecitatorum articulorum, catholicis, vt praemissum, quocumque modo ademas, et per Aug. et Helu. conf. addictos indebite possessas, legitimis catholicis plebanis, beneficiatis, administratoribus statim et defacto committendas et restituendas, et consequenter eiusmodi parochis eorumque ludimagistris catholicis (extra dumtaxat loca, articulariter pro A. et H. conf. libero et publico exercitio denominata) vbique suas etiam stolas et solitos annuales proventus; decimas tamen et quasuis antehac praestari consuetas obventiones vltius etiam iisdem solum pendendas. Aug. porro et Helu. conf. ministros in suis locis, articulariter denominatis, ac ex post commissionaliter designatis templis vel oratoriis, suisque fundationibus, adeoque in eiusmodi dumtaxat locis, publico et libero exercitio, nullatenus sub quocumque praetextu molestandos, turbandos et impediendos. Ceteros vero praefatarum confessionum ministros, seu praedicantes, a praeuio modo restitutis vel restituendis ecclesiis motos; si iidem procul omni ministerii sui publica aut priuata etiam functione et plebis a fidelitate et obedientia, nobis debita, seductione vitam pacatam et domesticam ducere velint, aequae non molestandos, tanto minus incolatu et sessionibus suis depellendos decernimus. Denique vniuersa et singula in praedecurato puncto religionis, vsque praeattactam, vt praemissum est, specialiter deputandam commissionem, ac diaetaliu constitutionu benignarumque dispositionu nostraru vltiore effectuationem, subsequendamque superinde benignam ratificationem nostram in eum, in quo vigore saepe fatorum Soproniensis et Psoniensis diaetae articulorum, et prioru commissionaliu determinationu, regia auctoritate confirmataru, fuerunt, statum reponenda et restituenda esse clementer volumus, ordinamus et declaramus: praemissasque benignas dispositiones et determinationes nostras ab vtriusque, pro homagialis erga maiestatem nostram deuotionis obsequio ac obedientia, promte et exacte obseruari, de plenitudine auctoritatis nostrae regiae, committimus et mandamus, sub poena, in art. 26. vltimae diaetae Soproniensis adnotata, per fiscum nostrum regium contra transgressores proseguenda, et indispensabiliter desumenda. Quapropter vniuersis et singulis praecipimus et mandamus, quatenus praementionatas benignas dispositiones nostras, tum prioribus praespecificatis patentibus, tum praesentibus quoque vberius expressas, adeoque firmam et constantem voluntatem nostram, praecitatis legibus et constitutionibus regni conformem et accommodatam, in omnibus et singulis punctis, clausulis et articulis exacte et obsequenter obseruare, et eatenus clementissimis mandatis nostris debita obedientia obtemperare debeant ac teneantur; nec vllus quocumque sub praetextu huic benignae voluntati ac mandatis nostris contrauenire, temerarioque ausu refragari, sub praenotata articulari poena praesumat modo aliquali. Dabuntur in ciuitate nostra Vienna Austriae, die 10. mensis Nov. anno dom. 1710. regnorum no-

strorum, Romani 21. Hungariae et reliquorum (a coronatione) 23. Bohemiae vero anno 6. Josephus. C. Nicolaus Illyésházi. Ladislaus Hunyadi.“

Mirum omnino foret, cur ab Aatholicis, sub rebellione Francisco-Rakocziana, Bertsényiana, opprimendae religioni catholicae incubitum tam saeue fuerit, postquam ipsis, in sola confessione seu Augustana, seu Heluetica saluandos esse homines, dogma non fuit; in Ecclesia quoque Catholica salutem posse obtineri, Vniuersitas Helmstadtensis, occasione nuptiarum Eleonorae Margarethae, Principissae Quelpherbitanae, cum Leopoldo I. Imp. contractarum, id palam ac publice edixerat; mirum foret omnino: ni sciremus hanc esse erroris naturam, vt primum tolerari, mox aequi parari velit, tandem dominari. Nihil minus, quam hoc dominium cupiebant Aatholici nostrates armis extorquere, vt, sicut in Anglia, Dania, Suecia, Catholicos opprimere, tyrannizare possint. Media, quibus vsi sunt, votum hoc ipsorum manifestat: nec enim vsi sunt missionibus sed militibus; non verbis, sed verberibus, non virtute, sed potentia: En spiritum euangelicorum! Quod peccatum originale in ipsorum posteros omnes proh dolor! transfusum est.

192. *Stephani Telekesii, Episcopo Agrien. ad citatorias Em. Cardinalis Ser. Principis Augusti Saxoniae, Primatis, A. Episcopi Strigon. responsoriae. A. 1710.*

„Citorias eminentissimae serenitatis V. Posonio die 3. mensis Oct. anni 1709. vna cum breui suae Sanctitatis pontificiae, humillima subiectione, nonnisi prima die Novembris anni eiusdem, percepi; quibus pari humillitatis subiectione obtemperare conatus sum. Quum datum eiusdem cum exhibitione ruminassem; nonnisi tres aut quatuor dies ad comparandum pro tanto itinere reperi: et aliunde etiam propter saeuissimam contagionem, vbique in his partibus grassantem, quae nondum adhuc cessauit perfecte, impeditus quum essem; non contumacia, sed necessitate ductus, quum comparere non possem; et aliunde optime scirem, in quantum literas et scripta harum partium Posonii abominarentur, etiam exemplo aliorum, qui ex his partium adiacentibus dioecibus, Posonii comparere volentes, vix non ex medio itinere redire compulsi sunt, nil rescribendum iudicaui. Verum, his non obstantibus, die 20. mensis Martii anni labentis, post tonitrua SS. D. nostri, eminentiss. serenitatis V. veteranum capellanum, vna cum innocente capitulo et fratribus in hac mea dioecesi, in cura animarum hactenus vna mecum sedule laborantibus, cum admiratione omnium, cum scandalo catholicorum et applausu acatholicorum, in tantum prostravit, vt nos omnes, in vinea domini laborantes, non tantum inutiles reddidit; sed, quod lamentabilius est, nisi quanto citius remedium aliquod fuerit, de omnibus ouibus nobis subiectis actum erit; et per longa tempora non facile reparabile damnum ecclesia Dei patietur. Nam percussis pastoribus, dispergentur oves gregis; et paruulis petentibus panem, vti Jeremias propheta loquitur, non erunt, qui frangerent eis. Absit, eminentissime ac ser. princeps (quod et superi auertere dignentur!) vt ego minimus eminentissimae serenitatis V. mandato vel in minimo contrariari velim, aut illud suae sanctitatis auctoritate munitum disputare praesumam; humillime tamen desiderassem, et fortasse exspectassem, vt, priusquam pro derogamine dignitatis et auctoritatis, si non meae vilis personae, saltem characteris episcopalis, in consecratione mihi impressi,

aliquis maior respectus fuisset: et si me in hoc, quod iuxta strictissimam obligationem meam, penes oues, mihi commissas in his partibus, in mea dioecesi amplissima, et ex vndecim comitatibus constante, remanserim, peccare animaduertissent; ad minimum semel, si non pluries, canonice, ne hoc facerem, admoneri curassent. Septimus annus agitur, emin. ac ser. princeps, quod ego in his disturbiorum temporibus summi pastoris, Christi domini, oues, suo sanguine redemptas, indignus pastorculus, iuxta meum tenere posse, omni, qua potui, diligentia custodiuerim; sed a nullo admonitus, taceo, inhibitus, ne hoc facerem, ad hoc vsque tempus exstiti. Nouerat optime felicissimae record. sua C. ac R. M. SS. quae me ad has partes, quasi inuitum promouit. Nouit emin. princeps optimae mem. card. a Kollonich. Nouit etiam ab aliquot annis sua eminent. serenitas meam in his partibus conuersationem; nouit meos labores. Nouerunt et alii suae Maiestatis sacratissimae principes et belli generales. Nouerunt et approbarunt; et nullus omnino, vt desisterem, me admonuit. Non latuit, nec actu latet suam SS. pontificiam dignitatem, qualiter in his partibus et belli tumultibus, in mea hac dioecesi amplissima, praeter vicinas dioeceses, quae pastoribus destitutae gemunt, quali fungar officio; nullo tamen modo reprobauit; quin imo expirantes meas extraordinarias facultates, episcopis consecratis concedi solitas, quae ad quadriennium mihi ante concessae fuerant, expirasse (audiens) anno proxime praeterito, in Augusto, non modo denuo confirmauit; sed iterum ad quinquennium liberaliter dilatauit et confirmauit. Citatus sum, modalitate superius denotata, ab eminent. serenitate V. per mandatum, suae sanctitatis breui roboratum; sed non contumacia, verum legalibus rationibus impeditus, et non auditus, fortasse tam seueram sententiam et tam mortiferum fulmen meritis non fuissem. Militarent hic pro me, em. ac ser. princeps, cum aliis conciliis concilium Tridentinum, canonicae sanctiones, sacrosancta decreta pontificum: quae si non meam vilissimam personam, saltem dignitatem episcopalem ab hoc fulmine protegerent: et quod his disturbiorum temporibus tandiu penes oues meas, iuxta SS. meum iuramentum, septem annis hic remanserim, nulla poena dignum iudicarent. Militaret denique efficacissimum monitum S. Pauli apostoli ad episcopos vniuersos, quorum onus angelicis humeris formidandum: „Attendite vobis et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.“ Ideo idem apostolus monet omnes episcopos: vt laborent et ministerium suum impleant.“ Implere autem illud se nequaquam posse sciunt; vt idem concilium subnectit; si greges, sibi commissos, mercenariorum more, deserant, atque ouium suarum, quarum sanguis, teste Ezechiele propheta, de eorum est manibus a supremo iudice requirendus, custodiae minime incumbant: quum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem; si lupus oues comedit, et pastor nescit. Haec, inquam, et his similia, me ab omnibus, quae in suae Em. serenitatis sententionalibus contra opponuntur, defenderent, et fortasse defendendo absoluerent; sed, vt ante praemisi, absit, et Dii avertere dignentur, vt ego minimus Em. serenitatis V. mandato vel in minimo contrariari velim, aut illud sanctitatis auctoritate munitum disputare praesumam; sed, quum videam in his par-

tibus ecclesiae manifestam ruinam et catholicae religionis longo etiam tempore, nisi salutare remedium quanto citius a sua Em. serenitate adinueniatur, irreparabile damnum. Haec. V. Em. serenitati, a fundatore huius episcopatus et archiepiscopatus Strigoniensis, S. Stephano, nominatus, humillima, qua potui, submissione repraesentare conatus sum. De me statuat sua Em. serenitas, quidquid voluerit, et in domino iudicauerit; me non contristabit: at meum capitulum, innocentem clerum, qui in nullo peccauit; quum iussu Dei et summi pastoris, bona fide, ex obligatione sua strictissima, penes Christi gregem, exemplo etiam meo ductus, remanserit, innocentem pronunciare, pro sua clementia innata, non dedignetur. Seruet Deus suam Em. serenitatem in huius afflictissimae patriae, mei et suorum minimorum capellanorum consolationem. Die 2. Apr. anno 1710. Em. ser. vestrae olim Jaurini capellanorum minimus, iam inter rudera castri Szarvaskő inutilis seruus, Stephanus Telekesi.“

193. *Inter quatuor Regni Hungariae Status, primus Ecclesiasticus, ad diaetas conuocatur, regem inaugurat, coronat, leges condit, omnia cum reliquis statibus consilio, votoque suo, sub consensu Regiae Maiestatis concludit et perficit. Anno 1718.*

I. Regnum Hungariae ex quatuor statibus constare: vtpote Ecclesiastico, Baronum item et Magnatum, nec non Nobilium, et Ciuium liberarum ac regiarum Ciuitatum. Isti quatuor status regnicolarum nomine de lege regni art. 1. Anni 1608. post coronationem, lucidissime demonstrante, intelliguntur; ad diaetas euocantur; regem electum inaugurant, et coronant. Leges ad Regis confirmationem condunt; et denique omnia in generalibus conuentibus mutuo consilio, et consensu Regiae Maiestatis concludunt et perficiunt. II. Inter praemissos quatuor status, Ecclesiasticus, velut ratione sui officii dignior seculari, primus habetur; in quo nomine Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Abbates, Praepositi, aliaeque personae spirituales, comprehenduntur: et cum his Barones regni, qui alias pro ministris Regis habentur, ac suprema regni officia tenent, suas ordinatas habent sessiones; ex horum numero recensentur: Palatinus, Iudex Curiae, Banus, Tauernicorum, Agasonum, Cubiculariorum, Janitorum, Pincernarum, Dapiferorum et Curiae regiae magistri; nec non Temesiensis et Posoniensis comitatum comites. Demum Magnates vt sunt supremi comites comitatum; item dignitate, aut natiuitate comites, et liberi Barones, secundum constituunt statum. Tertium vero Nobilitas. Quartum denique liberae ac regiae Ciuitates repraesentant; potiorumque non numero, sed valore, ac pondere vota consistunt penes primos duos, Ecclesiasticum vtpote et Baronum ac Magnatum Regni Status. Ad quos quidem in regni diaetis per posteriores duos, vtpote nobilitatem et ciuilem Status, inuenitur referri, et cum approbatione eorundem concludi solet, et sine horum consensu nihil omnino stabiliri potest.“ Ex actis diaetae anni 1718. V. Epist. Archiepiscopor. Georgii Strigon. et Pauli Coloczen. e Comitatus Széchényi. Pest 1807. pag. 313—314.

194. *Historia decreti, ne quaestiones religiosas, quae pacem reipublicae identidem conturbarent, negotiorum pertractionem disceptionibus remoratae sunt, amplius in Comitibus agerentur, sed ad Suae SS. Maiestatis decisionem deriverentur, Historia ab anno 1708—1715.*

Multum artis et operae condendo hoc articulo impensum esse, vel ex eo manifestum est, quod anno 1708. inchoatus, non prius quam 1715. perfici potuit. Inter grauamina scilicet regni secundum conditiones ac tenorem diplomatis Leopoldini concinnata, XXXIII. loco negotium religionis concernens, ac Josepho I. exhibitum ita sonabat: „Negotium religionis regnicolae, quoad A. et H. confessionem art. 25. et 26. 1681. et art. 21. 1687. descriptum, et hactenus propter bonum pacis, sub conditione ibidem expressa renouatum, in eodem statu relinqui censerent; et si quae hactenus, iuxta eosdem articulos effectuta non fuissent, effectuentur; imo etiam ab eo tempore ab vtrunque violentae occupationes intercessissent, stante diaeta, vbi fieri poterit, alioquin post eandem, occupata huiusmodi loca prioribus possessoribus restituantur. Tenor praeterea et continentiae praefatorum articulorum ad partes, armis caesareo-regiis reoccupatas, non extendantur. Denique clausula illa: Saluo iure dominorum terrestrium, ita interpretanda esset: nempe: quod domino terrestri catholico licitum sit, suoque stet in arbitrio, an velit, nolit suo in fundo, aut territorio A. vel H. confessioni addictum praedicantem aut subditum tenere; e conuerso, si quidem sola Romano-catholica fides in hoc Apostolico regno esset haereditaria; Augustana vero et Heluetica confessio, contra seuerissimas huius regni leges, eiusque prohibitiones, sub armorum strepitu propter bonum pacis tolerata; ideo non licebit eidem confessioni addictis, parochos de bonis suis, aut etiam subditos Romano-catholicos amouere.“ Ad hoc statuum et ordinum regni postulatam idem rex ita se resoluit: „Trium religionum, in regno Hungariae receptarum, exercitium iuxta genuinum articulorum Soproniensis et Posoniensis, vltimarum diaetarum sensum, Sua Regia Maiestas permanere debere declarat: eiusdemque libertati et securitati, clementissime ita providebit, ne contra repetitos articulos, vel domini terrestres iure suo abutantur, vel cuicumque praemissarum religionum conscientiae vis inferatur siu autem praeter spem aliter eueniret, regia manu et auctoritate omnimode praepediatur.“ Ex ipsis huius resolutionis verbis constare potest, imperatorem Josephum isthic respexisse ad responsum, quod per commissarios suos ad punctum 12. tractatus Tyrnauiensis, anno 1706. dedit. — Replica, quae ex parte Statuum regni hoc adhuc anno 1708. ad praetactam regiam resolutionem data est, ita habebat: „Siquidem fidem et religionem Romano-catholicam, quam regia quoque Maiestas profitetur, non modo per totum christianum orbem, sed etiam in Hungaria, a tempore S. Stephani regis, receptam et approbatam, vt art. 12. 1550. aliisque quam plurimis; Aug. vero et Helv. confessionem, propter bonum pacis, inter armorum strepitum, secundum 1681. et 1687. articulorum cancellos, toleratam; alias porro sectas damnatas esse; ex densissime conscriptis patriae constitutionibus appareret; quum autem status et ordines contra hoc in puncto absolute datam suae maiestatis resolutionem (quamquam

causa tolerati, pax vtpote et tranquillitas, cessaret, consequenterque eius quoque effectus cessare deberet) quidpiam reponere non praesumerent; nihilominus tamen credunt, suam Maiestatem haud animo aduerso accipere, dum pro termino receptarum, toti statui catholico praeiudicantis, insertionis sublacione, et, si ita fieri potest, toleratarum insertione; ac ne hac religiones in partes neoaquisticas inducantur, resolutione; et ne sua Maiestas sectam sub his motibus exortam, crucem Christi proscribentem tolerare; sed contra asseclas eius per fiscum inquiri, omnia insuper his motibus occupata, templa restitui facere, dignetur, humillime supplicarent.“ — Josephus Rakotzio-Tökölliana perduellione sopienda distractus, de religione, quod vim legis haberet, vltra constituit nihil. — Regnicolarum catholicorum replicam a Josepho non expeditam resumsit Carolus III. et die 11. Julii anno 1712. ita se resoluit: „In negotio religionis standum articulis nouissimarum Soproniensis et Poseniensis diaetarum, absque regressu alterutrius partis ad priores et antiquiores leges, in eodem religionis negotio conditas et exstantes; ibidem non comprehensas, veluti virtute dictarum recentiorum modificatis et explanatis; contrauentiones vero et abusus, contra citatos annorum 1681. et 1687. articulos, ab vtrinque commissae vel introducti, praeuia inquisitione, per commissionem, e medio statuum articulariter ordinandam, tollentur et complanabuntur, omniaque ad articulare statum et genuinum eorundem sensum reponentur; ac in eo deinceps per suam quoque Maiestatem conseruabuntur, et manutenebuntur: quem in finem proponant status commissarios, tum ex clero, tum ex secularibus catholicos, ac etiam A. et H. confessioni addictos, per suam porro M. eligendos et determinandos.“ — Praescriptam hanc resolutionem, plures successiue tam replicae, quam resolutiones regiae subsequutae sunt. Replicarum ante abrupta per erumpentem denuo pestiferam luem comitia, praecipua et inter reliquas maxime notanda haec fuit: „In puncto orthodoxae fidei Romano-catholicae omnes 4 status cunctis illis legibus et constitutionibus, quae illinc a temporibus S. Protoregis Stephani, in praesens vsque sunt statutae et sancitae, demisse insistunt; supplicantque S. SS. Maiestati pro earundem renouatione. Quod vero articulos annorum 1681. et 1687. intuitu A. et H. confessioni addictorum sonantes, respiceret; supplicant omnes 4 status et ordines eidem M. V. vt protestationem suam, eatenus factam, in articulo de religionis negotio sonante, inserere possint. Demum sicut articuli 23. 1687. ex parte Sclauoniae renouationem, sic e conuerso omnium hucusque penes praenotatas confessiones sancitorum articulorum cassationem iidem status et ordines humillime acceptant, inque publicum regni articulum conscribent.“ Indictis anno 1714. continuatiue regni comitiis, articulus in negotio religionis iam anno 1713. ex iteratis et vltimariis diaetalibus resolutionibus regis per status et ordines compilatus, ac cum caeteris regi transmissus, atque post reassumptam diaetam per regem ad genuinum suarum resolutionum sensum cum caeteris decomodatus est; cui haec inserta leguntur: „non obstante catholicorum contradictione.“ — Die XV. Novembris, eiusdem anni 1714. SS. et OO. suas super transmissis articulis obseruationes regi repraesentarunt; inter quas intuitu mox citati articuli in negotio Aug. et Helu. confessionum,

haec eorum observatio fuerat: „Siquidem per articulum, de negotio religionis sonantem, omnes priorum annorum catholici status interpositae contradictiones tolli viderentur, ideo totus status catholicus huicce articulo demisse contradicit; supplicando quam humillime, quatenus interpositae eiusdem status catholici contradictiones in sua firmitate relinquuntur.“ E contra Aug. et Helv. confess. addicti inhaerent articulo per suam Maiestatem eatenus condito.“ Tandem XVI. Febr. anno 1715. rex Carolus remisit statibus regni eosdem articulos; sed, vt ipsemet loquitur: „habita in primis ad priores benignas resolutiones suas, ipsorumque DD. Statuum suffragio semel iterumque acceptatas, condigna reflexione — modificatas.“ Ita Ribini Mem. A. C. P. II. pag. 180 et 547.

195. *Articulus XXX. a Carolo III. Rege in Comitibus anni 1715. modificatus.*

Art. XXX. Post multifarias de negotio religionis vltro citroque agitatae disceptationes, et sub ipsa quoque iam concinnatorum articulorum communicatione humillimos ad regiam M. factos ab vtrunque recursus, tandem atefata sua M. C. Regia, ex gratia et clementia sua praecitatos 1681. et 1687. annorum articulos in genuino suo sensu, hactenus declarato, adhuc censuit conseruandos, adeoque pro renouatis et confirmatis habendos. Ac si et in quantum medio tempore ineffectuati, vel per abusus et contrauentiones ab vtrimque violati fuissent; talia per regios et regni commissarios, articulariter ordinatos, examinanda, praeviaque ad suam Maiestatem sacratissimam eorundem relatione, ex benigna eiusdem ratificatione complananda, et exequutioni debitae demandanda, omniaque ad articularem statum et genuinum eorundem sensum, secundum explanationes regias, reponenda et manutenenda, non attempta quorumuis contradictione, benignissime resoluit. Contra cuiusmodi determinationem si quis priuatorum ex Aug. et Helv. confessione in persona vel causa religionis se grauatum existimauerit, occasione talis grauaminis, suo priuato, non communi nomine, pro remedio ad regiam duntaxat maiestatem recurrere nouerit. Quem in finem atefata sua Maiestas sacratissima ex parte sua denominat commissarios (sequuntur nomina) saluo articulo 23. anni 1687. respectu regnorum Dalmat Croatiae et Sclauoniae permanente; non secus priuilegiis etiam, per nonnullas ciuitates et oppida, nec non communitates in Hungaria eatenus impetratis.“ — E corpore Juris patrii.

Tristis centum et amplius annorum experimentia docuit, comitia toties turbata, tumultuque repleta fuisse, quoties de libero religionis exercitio, quod catholici restrictum acatholicis, hi vero semper vltra sibi porrectum esse volebant, agebatur. Incomparabilis Caroli prouidentia, qua tot litium materiam, iudicio earum ad regiam maiestatem deriuato, resecare satagebat. Deferebantur illae mox aliquo tempore ad regium tribunal, erantque diaetae aliquot pacatiores. Ast anno 1790, saluberrimae huius constitutionis ratione nequaquam habita, eadem rursus ad comitia retractae sunt: habemusque denuo diuturnas et strepitosas diaetas. Sed nec ipsa constitutione Carolina, sibi fauente, erant contenti — pro more suo. — Nam querela per Paulum Okolicsányi (Diplomatarii A catholici auctorem) Carolo regi porrecta, super receptione religionum suarum

iam pridem conditas leges, pacificationes, diplomataque Caesareo-Regia, et ipsosmet praemissa confirmantes Sopronienses articulos tolli arguebant. Sub ipsis autem Comitibus Augustanae confessioni addicti conuenticulum Rosenbergae celebrarunt, in quo praeter plura nefanda, signum crucis proscripserunt; eo tamen addito: illud in collatione baptismi tanquam rem adiaphoram, retineri posse. Ex his, aliisque non absimilibus inferebant catholici: Lutheranos ab ipsa A. Confessione tantopere recedendo, in nouam sectam degenerasse. Idem Ribini p. 465.

196. *Carolus III. R. H. Albensem in Transilvania Episcopatum restituit. A. 1715.*

Carolus III. — Nos Clementissime resoluiimus, vt noster consiliarius et Episcopus Transilvaniensis, Georgius Martonfi, Baro de Kartzfalua, pro competenti sustentatione, verum tamen per modum nouae foundationis, annuatim habeat 8000. fl. Rhen. Deinde etiam in eodem episcopatu scholae, ministri Ecclesiae, et musici pro sua sustentatione habeant similiter 2000. flor. Rhen. Quatuor Canonici autem annuatim habeant, primus 1000. flor. secundus 800. duo autem vltimi singillatim flor. Rhen. 600. Quae summa faciens 13. millia Rhen. flor. tradatur tam de dominio Albae Juliensi, quam de decimis et quartis Fisco. — Saxonicalibus, sic nominatis, ipsi Episcopo et Canonici pro actuali vsu et fruitione. Porro media pars Arcis Albae Juliensis tradatur episcopo pro sua residentia; ad cuius residentiae reparationem pro hac duntaxat vice et absque futura consequentia, dabuntur 4000. Rhen. flor. ex redditibus seu prouentibus bonorum fiscalium Albensium. Dat. Viennae XI. Decemb. Anno 1715. — Apud Szereday. Ser. Epis. Trans. p. 222.

Paulo Bornemisza, Episcopo Transilvaniensi sub anno 1556. solum vertere coacto, Ecclesia Catholica acatholicis, aede Episcopali Principibus Transiluanis cessa, extorres Episcopi titulum duntaxat huius sedis in Hungaria gesserant. Carolus igitur pacatioribus temporibus episcopatum hunc, a S. Stephano fundatum, postliminio cum Basilica ac lyceo restituit. — Per Generalem Comitem a Steinvillae, lapide Angulari festo S. Caroli Boromaei, in honorem Regis Caroli, fortalitio posito, Alba Julia, iam Carolina dicta est; rege acceptante, et praecipiente. Apud Kaprinai Hist. Dipl. tomo I. p. 149. Idem Generalis, eodem rege annuente, primum vrbis Claudiopolitanae templum, ab Vnitariis vsurpatum, a refractariis vnitariis reuindicauit, a Sigismundo rege olim magifico opere exstructum, in illudque Episcopum 31. Martii solemniter introduxit: Continuator Timonis p. 313. et 315.

197. *Idem Rex Capitulum etiam Albense benigne restaurat. A. 1716.*

Carolus III. Reuerende ac Magnifice, fidelis noster nobis dilecte! Benigne perpensis et consideratis eximiis virtutibus, laudatisque moribus, doctrina item et exemplari vita, aliisque animi dotibus, fidelium nostrorum, honorabilium SS. Theologiae Doctorum, Joannis Antalfi, plebani S. Georgii, Casparis Henter, plebani Pollyanensis, Francisci item Bors, Plebani Közvényesiensis, et Martini Demeter, quibus ipsos ab Altissimo ornatos esse, ex demissa nonnullorum fidelium nostrorum recommendatione benigne cognouimus; eosdem itaque omnes pro Canonici, tibi adiungendis, clementer resoluiimus, et nominamus; primum eorum, nimirum Joannem Antalfi, simul etiam pro Praeposito declarantes. Quibus nos, prout ac statu eorum conuenien-

ti et sufficienti residentia in arce Carolinensi prouisum voluimus, ita etiam de honesto viuendi et subsistendi medio prospeximus; mandauimusque camerae aulicae pro primo 1000. pro secundo 800. pro tertio vero et quarto, vtrique aequaliter, 600. florenos Rhen. annue importantes decimas seu quartas, ex decimis seu quartis nostris Fisco Saxonicalibus, ab ipsis, eorumque successoribus possidendas, assignari, faciat. Proinde mandamus Tibi hisce clementer, vt eosdem omnes et singulos praedeclaratis muniis suis, obseruatis de more et consuetudine in similibus obseruari solitis, decenter admoveas. Ratione vero futurarum vacantiarum, quando ea occurrerit, trium maiorum Canonorum, vt et praepositum nominandi ius nobis, tanquam fundator, reseruatum esse volumus; vnius vero idest quarti denominationem tibi successoribusque tuis, ex benignitate nostra indulgemus, et clementer concedimus. Cui benignissimae nostrae voluntati satisfacturo gratia nostra semper propensi manemus. Datum in ciuitate nostra Vienna Austriae, die 4. Octob. 1716. Ibid. p. 224.

Idem Episcopus Martonfy quintum sextumque canonicum instituit, suisque impendiis dotauit, serius accesserunt adhuc duo honoris causa canonici.

198. *Carolus III. Rex Hungariae liberi religionis exercitiū ordines ac limites, Austrianae et Helueticae Confessioni addictis, ad exigentiam legum praescribit. A. 1714.*

Carolus sextus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Sclauoniaeque etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae etc. Fidelibus nostris Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus et Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus, et Circumspectis, Supremis et Vice-Comitibus, Iudicibus Nobilium, et Juratis Assessoribus ac totis demum Uniuersitatibus Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium praefati Regni Nostri Hungariae quorumcuis Comitatum, non secus Liberarum, et Regiarum Ciuitatum Nostrarum, Privilegiatarum item Oppidorum, Villarum et Possessionum, Magistris Civium, Iudicibus, Senatoribus ac Juratis Civibus, et Communitatibus; nec non aliis etiam cuiuscunque status, gradus, honoris, dignitatis et conditionis Hominibus, in praenotato Regno nostro Hungariae degentibus, et commorantibus, subditis Nostris, praesentes lecturis, aut legi auditoris, vel earum quocunque modo notitiam habituris salutem et gratiam. Tametsi non solum benignae Caesareo-Regiae Patentis, in annis non dudum praeteritis, vtpote 1709. Die 12. Mensis Decembris, et 1710. die 10. Mensis Novembris, sed et 1711. die 28. Mensis Septembris ad vniuersos praefati Regni nostri Hungariae comitatus clementissima intentione, vnice propter Bonum pacis, et ad conseruandam mutuam inter diuersarum Religionum Regnicolas animorum vnionem, concordiam et tranquillitatem, in negotio religionis emanatae, verum benignissimae etiam Resolutionis nostrae, Diaetaliter hoc in puncto extradatae, articulos 25. et 26. anni 1681. nec non 21. Augusti anni 1687. rite obseruandos, nec vltra genuinum

eorundem sensum in praeattactis benignis patentibus vbertim declaratum, per Augustanae et Helueticae confessioni addictos, quidpiam intentandum, aut quouis sub praetextu innouandum, tanto minus occasione nouissimorum motuum, quocunque modo perperam introducta, velut ipso iure et facto irrita ac diaetaliter etiam annullata, et cassata non amplius continuanda, vel resuscitanda, firmiter exigent, et si fors ad mentem praecitatorum articulorum praefati Augustanae et Helueticae confessioni addicti quidpiam adhuc desiderare, praetendere possent, id ab euentu diaetaliter hoc in passu deputatae commissionis praestolari, interea vero, in eo, in quo ante; et vsque initium praenotatorum motuum confessionis suae exercitii statu praefuerunt, semet continere deberent. Nihilominus, tum ex Reuerendissimi in Christo Patris, et Serenissimi Christiani Augusti S. R. E. Praeshiteri Cardinalis, Ducis de Saxonia, qua Archiepiscopi Strigoniensis et Primatis Regni nostri Hungariae, cognati nobis sincere dilecti, tum aliorum reliquorum Episcoporum Dioecesanorum, per suos etiam Archidiaconos solitas in dioecesibus visitationes peragentes informatorum, fideli relatione, et querimoniis, non modo praenotatarum benignarum patentium, in praecitatis articulis fundatarum, sed neque diaetalium clementissimarum resolutionum nostrarum tenori, adeoque benignissimae intentioni nostrae, mentionatos Augustanae et Helueticae confessionis sequaces, semet accomodare velle, quin potius clementissima in eos praeuia duntaxat propter bonum pacis ex ratione praetensa benignitate, et concessione nostra nimium quantum abuti: Dum videlicet contra expressum praecitatorum 25. et 26. articulorum dictamen, extra loca articularia ibidem specificata, publicum religionis suae exercitium sub detestandis praeteritis motibus vtrimque introductum, plurimis in comitatibus etiamnum illicite continuare, oratoriorum et sacellorum pro magnatibus, et nobilibus admissum aedificium et dotationem eo iam extendere, vt sub hoc praetextu omnis, qui velit, nobilis et armalista, in priuata etiam sua residentia, ministrum confessionis suae intertenere, et tempore eiusdem ministerii functionis eo confluentes, tum eiusdem, tum vicinorum quoque locorum incolas promiscue et turmatim admittere sibi licitum esse existiment, iamque non solum in locis articulariter duntaxat pro publico exercitio restrictim concessis, sed fere communiter in qualibet domo nobilitari, eiusmodi publicum exercitium inualuisse, parochialia munia passim exerceri, Paedagogos et Ludi-Magistros in Locis Extra-Articularibus introductos esse: Sed et in Locis Articularibus, numerosiores plus aequo Praedicantes, Administros, et Instructores augeri, — Scholas etiam vsque Philosophica, et Theologica studia multiplicari, et eiusmodi superfluos Praedicantes et Administros, saepius etiam transuestitos ad vicinos pagos excurrere, ac secreto et occulte muniis suis perfungi, proventus catholicorum plebanorum praeripi, in compluribus vero locis denegari, fundationes et dotes ecclesiarum catholicarum, per alterius religionis homines violenter detineri, nec restitui, redditus, et obuentiones earumdem distrahi, taliterque ecclesias Dei defraudari: Festa etiam decretalia legibus regni celebrari commissa non obseruari: vetitis temporibus, vtpote Aduentus Domini, et Quadragesimae publicas Nuptias et Choreas cum scandalo, contra seueras etiam inhi-

bitiones legitimi ecclesiastici magistratus celebrari, et plurimos alios excessus, quales ante praeattactos motus attentare non licebat, in opprobrium sanctae romanae ecclesiae catholicae, ac legitimorum plebanorum damnum, legumque regni et signanter praecitatorum articuloꝝ derogamen, benignarum etiam mentionatarum patentium ac resolutionum nostrarum Vilipendium, praesumptuose intentari, et haec omnia ex fidelibus visitantium archidiaconorum, iustas plebanorum catholicorum querimonias, et iniurias rite examinantium et inuestigantium, ac ipsa etiam experientia edoctorum relationibus, comperta esse non sine graui displicentia et condigne commoto regii animi nostri resensu, praeter omnem expectationem intelligere debuimus. Quorum omnium intuitu praedeclaratis benignis Caesareo-Regiis patentibus, ac etiam diaetali resolutioni nostrae firmiter inhaerentes, easque hic loci pro repetitis habere volentes, vniuersis et singulis, quibus supra, signanter vero Augustanae et Helueticae confessioni addictis cuiusuis conditionis subditis nostris seriam et benignam intentionem et positiuam voluntatem nostram hisce declaramus, et simul districtim praecipientes committimus et mandamus, quatenus praecitatis articulis 25. et 26. anni 1681. et 21. anni 1687: et in conformitate horum emanatis praeattactis benignis patentibus, nec non etiam diaetali resolutioni nostrae semet pro debito homagiali obsequio accomodare, extra loca articulariter denominata, a publico et libero religionis exercitio, in fraudem legis et regiae concessionis, in priuatis etiam domibus per admissionem extraneorum practicari solito abstinere; prouentus stolares, et quosuis redditus, ac obventiones catholicis plebanis, vbique extra loca articulariter pro libero exercitio admissa, competentes iisdem praestare ab omnibus parochialibus muniis praeterquam in locis articularibus exercendis semet continere, superfluos praedicantes, ministros, et instructores, paedagogos, ludi-magistros, et altiores scholas, vbi ante praeteritos motus non habebantur actutum dimittere, fundationes, dotes, ac prouentus, ac sacram suppellectilem cunctarum ecclesiarum, praeter articulares, legitimis earundem plebanis et rectoribus restituere et resignare, Festa decretalia, ex obligatione etiam legum regni, quibus subiecti sunt observare, publica scandala euitare, praedicantes extra-articularia loca degentes, vitam pacatam priuatim ducere, ac denique omnia in eum, in quo ante, et vsque motus fuissent et benignae patentes exposcunt, statum reducere, seque huic clementissimae voluntati, et firmae intentioni nostrae prompte accomodare debeant, ac teneantur, nec vllus quocunque sub praetextu, huic benignae dispositioni nostrae contrauenire, temerarioque ausu, sub graui animaduersione nostra, et arbitraria poena in proximum transgressorem statuenda praesumat modo alicquali, verum si quid praetendendum superesset ab instituenda comissione hoc in passu diaetaliter resoluta praestolari nouerit et debeat. Dabantur in ciuitate nostra Viennae Austriae, die vigesima octaua mensis Aprilis anno Domini 1714. Regnorum nostrorum Romani tertio, Hispaniarum vndecimo, Hungariae, Bohemiae et reliquorum anno quarto.

200. *Idem Carolus commissionem Pestanam in negotio religionis in irritum laborantem prorogat. A. 1721.*

Carolus III.— cum ad demissam articulariorum commissariorum, in negotio religionis deputatorum instantiam, nouissime clementer determinassemus, vt articularis commissio in modo fato religionis negotio, Pestini instituta, et in quintum mensem protracta, pro hac vice dissoluatur; iuxta benignam nostrae Maiestatis ordinationem et dispositionem proxime vicissim reassumenda, et fini mancipanda; clementissimaque mens et voluntas nostra haec esset, vt propter bonum domesticae vnionis, et pacis, internamque regni tranquillitatem, et pacem conseruandam, pro interimali etiam remedio, cuncta in antelato religionis negotio vsque ad exitum praenotatae commissionis, superindeque subsequendam benignam maiestatis nostrae ratificationem et modificationem in eo, quo immediate, ante ac sub tempus inchoatae praenotatae Pestien-sis commissionis, ac nunc sunt, statu maneant, nihilque omnino innouetur. — Datum in ciuitate nostra Vien. Austriae, die 10. mensis Aug. anno 1721. Carolus. Comes Nicolaus Illésházy. Josephus Koller.

Commissio haec ad partis vtriusque, catholicorum et acatholicorum, querelas complanandas fuit comitaliter anno 1715. art. 30. constituta, sed ob publica regni negotia vsque annum hunc impedita, catholici ad puneta XI. acatholicorum praetensa insistebant, vt specificent, vbi et in quantum sit liberum religionis eorum exercitium turbatum; item vbi, et quorsum vellent illud introductum et prolatum; item quis et vbi sit ad mutandam religionem coactus; etc. Acatholici generalem, et irrestrictam licentiam exercendae, propagandaeque suae religionis praetendebant vigore potissimum pacificationis Viennensis; Catholici ex aduerso contra illam exceperunt tanquam vi armorum extortam, et ob contradictionem Cleri Statuumque catholicorum illegalem. Acatholici agnouerunt quidem ad legalitatem constitutionis necessarium esse omnium quatuor statuum Regni consensum, sed negarunt pacificationi Viennensi anno 1606. per clerum contradic-tum fuisse; sed eius formulam anno 1608. subtrusam. Catholici attamen docuerunt hanc anno omnino 1606 oblatam, ast a Mathia coronae Hungaricae cupido haud productam, et vsus publici factam. Tali animorum habitu nihil videbatur consultius, quam de soluenda commissione cogitare; quam etiam praesentes commissarii petierant, et a rege Carolo obtinuerant: Cf. Ribini Mem. Conf. August. Parte II. p. 185 Lampe Hist. Ecc. R. pag. 543. Contradictionis anno 1606. laudatae originem omnino ad eundem referendum, annus, quem exemplar authographum ostentat, euincit. Nec tamen acatholici querimonias suas persequi destiterunt; illas ad comitia regni promouerunt anno 1722. Haec vero easdem ad Suam Maiestatem pertulerant.

201. *Idem Rex Palatino Regni mandat supplicem Acatholicorum libellum recipi, ac legi. A. 1722.*

Carolus III. — Ex demissa simul et querulosa repraesentatione fidelium aequae nostrorum Aug. et Helu. confessioni addictorum, benigne informamur, qualiter, postquam in moderna nationali regni nostri diaeta negotium religionis, prout antehac ab anno 1606. in quibusuis fere diaetis consuetum fuisset, nunc quoque reassumptum, et puncto 27. grauaminum concinnatum et more solito dictatum etiam esset; in publica nihilominus fidelium nostrorum SS. et OO. regni die 24. non ita pridem praeterita

mensis Septembris habita sessione praedictum punctum de simplici et plano exmittendum status catholici censuissent; in contrarium vero immediate sequenti 28. puncto praedictorum grauaminum, ubi de eo agebatur, vt praelati et quibus beneficiati ecclesiastici in dioecibus suis et beneficiis habitent, art. 12. et 13. anno 1550. inseruissent; ac per hoc pacificationis Viennensis, anno 1606. initae, puncto primo, in praedictum praedictarum confessionum contrauenire intendissent; et dum super praemissis apud antelatos status et orlines medio supplicis libelli sui conqueri, ac instantaneum remedium habere voluissent; idem supplex eorundem libellus acceptatus quidem, praelectus tamen nequaquam fuisset: hinc, vt circa praemissa condignum remedium iisdem ordinetur, ipsique non minus, quam alii quibus querulantes audiantur; in praenuncupata diaeta audiantur; Maiestati nostrae demisse supplicassent: ac idcirco fidelitati vestrae harum serie benigne committimus et mandamus, quatenus cum prae libatis SS. et OO. regni, in moderna generali diaeta congregatis, saepe factos Aug. et Heluet. conf. addictos super praemissis sufficienter audire, et tandem Maiestati nostrae, pro more diaetaliter obseruari solito, demisse referre velit: nec intermittat; eadem fidelitas vestra. — Datum in ciuitate nostra Vienna Austriae die 1-ma Nouembris anni 1722. — Apud Ribini l. c. Parte II. p. 558:

202. *Articuli seu puncta, secundum quae, ordinatione diaetali, de templis occupatis inquirendum erunt. A. 1722.*

I. An locus sit articulatus? Quisnam sit dominus loci? puta oppidi, villae vel possessionis, vbi templum aedificatum habetur, et is catholicae religionis, vel vero Aug. confessionis aut Helueticae? Quis eorum ius obtinet patronatus? Vel si mixtim locus talis catholicus per catholicos et acatholicos possideatur, quis eorum potior? Et ecclesiam nunc quis administrat? An plures in loco dentur catholici, aut qualiter? II. Ecclesia cuius honori dicata, et quomodo titulata? Quis enim eam aedificauit, et quando? Vel forte eo tempore est aedificata, cuius initii memoria non existit, vel tantum recenter? An integraliter et ex fundamento, an vero ex rudibus? Num structurae catholicae? An ad ritum ac morem catholicorum vel acatholicorum? Habet ne Sanctuarium, Sacristias, criptas? vel si nunc non habet, tamen antea habuit, et similia fundamenta adhuc apparent ne vel saltem apparere possent? An non exstant alicubi superscriptiones lapidibus incisae, vel alias expressae? Quo anno? Praeterea statucae, lapides cauati pro aqua benedicta? et in latere sinistro Sanctuarii constructorium, ad formam fenestrellae reponendis sacris liquoribus aptum? III. An aliquando saltem sub tempore nouissimae diaetae Soproniensis, id est anno 1681. catholici fuerint in vsu, seu actuali possessione? Fuitne aliquando reconciliata? Per quem et quamdiu per catholicos parochos vel licentiatos administrata? IV. An contra art. 30. nouissimae diaetae Posoniensis, ad benignas resolutiones regias in puncto religionis eiusdem exercitii conditas, semet prouocatiue habentem, aliquis in proprio castello aut curia, pro priuato tantum exercitio oratorium vel praedicantem interteneat?

an vbi hactenus nunquam templum et exercitium habuerunt acatholici, recenter aedificauerunt, et instituerunt? V. An oppidum, villa vel possessio confinium fuerit, sub que tributo vel ditione Turcica exstiterit, nec ne? VI. An et quot Apostatae reperiuntur in oppido, villa, seu possessione, et per quos siue occasione matrimonii, siue aliis modis et mediis, subducti, et a catholica fide alienati? VII. An et quales excessus cum praecudio fidei Romano-catholicae admissi circa sepulturam, vsum campanarum, solemnitate matrimonii, cum vel sine requisitis et a sacris canonibus ordinatis denunciationibus, vel tempore ab ecclesia prohibito? VIII. An in talibus parochiis, vbi amplius praedicantes non sunt, verum soli catholici administrant, soluunt iisdem etiam Helu. et Aug. confessionis sequaces, quemadmodum praedicantibus soluebatur a catholicis? aut, si fors actu soluant, qualia damna parochis inferunt? Aut quibus iniuriis eosdem lacesant? — Apud Lampe l. c. p. 544.

His punctis, praeside Alexandro Károlyi et Cardinali Csákió, A catholicis stare non libuit, adeoque haec etiam commissio mansit irrita. Certe nullum ab acatholicis exstructum templum occuparunt catholici; sed tantum a se, maioribusque suis condita. Postquam ad gremium matris ecclesiae redierant, reuendicarunt. Multas catholicas in locis mixtis ecclesias per acatholicos absque iustitia retentas, structura catholica prodit. Continuatis tamen suis querelis fauores ab eodem Carolo rege sunt enacti.

203. *Idem Rex Acatholicis importunis nouos largitur fauores. A. 1723.*

Carolus III. — Ex demissa repraesentatione fidelium nostrorum Aug. et Helu. conf. addictorum, in praefato regno nostro Hung. degentium, displicenter intelleximus, qualiter iisdem, contra positivas patriae leges et publica etiam iterata nostra benigna edicta omnia in statu quo, in negotio religionis vsque ad finem articulariter institutae, et iam maiestati nostrae demisse relatae, a clemente nostra decisione dependens commissionis, exitum manere debere iubentia, per nonnullos legum et benignorum edictorum eiusmodi contemtores diuersis in locis, in publico et priuato religionis suae exercitio turbarentur; ecclesiarum ministri et alii in rebus religionis et sacrorum suorum ad sacras sedes citarentur; ad ceremonias, religioni suae contrarias, compellantur; subditi, sub specie iuris dominalis, violento modo ad deserendam suam religionem, cogantur; mutationem vero religionis renuentes ex bonis expellantur, et rebus etiam propriis priuentur. Istius et huiusmodi benignorum mandatorum nostrorum contemtores vt ad debitam maiestati nostrae obedientiam redigantur, quies demum et tranquillitas publica hoc etiam pacto stabiliatur et conseruetur, benigne decreuimus, anno videlicet 1719. die 5-a Decembris in negotio religionis vsque ad finalem disquisitionem supra scriptae commissionis eatenus institutae, etiam, vti praemissum est, Maiestati nostrae demisse relatae, omnia in statu quo manere debere, innuentium, quaequam mutationes per quoscunque, quomodocunque in negotio religionis ab vtrunque interuenissent, illae ad statum eum, in quo tunc fuerunt, vsque ad finalem modo fatae commissionis exitum, cum plena iniuriatis per iniuriantes dada satisfactione, reponantur; templa, ab illo tempore adempta, et subditi expulsi in sua bona restituantur;

ad ceremonias, religioni suae contrarias, non compellantur; — ministri ecclesiarum et alii quivis ad sacras sedes in rebus ad religionem aut ritus spectantibus, non adigantur. Huic autem benigne dispositioni Maiestatis nostrae contravenientes, ab vtrunque, tamquam publicae quietis et tranquillitatis turbatores et benignorum nostrorum mandatorum regionum contemtores, poenae legali, per fiscum Maiestatis nostrae regium acquirendae, et indilate exsequendae subiiciantur. Quae dum pro debita observantia et vberiori fidelitatum vestrarum directione et exequendorum exequutione, fidelitatibus vestris hisce benigne significanda, et mandanda habuimus; fidelitates vestras in reliquo gratia nostra C. R. benigne, iugiterque complectimur. Datum in castris nostro Laxemburgh, die XII. Junii anno 1723. Apud Lampe. Ibid. p. 547.

Suadente clero, huic mandato retrahendo Magnates catholici intercesserunt: quibus etiam voti huius compositibus factis, illud in comitatibus publicatum non fuit. Apud Lampium l. c. pag. 546.

204. *Rationes, ex quibus clerus priori mandato intercesserat. A. 1723.*

„Quoniam Sacerdotio et venerabili Clero concreditum esset verbum diuinum, et fides catholica super eodem diuinitus fundata; ideo a principio ingressus aut tolerantiae acatholicorum, in hoc apostolico regno, idem clerus, fidei sibi concreditaе, characteris et specialis obligationis memor, nunquam defuit, quin eiusmodi ingressui, tolerantiae, similibusque in fauorem acatholicorum editis articulis, contradictionis ad minus velamine obuiaret, solemnique reniteretur protestatione. Morem proinde antiquorum et praedecessorum sequendo, idem venerabilis clerus, omnes et singulas, respectu quorumcunque catholicae Romanae-Apostolicae fidei, ab ipso acatholicorum in hoc apostolicum regnum ingressu, in diaetis, aut alias factorum, vel fiendorum praeiudiciorum interpositas contradictiones, protestationes, et reclamaciones, occasione etiam modernae diaetae, quemadmodum in principio quoque fecisset, ita in conclusione etiam innouat, eisdemque contradictionibus inhaeret; atque taliter contradicendo protestatur, et protestando contradicit; petitque protes. Posenii die XXIX. Junii anno 1723. Cardinalis de Saxonia, archiepiscopus Strigoniensis, Primas regni Hungariae.“

Suam huic intercessionem opposuerunt Protestantes, contententes, 1) quasuis idgenus praetensas contradictiones et protestaciones, publicis legibus mediantibus, in perpetuum pro nullis et inuigorosis declaratas esse; catholicis respondentibus: publicas regni leges absque consensu communi, proin citra votum primi status, perferri, vigoremque habere non posse 2) Se protestantes pacificationibus, ac vltra reuolutionem seculi reali vsu roboratis legibus, et constitutionibus inhaerere. — Reclamarunt catholici: illos vel primae pacificationi, quae liberum ipsis religionis exercitium, absque praediudicio catholicae Romanae religionis concesserat, haud inhaesisse, nec ecclesias catholicas intactas et liberis reliquisse; nec, vt ibi praemittebatur, illorum disturbiorum tempore occupatas catholicis restituisse: Mirum item esse, illos velle, leges, ipsis fauentes, vltra reuolutionem seculi reali vsu roboratas valere, leges autem, catholicis vltra reuolutionem quinque Seculorum vsu roboratas non valere. Mutarunt illi leges catholicis fauentes, licet vsu quinque seculorum roboratas, postquam maxima pars procerum auitae

religioni nuncium misit; eum, postquam maxima pars procerum, nouitibus dogmatibus repudiatis, ecclesiae catholicae se reddidit, leges breuioris aevi, sacris auitis oppositas, mutare non liceat?! Mirum item esse, illos negare, vi extorta fuisse diplomata, protestantibus fauentia, quum nemo, nisi rudis historiarum, ignorare possit, pacificationem Viennensem armis Bocskaiianis, Nikelsburgensem Betlemianis, Linczentem Rákóczianis, in medio belli externi, extortas fuisse." Apud Lampe l. c. p. 561. et 564.

205. *Idem Carolus, studio pacis, suum instaurat mandatum. A. 1724.*

Carolus — vt propter bonum domesticae vnionis, et pacis internamque regni tranquillitatem conseruandam, pro interimali etiam remedio, in religionis negotio vsque ad exitum commissionis eatenus institutae, superindeque subuenturam benignam ratificationem, aut modificationem suam, cuncta in eo, quo immediate ante et sub tempus inchoatae Pestini praeattactae commissionis ac tunc fuerant, statu maneant, nihilque omnium mutetur. — Datum in regia arce Pragensi die XIX. mensis Octob. Anno 1723. Carolus. Ladislaus Adamus C. Erdödy, Episcopus Nitriensis, Iosephus Sigray." *Ibid.* p. 550.

Supplices A catholicos, fauoribus etiam his regis abusos, ex sententia commissionis Pestanae anno 1724. lata patet: V. infra.

206. *Idem Rex Episcopatus Sirmiensis inopiam subleuat. Anno 1723.*

Carolus — Ad supplicem instantiam reuerendi et dilecti, fidelis nostri, Francisci Vernich, Episcopi Sirmiensis, et praepositi in Captol, ac nobis desuper a camera nostra aulica factam repraesentationem, mentionato Episcopo Vernich, pro meliori subsistentia, et in locum petitarum ab eodem decimarum in ducatu nostro Sirmiensi, penes nunc ab eodem possessam praeposituram Captol, ac etiam interea, vsque dum respectu iurisdictionis episcopalis, proxime ad Sirmium adiacentis regni Seruiae, vltius aliquid excindatur; adhuc annuos 1200. florenos ex camerilibus regni Sclauoniae prouentibus, ab hodierno dato, velut a die nostrae resolutionis computando, praestandos benigne resoluiimus. Hinc etiam hisce benigne mandamus, eidem mentionato episcopo Vernich, penes nunc ab eodem tentam praeposituram Captol, pro sua episcopali sustentatione, adiunctos adhuc annuos 1200. florenos ex Sclauonicis camerilibus, suis ratis quartalibus, singulis vicibus rite praestandos, et vt suo loco desuper debitae fiant dispositiones. Viennae die XVII. Maii 1723. — Apud Szörényi Vind. Sirm. p. 189.

207. *Idem Rex vetus Csanadiense Capitulum in sua iura restituit. A. 1724.*

Nos Carolus Sextus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Rex Germaniae, Hispaniarum, Castellae, Arragonum, Legionis, vtriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariae, Nauarrae, Grannatae, Toleti, Valentiae, Galleciae, Maioricarum, Hispalis, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Mur-

tiae, Giennis, Algarby, Algecirae, Gibraltario, Insularum Canariae, nec non Indiarum Orientalium, et Occidentalium Insularum, ac terrae firmæ, maris Oceani etc. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Luxemburgi, Virtembergae, et Thecae, Superioris ac inferioris Silesiae, Athenarum et Neopatriae, Princeps Sueviae, Marchio S. Romani Imperii Burgouiae, Morauiae, superioris et inferioris Lusatiae Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Barchinonae, Ferretis, Kyburgi, Goritiae, Rossilionis, et Ceritaniae Landgrauus Alsatiae, Marchio Oristani, et Comes Gocceani, Dominus Marchiae Slauoniae, Portus Naonis, Biscaiae, Molini, Salinarum Trypolis et Mechliniae etc. Memoriae commendamus tenore presentium significantes quibus expedit vniuersis quod considerantibus nobis benignoque reuoluentibus animo, quam pulchrum atque decorum sit, quantumue stabiliendis, et firmandis Regnorum Imperiis expediat promptissimam subditorum erga Principem suum fidelitatem et obsequium non modo laeto animo, benignoque ac clementi vultu acceptare, verum etiam honestissimos in condecorando sinceræ fidei studio sponte sua certantium conatus liberali munificentia prosequi, ac vltro currentibus addito remuneratae virtutis calcari, feruentiorem ad bene cepta et per gratam posteritatem cum perpetuo fidelitatis cursu continuanda animum addere, quo et ipsa posteritas laudabilium maiorum suorum virtutum aemula ad constantem fidelitatem tamquam ad caeterarum virtutum moderatricem, et aliorum egregiorum facinorum prosecutionem accincta legitimis ipsorum Principibus praestandum praelucens exemplum et quasi simulacrum prae oculis semper habere possit. Cum igitur ob id, tum vero ad demissam, ac sedulam, Instantiam supplicationemque fidelis nostri nobis dilecti Reuerendi Spectabilisque ac Magnifici fratris Ladislai e Comitibus de Nádasd, Episcopi Csanadiensis locique et Comitatus eiusdem nominis Perpetui Supremi Comitum, Capituli Ecclesiae Jaurinensis Praepositi Maioris, Custodis Alba-Regalensis, et Consilarii nostri tum suo, quam etiam Capituli sui Csanadiensis per Maiestatem nostram recenter restaurati, nominibus apud Maiestatem nostram propterea factam, quod nimirum dictum Capitulum Csanadiense superioribus dudum euolutis temporibus per immanem Christiani nominis hostem Turcam subactum, longoque temporis intervallo sub iugo Tyrannico gemens, adeoque totaliter euersum, ac dissipatum, iam vero auxiliante Diuino numine victricibus armis nostris recuperatum, pristinaeque libertati, iuribus item et praerogatiuis ac functionibus suis postliminio per Nos restitutum, et restauratum quidem, sigillum nihilominus eiusdem Capituli Csanadiensis publicum et authenticum, quo in sigillandis quibusuis litteralibus, instrumentis, expeditionibus item et functionibus capitularibus, ac aliis quibuscunque nomine capituli de more et consuetudine extradari solitis vsum fuerat, inter tot et tantas Belli calamitates temporumque iniurias ac vicissitudines deperditum esset. Id eidem capitulo Csanadiensi ex speciali Caesareo-Regia gratia nostra, deque regiae Potestatis nostrae plenitudine clementer indulgendum, annuendum et concedendum esse duximus, quatenus nouum Sigillum priori alioquin per omnia simile pro praemisso usu suo confectum habere, eoque in signatione omnium expeditionum suarum instar aliorum capi-

tulorum, et cera rubra vti possit ac valeat. Arma porro seu insignia ipsi sigillo talia venient insculpenda: Scutum videlicet ovale; seu rotundum caeruleum, in fundo aquam paludosam, Draconemque naturaliter effigiatum a sancto Georgio albo equo insidente, et cataphractu induto, lancea transfixum cum hac superinscriptione „sanctus Georgius“ representare visitur, circumferentiam porro ipsius sigilli haec Epigrapha „sigillum capituli Csanadiensis“ circumdare cernitur. Quémadmodum haec omnia in principio seu capite praesentium litterarum nostrarum Pictoris edocta manu et artificio propriis et genuinis suis coloribus clarius depicta, et ob oculos intuentium lucidius posita esse conspiciuntur, eidem capitulo Csanadiensi gratiose impertivimus, et contulimus. Annuentes et ex certa nostra scientia animoque deliberato concedentes, vt idem capitulum Csanadiense a modo, imposterum futurisque et perpetuis semper temporibus in omnibus et singulis litteralibus instrumentis conficiendis, Expeditionibusque et functionibus quibuslibet nomine suprafati capituli exarandis, et extradandis litteris, ac quavis dicti capituli litterali expeditione eodem sigillo ceraque rubra, eodem ex benigno indulto et gratia nostra speciali, clementique annuentia vti semper possit, ac valeat. Imo indulgemus, annuimus, et concedimus impertimurque, et conferimus, praesentium per vigorem. Harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae vtimur, impendenti communitarum vigore et testimonio litterarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Reverendi, Spectabilisque ac Magnifici Comitum Ladislai Adami Erdödy de Monyorókerék episcopi Nitriensis, locique et eiusdem nominis; prout et Varasiniensis comitatum, montisque Claudii perpetui ac supremi comitis, praepositi S. Margarethae virginis et martyris de Dömös, actualisque intimi consilarii nostri, et per dictum nostrum Regnum Hungariae Aulae nostrae Vice-Cancellarii, in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae die vigesima septima mensis Januarii anno domini millesimo septingentesimo vigesimo quarto. Regnorum nostrorum Romani decimo tertio, Hispaniarum vigesimo primo, Hungariae vero Bohemiae, et reliquorum anno aequo decimo tertio. Reverendissimis, serenissimo, ac venerabilibus in christo patribus dominis Christiano Augusto Duce Saxoniae, principe metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis, ac Emerico e Comitibus Csáky Colocensis, et Bahiensis Ecclesiarum Canonice vntarum Archi-Episcopis, et Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteris Cardinalibus, illo quidem Jaurinensis, hoc vero Varadiensis Administratoribus, praefato Comite Ladislao Adamo Erdödy Nitriensis, fratre Emerico e Comitibus Eszterházy Veszprimiensis, altero fratre Ladislao e Comitibus de Nádasd Csanadiensis, Comite Francisco Vilhelmo a Nesselrod Quinque Ecclesiensis, Comite Gabriele Antonio Erdödy Agriensis, Michaele Friderico e Comitibus ab Althann praefatae S. Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinale Vacziensis, Petro Bakits Bosnensis, Francisco Josepho Vernits Sirmiensis, Nicolao Pohmajevics Segniensis et Modrusiensis, seu Korbauiensis, Georgio Branyú electo Zagrabiensis, sede Transylvaniensis vacante, Georgio Gilányi Tinniniensis, Emerico L. Barone Pongrácz electo Pharensis, Andrea Kúrtösy electo Traguriensi, Comite Paulo Forgács electo Bossonensis, Michaele Verbanich electo Scardonensis, Paulo Spárcsay electo Arbensis,

Stephano Kontor electo Tribuniczensis, Joanne Okolicsányi electo Noviensi, Ferdinando Jacobo Libero Barone Jany electo Samandriensi, Francisco Ladislao Libero Barone Mednyánszky electo Catariensi, Joanne Kiss seniore electo Ansariensi, Joanne Bublovics electo Scopiensi, Mathia Markl electo Stagnensi, Antonio Hermano Pechman electo Biduanensi, Joanne Rácsay electo Pristinensi, Ladislao Szúiny electo Dulcinensi, Joanne Kiss juniore electo Korczolensi, Georgio Foglár electo Dulmensi, Paulo Olasz electo Almisiensi, Comite Emerico juniore Eszterházy electo Makariensi, Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, item Spectabilibus ac Magnificis Comite Nicolao Pálfi ab Erdőd praedicti Regni nostri Hungariae Palatino, Judice Cumanorum, Aurei velleris equite, et Locumtenente nostro Regio, Comite Stephano Koháry de Csábrágh Judice Curiae nostrae Regiae, Comite Joanne Pálfy a praedicta Erdőd Antelatorum Regnorum nostrorum Dalmatiae Croatiae et Slavoniae Bano, Comite Sigismundo Csáky de Keresztszeg Tavernnicorum, Comite Marco Czobor de Czobor Szent Mihály Janitorum, Comite Joanne Kéry de Ipolykér Agazonum, Comite Joanne Draskovics de Tragostyán Cubiculariorum, Comite Petro Zichy de Vasonykő Dapiferorum, Comite Ludovico de Battyán perpetuo in Németyvár Pincernarum nostrorum Regalium per Hungariam Magistris, ac praelibato Comite Nicolao Pálfy a repetita Erdőd Comite Posoniensi, ceterisque quamplurimis totiesfati Regni nostri Hungariae Comitatus tenentibus et honores. Carolus m. p. Ladislaus Adamus C. Erdőd m. p. Eppus Nitriensis. Josephus Sigray m. p. (L. S.)

Idem Rex Carolus Capitulum Csanadien. cum sede Episcopali Temesiae collocata, quatuor canonicis institutis prouidit.

208. *Idem Rex per Consilium R. L. H. Episcopos etiam Dioecesanos, ad pacem religiosam obtinendam, magistratibus ciuilibus operam accomodare iubet. 1725.*

— Tametsi quidem sua SS. C. R. que Maiestas, D. D. N. Clementissimus, pro ingenita pietate sua, iam iteratis vicibus clementer resoluisset, idque omnibus regni Comitatus serio et districtim intimasset, vt negocium religionis, quoad Aug. et Helu. conf. addictorum exercitium, idque qualitercumque ingredientia et comitantia accessoria, in statu, quo immediate ante ac sub initium articularis commissionis Pestiensis, eatenus celebratae praefuerat, eousque, donec benignae desuper altefatae suae Maiestatis subsequatur resolutio, permaneat; consequenterque nullae contrauentiones, simultates, aut scandala admittantur; tantum tamen abesse perhibetur, vt hoc benignum suae Maiestatis iteratis iam vicibus repetitum mandatum ex parte dictorum Aug. et Helu. conf. sequacium obseruaretur, vt potius dietim ferme nouos et nouos excessus, contrauentiones, et scandala per regnum attentare nihil pensi ducant, magistratus vero comitatenses, muneri suo in iisdem tollendis et abrogandis vel minus inuigilent vel prorsus coniuueant, taliterque querulantibus ad altefatam suam M. recurrendi et benignas caesareo regias aures diuersis, vsque grauibus querimoniis, vt iam

saepius factum est, molestandi causam et occasionem praebent; proinde, vt huic malo congrue obuietur, benignumque aeternae suae M. mandatum accuratius obseruetur, consequenter etiam augustissima aula ab huiusmodi molestiis liberetur; Consilium hocce R. L. pro munere et officio suo, praetitulatis DD. Vestris, singulariter autem magistratui huius comitatus, serio ac districtim intimandum duxit: Quatenus memores officii, et homagialis obligationis suae, praelibatum benignum suae maiestatis mandatum, in gremio sui rite obseruare et obseruari facere, eoque fine statim per vniuersum hunc comitatum inquirenda inquirere, inuestiganda inuestigare, omnes contrauentiones, simultates, et scandala praementionatorum acatholicorum quampridem eadem siue per se modalitate inquisita, siue vero ex insinuatione ordinaria dioecesani, vel eiusdem in spiritualibus vicarii (quibus id, vt correspondentiam cum praetitulatis DD. VV. habeant, aequae intimatum existit) vel aliunde specificae ac fide digne rescuerint et praemissa stricta inquisitione, auditisque etiam desuper partibus, accedentibus, ita compertum fuerit; contrauentiones et inuentiones illico in statum illum, quo immediate ante et sub initium antelatae commissionis Pest. praefuerant reducantur, contra excedentes vero, tanquam refractarios et benignorum regionum mandatorum contemtores et inobedientes, si mediocris status personae fuerint, ad instantiam fisci magistratualis comitatensis, seruatis debite seruandis, ad mentem art. 30. anni 1715. et in eodem confirmati 26. anni 1681. ibidemque citati 8. Vlad. R. decret. VI. sub poena, ibidem dictata etiam a moroso vel conuiente, magistratu irremissibiliter desumenda, immediate procedatur; si qui vero maioris dignitatis fuerint, consilio huicce regio L. cum genuina, et circumstantiali rei informatione denuncientur: scandalosi autem et quidem dierum dominicarum et festorum decretalium violatores, vigore cap. 7. decr. lib. 2. S. Stephani, et cap. 12. decr. I. S. Ladislai; blasphemii autem ad mentem art. 42. anni 1563. et alterius 110. nouissimae diaetae; alii vero pro qualitate ac grauitate casuum ac delictorum exemplariter puniantur; ministri porro praefatae Aug. et Helu. confessioni addicti, sensu benignae explanationis caesareo Regiae Leopoldinae, in anno 1701. die 2. April. emanatae, ab omnibus actibus parochialibus, vti est baptizare, copulare, sepelire, et similibus, tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis, vbi articulariter concessum non est, supersedere iubeantur, et excurrere inhibeantur; contrauenientes vero aequae vt mandatorum regionum contemtores, ad mentem praecitati articuli 8. Vlad. R. legali poena afficiantur; taliterque tum in praemissis, tum et aliis quibusuis, siue positua regni lege, siue benignis Suae M. mandatis vetitis, vel diuinis, humanisque legibus aut bonis moribus contrariis excessibus, abusibus et scandalis, per eosdem acatholicos nefors attentatis vel in futurum attentandis, et quoquo modo ad notitiam praetitulatarum DD. VV. penetrantibus, comperta rei veritate, corrigenda immediate corrigantur; emendanda emendentur; eoque fine etiam cum ordinario dioecessano suo, vel generali eiusdem in spiritualibus Vicario, Archi vel Vicearchidiaconis, mutua vicissim correspondentia obseruetur; et demum reductis in statum, in quo ante et sub initium commissionis Pest. praefuerant, reducendis, contravenientes

et excedentes praeuio modo irremissibiliter puniantur; ita, vt quos timor Dei et reuerentia legum, ac benignorum mandatorum regionum respectus non reuocat a malo, seueritas saltem disciplinae coerceat a peccato. Super quibus itaque rite et exacte obseruandis ac vsque vltiorem benignam suae Maiestatis resolutionem, sedulo ac diligenter curandis et obseruandis consilium hocce R. L. praetitulatas DD. VV. Signanter autem Magistratum huius comitatus, nisi poenam legalem modo praeuio incurrere velit, iterato serie commonet et adhortatur. Datum ex Consilio R. L. die VII. mensis Aug. anni 1725. Posenii celebrato, Comes Nicolaus Palfy, mpr. Adamus B. Mesko, mpr. Joannes Adelfi, mpr. Mand. Reg. coll. p. 13.

Idem Rex per Cons. R. L. etiam episcopos Dioecesanos ad iungendam mutuum cum provincialibus operam admonet. A. 1725.

— Consilium hocce reg. loc. praetitulatam D. V. beneuole adhortandam esse duxit, quatenus mutuum cum comitatibus, iurisdictioni suae spirituali subiectis, cointelligentiam in praemissis habere, consequenter, si quas contrauentiones, excessus vel scandala in dioecesibus suis per quoscumque acatholicos attentari rescuerit, eadem de casu ad casum specificice, vbi? quid? quando? et per quem illa facta sunt? magistratui comitatensi illius comitatus, qua aliurde etiam primae instantiae, suo modo insinuare et denunciare, congruumque superinde remedium ab eodem petere; illo autem vltra tempus conueniens in iis remedendis moroso, aut prorsus coniuente, existente, id Consilio huicce R. L. vt tales etiam magistratus suis viis et modis ad obsequium suae Maiestati et benignis eiusdem mandatis regii debitum, reduci valeant, cum genuina et circumstantiali informatione, perscribere, et repraesentare; hoc et id vero, etiam per sibi subordinatos obseruari facere velit; et non intermittat praetitulata D. V. Datum vt supra.“ Ibid.

209. *Idem Rex mandatum suum vtrumque declarat. A. 1725.*

— Quandoquidem sua Maiestas sacratissima benignis dispositionibus suis in materia religionis, sub dato 7. mensis Aug. anni infrascripti, isthinc ad praetitulatam D. V. emanatis, insertam, et in eo, vt ministri acatholicorum ab omnibus actibus parochialibus in locis, vbi articulariter iisdem exercitium concessum non est, supersedeant, neque illuc excurrant, interuentam prohibitionem eo sensu, si videlicet dicti ministri in vsu horum ante et vsque initium Pest. commissionis non praefuissent, sumendam, benigne innuere; quoad illos vero maioris considerationis regnicolas, qui benignis eiusdem in materia religionis interventis dispositionibus contrauenire attentarent, per fiscum regium conueniendos, tunc primo, vbi suae Maiestati sacratissimae specifici talismodi casus a consilio hocce regio, repraesentati fuerint; necessariam desuper intimationem, ad antelatum fiscum suum regium, sequuturam, clementer declarare dignata esset; eapropter huiusmodi benignam altefatae suae Maiestatis sacratissimae resolutionem Consilium hoc R. praetitulatae D. V. hisce pro notitia, ac in occurrenti-

bus casibus directione ac debita obseruantia, officiose intimandam esse duxit. Datum ex Censilio R. L. Posonii, die VIII. Octob. anno Domini 1725. celebrato. C. Joannes Palfi, Adamus B. de Mesko, Joan. Georg. Paluska.“ Ibid. p. 19.

210. *Capitulum Agriense iura sua sub commissione neoquistica tuetur. A. 1727.*

Excellentissimi, Illustrissimi ac Reuerendissimi, Admodum Reuerendi Domini, Spectabiles item ac Magnifici, Perillustres et Generosi etc. Domini Nobis Collendissimi, Gratosissimi. Obligatissimorum Seruitorum nostrorum paratissimam semper commendationem. Minthogy ezen mostani Neoquisita Commissionak alkalmatosságával, Mys a többi között ad liquidationem Juris nostri evocáltattunk vala, mindazon által bizonyos okokra nézve az előbbeni praefigált Terminusunk dilatioban vétetődvén, pro futuro termino commissionis Neoquisiticae. Jóllehet ugyan az Magyar Corona alatt levő Józságink iránt, mellyeket mondenkor, mind ekkoráighis pacifice birunk, helyes Documentojaink exstálnak; mind azon által az T. N. Vármegyét praesentibus, debito cum honore, requiráljuk, hogy annál is inkább, in locis suis debitis, azzal is igaz Jussunkat erősithessük, méltóztassék az T. N. Vármegye, sub sigillo authentico I. Comitatus, nekünk egy Testimonialist adattatni az iránt tudniillik: hogy My az melly kevés józszágot birunk in Gremio I. Comitatus Borsodiensis, mind azokat ekkoraiglan, a memoria Hominum, pacifice et imperturbate birtuk. Ebbéli hozzánk mutatandó szép Affectióját az T. N. Vármegyének, adandó alkalmatossággal kíványuk megszolgálunk. In reliquo, Excellentissimas, Illustrissimas, Reuerendissimas, Praetitulatasque Dominationes Vestras ad vota propria quam diutissime saluas et incolumes permanere cupientes, manemus Excellentissimarum Illustrissimarum Reuerendissimarum Praetitulatarumque Dominationum Vestrarum Humillimi, respectiue vero obligatissimi Serui. Agriae die 13. Febr. Anno 1727. Capitul. Agrien.

Excellentissimis, Illustrissimis ac Reuerendissimis, Admodum Reuerendis, Spectabilibus, item ac Magnificis, Perillustribus et Generosis etc. Supremo et Vice-Comitibus N. N. Judlium, juratisque Assessoribus etc. toti denique Uniuersitati I. Comitatus Borsodiensis etc. Dominis nobis Gratosissimis, respectiue vero Colendissimis, Observedssimis. L. S. cer. alb. imp. Miskocz. Anno 1727. Die 17. Febr. In Grali Congreg. publicatae. — Ex originali Tabularij I. Comitatus Borsod. Spec. XXI. Fasc. VII. nro 886.

211. *Resolutio Suae Maiestatis in negotio Religionis ad praeinserta in formu diarii actorum subsecuta, et II. Comitatus transmissa. A. 1731.*

Carólus VI.— Demisse relata sunt nobis acta commissionis, art. 30. anni 1715. denotatae, quae nimirum anno 1721. in lib. et reg. ciuitate nostra Pestiensi inchoata; anno vero sequente in altera libera et regia ciuitate nostra Posoniensi reassumta et terminata fuit. Rite proinde ponderatis ac discussis materiis, in eiusmodi actis specificae ac vberius deductis, benigne visum fuit nobis hac vice sequentem eatenus clemen-

ter impertiri resolutionem: et quidem: „I. Benignam pientissimae memoriae imperatoris et regis Leopoldi, genitoris nostri desideratissimi, resolutionem, sub dato 2. Apr. anno 1691. typis mandatam, et suo modo publicatam, pro regis explanationibus articuloꝝ 25. et 26. anni 1681. et 21. anni 1687. per praecitatum art. 30. anni 1715. confirmatis, habendam, iuxtaque illam sensu art. 25. omnibus Aug. vel Helu. confessionis profitentibus regnicolis vbique concessum confessionis ipsorum exercitium, priuatum dumtaxat; dictamine porro sequentis art. 26. ad certa nonnisi loca restrictum memoratum exercitium publicum fore; ac exinde II. Praedicantes ad articularia dumtaxat loca, quoad confessionis suae erga hanc profitentes, tam ibi degentes, quam et aliunde eo confluentes, exercitium restringi; in talibus autem locis tot, quot necessitas et multitudo gregis exigit, ministros, praeuie tamen remonstrata istiusmodi necessitate, acceptaque desuper benigna regia concessione, iisdem admitti debere, qui ibidem aegrotos quoque ac captiuos visitare, iisdemque opera sua adesse poterunt. III. In locis porro non articularibus, neque plebeiae conditionis homines in domibus suis a librorum, confessioni suae deseruentium, pro se et familia sua propria-lectione, tamquam ad priuatum exercitium spectante, arcendi erunt; absque tamen eo, vt alios loci eiusdem incolas eorsum admittant. In quibus quidem non articularibus locis, licet ipsi quoque acatholici, quoad munia parochialia, romano-catholico parochio subsint; is tamen non audebit ab iisdem maiorem, quam a romano-catholicis, stolam desumere. IV. Jure terrestrium dominorum per articulos et praeallegatas explanationes in salvo relicto, hoc deinceps quoque admitti; eo tamen modo, vt, si terrestres Domini, quoad religionis negotium, in memorato nostro Hung. regno hoc, quid operari aut inmutare vellent, teneantur idipsum cum rationibus, eosdem ad hoc aut illud instituendum permouentibus, praeuie nobis, velut terrae principi et religionis defensori, humillime repraesentari facere, superindeque clementissimam dispositionem et ordinationem nostram praestolari. V. Superintendentes seu alterutram profitentes, superinde, in quot et qualibus locis eiusmodi superintendentem seu superiorem sibi admitti petant, apud nos instantiam fecerint, iisdem admittentur: quorum quidem superiorum muneris erit, moribus sibi subiectorum ministrorum inuigilare, ac in excessiuos condigne etiam animaduertere. In reliquo autem acatholicorum ministri in causis profanis iurisdictionato seculari magistratui, ac in hoc dumtaxat, vt constet, num eiusmodi ministri suos rite baptisent, seu ad valide baptizandum sufficienter sint instructi, etiam visitationi et examini archidiaconorum catholicorum subesse debebunt. Matrimoniales porro causae, fundamento posituarum regni legum, iudiciis dioecesanorum episcoporum ita substerni, vt hi illas plane iuxta principia Aug. et Helu. confessionis diiudicent; admissa inde ad archiepiscopum appellatione. VI. Apostatae demum, praecipue dum quis ex Aug. et Helu. confessioni addictis catholicam fidem praeprimis amplecteretur; dein vero ab eadem deficiendo, rursus eo redire attentaret, graui arbitraria poena per iurisdictionatum secularem magistratum sunt puniendi: antequam tamen eiusmodi arbitrariae poenae effectiue infli-

gantur; de casu in casum desuper praeuie ad aug. aulam nostram mittenda erit relatio. VII. Ut disparis religionis homines, tam in articularibus, quam non articularibus locis, praecise coram parcho loci catholico matrimonium inire possint admitti. VIII. Feriae porro et festiuitates catholicorum etiam ab acatholicis, quoad publicum et forum externum celebrari; mechanici item, fundamento priuilegiorum suorum, consuetis processionibus interesse debebunt. IX. In materia demum iuramenti, a profitentibus Aug. et Helu. confessionem deinceps in praefato nostro Hung. regno desumendi, clementer decerni, vt iudices alique, officia tenentes, prouti et advocati interea, et donec aliud statuatur, iurent ad formulam decretalem, expressis nempe verbis Deiparae virginis ac Sanctorum; a testibus autem desumatur iuramentum in forma vulgari, ne cursus iuridicus, tam ciuilis, quam criminalis, remoram patiatur. Ceterum contrauentiones quasuis, in materia religionis hucusque factas, pro hac adhuc vice obliuioni tradi. Quodsi tamen in futurum alterutra partium, seu quicumque priuatorum regnicolarum benignis resolutionibus et dispositionibus nostris, in praeallegato religionis negotio interuentis, priuata auctoritate contrauenire, et siue catholicus acatholicum, seu acatholicus catholicum eatenus turbare et molestare attentaret, poena conueniente, ad instantiam fisci nostri regii desumenda, irremissibiliter punientur: deinceps porro si quis priuatorum in persona vel causa religionis se grauatum existimauerit; de super suo priuato et communi nomine, ad regiam dumtaxat Maiestatem pro remedio recurrat. „Quam benignam resolutionem nostram fidelitates vestrae vniuersis regni comitatibus intimare, hocque modo pro singulorum notitia et directione publicare nouerint. — Datum Viennae Austr. die 21. mensis Martii, anno Domini 1731. Carolus. C. Ludovicus de Bathián. Elias Vanjeczy.“ Ex mand. Reg. p. 22.

Huic sententiae Regiae Acatholici non acquieuerunt, neue ad decretalem iurandi formulam cogerentur, supplices facti sunt. Quaedam etiam Catholicis displicuerant; vnde Mich. Frid. Athanius ad Comitatum Pest. suam dedit contestationem.

212. *Excelsum C. R. L. constitutionem regiam super libero religionis exercitio republicat. A. 1731.*

Prudentes ac Circumspecti, nobis honorandi! Actis Commissionis articulo 30 anni 1715. denotatae, quae nimirum anno 1721-mo in libera et regia ciuitate Pestiensis inchoata, anno vero sequente in altera libera et regia ciuitate Poseniensi reassumpta, et terminata fuit, suae Maiestati sacratissimae demisse relatis, materiisque in iisdem specificis, ac vberius deductis, rite ponderatis, ac discussis habitis, benigne visum eidem suae Maiestati sacratissimae hac vice sequentem eatenus clementer impertiri resolutionem. Et quidem:

Primo: Benignam Pientissimae memoriae Imperatoris et Regis Leopoldi resolutionem sub dato 2dae Aprilis anno 1691. typis mandatam, et suo modo publicatam, pro regii explanationibus articulo 25. et 26. anni 1681. et 21. anni 1687. per praecitatum articulum 30. anni 1715. confirmatis habendam, iuxtaque illam, sensu antelati articuli 25. omnibus Augustanam et Helueticam confessionem profitentibus

regnicolis vbique concessum confessionis ipsorum exercitium, priuatum duntaxat: dictamine porro sequentis articuli 26. ad certa nonnisi loca restrictum, memoratum exercitium publicum fore, ac exinde Secundo: Praedicantes ad articularia duntaxat loca, quoad confessionis suae erga hanc profitentes, tam ibi degentes, quam et aliunde eo confluentes, exercitium restringi, in talibus autem locis tot, quot necessitas et multitudo gregis exigit, ministros praeuie tamen remonstrata istiusmodi necessitate, acceptaque desuper benigna regia concessione iisdem admitti debere, qui ibidem aegrotos quoque, ac captiuos visitare, iisdemque opera sua adesse poterunt. Tertio: In locis porro non articularibus, neque plebeae conditionis homines in domibus suis a librorum confessioni suae deseruentium, pro se et familia sua propria lectione, tanquam ad priuatum exercitium spectante arcendi erunt, absque tamen eo, vt alios loci eiusdem incolas eorsum admittant, in quibus quidem non articularibus locis, licet ipsi quoque acatholici, quoad munia parochialia, romano-catholico parrocho subsint, is tamen non audebit, ab iisdem maiorem, quam a romano-catholicis stolam desumere. Quarto: Jurè terrestrium dominorum per articulos et praeallegatas explanationes in saluo relicto hoc deinceps quoque admitti, eo tamen modo: vt si terrestres domini, quoad religionis negotium in regno hoc quid operari, aut immutare vellent, teneantur id ipsum cum rationibus, eosdem ad hoc, aut illud instituendum, permouentibus, praeuie regiae suae Maiestati, velut terrae principi et religionis defensori, humillime repraesentari facere, superindeque clementissimam dispositionem et ordinationem eiusdem Caesareo-Regiam praestolari. Quinto: Superintendentes, seu superiores Augustanae et Helueticae confessioni addictorum, vbi modo factarum confessionum alterutram profitentes, superinde in quot et qualibus locis eiusmodi superintendentem, seu superiorem sibi admitti petant, apud suam Maiestatem sacratissimam instantiam fecerint, iisdem admittentur: quorum quidem superiorum muneris erit moribus sibi subiectorum ministrorum inuigilare, ac in excessiuos condigne etiam animaduertere, in reliquo autem acatholicorum ministri in causis profanis iurisdictionato saeculari magistratui ac in hoc duntaxat vt constet num eiusmodi ministri suos rite baptisent, seu ad valide baptisandum sufficienter sint instructi, etiam visitationi et examini Archidiaconorum catholicorum subesse debebunt. Matrimoniales porro causae, fundamento posituarum regni legum iudiciis dioecesanorum episcoporum ita substerni, vt hi illas plane iuxta principia Augustanae ac Helueticae confessionis diiudicent admissa inde ad archiepiscopum appellatione. Sexto: Apostatae demum praecipue, dum quis ex Augustanae et Helueticae confessioni addictis catholicam praeprimis amplecteretur, dein vero ab eadem deficiendo rursus eo redire attentaret, graui arbitraria poena per iurisdictionatum saecularem magistratum sunt puniendi, antequam tamen eiusmodi arbitrariae poenae effectiue inflgantur, de casu in casum, desuper praeuie ad Augustam Aulam mittenda erit relatio. Septimo: Ut disparis religionis homines tam in articularibus, quam non articularibus locis, praecise coram parrocho loci catholico matrimonium inire possint, admitti. Octauo: Feriae porro et festiuitates catholicorum etiam ab acatholicis, quoad publicum et forum externum celebrari,

mechanici item fundamento priuilegiorum suorum, consuetis processionibus interesse debebunt. Nono: In materia demum iuramenti a profitentibus Augustanam vel Helueticam confessionem, deinceps in praefato hoc Hungariae regno desumendi clementer decerni, vt iudices, aliique officia tenentes, prouti et aduocati, interea et donec aliud statuatur iurent ad formulam decretalem expressis nempe rebus Dei parae virginis ac Sanctorum, a testibus autem desumatur iuramentum in forma vulgari, ne cursus iuridicus tam ciuilis, quam criminalis remoram patiatur. Ceterum contrauentiones quasuis is materia religionis hucusque factas pro hac adhuc vice obliuioni tradi, quodsi tamen in futurum alterutra partium, seu quiscunque priuatorum regnicolarum benignis resolutionibus et dispositionibus Caesareo-Regiis in praeallegato religionis negotio interuentis, privata autoritate contrauenire, et siue catholicus acatholicum, seu acatholicus catholicum eatenus turbare, aut molestare attentaret, poena conueniente ad instantiam fisci regii desummenda irremissibiliter punietur; deinceps porro si quis priuatorum in persona, vel causa religionis se grauatam existimauerit, de super suo priuato et non communi nomine ad regiam duntaxat maiestatem pro remedio recurrat. Quam benignam suae Maiestatis sacratissimae resolutionem, eidem ciuitati horum serie pro congrua notitia et directione, debitaque sui accomodatione intimandum habuit regium locumtenentiale hoc consilium. Datum Posoni. Ex Consilio Regio Locumtenentiale die 6. mensis Aprilis anno Domini 1731. celebratr eorumdem beneuoli Comes Nicolaus Pálffy mpr.

213. *Mich. Fridericus ab Altheim sententiae praemissae regiae intercedit. A. 1731.*

Augustissime, Potentissime, ac Inuictissime Romanorum Imperator, nec non Hispaniarum, Hungariae ac Bohemiae Rex, Archidux Austriae, etc. Domine Domine clementissime! Innatae pietatis Maiestatis Vestrae clementissima dignatione, Inuictissime Caesar, mihi concessum est, vt de rebus Hungaricis, ad religionem Romano-catholicam, spectantibus, dissererem, et ea grauitate, quae episcopum deceat, et ea modestia et obsequio, quae addictissimum subditum non dedecent, alloquor meum Principem, cui ex auita domus Austriae deuotione aprime insidet religionis amor; alloquor Apostolicum Hungariae Regem meum, cui ex sanctorum praedecessorum feruore plene connectitur fidei propagandae perenne studium et decus; alloquor summum Ecclesiae Aduocatum, cui assidua cura inest, tutamen parare, et ad triumphos tam piam matrem erigere. Vnde sita spe deiici quis pauebit, quin protinus imploratum patrocinium, robur et opem religioni, pietati, ac fidei Maiestatem Vestram laturam iucundissime sentiat? Statim ac per Regium Locumtenentiale Consilium prodire nonnulla puncta, ad acatholicos Hungariae incolas spectantia, fateor me anino concidisse, quum ouile, mihi commissum periclitari, pertimescerem et virus pestiferum haereticae prauitatis quaqua versus serpere cogitarem. Perstrepente igitur conscientia et insonante voce Domini per Ezechielem prolata cap. 37. „Haec dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu

eorum;“ quem quaerere fas fuit, vt episcopali muneri, et ouium mearum periculo praesto essem: Quoniam mihi ex tabulis et monumentis Hungaricis compertum esset, qua semper vi ac libertate praesules huius Hungarici regni gliscentibus Haereticis restiterint; illorum vestigiis insistere, mei muneris esse duxi. Cardinalis Forgáchius olim A. Episcopus Strigon. et Regni Primas, vna cum Episcopis et Cleri ordinibus, contra Pacificationem Viennensem anno 1606. cum Haereticis initam, aequae lachrymis et atramento exaratam protestationem ad Rudolfum, pro incolumitate religionis Romano-Catholicae feruentissime dedit; eodemque exemplo vsi sunt etiam posteriori aetate successores episcopi eiusdem regni, vt notum palam est; ex actis nempe in art. XXVI. 1681. et art. XXI. 1687. et ex articulo anni 1715. quae omnia illustrato probantur testimonio, quod egregie profert D. Ladislaus Adamus e Comitibus Erdödy, Episcopus Nitriensis, in epistola data ad exc. Cons. L. R. sub die XVIII. Octobris anno 1731. — Haec recensere oportuit clementissime Caesar, vt Maiestas Vestra et praecedentium et modernorum Hungariae Episcoporum angustias, anxietatesque recolere dignaretur, quum gregi catholico et apostolico regno periculum parari animaduertent, ex indulgentia in haereticos effusa. Indeque si cura quavis me angit, dum eadem et maiora recurrant incommoda, ac religioni impendent mala, Vestra saltem Maiestate audiente, ac commiserante, levabor, quum eadem et praeteritorum praesulum sit, et mei sollicitudo pastoralis officii. Et sane, si puncta, aut articuli per Consilium L. R. postremo vulgati perpendantur attentius; fiet planum quantum catholicam Hungariae auitam religionem concutiant, catholicisque gregibus perniciem minitentur. Hac de re ad Maiestatem Vestram orationem demississime instituo; confirmatis in primo puncto antiquioribus diaetalibus statutis, de concessa Haereticis siue Augustanae, siue Helueticae confessionis libertate, et si nunquam moriturae, contra illa vigeant repetitae Episcoporum, clerique reclamaciones, ac feruentes protestaciones. Noua extenditur in sequentibus punctis de quibus nunc agitur, facultas: vt plures haereticos ministros, ab aula regia, impetrare ipsi haeretici valeant, aegrotosque captiuos visitare non prohibeantur. Superintendentes exmittuntur, qui ministros in secta dirigant et regant. Compelluntur A catholici, vna cum catholicis sacris consuetis processionibus interesse; et admittitur, vt homines disparis religionis coram parochio catholico copulari sinantur. Haec breuiter in primo, et sequentibus punctis diaetalibus sparsim comprehenduntur. Satis constat, huius generis statuta, quo ampliora pravae confessionis hominibus priuilegia elargiri gestiunt, eo angustius reddunt Episcopale et Ecclesiasticum munus ac regimen. Subsunt pastorali sollicitudini et oues catholicis imbutae disciplinis, et oues haereticae labe infectae; illae vt dirigantur, ne pereant; istae vt sanentur, et vt eas ad ouile reuocare satagamus. Sed quorsum potestas est, eas ad caulas ecclesiae reducendi, si labor impendendus contrariis sonuitur beneficiis; confirmantur haeretici in errore ac schismate, quod in Ecclesiam conflant, dum suis committuntur praesidibus; augentur vires, quibus petulantia quodcumque imperium detrectare conantur. Subiici Parochis haereticos, in coniugiorum ministerio ad catholicos eos ritus cogere, vt externum famulatum praestent?! Nonne mar-

garetas canibus proiicere nefas est, illorumque ludibria ciere? Vtinam super nos non luceat adhuc Isaias capite 22. versu 9. quum periculum exhibet dicens: „Erga scissuras ciuitatis videbitis, quia multiplicatae sunt.“ Longe tamen acerbius angit episcopale ministerium Vtum punctum; quo intolerabile ipsi iugum imponitur, iudicandi causas matrimoniales inter haereticos, exorituras, iuxta eorum principia. Apello piissimum aequae ac catholice caesarem, si hanc possit institutionem ferre ius Ecclesiasticum, Religio, fides (vt sileam de dignitate catholici Antistitis, et venerabili nomine); ast cuiusmodi sunt haec haereticorum principia? Quenam iura eorum ac leges? Discimus enim ab Ambrosio serm. 20. in Psal. 118. „Quod bonus Judex nil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges et iura pronunciat.“ Discimus a communi doctorum coetu, iudicem ad iudicandum obstringi, iuxta leges publicas, diuinas et humanas, quae rationi conformes, semper ad communem reipublicae utilitatem et bonum conferunt. An huiusmodi sint principia Haereticorum Augustanae et Helueticae confessionis? vnum est enormiter a naturali dictamine abhorrens, de dissolubilitate vinculi matrimonii, in aliqua rerum contingentia: Lutherus, Philippus Melancthon, in adn. ad c. 5. Matth. Brencius in confessione Wirtemb. de coniug. Calvinus in cap. 19. Matth. Tumnitz. in II. parte exam. p. 1249. caeterique eiusdem furfuris Doctores, pertinaciter tradunt, ex causa adulterii vinculum matrimonii solui posse. Idem Lutherus serm. de matrim. instituit: Matrimonium inconsultis parentibus celebratum debere ac posse solui; illi adstipulantur Bucerus in cap. 19. Matth. Brencius in cath. super quarto praecepto, Kemnitz in II. par. Exam. p. 1279. Eandem doctrinam profert Lutherus: Si falsus christianus christianam coniugem deserat, vel si alter coniux alterum ad furtum, aut aliud crimen prouocet, vel si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio cum priore coniuge, vel si alter coniugum diu absit ab altero, vel si pauper cum diuite contrahat, et conuiuere impediunt amici, et affines diuitis, pauper ex Lutheri sententia ad alias nuptias conuolare potest. Haec et alia leguntur apud Lutherum in libro edito anno 1529. in cap. VII. eius L. ad Corinth. in libro de causis matrimonior. edito 1530. Neque hic subsistit errandi auriga, si quidem Bucerus in cap. 19. Math. pronunciat, matrimonium soluendum esse, quoties vnus ex coniugibus alteri stomacho est, quacunque ex causa id contingat; perinde ac si matrimonium nugacibus soleat contrahi verbis, ac per iocum celebrari; contemnunt haeretici ecclesiasticas leges, quibus etiam imperiales suffragantur, decernentes impedimenta dirimentia matrimonia, vltra ea, quae diuino iure interdiciuntur; — et similia alia commenta enomunt in perniciem societatis humanae, quorum quidem longum foret seriem texere, ac refellere. Portenta siquidem erroris haec sunt, non principia sequenda. Verum principium hoc verum est; a concilio Tridentino sub anathemate definitum; quod legitur sessione XXIV. de sacramento Matrimonii canone 7. in haec verba: „Si quis dixerit, ecclesiam errare, quum docuit, ac docet, iuxta Euangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonii vinculum non posse dissolui; et vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse; altero coniuge viuento, aliud matrimonium contrahere,

moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alteri nupserit; anathema sit." Aliud itidem verum principium est: quod ab eodem traditur concilio de Matrim. cap. I. de reform. in haec verba: „Jure damnandi sunt illi, qui false affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et ea parentes rata et irrita facere posse." Sed quod pluris est, habemus hac de re ipsius Christi amplissimum testimonium, quum Marci 10. Lucae 10. de matrimonii indissolubili lege dissereret: Rogatus a Pharisaeis, an liceret vxorem dimittere quacunque causa? respondit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et iterum a discipulis pressius interrogatus, ait illis: Quicumque dimiserit vxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si vxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur." Evertit Christus vna cum Pharisaeis haeticorum commenta, qui erroneas et scandalosas quaestiones in ecclesia excitando, plebem et pastores tentare moliantur. Ad Scripturam igitur et traditionem mittendi sunt, vt discant regulas et principia, ad quae omnia dogmata, siue ad fidem, siue ad disciplinam pertinentia, examinari et iuxta illa iudicari debent. Non mores hominum, non consuetudo, etiam tolerata, sed, lex Dei, Euangelium, Apostoli, consulta SS. Patrum, sacri canones, in re tam graui, consulendi sunt, et omnia ad fontem reuocanda. „Qui enim ad inventionem (testis est Irenaeus lib. III. cap. 51.) missi erant errantium Apostoli, et ad visionem eorum, qui non videbant, et ad medicinam languentium: Vtique non secundum praesentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si coecos iamiam ad praecipitia ferri incipientes, adhortantur illi insistere periculosissimae viae; quasi vero recte, et quasi bene peruenturi sint. Non igitur Christus iamiam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionum interrogationem respondebat eis, sed secundum doctrinam salutarem, et sine hypocrisi, ac sine personae acceptatione; nihil certius ad rem nostram: grauissimum crimen est violare matrimonii fidem, cuius Deus author est; Christus exemplar, Spiritus S. vinculum: quam hanc fidem, ipsius matrimonii finis perpetuus, liberorum educatio, pax familiae, bonum reipublicae, necessario religiose, inuiolabiliter seruari volunt ac iubent. Adulteri et quomodocunque fide fragi, solutionem vinculi meditantur. Infidelitate sua, arrogantia et iniustitia, Christum et Ecclesiam singulariter inhonorant, quum violare intendunt vnionis Christi, et Ecclesiae sacramentum, et imaginem, dicente Apostolo ad Ephes. 5. v. 32. „Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico vobis, in Christo et in Ecclesia." Non me latet Potentissime caesar plurimos ex haeticis nostri temporis matrimonio eripere vim et nomen Sacramenti, alios, etiam orthodoxos doctores contendere, Matrimonium inter haeticos initum ad sacramenti apicem non, eleuari. Sed primum a quocunque catholico, nedum Antistite, reprobari debet; alterum ad propositam controuersiam parum aut nihil refert. Esse quidem sacramentum, quum secundum concilii Tridentini celebrem sanctionem in Ecclesiae facie initur; nullus dubito; sed in eo causae firmamentum minime collocandum duco, ob Theologorum hac in re dissitas opiniones; negare tamen, quod matrimonium etiam iuxta legem natura-

lem, in vi contractus ciuilis semel ac legitime, contractum sit, indissolubilitatem vinculi secum ferat, summa perniciosa est, eo vel maxime, quum ab Euangelicis, ficto nomine se ita nuncupantibus, misere euomitur: „Erunt duo in carne vna,“ ex lib. Genes. pronunciatum Christus Magister et Legislator noster, Math. 19: „Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Non legistis (non causae, doctrinae et exemplum) quia qui fecit hominem ab initio masculum et foeminam fecit eos.“ Diuum audio Ambrosium in haec verba disserentem lib. VIII. in Lucam: „Sed fortasse dicet aliquis: quomodo Moyses mandauit dari libellum repudii, et dimittere vxorem. Sed qui hoc dicit Iudaeus est, qui hoc dicit Christianus non est. Moyses permisit, non Deus iussit; ab initio autem Dei lex est: quae est Lex Dei? „Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit vxori suae, et erunt ambo in carne vna. Ergo qui dimittit vxorem, carnem suam scindit, diuidit corpus.“ Legenti Ambrosii sententiam palam fiet, de quacunque solubilitate matrimonii sermonem texere, et non tantum de iudaica, quatenus ex sacris sanctionibus firmitas non laxetur coniugii. Itaque ab istis, non ab hominum opinione, multo minus ab haereticorum figmentis, petenda erit matrimonii solutio. „Manet matrimonium, ait Tertullianus lib. IV. con. Marcionem, cap. 25. quod non rite disruptum est.“ — Num quid decet Episcopum sua iura transgredi, vt morem gerat haereticis, conantibus, Deum et naturam, eorumque leges peruertere? Terret me, terret omnes, et nimis iuste illa Ambrosii sententia, qua homines adeo vacillantis animi, cuius sunt haeretici, ex corde increpat loco citato, dicens: „Dimittis ergo vxorem, quasi iure, sine crimine; et putas id tibi licere, quia humana lex id non prohibet; sed diuina prohibet; qui hominibus obsequeris, Deum verere, Audi legem Domni, cui obsequuntur etiam, qui leges ferunt: „Quae Deus coniunxit, homo non separet.“ — Satis superque fateor de iniuria nobis, imo quibusuis iudicibus catholicis illata, actum est, qua trahuntur ad ferendum iudicium, super haereticorum coniugiis, ex illorum principiis. Nunc postreme oculis maiestatis vestrae subiiciam sextum punctum decreti consilii R. L. in quo Apostatae, praecipue ex haeresi primo conuersi ad fidem catholicam, iterumque ad haeresim reuertentes, poenis arbitrariis plectendi Magistratui saeculari admittuntur. Labat hoc decreto Episcopalis potestas, resque Ecclesiae pessum eunt, imo animabus lucrands semita intercluditur: compertum omnibus est, causas fidei ad Ecclesiasticum spectare tribunal, vt omnibus canonicis legibus sancitum est: quas recensere superuacaneum puto: cum notissima res sit. Inter causas autem fidei apprime numerari debet illa Apostatarum, quorum crimen turpissime offendit religionem catholicam; sicuti pariter exploratum est, porro ex legibus Hungaricis, ab ipsis exordiis regni, nempe a S. Rege Apostolico, Stephano, statutum fuisse, legimus: Lib. II. decr. cap. R. in haec verba: „Vt episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas prouidere, regere et gubernare, atque disponere, secundum canonum auctoritatem.“ Eandem explicat ac confirmat Ferdinandus I. anno 1553. art. 22. in haec verba: „Iudicia Spiritualia continue secundum canones, quibus ecclesia ab antiquo vsa est continentur, in omnibus causis forum ecclesiasticum concernenti-

bus.“ Quod rursus repetitum legere est anno 1563. art 28. Dimissam itaque credimus potestati episcopali illam auctoritatem, iurisdictionemque, quam sibi iure ex canonicis sanctionibus catholici Praesules vindicant: quis autem excipiet causas fidei, quales sunt causae contra Apostatas, definiendae; quis contra sacros canones, quis contra aliqua Hungariae statuta, quis contra laudatos insignes Apostolicos Reges iniuriam retorqueat? Illud etiam sedulo aduertendum est, quantum videlicet ex hoc decreto iustitiae, fidei, bono communi, et animarum lucro, damnum importetur: Judex saecularis culpam poënis vliscatur, sed saluti aeternae criminosis curationem non adhibet. E contra ecclesiasticus iudex, primo ac potius prospicit, vt peccator ex corde respiscat, quam vt promerita poena reatum purget, et absoluat. Hinc sacri canones ad salutarem peccantium contra fidem correptionem plurimum intenti, consulto hanc prouinciam animaduertendi in haereticos et Apostatas Episcopis demandarunt; quorum itaque tam venerandum iudicium pastoribus animarum eripitur, vt neglecta qualitate culpae adeo enormis, poena arbitraria Apostatae plectantur, ex incompetenti tribunali: quum poena in exemplum cedat aliorum, et modus poenae animae delinquentium medelam accersat. Suum itaque maneat episcopis ius, vt vbi res animarum aguntur, sit munus pastoralis sollicitudinis, disceptare, et decernere: Episcopi enim ad auertendam a sontibus aeternam perniciem (vt verbis vtar Gregorii Nazianzeni Homilia in Euang.) desperant, sed non desperantes persecutionem commouent, sed amantes; quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant.“ Haec sunt Sacratissime Caesar, quae ex munere meo explanare debui, et Maiestati Vestrae humillime exponere. A statutis Hungaricis, a more Maiorum, in pastoralis regimiae eiusdem regni, ab obsequio perenniter regi meo debito, non discessi. Quid igitur dulcius mihi contingere potuit, quam vt clamarem ad piissimum Imperatorem, et Apostolicum Regem, Ecclesiaeque fortissimum Aduocatum, cui nihil antiquius est, quam religionis causas audire, eiusdemque incolumitati prospicere: causa igitur omnibus iuris praesidiis munita agitur, de euertenda haeresi, ac profligandis haereticis; de quibus probe scripsit Apostolus II. ad Timoth. 3. „Mali autem homines et seductores proficient in peius, errantes, et in errorem mittentes.“ Ab his malis nisi brachium Maiestatis vestrae nos eripiat, et gregem nostrum, cuncti dilabimur, sub tot hostium catholici nominis perpetuis insidiis. Incrementum illorum, detrimentum nostrum est; et si misereamur impio, non discet iustitiam; vt de his prophetauit Isaias cap. 26. Euersio religionis catholicae ad euersionem regni sternit viam; atque experientia compertum est, dissidiis frangi, quod vnitae firmitate firmatum. Ex-
tende igitur, potentissime caesar, brachium tuum cum potentia; dissipa gentes, quae bella volunt aduersus doctrinam Ecclesiae catholicae; instrue Episcopos, vt sua potestate euellant et destruant, aedificent ac plantent, in hac, qua fruimur pace; ne permittas, obsecro, vt vna cum suo grege Pastores exclamare debeant: Pax, pax; cum non esset pax; ne ingemiscere cogamur, dicentes: Exspectauimus pacem, et non erat bonum tempus medelae, et ecce formido.“ Et quoniam hucusque peruenit oratio mea: Clementiam Maiestatis vestrae exoro, vt benigne accipiat sollicitudinis pasto-

ralis officium, quo creditum mihi gregem complector; et in argumentum fidelitatis meae, qua obstringor erga Maiestatem Vestram, studium meum non aliud est quam bene consulere subditis suis, propuloque diuina largitate Domino suo Apostolico feliciter commisso; atque candide proferre verbum sanum et irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est vereatur. Oportet enim episcopum esse, iuxta monitum Apostoli, amplectentem eum, qui secundum doctrinam, est fidelem sermonem vt potens sit, exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Illius minae me angunt, qui Angelo, id est Episcopo Tyralliae, denunciare iussit rationem redditurum esse, qui permittis, ait mulierem Jesebel (haeticam scilicet prauitatem, iuxta plures SS. Patres) quae se dicit prophetiam docere et seruos meos seducit;“ seruos quidem illius, qui propitiatorio suo sanguine regenerauit nos in spem viam, in haereditatem incontaminatam, immarcescibilem, conseruatam in coelis. Interim Maiestati Vestrae, omni, qua multifaria teneor animi demissione, ac deuolutione, spe grandi instructus me committo. Sacratissimae C. R. et Catholicae Maiestatis Vestrae humillimus, deuotissimus, et obsequentissimus Seruus et Capellanus, Michaël, Fridericus, Cardinalis ab Althan, Episcopus Vaciensis.“ — Ex archiuo Episcopali Vaciensi.

Idem Fridericus ab Altheim, sententiae regiae praemissae etiam apud Cot. Pest intercedit. Anno 1731.

Michaël, Fridericus ab Altheim, Card. Episcopus Vaciensis. — Quum per epistolam Consilii R. locumtenentialis diebus retro elapsis, ad me peruenerint nonnulla in materia religionis, fundata in aliquibus articulis diaetalibus, vt inibi innuitur, contra quos non solum clerus, sed totus status catholicus regni se opposuerunt: quae non sine acerbitate et horrore, simul animi mei perlegi, vtpote in eis contenta, quae catholicae fidei, diuino cultui, animarum saluti, et apostolicae sedis auctoritati, iurisdictioni, libertati, priuilegiis, praerogatiuis, ac iuribus quibuscunque officiant, et diametraliter opponuntur; hinc est, quod etiam inhaerendo protestationibus, paractis a praefato clero toto et statu catholico regni, contra praeiudicia non dissimilia orta de anno 1608. signanter vero per diaetalem art. 25. anni 1681. et omnes alios subsequentes, in negotio religionis, vt pastoralis officii mei grauissimo debito, pro quibus mihi commissis, pretiosissimo Christi sanguine redemptis, satisfaciam, per praesentes coram SS. Trinitate, et BB. V. Maria, sine labe concepta et omnibus Sanctis, totaque inclyta vniuersitate Comitatum Pest, Pilis et Solth, articulariter vnitorum, in Ciuitate Pestiensi solemniter congregata, solemniter protestor contra omnia et singula praeiudicia, quae inferre, aut intulisse, vel alias nocere, seu nocuisse, quomodolibet dici, censi, praetendi, vel intelligi possent, simul et singula inde sequuta, et quomodocunque secutura ipso iure nulla, irrita, inualida, iniusta, reprobata, et ab ipso initio fuisse et esse, ac perpetuum fore, nec ad eorum obseruationem vllum catholicum meae dioecesis teneri; imo nec contenta in illis vllatenus a quopiam obseruari potuisse ac debuisse, aut posse vel debere; neque illa vllum statum facere vel fecisse; sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non exstan-

ibus et non factis, perpetuo, quantum in me est et per nostros diaecesanos haberi volo; et iterum hic solemniter protestor; et interim per praesentes appello ad SS. pontificem nostrum in terris Jesu Christi vicarium, dominum Clementem, diu. prou. PP. XII. eiusque sacram sedem Apostolicam, quae in materia fidei sola infallibiliter, vtpote columna et firmamentum veritatis, discernere, declarare, decidere ac definire nouit: cui ego omnimode et firmissime adhaereo, et obedientissime me submitto. Datum in episcopali Ciuitate Vacienti, die XXIII. Maii anno 1731.“ E copia autentica.

214. *Carolus R. H. feruens Episcopi Vacientis, rem catholicam tuendi studium, reprobat. A. 1731.*

Carolus VI. — Innotuit nobis, Cardinalem ab Althaim in haud pridem habitum istius (Pest) Comitatus vestri congregatione, certam quamdam protestationem super statu Aug. et Helu. confessionem profitentium regnicolarum exhiberi fecisse: quo intellecto, vobis clementer hisce ac serio committimus, vt eiusmodi protestationem in originali, prout nimirum vobis exhibita fuit, nobis medio Cancellariae Hungarico-Aulicae incunctanter submittat, et, si etiam super exhibitione illius quaequam a vobis nomine praefati Cardinalis desiderarentur testimoniales, easdem nullatenus extradare debeatis. — Datum in Ciuitate nostra Vienna Austr. die III. mensis Aug. anno 1731. Carolus Adamus Acsady, Ep. Wesprim. Petrus Végh. Apud Ribini l. c. Parte II. p. 266.

Subiicit idem Ribinius: Caesari, dicto audiens, mittit illico scriptum Cardinalis Viennam: vnde illud nonnullo post remissum est, cum mandato: vt quoniam Episcopus Vacientis ad binariam citationem non comparuisset, a debitaque obedientia recessisset, praeter sequestrationem omnium honorum, vbiuis ex collatione regia possessorum, seditiosum eius scriptum, in origine remissum, laceretur. Fecit imperata Comitatus: scriptum Cardinalis ad diem 3. Septemb. in congregatione generali laceratum est.“

Idem Carolus Episcopatum Csanadiensem, Banatu reuindicato, gloriose restabilit, seu potius nouiter instituit. A. 1731.

Nos Carolus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae et Bohemiae, Dalmatiae et Croatiae, Slauoniae et Seruiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, ac Vürtembergae, superioris et inferioris Silesiae, Marchio Morauiae, superioris et inferioris Lusatae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae etc. Notum facimus, et tenore praesentium memoriae commendamus, quorum interest, vniuersis, quemadmodum Augustae Domui nostrae antiquius nihil vnquam fuit, quam in ditionibus a Diuino numine sibi concreditum debitum Deo cultum, Romanamque Catholicam, et orthodoxam fidem magis semper magisque promouere, sicuti aliud e obligaminis, ita et praecipuae Curae nostrae esse duximus, vt in prouinciis Deo summo auspice Bello superiori Turcico per iusta victricia arma nostra recuperatis, atque has

inter etiam Banatu Temesiensi potestati nostrae restituito ad implantandum, propagandumque eiusdem diuini numinis cultum, nec non Romanae Ecclesiae et orthodoxae fidei incremento, et in salutem ac solatium plurimarum ibidem sub iugo antehac Turcico verae fidei lumine destitutarum animarum spiritualia restaurentur omnia, condignusque restabliatur Ecclesiae Romano-Catholicae antistes; in quem porro finem mox vbi compertum fuerat, dictum Banatum Temesiensem circa Religionem et spirituales Jurisdictionem Romano-Catholicam Episcopatus Csanadiensi olim cohaerentem fuisse, pro exercenda Episcopali Jurisdictione, et functione in praefato Banatus Temesiensis Districtu Episcopum eorum Csanadiensem Comitem Ladislaum Nádasy benigne nominauimus et constituimus, post huius itaque nuperum e viuis decessum non minori sollicitudine in id ferebamur, vt talem in antistitem illarum partium eligeremus successorem, a cuius religioso zelo, suauitate morum, prudentique Ecclesiasticarum rerum tractandarum vsu sperare nobis liceat adaequatum piis intentionibus nostris responsurum fore effectum, habita proinde ratione, quod tam isthae mox recensitae, quam et complures aliae commendabiles circumstantiae in persona honorabilis atque deuoti fidelis nobis Dilecti Ecclesiae Campidonensis Decani et Praepositi in Grönenbach Adalberti Baronis a Falkenstein iam antehac resoluti Episcopi Csanadiensis concurrant, consideratisque non minus propriis, familiaeque suae insignibus meritis, ac notanter a defuncto eiusdem fratre nostro quondam supremo equitatus magistro Barone a Falkenstein per quadraginta annos strenue praestitis fidelibus, ac multifarie vtilibus seruitiis, quam et eximia ipsius scientia, ac doctrina, nec non vita exemplari, proba morum integritate, atque a tot annis in Imperiali Abbatia Campidonensi laudabiliter perfuncto Decani munere, indeque perspecto rerum agendarum vsu, vti et aliis conspicuis tali antistite dignis animi dotibus, et ornamentis eundem Baronem a Falkenstein qua Episcopum Csanadiensem pro exercenda episcopali Jurisdictione in dicti Banatus Temesiensis districtu nos auctoritate nostra Caesareo Regia clementer nominamus et constituimus, eumque praesentibus qua talem nominatum et constitutum haberi volumus, hac tamen sub declaratione, vt iurisdicchio illius Episcopalis vltra limites praefati Banatus Temesiensis nequaquam extendatur, verum talis per limites Banatus Tibiscum nempe, Marusium, Danubium et Alpes Transyluaniae, adeoque sine vlla extensione in Regnum Seruiae, aut principatum Transyluaniae, et districtus Vallachiae vel aliorum cincta, et terminata habeatur, eademque sua Jurisdicchio spiritualis in ipso Banatu Temesiensi inter Catholicos duntaxat, inque causis pure spiritualibus, Parochialibus nimirum, matrimonialibus, et aliis statum Ecclesiarum immediate concernentibus exerceatur, ibidem vero degentes graeco ritui addicti incolae in eorundem religione et fide, nisi quod bono exemplo, et doctrina citra violentiam induci possent, imperturbate relinquuntur, ac etiam iurisdictioni exercitium in spiritualibus super eadem in Banatu existente Graeci ritus gente constituto Metropolitanae iuxta tenorem suorum per nos benigne concessorum priuilegiarum omnimode liberum permittatur, ac illaesum; obligabuntur tamen iidem graeci ritus incolae in locis, vbi cum subditis nostris catholicis mixtim degunt, praeter dies dominicales, aliaque festa ab

ipsis aliunde celebrari solita cum catholicis, vti iuxta Calendarium Gregorianum incidunt, natiuitatis Domini, Paschatis ac Pentecostes diem primum in honorem religionis nostrae principis, vtpote dominantis debitum, et ad euitandum scandalum eousque ferriari, vt a publico et extra aedes peragi solito labore seruili, agricultura nempe, aliisque eiusmodi abstineant, libero caeteroquin eorum graeci ritus asseclis arbitrio concesso, si quis spiritualibus catholicorum functionibus debita cum reuerentia adesse, aut ipsam Catholicam Religionem sponte amplecti vellet. Porro in hocce Banatu Temesiensi non modo ipso supremo iure territoriali Maiestati nostrae competente, verum etiam vniuersis ibidem existentibus locis nobis qua Domino Terrestri immediate subiectis ius quoque Patronatus in restaurandis, dotandisque Ecclesiis et beneficiis, ac per consequens eorumdem Beneficiorum collatio nobis vnice ac priuatiue reseruatam maneat. Proindeque quemadmodum parochiae, aliaque beneficia ecclesiastica in eodem Banatu per nos qua Supremum Territoriale in simul, ac terrestrem Dominum successiue instaurabuntur, et dotabuntur, ita etiam indiuidua subiectorum ad eiusmodi beneficia Ecclesiastica per nostram ibidem constitutam administrationem pro quouis casu Aulae nostrae Caesareae praeuie proponi, indeque subsequenda approbatione temporali Episcopo Csanadiensi in ordine praesentari, ab eodem vero Episcopo praesentatum solum institui, nullum autem plane Beneficium Ecclesiasticum absque praeuio nostro praescitu, aut annuentia, vel vero quodsi ipse Episcopus citra consensus nostrum eiusmodi beneficia ecclesiastica per se fundare niteretur conferri, actus vero installationis vel per temperalem Episcopum vel per eiusdem delegatum secundum canones, moreque solemnitatibus in similibus obseruari consueto rite peragi, temporanea autem siue prouentus pro parochia, aut alia fundatione determinati nostri, qua supremi Domini et Patroni nomine per antememoratam nostram administrationem mediante suo deputato assignari, et tradi volumus. Quod vero eidem Dioccesano Temesiensi competentia temporanea, cum post tantum temporis interuallum, ac interuentas rerum vicisitudines (vbi idem Banatus Temesiensis vltra semiduo saecula sub continua barbarorum possessione exstitit, indeque Ecclesiastica penitus suppressa et eliminata fuerunt) de primaeva eiusdem Episcopatus fundatione sufficienter, ac genuine non constet, sed et idem Banatus maiori ex parte per schismaticos inhabitetur, et ob id etiam alia bona immobilia, aut incorporalia citra continuo metuendam alterationem, et confusionem haud assignari queant, praehabita horum omnium matura deliberatione temporali nostro Episcopo Csanadiensi praeter id, quo idem qua Episcopus Csanadiensis fruitur, ac gaudet, ob extensam eiusdem in Temesiensem Banatum iurisdictionem Episcopalem, ipsique incumbentem functionem, velut accrementum pro aequiualehti primaevae fundationis, et loco omnium reddituum Episcopali-um sub quocunque titulo, et modo eatenus praetensibilium adeoque per modum nouae fundationis, in parata pecunia quotannis quinque millia florenorum Rhenensium summam ex praefati Temesiensis Banatus prouentibus angaricalibus Ratis pendi taliter clementer resolimus: vt exinde quiuis pro tempore constitutus Episcopus Csanadiensis quatuor Canonicos (quorum primos duos Maiestati nostrae, alios vero duos ipsi

Episcopo denominare competat) praeterea quoque scholas, musicam, et Ecclesiae ministros intertenere, non minus Cathedralē Ecclesiam, quae nunc temporis Szegedini existit, in debito statu conseruare, ac paramenta subministrare teneatur, in quem finem ex praefata loco aequiualentis destinata quinque millium florenorum summa pro dictis quatuor Canonicis duo millia florenorum, notanter autem primo sexingenti quinquaginta, secundo quingenti quinquaginta, vltimis vero duobus cuius quadringenti floreni, porro pro intertentione musicorum, item Scholarum et Ecclesiae ministrorum, proque subministrandis necessariis Ecclesiae paramentis annuatim mille floreni, residua autem duo millia florenorum ipsi Episcopo vna cum aliis qua Episcopus Csanadiensis fruentibus emolumentis pro mensa Episcopali, adeoque libera eiusdem dispositione designati sint. Praeterea temporali quoque Episcopo accuratim quinquaginta orgiae ligni focalis, propriis tamen ipsius Episcopi caedendi, et inuehendi ex districtu Csanadiensis erga praeuie per Cameralis nostri ibidem praefectoratus officiales faciendam assignationem admittuntur. Caeterum pro habitatione dictorum Canonicorum Szegediensem domum annonariam resignari curauimus, simulque defuncto Episcopo indulsumus, vt necessarii structurae sumtus ex praefata pro intertentione Canonicorum, item musicae, Scholarum, et Ecclesiae ministrorum annuatim destinata termille florenorum summa a prima Maii Anni Milesimi Septingentesimi vigesimi primi, ad septimam vsque Augusti Anni Milesimi septingentesimi vigesimi tertii eorum restanti, vltoriusque lapsa, quousque nempe Canonici, musica, scholae, et Ecclesiae ministri actualiter constituti, denuo recipi impendique queant. Insuper et in eo annuimus, vt pro exstruenda tam eorumdem Canonicorum habitatione, quam etiam Residentia Episcopali Szegedini pariter stabilienda necessarii lateres a nostris ibidem laterariis fornibus eo pretio, quantum Aerario nostro constant, lignum vero ex illic existentibus trabibus salinariis pro exigentia gratis suppeditetur, penesque labores gratuitos in iuuamen ipsius Residentiae Episcopalis structurae per dicti praefectoratus Szegediensis subditos pro posse, sine tamen interruptione et defectu seruitii nostri, praestentur. Quod vero exstructionem parochialis, siue Cathedralis ibidem Ecclesiae, non secus ac habitationem pro ludimagistro attinet, eandem structuram Ciuitati Szegediensi ex ratione indulti ipsi Juris Patronatus, vt et intertentionem vnius Capellani commisimus, ac penes concessimus, vt pro subeundo parochi munere vnus ex Canonicis, quem memorata Ciuitas praesentabit, eatenusque consensum suum praebebit, constituatur. De reliquo autem resoluius, vt eidem Episcopo Csanadiensis etiam in ipsa Ciuitate Temesiensi pro congrua sua habitatione propria, et stabilis domus absque tamen allodiatura, aut alijs fundis assignetur, in caeteris vero eiusdem Banatus locis, ad quae visitationis causa, quam tamen nonnisi praemissa concertatione cum dicta nostra Caesarea ibidem Administratione peragendam volumus, quarteria duntaxat pro tempore Episcoporum suarum functionum assignentur. Super quibus omnibus an et quousque ad effectum perducta sint, informationem summi, vel si in quopiam defectus foret, id executioni mandari curabimus; finaliter autem, et circa id necessarios emanabimus ordines vt idem Episcopus Csanadiensis Baro a Falkenstein vbiuis locorum dimensae suae

Dioeceseos, qua Dioecesanus, et Antistes Dei Ecclesiae debita veneratione, et reuerentia tractetur et recipiatur. Super quae praemissa praesentes collationales litteras nostras manu propria subscriptas, ac appresso Sigillo nostro Caesareo-Regio munitas extradeditimus. Quae dabantur in Ciuitate nostra Viennae Austriae die trigesima mensis Maii Anno Millesimo Septingentesimo Trigesimo Primo Regnorum nostrorum Romani vigesimo primo, Hispanicorum vigesimo nono, Hungarici vero et Bohemici etiam vigesimo primo. Carolus m. p. Eugenio Von Sauoy. Joan. Fran. Comes a Ditrichus m. pr. (L. S.) Ad mandatum Sacrae Caesareae Regiaeque Catholicae Maiestatis proprium Ignatius Josephus Hessenstockh. Franciscus Ma. Coopen m. p.

215. *Catholicorum in Transilvania ad Carolum Regem postulata. A. 1732.*

Punctum I. Articulus approbatarum constitutionum regni de receptis 4. religionibus tollatur, maneatque in beneplacito Principis libertas exercitii religionis A Catholicorum. II. Vnio 4. receptarum religionum, tanquam pestis, eliminetur. III. Praescriptio in possessionem nobilium bonorum, a Joannis Regis tempore inuecta, nulla declaretur. IV. Omnia templa et scholae Catholico-Romanae, a Caluinianis ereptae, Catholicis, cum beneficiis restituantur. V. Peregrinationes siue studiorum, siue culturae causa, extra prouinciam interdicta esto. VI. Jurisdictio in matrimonialibus causis sit penes clerum Romano-Catholicum. VII. Tutoratus et pupillorum educandorum, bonorumque ad ipsos deuoluendorum cura committatur principi, vsque ad perfectam aetatem annum videlicet 24-tum. VIII. Collegium S. J. Claudiopolitanum priuilegio Academiae fruatur, ampliatur ac beneficiis dotetur; ac Cibinii, Coronae, Maros-Vásárhelini Scholae Maiores Jesuitis aperiantur. IX. Typographiae absque publica auctoritate nullae erigantur nec in iis, quae erectae sunt, absque censura et adprobatione libros imprimere, neque libros acatholicos inuehere liceat. X. In quartum vsque consanguinitatis gradum acatholici matrimonia ineuntes, in notam infidelitatis incurrant. — Anno 1731. Apud Cont. Fleurii tomo LXXIII. pag. 77.

Haec Transiluanorum postulata, ne tumultus vix sopiti, sufflaminarentur, legatorum Britannici, Borussici, Danici, Suecici, foederatorumque ordinum interuentu dispulsa sunt. Ribini l. c. pag. 317.

216. *Carolus Rex, iis, quae circa publicum religionis Acatholicorum exercitium, ad loca duntaxat articularia restrictum, constituerat, exequendis insistit. A. 1732.*

Carolus — Demisse relata nobis sunt, quae super modo primum et secundum Punctum circa statum acatholicorum, in praefato nostro Hungariae regno degentium, clementer a nobis resolutorum, successiue in effectum deducendi, sub 20. mensis Nouemb. anni proxime praeteriti nobis demisse rescripserunt fidelitates Vestrae; circa quae iisdem clementer hisce rescribendum esse duximus: vt nimirum praeprimis in Poseniensi Comitatu, medio comitatensis magistratus, intra certum a fidelitatibus VV. eatenus statuendum terminum extra lib. reg. ciuitates Poson. et Modren. possessiones

item Réte et Pusztafödemes, in quibus vtpote acatholici, pro publico confessionis ipsorum exercitio, articulariter sibi admissa oratoria haberent; haecque illis etiam vltcrius relinquenda forent, in omnibus aliis dicti Comitatus locis hucusque tantum Aug. et Helu. confessionis exercitium, per realem et effectiuam in talibus locis habitiorum templorum, seu oratoriorum occupationem et praedicantium ex tali loco, nisi priuatam deinceps vitam ibidem ducere vellent, amotionem tolli et abrogari curent; ac de eo, in quo loco, cuius formae templa vel oratoria, hoc modo apprehenderint? an item, et quot numero praedicantes inde emigrauerint, vel vero priuatam vitam ducturi, in eodem loco permanserint? genuinam informationem e dicto magistratu fidelitates vestrae sibi exhiberi faciant, nobis etiam humillime submittebant. Teneatur idem Comitatus Magister in gremio praefati comitatus praedicantibus, extra loca articularia manentibus, solerter attendere, vt iisdem in eiusmodi locis priuatam vitam in effectu quoque ducant, et ab omnibus praedicantium muniis abstineant. His porro in Posoniensi Comitatu absolutis, tali modo et norma in residuis quoque comitatibus, signanter Soproniensi, Castriferrei, Nitriensi, Zoliensi, Aruensi, Turotzensi, Liptouiensi, Trencsiniensi, Scepusiensi, in quibus nimirum art. 26. anni 1681. specifica loca pro publico exercitio Aug. et Helu. Conf. profitentium denominata haberentur; extra haec vsurpatum acatholicorum exercitium, successiue vnum nimirum Comitatum post alium assumendo, abrogari curabunt fidelitates VV. Quod vero ad residuos Hungariae Comitatus adinet, qui nimirum in praecitato articulo 26. anni 1681. vel penitus non nominantur, vel absque specificorum locorum, pro publico acatholicorum exercitio deseruientium, generaliter duntaxat ennumerarentur; de iis hac vice nihil decernimus; sed effectuationem benignae resolutionis nostrae quoad eosdem quoque comitatus datae, eousque, donec praenotati XI. Comitatus, taliter designata loca habentes, praeuio modo absoluti fuerint, in suspenso relinquere volumus, et mandamus. — Datum in ciu. nostra Vienna Austriae, 9. Aprilis 1732. — Apud Ribini l. c. P. II. p. 263.

217. *Slauo-Vindorum, in Comitatu Castriferrei, in obuersum supplicatio cassa. Anno 1732.*

Libellus supplicantium restituendus ea cum resolutione, quod petito eorum, quoad retinendum, extra loca articularia, publicum confessionis exercitium, hic contento, in derogamen publicarum regni constitutionum deferri nequeat; id tamen concedi, vt propter insinuatos Vandalo-Slauos vno et altero articularium locorum etiam huius linguae peritum praedicantem seruare possint. Ex Cancellaria regia Hungarico Aulica, Viennae 14. Octobris apno 1732. Ibid. p. 286.

218. *Eandem fortunam experti apud Excels. Consilium R. L. Nitrienses. A. 1732.*

Quia populus illorum locorum, in quibus publicum acatholicorum exercitium tolletur et templa, seu oratoria eorum occupabuntur, quoad spiritualia improuise

derelinqui non possunt, verum eidem de sufficienti animarum cura prouideri; hocque siue pastoris, siue parochi catholici, quibus eiusmodi templa seu oratoria, cum parochialibus domibus, et scholis, fundisque, eo pertinentibus, resignabuntur, et cura animarum concrederetur, constitui, et installari, et per consequens in fructuum quoque, ante hac praedicantibus dari solitorum, iam vero ipsis catholicis competentium, perceptione conseruari deberent; idcirco idem magistratus comitatus istius ordinarium Vicecomitem suum, cum sibi adiungendis, pro praemissorum adaequata exsequutione omni meliore modo exmitendum eo instruat, vt idem antequam effectuationi horum semet accinxerit, praepriis semet apud Principis archiepiscopi Strigonien. et episcopi Nitrien. generales respectiue in spiritualibus vicarios, sine destinandorum et sibi adiungendorum tot, quot necessarij erunt, parochorum catholicorum, insinuet, iisdem parochis templa seu oratoria cum parochialibus domibus mox, vt occupabuntur, resignet; de horum autem omnium effectu genuinam magistratui comitatensi, idem vero consilio huic relationem faciat. Datum ex Consilio R. L. H. Posonii die 5. Decemb. anno 1732. celebrato. Franciscus. Carolus Nedeczky.“ Ibid. p. 287.

219. *Idem Carolus licentiam Augustanae confessioni addictorum Posonien. coërcet. Anno 1733.*

— Si quidem, per admissum in locis articularibus publicum confessionis exercitium, triuiales duntaxat scholae, vsque ad grammaticam inclusiue, habendae, tamquam ad publicum exercitium spectantes, in talibus locis admissae forent; altiores vero scholae, nisi eatenus speciale regium habeant priuilegium, et indultum, sicut apud catholicos, ita etiam acatholicos, priuata auctoritate erigi, et continuari haud possint; hinc penes communicationem ciuium acatholicorum Posoniensium instantiae, benigne ita mandante Sua M. SS. magistratui ciuitatis huius praesentibus iniungi, quatenus memoratis instantibus, vterius etiam admissis hic loci praedeclaratis triuialibus scholis, altiores quasuis scholas, nisi superinde specialem producerint regium indultum; actutum tollere et abrogare, de effectuque praemissorum Consilium hocce genuine et circumstantialiter informare nouerit, et nec intermittat hicce magistratus. Ex Consilio L. R. Posonii die 16. Decemb. anno 1733. celebrato. Emericus Gyuresányi.“ Apud Ribini. P. II. p. 384.

Mox auditi indultum impetrarunt anno 1734.

220. *Idem ad querelas Protestantium, de apostatis absque praeuia repraesentatione haud puniendis, fauorabiliter respondet. 1734.*

Carolus VI. — Demisse relata sunt nobis ea, quae regium hoc nostrum locumtenentiale consilium in forma demissae opinionis, ad communicatum eidem Aug. et Helu. confessioni addictorum praefati regni nostri Hung. incolarum instantiam, sub dato diei 30. mensis Martii anni proxime praeteriti 1733. nobis humillime perscripsit. Perpensis proinde querimoniarum, a parte dictorum regnicolarum, in memorata in-

stantia, specificè deductorum punctis riteque ponderata desuper submissa dilectionis et fidelitatum vestrarum opinione; quum terrestres domini a repetitione suorum subditorum, si nimirum tales pro praedicantibus in hoc aut illo loco constitui contingat, arceri, aut saltem abhinc impediri, nequeant; respectu autem apostatarum, omnes vexae acatholicorum absque hoc sint alioquin praecautae; siquidem omnes magistratus Hung. antequam ex capite apostasiae quem puniant, repraesentationem desuper ad aulam facere debeant; scholae porro altiores eatenus dumtaxat; quatenus absque privilegio R. Maiestatis seruarentur, sicut apud catholicos, ita etiam acatholicos vetitae forent. Id autem, vt Aug. aut Helu. conf. profitentibus exteris ius conciuilitatis in Hungaria absque benigno indultu nostro non concedatur, ex eatenus occurrentibus validis motiuis clementer a nobis resolutum; ac ex similibus non minus, quam et clero dictamine legum regni, acatholici cum publico confessionis suae exercitio et ministrorum usu, in aliquot iam comitatibus ad sola articularia loca restricti fuissent; acatholicorum demum praedicantes visitationi catholicorum archidiaconorum in hoc dumtaxat, vt constet, num suos rite baptizent, seu ad valide baptizandum sufficienter sint instructi, subesse debeant; taliter autem resolutis vltius quoque clementer insistemus; ideo praefatis instantibus quoad praerecensita querimoniarum puncta ad regni leges, et praedeclaratas benignas caesareo regias resolutiones remissis, siquidem harum contextu id quoque expressum haberetur, quod vbi iidem pro admittendis sibi superintendentibus, seu superioribus praedicantium suorum, instantiam apud nos fecerint, tam superinde, quam et quoad numerum illorum, benignissimam accepturi sint resolutionem; erga praeuio modo factam suam nobis humillimam supplicationem fidelibus regnicolis Aug. et Helu. confess. profitentibus, clementer admittendum, seu tolerandum esse duximus, vt quaeuis dictarum confessionum numero 4. superiores, seu superintendentes, e numero praedicantium, in praefato nostro Hung. regno iam habitorum, et quidem patriae filiorum in finem praecise illum, vt tales inuigilent moribus et doctrinae praedicantium, iisdem subordinatorum, et in excessiuos etiam animaduertant, suo modo eligere et constituere possint; ea per expressum conditione adiecta, ne populo nouum per hoc, pro subsistentia nempe ipsorum onus accedat; sed modernis subsistendi mediis etiam vt superintendentes contenti esse debeant, qui taliter constituti superintendentes seu superiores, super functione praedeclarata, eiusdemque in Hungaria exercitio; a nobis conformiter sensui dilectionis et fidelitatum VV. nullam quidem expeditionem obtinebunt, nihilominus ad solum statum notitiae, in quo loco, pro quali districtu, seu quibus comitatibus, liberisque ac regis ciuitatibus nostris, nomine tenus, quem et pro cuius confessionis superintendente, tam Aug. quam et Heluet. confessionem profitentes, regnicolae constituerint? isti de casu in casum dilectionem et fidelitates VV. eadem vero Maiestatem nostram genuine semper informabunt. Datum in ciuitate nostra Vienna Austr. die 20. Octob. anno 1734.“

— Mand. reg. p. 28.

221. *Articuli sub Carolo Rege in praesidium religionis et ecclesiae catholicae sanciti anno 1711—1740.*

Decretum Caroli III. primum-Posonii anno 1715. — Art. 1. „Quando quidem Nobiles et omnes illi, quos sub nomenclatione hac (cuiuscumque sint honoris, dignitatis et status personae) in Hungaria lex complectitur, pro regni defensione militare, adeoque personaliter insurgere suaque respectiue banderia producere et praestare teneantur: Id sacra Caesarea Regiaque Maiestas, quoties necessarium esse iudicauerit, ad conformitatem sancitarum superinde legum a modo in posterum quoque desiderare et exigere poterit. Quia tamen per eam solam, regnum hocce sufficienter defendi nequiret, adeoque validior, et regulata militia, tum ex natiuis, tum externis constans, pro omni euentu intertenenda veniret, quam sine stipendiis subsistere; haec vero sine contributione comparari non posse, indubitatum esset; sine subsidiorum et contributionum eatenus necessariorum materia diaetaliter (quo aliunde spectare dignoscitur) cum statibus deliberanda erit. Vbi vero extraordinaria inopinae irruptionis hostilis casus emergerit, aut varii et improuisi flagrantis belli ratio, ordinariam rei tam arduae tractandae methodum et formam non admitteret; pro eiusmodi casibus iidem status et ordines, non solum consultum ast et necessarium esse statuerunt, vt Palatinus et Primas Regni, item Praelati, Barones, Tabula Iudiciaria Regia, comitatusque et regiae ac liberae ciuitates, in quantum, et quo frequentiori numero fieri poterit, intra et non extra regnum conuocentur; qui cognita huiusmodi necessitatis causa, eaque ad vtilitatem et necessitatem regni pro sufficienti agnita in puncto huiusmodi contributionis (et non aliorum Regni negociorum) deliberare ac decernere possint.“ Art. 12. Quod sua Maiestas sacratissima pro innata sua pietate, et erga Ecclesias Dei zelo, ac ex gratia et clementia, ad demissam etiam statuum et ordinum commendationem, nonnullorum Ecclesiae Varadiensis clenodiorum, prout distracta sunt, aequalens eidem ecclesiae munifice dandum et donandum, benigne resolverit, pro eo status et ordines debitas reponunt gratias.“ Art. 16. „Venerabilis status Praelatorum, generaliter sub sacra regni Vngariae corona existentium, et comprehensorum (quo nomine ñ duntaxat, qui ex regia collatione actualia et prouisa beneficia obtinent, intelliguntur) respectu honorum et rerum mobilium per eosdem aquisitionum, hactenus ex parte fisci regii in controuersiam sumta testandi facultate, vt tandem certa et immutabilis modalitas statui possit, sacra Caesarea-Regia Maiestas benigne annuit: quatenus super Ferdinandi Diplomatis per Venerabilem Clerum eatenus obtenti, et per Diuum Leopoldum Romanorum Imperatorem et Vngariae regem confirmati, et vtrouique tenore insertae clausulae Dominos Praelatos testaturos, ad confinium subsidium obligantis intellectu, alias per subsecutam cum Eminentissimo ac Reuerendissimo condam Leopoldo, S. R. E. Cardinale, a Kollonitz, qua Archiepiscopo Strigoniensi, et Primate regni Vngariae, nomine totius cleri conuentionem sufficienter explanato, sed per V. clerum et post in dubium vocato, coepta continuetur et determinetur commissio. Interea vero vel eidem cardinalitiae conuentioni, ad instantiam mentionati cleri per suam Maiestatem sacratissimam benigne confirmandae standum, vel pro consensu regio pro

libere disponendi facultate recurrendum. Quo casu Diploma etiam Ferdinandeum et praetactam obligatoriam clausulam, si quid ambiguitatis eidem subesset, ipsamet Regia Maiestas (cui videlicet eiusdem interpretatio vnice competit) benigne explanabit. Respectu vero honorum secularium, quae titulo inscriptio, vel pignoris, ecclesiasticae vel religiosae personae aut communitates, praesertim cum euictione Fisci Regii, ac etiam priuatorum, penes literas impignorationales, iustas nihilominus et legitimas condiciones, hactenus possederunt, conclusum est: vt eadem ecclesiasticae vel religiosae personae, aut communitates, si quidem in continuo eiusmodi emtionis vsu praefuissent; in possessione huiusmodi honorum, vsque ad eorundem per seculares reuolutionem fiendam, pro hac vice conseruentur. A modo vero deinceps art. 17. 1647. tanquam hic loci renouatus obseruetur exactius; nisi sacra Regia Maiestas in specialibus casibus (saluis tamen iuribus alienis) eatenus dispensaret." Art. 27. Non absque magno testantium praeiudicio animaduertent fieri SS. et OO. quod liberam testandi facultatem habentes, ob plurima canonicorum et ciuiliu iurium requisita (secundum quae testamenta regnicolarum hactenus reuideri et discuti consueuerunt) in suis intentionibus frustratos se esse sint experti; hinc ad euitanda huiusmodi praeiudicia conclusum est; vt a modo imposterum in bonis et rebus liberae dispositioni subiectis, testamenta a testatore, qui testandi habet actiuitatem, etiam extra loca authentica, vt sunt capitula, conuentus, iudices regni ordinarii, magistrique protonotarii (et non eorum secretarii, nec iurati notarii) condita ab ipsomet testatore et a quinque per testatorem requisitis, ac insimul praesentibus, nobilitari tamen aut aequipollenti praerogatiua gaudentibus, vel in casu necessitatis, aliis etiam honestae conditionis testibus, subscriptione et sigillis corroborata, legitimum sortiantur vigorem. Testatoris vero scripturae ignari vices et locum suae subscriptionis ac obsigillationis, sextus itidem requisitus ac praesens testis suppleat. Omnisque semper fraus, et in testatorem non raro usurpari asuetae, dolosae circumuentiones, sub poena inuigorisitatis, coram foro spiritali, prout ante hac vigore art. 15. anni 1645. sufficienter remonstrandae absint, et praecautae habeantur. Neque praeterea haeredis institutio de substantia testamenti, a modo etiam imposterum requiratur; verum testatori liberum esto institutionem haeredis in testamentum inserere, vel omittere. Cuius tamen insertio vel omissio testamentum non vitiabit. Quae nihilominus praemissae solennitates in priuilegiatis testamentis, vtpote legatis piis, item militaribus, ita et inter liberos, nec non tempore pestis condendis, non requirentur; sed vel propria testantis manu scripta et subscripta, vel etiam etiam nuncupatiua coram duobus testibus, sufficient. Ad codicilli vero sollemnitate tres testes sufficient. Respectu demum liberarum et regiarum ciuitatum, quae in integro penes suum hactenus habitum vsum manere possunt) id necessarium esse statuimus, vt testatori testamentum praelegatur, et is coram testibus viua voce asserat, eam vltimam esse voluntatem suam. Publicatione et respectu partium interessatarum communicatione, nonnisi post mortem testatoris, quamprimum expediendis. Et hoc ipsum etiam de comitatibus, vbi vicecomes, aut iudex nobilium cum iurato assessore fuerint exmissi, obseruandum. Hic autem modus condendi testa-

menta praeteritos casus non ligabit, sed in futuris duntaxat condendis testamentis locum habebit et obtinebit; saluo respectu nobilium personarum art. 36. anni 1655. permanente.“ Art. 31. Et siquidem praeterea durantibus praeteritis motibus, nonnulli aequae factiosi conuenticulum quoddam praetensiuue synodale, celebrare, ibidem regnum in varias dioeceses partiri, varios honores et dignitatum minime sibi competentium titulos adsciscere, nonnulla contra Romano-catholicos ritus sancire et statuere, ac per regnum passim diiulgare et exercere non sint veriti; idcirco de benigna Suae Maiestatis voluntate et annuentia decretum est, vt eiusmodi etiam acta facta, et conclusa (vna cum sigillo occasione eiusdem conuenticuli, nouiter fabricato) pro cassatis, annihilatis, et mortificatis, in totum et in perpetuum teneantur et habeantur. Ad euitandas porro omnium semper vetitorum conuenticulorum occasiones vel suspiciones, statuitur etiam, vt omnes huiusmodi particulares frequentis numeri congregationes, siue sub nomine synodi, siue alio quouis praetextu, absque praescitu et annuentia regiae Maiestatis instituendae, non secus particulares quoque inter ipsos collectae, et impositiones, iisdem Augustanae et Helueticae confessioni addictis, sub indignatione Regiae et poena legali prohibitae sint, et interdictae.“ Art. 51. „Ad tollendam vsurariam prauitatem et auaritiam benigne sua Maiestate resolvente statutum est, vt a modo in posterum nemini liceat pecunias suas ad interesse, vltra sex per centum annuatim pendendos elocare, aut hactenus elocatas vltra continuare: adeoque ex nunc deinceps praeter hoc legale interesse nullo titulo, etiam discretionis, siue in pecuniis, siue victualibus, aut aliis quibusuis rebus a debitore quidpiam exigere, vel accipere.“ Art. 60. „Sacratissima Sua Maiestas tanquam pientissimi Patris pientissimus filius, et paternarum virtutum haeres, ac viuum exemplar, summusque ecclesiarum Dei ad mentem S. Stephani regis libri II. capitis, et Tripartiti tit. XI. parte I. in Apostolico isto regno patronus, pii ac salutaris voti diui Leopoldi, progenitoris et praedecessoris sui desideratissimi, de restauratione ecclesiarum desolataram in hocce regno suo Vngariae existentium facti, benigne memor ad ampliandum diuini numinis cultum, incrementumque orthodoxae catholicae religionis, eandem in se assumere, Ecclesiasticisque non secus ac religiosis, qui de abalienatis bonis ecclesiasticis sese apud suam Maiestatem Sacratissimam grauatos se esse repraesentauerint, et edocuerint; ius et iustitiam competenti iuris via administrari facere clementissime resoluit. Benigne confisa DD. etiam Praelatos, obligationi et muneri suo, pro exigentia sacrorum canonum, et legum etiam regni, signanter S. Ladislai regis, libri I. cap. 8. nec non art. 13. anni 1550. nusquam et nequam defuturos.“ — Art. 73. „Ex quo sacer ordo Canonico-regularium Praemonstratensium, olim in regno hocce apostolico gloriosissimus, et victricibus Caesareo-Regiis armis e faucibus Turcarum erepto florentissimus, postliminii iure nouellas plantationes in eximium regni et sui ordinis incrementum, denuo radicare coepisset; hinc venerabili Vincentio Walner, moderno Abbati Lucensi, et Praeposito S. Stephani de promontorio Varadinensi, qua per dictum regnum Vngariae perpetuo sui ordinis Vicario Generali, actualiter possessionato, eiusdemque legitimis in officio Generalis Vicarii et simul dictae Praepositurae successoribus, inter

Dominos Praelatos, Barones et Magnates sessio cum voto indulta est, et admissa. Statutum praeterea est: vt Patres societatis Jesu, velut articulariter iam dudum recepti et per suam Sacratissimam Maiestatem ad hanc etiam regni diaetam regalibus inuitati. sessionem cum voto inter status et ordines, qua honorum ad Abbatias et Praeposituras pertinentium actuales possessores, nomine collectiuo natiui tantum, iique vsque ad tempus duntaxat eiusmodi beneficiorum, ad sessionem admittantur.“ Art. 74. „Seminariorum, conuictuum et collegiorum pro iuuentute ecclesiastica aut seculari, per quoscunque siue intra, siue extra regnum fundatorum, dum et quando necesse videbitur, inspectionem, et cum exactione rationum, vtrum foundationi satisfiat? inuestigationem, sacra Caesarea Regia Maiestas sibi soli, pro Apostolico munere et suprema auctoritate sua reseruat.“ Art. 8. „Status et ordines regni ciuitatem Debreczen, reliquis ciuitatibus regni Hungariae, ita tamen, vt pro extruenda parochiali Ecclesia catholica, et conuentu patrum S. P. Francisci locum assignent, denuo aggregandam statuunt.“ Art. 102. „Ad demissam Ordinum infrascriptorum coram statibus et ordinibus, super receptione sui in regnum Hungariae, partesque eidem adnexas, factam instantiam; tametsi aliunde authoritate etiam regia introduci et stabiliri possent; ad demissam nihilominus statuum recommendationem, benigno suae Maiestatis consensu accedente determinatum est; vt religiosi ordines Fratrum Camaldulensium, et Sanctissimae Trinitatis de redemptione captiuorum, nec non Clericorum regularium, pauperum Matris Dei, de Scholis Pii, in regnum istud Vngariae et partes eidem adnexas, voto tamen et sessione absque omni, pro receptis et stabilitis habeantur; bonaque fundationalia pure secularia et liberae fundatorum dispositioni subiecta iure et titulo duntaxat, pignoris possidere valeant. A modo autem in posterum collegia et claustra quorumuis religiosorum, sine necessitate reipublicae et benigno regiae Maiestatis assensu, non augebuntur.“ Art. 111. „Quod sua Maiestas sacratissima ad demissam, eamque sollicitam Eminentissimi et Serenissimi Domini Cardinalis, Ducis de Saxonia, Archiepiscopi Strigoniensis et Primatis Hungariae instantiam, futuros eiusdem Domini Archiepiscopi in dignitate Archiepiscopali Strigoniensi successores, in veros Sacri Romani Imperii Principes creare et ad titulum, atque dignitatem Principatus Imperialis, cum omnibus honoribus et praerogatiuis eidem competentibus - ex speciali sua gratia atque clementia, euehere ac sublimare dignata sit, eas, quas possunt, immortales aliefatae Suae Maiestati Sacratissimae SS. et OO. referunt gratias: ac in signum debitae gratitudinis aeternam huius rei memoriam, praesenti articulo ad seram posteritatem transmittersse voluerunt. Quo sic erga praetitulatum etiam Dominum Archiepiscopum et Cardinalem pro eatenus quoque in gentem Vngaram demonstrato propenso animi candore reciprocum ac indubitatum sinceri affectus et obsequii argumentum contestarentur.“

Decreti III. Poson, anni 1723. Artic. 29. „Pro iudicum et causantium directione, seruandoque debito ordine, Sacratissima Caesarea et Regia Maiestate annuente statuitur: vt feriae Natiuitatis Domini initium sumant a festo S. Thomae Apostoli et durent ad Dominicam primam post Epiphaniam; dein autem per vltimos dies

bachanaliorum vsque ad Dominicam primam Quadragesimae; postea vero a Dominica passionis (videlicet vt Praelati pro exequendis, iisdem hebdomada sacra incumbentibus functionibus, vna et reliqui iudices etiam deuotionis causa adesse possint) ad Dominicam secundam post Pascha. Insuper per hebdomadam Sacri Pentecostes vsque ad Dominicam Sanctissimae et indiuiduae Trinitatis: Juristitium vero messis, a festo S. Ladislai Regis Hungariae, vsque ad festum S. Stephani. Vindemiae autem a festo S. Michaelis vsque ad festum S. Martini Episcopi. De reliquo praeter praemissa, praeuio modo vniuersaliter obseruanda iuristitia adhuc triginta dies ante Dioetam, et sub toto diaetali decursu iuxta art. 49. anni 1655. et art. 12. anni 1507. vsque ad reditum nunciorum. Non secus et omnes Dominici iuxta S. Ladislai caput 38. lib. I. a sancta romana ecclesia in foro fori celebrari soliti festorum et rogationum etiam dies. Nec non tempore insurrectionis generalis, pro vniuersalibus iuristitiis, antiqua regni consuetudine exigente, in posterum quoque tenendi et in omnibus sedibus regni iudiciariis obseruandi venient. Quae iuristitia sensu art. 70. anni 1618. (praeter solas causas matrimoniales) ad sacras etiam sedes extenduntur.“ Art. 39. 40—43. De iurisdictionibus, expeditionibus capitularibus, conuentualibus et locorum credibilium, etc. — Art. 45. „Vt Dominorum Praelatorum pio et salubri exemplo, boni ad virtutem prouocari, discoli vero ad amplectendam christianam disciplinam animari, reduci queant, Sua Maiestate Sacratissima annuente statuitur: vt Praelati et alii ecclesiastici beneficiati, publicis regis vel regni officiis, aut aliis grauibz ecclesiae negociis non impediti, in dioecesibus et beneficiis suis, ad praescriptum legis, iuxta strictam suam obligationem resideant; ne in contrauenientes Regia etiam auctoritate animaduertendum sit. Beneficia porro et canonicatus, iuxta art. 67. Vladislai decreti III. aliasque leges patrias personis bene meritis et idoneis conferant. Neue vni personae (extra casum, quo eiusdem prouisioni necessario prospiciendum foret) plura quam vnum, beneficia conferantur. Sacratissima C. et R. Maiestas, id, quod muneris eiusdem esset, se clementissime obseruatam, resoluit. Illi vero, qui ex statibus, seu iam ex collatione, de iure et titulo foundationis, aut ex alio iusto et legitimo iure, Jus Patronatus quorumcunque beneficiorum, aut praesentationum haberent, eodem debite vtantur, et in casu vacantiae, personis aequae idoneis, bene meritis, liberis et alteri ecclesiae non obligatis, ad praescriptum praecitati articuli conferant. Capitulum vero Strigoniense, nullo iam amplius metu Turcae potentiae superextante, vt quamprimum fieri poterit, Strigonium redeat, ibidemque continuam figat mansionem, conueniens est.“ Art. 69. „Vt vnitorum Graeci ritus sacerdotum filii, in presbiteratu nati, in statum et conditionem colonicalem non reducantur, talesque praeuie capacitati et eruditi in presbiteratum assumi et ordinari possint. Qui vero presbiterorum filii in fundis colonialibus resident, ex talibus fundis iuxta initam vel ineundam cum Dominis terrestribus conuentionem, in et ab iisdem contribuere ac ad communia onera concurrere debeant.“ Art. 70. „Piarum quarumuis foundationum inspectionem, et cum exactione rationum, vtrum foundationi satisfiat? inuestigationem Sua Maiestas Sacratissima pro Apostolico munere, et suprema auctoritate sua, vigore articuli 74. anni 1715.

sibi benigne reseruauit. Et e gremio Regii Locumtenentialis consilii nonnullos deputabit, qui praemissorum singularem et peculiarem curam habeant. — Caeterum in Academicis, non tantum Philosophicum, Theologicum et Iuridicum etiam studium exactius, separatis, et statutis horis, pure pro earundem scientiarum studiosis, sed et alia quaeuis in exteris vniuersitatibus publice doceri consueta et statui quoque publico et militari deseruientia, studia tractentur: vbi status et ordines modum, formam et media, quibus id commode fieri possit, Suae Maiestati Sacratissimae demisse submitterint, pro regia benignitate sua huic quoque demisso statuum petito, clementer annuet, et consilium suum regium Locumtenentiale eatenus quoque sufficienter instruet.

— Art. 96. „Praeuia Suae Maiestati Caesareae et Regiae humillima supplicatione, et accedente eiusdem benigno assensu, ad demissam quoque coram statibus et ordinibus eo fine factam, Sacri Ordinis cruciferorum Hospitalariorum cum rubea stella, instantiam, ac zelosam Eminentissimi ac Serenissimi Cardinalis, Ducis de Saxonia Principis, Archiepiscopi Strigoniensis et Prjmatris regni Hungariae interpositionem determinatum est: vt idem Sacer ordo in regnum istud, et partes eidem adnexas (voto tamen absque omni) pro recepto et stabilito habeatur; fundationalesque Hospitalium et Nosocomiorum modo debito, et ordine, ac a fundatoribus praescripta cautione administrare; non secus alia etiam bona fundationalia pure secularia, et liberae fundatorum dispositioni subiecta, iure et titulo duntaxat pignoratitio possidere valeat, filiosque nobilitatis patriae, aliosque nationales in ordinem recipiat, et idoneos ac capaces ad beneficia quoque sui ordinis assumat. Pariter et religiosi ordines Capucinarum, Fratrum Misericordiae, Seruorum B. Virginis Mariae, nec non Carmelitarum calceatorum et discalceatorum, et Paulanorum, ita et Societatis Virginum Ursularum, conformitate articuli 102. anni 1715. in regnum istud Vngariae, et partes eidem annexas recipiuntur. Qui omnes (non secus et hactenus quandocumque recepti, et quocumque nomine insigniti ordines) in signum pietatis et gratitudinis, singuli duodecim Sacro Sanctae missae Sacrificia pro Suae Maiestatis sacratissimae, successorumque Vngariae regum, regnique huius Apostolici, incolumitate, incremento, et prosperitate, singulis annis, et in perpetuum dicere, et celebrare, praedictae autem Moniales celebrari facere, teneantur.“ — Art. 120. „Vt vsurarii (actione fisco regio competente, eidemque relicta) non tantum in totius interesse, sed etiam capitalis amissione puniantur; et quod vltra legale 6 per centum interesse, a debitoribus suis exegerunt, id damnificatis per idem iudicium restituatur, iustum est.“

Decreti III. Poson. anni 1729—30. — Art. 16. „Quomodo testimonium ignobilium, rusticorum, et seruorum adhibendum? Art. 27. In quibus casibus adiudicatio iuramenti obseruanda? — Art. 50. „Ad propagandam in hoc regno veram fidem Apostolicam, augendumque cultum diuinum, religiosum ordinem Patrum et Fratrum Augustinianorum Eremitarum, status et ordines regni, in hocce regnum Hungariae, partesque eidem adnexas, absque tamen omni voto, et sessione recipiunt. Qui ordo in signum pietatis et gratitudinis singularis, duodecim sacra sancta

Missae Sacrificia pro suae Maiestatis Sacratissimae, successorumque Hungariae Regum, regnique huius Apostolici incolumitate, et prosperitate singulis annis in perpetuum dicere et celebrare tenentur.“

Quod haec comitia in 17. Maii Posonium indicta in sequi annum producta fuerint, geminum disceptationis caput effecit: voluit nempe Carolus, vt tributa pro ratione fundorum, agrorum ac vinearum, ex aequo penderentur. Animaduenterant Status priuilegiati, id si fieret, onus fundis inhaesurum et migrantibus colonis, tributum Dominis terrestribus, ecclesiasticis et nobilibus pendendum esse. Deprecantibus igitur statibus. Augustus Carolus ab hac postulatione abstinit. Altera longioris morae causa fuit obmotata de vetustissima iurisiurandi formula disceptatio, quam acatholici mutatam voluerunt. Catholici mutare non permiserunt, cum per septem saecula tanta decretalis huius iuramentum reuerentia fuerit, vt nec Bocskaiianis, nec Bethlenianis, Rakotzianis armis turbata. mutataque fuerit. Indignum igitur hi censebant, si BB. V. Maria haereditaria huius regni Patrona, domina et regina eo, qui sibi debetur, et hucusque dabatur, honore modernis circumstantiis, dum iam vera orthodoxa religio Romana catholica refflorisset, et vix aliqui inter SS. et Ordines diaetaliter congregatos reperirentur acatholici, et alias pauci etiam in regno alicuius considerationis essent, priuaretur, et eius nomen ex formula legalis iuramenti proscriberetur.“ In hoc nec Carolus Rex cessit.

222. *Maria Theresia R. H. praedicantibus Helueticae confessionis, ne obstetrices in extrema necessitate proles baptizare impediunt, iniungit. A. 1742.*

— Helueticae Confessioni addictis ministris in regno hoc Hungariae, notanter in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi per dioecesanum debite et suo ordine visitatis, inter alias eorundem prauas doctrinas, et id compertum est, quod iidem ministri in puncto Baptismi, peruersissimo et in plurimarum animarum interitum tendenti principio, insistant, in nullo videlicet plane necessitatis casu, immo in ipso etiam proximae mortis discrimine, ab vllo alio, quam praedicante, infantes posse baptizari; peruerse asserentes, et nullatenus admittentes, insuper et id pertinaciter statuantes, quod infantes, sacro etiam fonte non renatos, Deus aliter saluare possit, baptismus item, quod solis praedestinati ad aeternam salutem deseruiat; et nec infantes, nisi praedestinos, etiamsi in infantia decedant, saluet, pari pertinacia sustinentes. Quae damnata principia quum nouae haeresis indicia et specimina trahant, in hocque peruersissimo dogmate si iidem praedicantes, pertinaciter vlterius versari permittantur, consequenter iidem obstetricibus in casu necessitatis, infantum baptismationem vltronee interdicerent, plurimae animae in exitium praecipitentur. Complurium itaque animarum salutis periculum cum subsit, sacra sua Regia Maiestas, pro innata sibi pietate, et apostolico munere, de congruo remedio prospicere, pietissime cupiens, huius regni comitatibus, ciuitatibus et districtibus serio et districtius iniungendum clementissime commissit, vt omnes tales praedicantes, ab huiusmodi per se et contra totius orbis Christiani praxim ab immemoriali tempore inter catholicos pariter et acatholicos, praecipue vero in hoc regno Hungariae semper obseruatam, introducto, et obstetricibus obseruari per dictos praedicantes impie inculcato principio compulsiuis etiam mediis

retrahant; et ne quid simile dicti praedicantes in posterum attentent, sub graui animaduersione eosdem inhi-beant; obstetricibus vero in casibus necessitatis baptizandi licentiam singulis comitatum, ciuitatum et districtuum in gremio sui currentaliter publicet; neue obstetrices in quo facto omittant, aut a praedicantibus idcirco impedian-tur, sedulam vigilantiam gerant; contrauenientes yero, aut impediētes exemplariter puniant. — Datum ex Consilio R. L. Posonii die 15. mensis Septembris 1742. cele-brato.“ Mand. Reg. p. 34.

Cum aequissimo huic mandato obtemperatum haud fuisset, repetitum fuit anno 1743.

XXVII. Februarii. Fleurianus continuator ad annum hunc Augustae Mariae Theresiae constantiam ita laudat (Tomo LXXV.) „Quamuis M. Theresia Aug. Hungariae Regina, protestantibus, in eo regno agentibus, sectae suae libertatem, iuxta Caroli VI. Imp. decreta annis 1731. et 1734, edita confirmasset; hi tamen, tam gratiosa concessione nondum contenti, pro more suo, ampliora petebant, eorum audaciam acuate ipsa tem-porum iniquitate: Nouerant enim, reginam suam, non-modo a Bauaris, sed a foederatis Galliae, Hispaniae, Poloniae, Neapolis et Borussiae Regibus, nec non Electori-bus Coloniensi et Palatino, Hassisque bello paene oppressam ac potissima suarum dit-tionum parte spoliata, atque ab omnibus desertam, ad tantas redigi angustias, vt demum vel in Hungariam, tanquam vnicum asylum, cum vagiente in cunis filiolo suo. Josepho, profugere vel validas armorum suppetias, concessa religionis acatholicae lib-ertate, a protestantibus subditis redimere et emendicare cogeretur. Hac fiducia elati iam mense Augusto anni prioris praefatae Reginae libellum obtulere, in quo priorum regum diplomata, quibus liberi exercitii gratia eis facta fuisset, exposuere. — In eodem hoc libello protestantes, varia etiam religionis suae vt vocabant, grauamina exposue-runt atque inter alia acerbissimas effuderunt querelas, contra Juramentum decretale; eo quod, iuxta vetustissimam decreti formulam, in nomine etiam BB. Mariae ad fide-li-tatem suo principi praestandam adigerentur. — Insuper Reginae Hungariae praescribere audebant, vt in posterum religionis suae grauamina nullatenus Hungarico R. L. Con-silio, sed Regiae Suae Maiestatis senatui, diiudicandas committere, ipsique querelas non priuato nomine, sed in communi ibidem proponere permitterentur.“

223. *Eadem regina ad libellum A catholicorum respondet. A. 1742.*

„Suae Maiestati Sacratissimae Regiae a tempore suscepti regiminis sui ad prae-sens vsque variis tam catholicam Religionem profitentium, quam et Aug. et Helu. con-fessione addictorum regni huius Hungariae incolarum querimoniis, in pluribus idcirco exhibitis memorialibus deductis, demisse repraesentatis existentibus, eadem summe fata Maiestas Regia, tanquam communis mater omnium fidelium subditorum suorum, veluti catholicis, ita etiam praenominatas confessiones profitentibus regnicolis regiam benignitatem, maternumque affectum suum demonstrare, et a quibusuis iniuriis libe-ros eosdem conseruare benignissime cupiens clementer confirmat pientissimae memo-riae genitoris et immediati praedecessoris sui desideratissimi benignam resolutionem, ad acta commissionis articularis, in negotio religionis habitae anno 1731. impertitam, et sub 6. mensis Aprilis anni eiusdem per regnum publicatam; benignissimeque vult, vt illa ambabus partibus, catholicis nempe et acatholicis, pro norma seruiat, et tam quoad alia quam etiam quoad iuramentum stricte obseruetur; ac in quantum ab eo tem-pore contrauentiones quaedam factae fuissent, seu quicumque regnicolarum prae-

allegatae benignae resolutioni priuata auctoritate contrauenire, et siue catholicus acatholicum eatenus turbare, aut molestare attentasset, vel etiam in posterum attentauit, desuperque priuato nomine apud aeternam suam M. R. aut regium hoc locumt. consilium instantia facta exstiterit; re, seu factis, quorum intuitu grauamen et instantia ponitur, citra longiorem moram et non admissis eatenus ponendis impedimentis, fundate examinatis, riteque discussis, superinde conueniens et oportunum remedium, pro supremo regio munere suo realiter et effectiue decernere. — Dat. ex C. R. L. Posonii die 24. Mens. Decemb. anno 1742. celebrato.“ Mand. Reg. p. 36.

Meminit idem continuator Fleurian. alterius etiam decreti (Tom. LXXVIII. pag. 11.) 12. April. anno hoc dati, quo mandauerit, ne grauamina Religionis vnquam communi nomine proponantur. Die autem XI. Ianuarii, subiicit: alio edicto prohibuit, ne protestantes querelas suas ad exterarum potentiarum nuncios deferant; ne ad exterarum provincias proficiscantur sine indultu ac literis transitus regiis. A. 1743. XI. Ianuarii. Sed nec his mandatis obtemperarunt.

224. *Eadem liberum omnium quatuor religionum, in Transilvania receptarum, exercitium confirmat. A. 1744.*

Maria Theresia etc. — Articulus VII. Considerantes porro, nihil pro bono patriae exoptatius euenire posse, quam vt, sublato penitus partium studio, omnis discordiae et querimoniarum ansa eradicaretur; aequum proin putauimus, vt sicut in praecedenti VI. articulo trium nationum et hic receptarum 4. religionum in generali prospectum est; tresque a Romano Catholica Religione diuersae plena et omnimoda, libertate, nullisque circumscriptae legibus essent; ita non disputatur aetate nostra, nec disputabitur successiuis temporibus quibusuis posteritatum nostrarum episcopatus Romani Catholici; et Capituli, canonicorumque restitutio; iuxta resolutiones hactenus emanatas, quum illi assensu Statuum et Ordinum sint introducti, et acceptati. Ordo vero patrum societatis Jesu, episcopatus Fogarasiensis Graeci ritus religioni romanae catholicae vere vnitorum realiter admissi, in fundorum, honorum et beneficiorum, quae habent, possessione confirmati uiuant; deletis illis, qui in contrarium seu generaliter seu specialiter, vel particulariter faciunt, articulis, approbatis et compilatis constitutionibus insertis, aut alibi existentibus, in quantum religioni Romanae Catholicae absque laesione aliarum religionum, praediudicant; episcopum excludunt; canonicos a cura et custodia archiuorum, Albensis videlicet et Kolos Monostoriensis arcant; ecclesias, collegia, monasteria et residentias religiosorum, actu in hac patria existentium, ad certa duntaxat loca restringunt; liberum exercitium vetant; et immunitati ecclesiasticae quoquo modo aduersantur. Pariter articulos, societatem Jesu proscribentes, fautores eorum notae infidelitatis subiicientes, pro abrogatis declaramus. In reliquo legibus et articulis, in quantum securitatem iura ac priuilegia, sacra et ciuilia, trium etiam aliarum religionum receptarum continent, saluis semper manentibus. Et haec omnia sensu diplomatum, ac subsequutarum resolutionum caesareo Regiarum intelligantur.“ — Viennae die VII. mensis Augusti, anno 1744. Regnorum IV-o. — Approb. constitut. Trans. edit. Claud. 1779. p. 6.

In formula iuris iurandi, quo Transilvani M. Theresiae fidem suam obstrinxerunt, nomen BB. Virginis et OO. SS. deest.

225. *Eadem Valachos Transilvaniae, ab vnione apostatantes, seria admonitione dehortatur. A. 1746.*

M. Theresia diuina fauente clementia, Romanorum Imp. et Hungariae Regina. — Vniuersis fidelibus nostris, honorabilibus Vicariis, archidiaconis, et sacerdotibus nobilibus item et aliis cuiuscunque status et conditionis gentis Valachicae hominibus, haereditarii nostri Principatus Transilvaniae, partiumque eidem incorporatarum incolis salutem, et gratiam nostram regio-principalem. Quod palam est omnibus, nec vestram refugit memoriam, quanta amoris, fauoris et clementiae argumenta tum sacratissimi quondam imperatores, et reges piissimae memoriae, domini auus, patruus et genitor noster, tum concomitanter nos in dictam Valachicam gentem declarauerimus, beneficiisque non temnendis illam cumulauerimus; testes sunt bina diplomata ab altero D. auo nostro ipsis ante medium saeculum singularibus praerogatiuis et immunitatibus collata, nec non pietissima D. Genitoris nostri pro episcopatu, hiero-monachis, et alumnis gentis Valachicae, in bonis Stabilibus facta fundatio, et ampla pro iisdem monasterii structura; testis denique est nostri erga illam gentem materni affectus propensio, qua motae iura, priuilegia, indulta et immunitates, Valachis diplomate concessa benigne confirmare, in codicem publicorum Transilvaniae articulorum referre; pro ecclesiis et domibus parochialibus, sicubi iis carerent, fundos, seu loca interna, in pagis excindenda, et assignanda; parochis, quibus agricultura non esset, capetas ordinandas mandare; ecclesiasticos et nobiles Valachos tribus in Transilvania receptis nationibus adnumerandos; signanter quidem sacerdotes a decimarum, teloniorum, nauli, honorarii et taxarum, aliorumque onerum praestatione immunes declarare; Valachorum vero nobilium qua talium, in conferendis officiis, quibus gerendis pares fuerint, perinde ac reliquorum Transilvaniae nobilium, rationem habendam; iobbagionum deinde Valachorum filii, scholas actu frequentantes, aut dein frequentaturi, studiorum capaces, ne a dominis suis terrestribus impediuntur, sub graui poena statuere dignati sumus. Quibus aliisque benignissimis indultis et immunitatibus, eidem genti Valachicae concessis in id omnino intendebamus, vt a nobis protecta, quiete et pacifice in illo finitimo principatu nostro viueret ac persisteret, ampliora clementiae nostrae documenta subinde expertura. Verum enim vero longe aliter et voluntati nostrae maternae prorsus contrario modo rem agi experimur. Certo siquidem informamur, non paucos e plebe Valachorum ad sacrilegos ausus, diuinis ac humanis legibus vetitos actus tumultuarie prorupisse; templa et parochiales domos violando; parochos exturbando; eorum personas inuadentes indigne tractando, detinendo, verberando; ad census, laboresque praestandos colonicales, contra resolutionem et iussionem nostram, cogendo; praestigiosos ritus, monstrosas superstitiones, bigamias, incestuosa matrimonia, canonibus etiam orientalis ecclesiae damnata, introducendo et exercendo; pluraque his similia attentando. Cuiusmodi praesumptiones actusque

tan audaces, et detestandi, Christiana gente prorsus indigni, velut ipsi etiam plebi Valachicae exitiosi, et condemnabiles, condignam et celerem, vt ipsa rei magnitudo exigit, mererentur animaduersionem et poenam in suis auctoribus et fautoribus, tamquam publicae quietis et tranquillitatis turbatoribus, statuendam. Quemadmodum itaque, vt connata nobis, augustaeque domui Austriacae clementia, omnibus fidelibus nostris subditis magis, magisque innotescat; maternusque noster in gentem Valachicam affectus, caeterum quoque clarescat, intentio nobis non est, nec vnquam fuit, graecum ritum in latinum mutandi, (prout forte terminum catholici, rescripto nostro ac dein speciali articulo insertum quidam ac perperam interpretati sunt, qui potius in maiorem Valachorum securitatem iuriumque et indultorum robur, ac firmitatem adiectus est) neque porro quemquam illorum ad deserendum antiquum suum ritum, cogere intendimus; ita hac etiam vice vniuersos et singulos eiusdem gentis fideles subditos, nostros benigne et perquam serio monendos esse duximus, quatenus praedeclaratis animositatibus, superstitionibus, nefandis actibus, caeterisque in sua viscera grassandi modis quamprimum supersedere, ad obsequium redire, quieteque ac pacifice conuiuere studeatis, ac satagatis; neque sinistris suggestionibus et malesuadis consiliis locum praebentis. Secus enim noueritis, quicumque vestrum ac etiam alii, contumacia ducti, posthabita et vilipensa materna hac monitione nostra, similes ausus, et enormitates attentasse, consilio et opera alios ad id patrandum qualitercunque incitasse vel iuuisse, per instituendam super eo strictam inquisitionem, comperti fuerint, non aliter contra tales, quam refractariatus criminis reos, quietisque patriae turbatores, iure procedetur et poena contumaciae pro rei merito statuatur irremissibiliter exigenda. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae die V. Aprilis, A. Domini 1746.

Quidam Pseudomonachus (teste Fleuriano continuatore Tomo LXXIX. pag. 156.) egregius Sycophanta, qui rudem valachicum populum, — e mentita sua pietate ac spurio religionis zelo, seduxit, sparsisque pluribus mendaciis — palam Valachis insurrauit, eos ab auita patrum suorum religione aberrasse; sub vnionis specie ad ritum latinum compelli, non modo aeternam eorum salutem sed et ipsam libertatem eorumque bona periclitari; nil aliud intendi, nisi vt ipsi aequae ac Calvinistae et Lutherani vno interitu eradicarentur. — „Protestantes perfidos, delusosque Valachos ad apostasiam, consuetis suis calumniis in Papam et Catholicos effusis, potenter sollicitabant, vt a catholicorum vnione auellerent.“ — Eodem tempore Calviniani, teste eodem ibidem p. 188. suorum ad Catholicos accessionem experti sunt: cuius originem in haec verba refert: „Jam a primis Calvinianae sectae incunabulis non paucos exstitisse, qui nimis crudam Caluini et Bezae doctrinam de absoluto praedestinationis et reprobationis decreto conuocare non poterant. — In Hungaria et Transilvania etiam complures ob absolutum palam repugnabant; praecipuos inter hos Hustius oratione tractatum suo de iuris prudentia Hungarico-Transilvana, Cibinii edito praefixa. Cuius rationes, postquam in Synodo Claudiopoli anno 1746. celebrata, elisae non fuissent, Hustius cum suis ad gremium matris Ecclesiae reuersi sunt.“ Hustius propterea in Magyar Athenas atro colore depictus.

226. *Eadem Regina festa decretalia etiam a Praedicatoribus A catholicorum obseruari vrget. A. 1747.*

— Dum sacra sua Caesareo-Regia Maiestas pro legis adimplemento festorum de-

cretalium exactiorem obseruationem, etiam per praedicantes, plebi suae confessionis, semper praeuie ex cathedra publicari benigne ordinasset, haecque benigna ordinatio in regno hoc circulariter isthinc publicata fuisset; ex parte quorumpiam comitatum ea mota est quaestio, an etiam praedicantibus talismodi festa plebi suae praeuio modo publicantibus, pro uргentiore necessitatis ratione et casu, praecipue aestiuo tempore, quoad hunc vel illum laborem, perficiendum, dispensare liceat. Quia uero, vi constitutionum pontificiarum ac sacrorum canonum in his etiam dispensatio solis episcopis, et per hos solis ecclesiasticis nostris legitimis, utpote Romano-catholicae ecclesiae administratoribus ac parochis concessa foret, laicis uero nullatenus, minus uero praedicantibus, uelut in spiritualibus quid statuendi incapacibus, admitti quiret, et alioquin iurisdictio et uigilantia singuli uicearchidiaconi, catholici parochi, in spiritualibus uniuersaliter ad loca etiam illa, ubi nimirum praedicantes forent, ne per hos quid aduersi et illiciti agatur, aut tentetur, semet extenderet; hinc E. V. uicearchidiaconos et parochos — in puncto etiam festorum decretalium obseruationis eo instruere uelit, quo hi in locis quoque acatholicorum articularibus, aut aliis, ubi nimirum praedicantes forent, sedulam eatenus uigilantiam habeant, excedentesque legitimo magistratui pro debita horum punitione deferant. — Datum — die XXIV. Jan. anno Domini 1747. — Mandat. p. 43.

Solebant Superintendentes acatholicorum suomet arbitrio nouitates introducere, ut I. solennitates diebus dominicis amplius a suis non celebrentur. II. Ut nocturnae ipsorum preces pridie, siue ipsa nocte, festi natiuitatis Christi Domini, ulterius non continerentur; atque III. ut solitus in memoriam, salutationis Angelicae, seu incarnationis Saluatoris nostri, campanarum pulsus, etiam per acatholicos hactenus passim obseruatus, imposterum abrogetur; haec quoque praesumptio Benigno-gratiose fuit reprobata 8a mensis Aug. anno 1747. Mandat. p. 50.

227. *Eadem Regina templa ab Aatholicis occupata, Dominos terrestres, Episcopos, et Parochos, ad praecauendos tumultus, priuata auctoritate reoccupare, prohibet. 1747.*

Anno praeterito III. Mensis Junii contigit, quod possessionis Poluma, in comitatu Sarosiensi sitae, domini terrestres catholici, nobiles quippe Berzewitzzy, assumpto etiam ad se parochio catholico Berzewitzensi, templum ibidem, olim catholicum, uia facti, et uolenta manu reoccupauerint; hocque facto parochus praenominatus Berzewitzianus in templum hoc, praeuio modo reoccupatum uen. Sacramentum transtulerit, ibidemque ritu nostro diuina ac etiam processionem cum uen. Sacramento in caemeterio, idem templum ambiente, instituerit; et post haec ibidem etiam uen. Sacramentum reliquerit; paulo post uero in festo utpote SS. Trinitatis, praefatae possessionis incolae acatholici, concurrentibus plurimis uicinarum etiam possessionum acatholicis incolis, armata manu templum illud rursum reoccupauerint, ac in eodem, existente etiam ibid. uen. Sacramento, confessionis suae exercitium denuo reassumerint, et continuauerint; id uero praefati Domini terrestres rescientes, templum

idem, adhibitis etiam comitatus haidcnibus, iterum reoccupauerint, in praesens, ex benigna suae Maiestatis ordinatione, vsque vltiorem eiusdem dispositionem obsigilatum. Quem casum Sacra Sua Caesarea Regia Maiestas ideo cumprimis, quod ex praeuio modo intercedente reoccupationis actu SS. Eucharistiae Sacramentum acatholicorum irreuerentiae ac profanationis periculo expositum, et ibidem relictum fuerit; et de reliquo, quod negocium religionis sibi soli benigne reseruatam sit; adeoque in hoc nemini, sine scitu et annuentia eiusdem quid agere aut operari liceat, displicenter ferendo, ne amplius huiusmodi scandalosi et illiciti casus, concursu etiam plebanorum aut religiosorum quorumpiam eueniant, necessarias eatenus praecautiones, et signanter apud vniuersos huius regni dioecesanos circulariter institui, illisque isthinc serio ac districtim nomine regio intimari benigne iussit, vt hi parochos suos sub graui poena, religiosos vero sub rigorosa correctione ab huiusmodi occupatarum ecclesiarum reconciliationibus strictissime inhi-beant. — Datum — die XI. Iulii anno Domini 1747. — Mand. p. 47.

228. *Eadem, quantum templa Aatholicorum priuata auctoritate reoccupari vetuit; tantum sine indultu multiplicari vetat. A. 1748.*

Sua Sacratissima Caesarea Regiaque Maiestas de possessionis Vadkert, in comitatu Pestensi existentis, incolarum Aug. et Helu. confessioni addictorum, religionis quippe suae confessionis exercitium publicum eo ante duos abhinc annos, contra benignas resolutiones regias, ex indultu sui terrestri domini Baronis Orczy introducendum, illudque medio sui ludimagistri in peculiari domo ad praesens practicantium; spiritualium vero administrationem a praedicante Halasiensi, alias extra dioecesim existente, recipientium; funera nihilominus per loci ludimagistrum acatholicum peragitur curantium, et demum iam etiam nouum oratorium ex crudis tegulis ibidem exstruentium, temerario ausu benigne informata, sub XXII. huius elementer resoluit, et serio demandauit, vt, in poenam attactorum incolarum acatholicorum, condignam, idem oratorium funditus demoliatur, exercitiumque religionis eorundem ibidem penitus abrogetur; et memoratus eorundem ludimagister abinde mox amoueat, iidemque incolae in muniis parochialibus iurisdictionato ibidem, tamquam in filiali sua, parocho Kecskeensi subiiciantur; praedicans porro Halasiensis ab excursionem ad Vadkert, Augustanae autem confessionis ibidem existentes incolae quoque ab accessu eiusdem praedicantis Halasiensis, velut Helueticae confessionis ministri, serio inhi-beantur; postremo vero praefatus illorum dominus terrestri, ex ratione, qua illis eo introducendi religionis eorum exercitii indultum contractualiter praebuerit, hocque facto etiam aliis dominis terrestribus publicum graue scandalum dederit, acatholicis vero excedendi ansam, imo stimulum praebuerit, per comitatus Pest. magistratum in publica comitatus congregatione serio reprehendatur; vtque imposterum ab eiusmodi temerariis contrauentionibus, et scandalosis factis abstineat, districtim inhi-beatur. — Dat. — die 26. mensis April. anno Dom. 1748. — Mand. p. 54.

229. *Eadem Parochorum egentiae providendum benigne statuit. A. 1748.*

Ex nuper submissa neoerectarum in possessione Sziglid, Tószeg, Kétske et Isák parochiarum conscriptione quoniam pateat, quod in praeattactis locis, ad mentem Benignae Caesariae Regiae ordinationis, anno 1733. emanatae, pro parochorum meliori subsistentia requisiti vnus sessionis colonialis fundi excisi non habeantur; hinc praetitulata D. R. eatenus praefatorum locorum Dominos terrestres suo modo require-re ac cum iisdem agenda agere, atque negotium eo promouere, sataget, quo ad mentem praecitatae benignae ordinationis non solum praefati parochiales fundi, debito modo vbique locorum excindantur, circa hosque necessarij labores per loci incolas, intuitu annui seruitii spiritualis, annua quoque conuentio pro more illarum partium ineatur, et rite obseruetur, vt obtentis his per parochos adminiculis, atque ex hinc adstipulata illis competente subsistentia, demum cassa parochorum onere praestandi subsidii denuo liberetur. Nec secus eo quoque praetitulata D. V. omnem impendet conatum, vt patroni ecclesiarum et parochiarum, ad mentem itidem praecitatae benignae R. ordinationis, muneri et obligationi suae satisfaciant; sequaciter talismodi ecclesias et parochias, vbi necesse est, exstruant, aut restaurent, atque in bono statu conseruent. — Dat. — die III. Febr. anno 1748. — Mand. p. 222.

230. *Eadem Restaurationem^m ciuibus ea sub conditione admittit, ne Catholicos ob religionem, a Magistratus, et conciuilitatis consortio excludere praesumant. 1748.*

Maria Theresia Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae; Archidux Austriae, nupta Dux Lotharingiae et Barri, Magna Dux Hetruriae. Prudentes ac Circumspecti Fideles Nobis dilecti. Quandoquidem solito restaurationis Vestrae Magistratualis termino ratione contagiosae Luis dilato existente, iam vero vti ex demissis literis vestris, ad nos die 20a praeteriti mensis Aprilis directis informaremur, ex misericordia Dei malo eiusmodi Luis Epidemiae in gremio istius liberae ac regiae Ciuitatis nostrae finaliter cessante dictae magistratualis restaurationis actum extra consuetum etiam restaurationis terminum, pro hac vice, absque interuentu commissarii nostri regii, ad vltiorem tamen benignam ratificationem nostram peragendam vobis admittere; et concedere resoluissimus. Id circo Vobis harum Serie benigne simul ac firmiter committimus et mandamus, quatenus debitam, eamque homagialem erga maiestatem nostram deuotionem vestram prae oculis habentes, semotis quibusuis simultatibus, et priuatis respectibus, quae omnia vobis vigore praesentium serio interdiciamus, in ordine quo ad memoratam magistratuaalem restaurationem vestram cumprimis ea, quae pro incremento et emolumento orthodoxae fidei romano-catholicae, seruitii item nostri promotione ac publico vestro commodo, et vtilitate, iustitiaeque communis indefessa administratione, et consequenter vltiori peculii huius nostri conseruatione, et permansione vtilia, proficua et commoda fore existimaueritis, decenter, pacate et concorditer tractare noueritis; senatoriales demum, imo aliorum etiam subalternorum officiorum vacantias si quae medio tempore

emersissent (habilibus et idoneis, ac de peculio hocce nostro regio benemeritis subiectis) ad vltiorem benignam ratificationem nostram redintegrare et complere, Juramentum vero ab his, qui ad officia ciuilia rite et legitime, vel etiam in numerum ciuium assumuntur, eo modo, prouti gloriosae memoriae genitor noster desideratissimus disposuit, et hactenus in vsu fuit, acceptare, totum denique internum senatum vestrum debite et competenter, proque vltiori peculii huius regii nostri emolumento et incremento regulare, ac tandem super totius magistratualis restorationis vestrae, vobis modo praevio concreditae serie cum annexa etiam in interiori et exteriori senatu, atque electa communitate constitutorum specificatione, et religionis ac officii ipsorum expressione, Maiestati nostrae fidelem, et genuinam relationem intra vnum mensem a die praeattactae restorationis vestrae computandum, in duobus exemplaribus, quorum vnum regiae cancellariae nostrae Hungarico-Aulicae directe, aliud vero regiae camerae nostrae Hungaricae inuiandum erit, demisse submittere et praeterea rationes etiam debite confectas, et in contributionalibus quidem regio nostro Hungarico Locumtenentiali consilio, de aliis vero regii huius nostri peculii proventibus et erogationibus praenotatae regiae camerae nostrae Hungaricae effectiue transmittere, ac Maiestatem nostram genuine, ac specificè pro quot, et qualibus annis easdem ab vltima etiam restoratione Vestra iam effectiue transmiseritis informare debeatis, ac teneamini. In reliquo gratia nostra regia vobis benigne propensae manemus. Datum in regia arce nostra Pragensi die 9na mensis Maii anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo octauo. Nñe Reginae Franciscus. Comes Ludovicus de Bottan.

231. *Eadem Regina, vt in negotio religionis, constitutio Carolina tam Catholicis, quam Aatholicis, pro norma seruiat, praecipit. 1743.*

Prudentes ac circumspecti nobis honorandi! Suae sacrae regiae Maiestati a tempore suscepti regiminis sui ad sensusque variis tam catholicam religionem profitentium, quam et Augustanae ac Helueticae confessioni addictorum regni huius Hungariae incolarum quaerimoniis, in pluribus id circo exhibitis memorialibus deductis, demisse repraesentatis existentibus, eadem summe fata sua regia Maiestas tamquam communis Mater omnium fidelium subditorum suorum, veluti catholicis, ita etiam praenominatas confessiones profitentibus regnicolis regiam benignitatem, maternumque affectum suum demonstrare et a quibusvis iniuriis liberos eosdem conseruare benignissime cupiens, clementer confirmat pietissimae memoriae genitoris et immediati Praedecessoris sui desideratissimi benignam resolutionem ad acta commissionis articularis in negotio religionis habitae anno 1731. impertitam et sub 6. mensis aprilis anni eiusdem per regnum publicatam, benignissimeque vult: vt illa ambabus partibus, catholicis nempe et acatholicis pro Norma seruiat, et tam quoad alia, quam etiam quoad iuramentum stricte obseruetur, ac in quantum ab eo tempore contrauentiones quaequam factae fuissent, seu quiscunque regnicolarum praeallegatae benignae regiae re-

solutioni, priuata auctoritate contrauenire, et siue catholicus acatholicum, seu acatholicus catholicum eatenus turbare, aut molestare attentasset, vel etiam imposterum attentauerit, desuperque priuato nomine apud athesatam suam Maiestatem regiam, aut regium hoc locumtenent. Consilium instantia facta extiterit: Re seu factis, quorum intuitu grauamen et instantia ponitur, citra longiorem moram, et non admissis eatenus ponendis impedimentis fundate examinatis, riteque discussis, superinde conueniens, et opportunum remedium pro supremo regio munere suo realiter ac effectiue decernere.

Quam in praemissis deductam alte memoratae suae regiae Maiestatis benignam resolutionem, ex speciali, eoque benignissimo iussu regio ciuitatis huius magistratui pro eiusdem, ac omnium et singulorum notitia, et vltiore directione hisce intimandam esse duxit consilium istud locumtenent. regium. Datum Posonii die 24. mensis Decembris anno 1742. celebrato. Eorumdem beneuoli comes Leopoldus de Nádasd m. pr. Georgius Fabiankovics m. pr. Andreas Morics m. pr. Prudentibus ac circumspcctis N. N. Judici Primario, Consuli, ceterisque Senatoribus ac Juratis Ciuibus. Toti denique communitati liberae ac regiae ciuitatis Szathmár-Némethiensi Nobis honorandis. Tokaj. Szathmár. Ex officio. Indorsatio. Publicatum die 8. Ianuarii 1743. vt benigna resolutio regia in puncto institutae commissionis articularis in negotio religionis sub 6. mensis Aprslis 1731. Regnotenus publicata tum quoad iuramentum, quam et alia, tum catholicis, tum acatholicis pro norma seruiat.

232. *Eadem, vt quoad formam etiam iuramenti eadem constitutio seruiat, praescribit. A. 1748.*

Maria Theresia Dei Gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, ac Sclauoniae, Archidux Austriae etc. et. Prudentes ac circumspccti fideles nobis dilecti! Quandoquidem ex rationibus et motiuis matti nostrae apprime notis imminentem magistratualis restorationis vestrae actum pro hac etiam vice absque interuentu commissarii nostri regii, ad vltiorem tamen benignam ratificationem nostram peragendum admittere ac vobis concedere benigne resoluissemus. Idcirco vobis harum serie benigne simul ac firmiter committimus et mandamus quatenus debitam, eamque homagialemp erga mattem nostram deuotionem vestram prae oculis habentes semotis quibusuis simulatibus, et priuatis respectibus, quae omnia vobis vigore praesentium serio interdiciamus, in ordine quoad memoratam magistratualement restorationem vestram nonnisi ea, quae pro incremento et emolumento orthodoxae fidei romano-catholicae seruitii item nostri promotione ac publico vestro commodo, et vtilitate, iustitiaeque communis indefessa administratione et consequenter vltiori peculii huius nostri regii conseruatione et permansione vtilia, proficua, et commoda fore existimaueritis, decenter pacate et concorditer tractare noueritis; senatoriales demum imo aliorum etiam subalternorum officiorum vacantias, si quae medio tempore emersissent, habilibus et idoneis, ac de peculio hocce nostro regio bene meritis subiectis ad vltio-

orem Benignam ratificationem nostram redintegrare, et complere, Juramentum vero ab his, qui ad officia ciuilia rite ac legitime, vel etiam in numerum ciuium assumuntur, eo modo, prout gloriosae memoriae genitor noster desideratissimus in Anno 1731. disposuit acceptare, totum denique internum statum vestrum debite ac competenter, proque vltiori Peculii huius nostri Regii emolumento et incremento regulari, ac tandem super totius magistratualis restaurationis vestrae, vobis modo praeuio concreditae serie, cum annuis etiam in interiori, et Exteriori (vbi habetur) Senatu, atque electa communitate constitutorum specificatione, et religionis ac officii ipsorum expressione Maiestati nostrae fidelem et genuinam relationem intra vnum mensem, a die praeattactae restaurationis vestrae computandum, in duobus exemplaribus, quorum vnum Regiae Cancellariae nostrae Hungarico-Aulicae directe, aliud vero Regiae Camerae nostrae Hungaricae inuiandum erit, demisse submittere; et praeterea rationes etiam debite confectas in contributionalibus quidem Regii huius nostri peculii prouentibus et erogationibus praenotatae Regiae Camerae nostrae Hungaricae (vti etiam anno praeterito vobis iam aliquas (vti in priori relatione vestra appromisistis) et pro quo, aut quibus Annis Consilio; vel Camerae nostrae Regiis submiseritis? vel cur illud intermiseritis? genuine informare debeatis, et teneanimi. In reliquo gratia nostra Regia vobis Benigne propensae manemus. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae Die 13. mensis Decembris anno Domini 1748. Maria Theresia mp. Comes Ludouicus de Battyán mp. Michael Bobok mp.

233. *Eadem Regina desultoriae fidei homines ad officia reuocandi modum praescribit. Anno 1749.*

Sacra sua C. R. Maiestas in hoc Hungariae regno, inter reliquos catholicorum excessus apostasiae quoque crimen in dies magis et magis inualescere, displicenter sane obseruans, pro huiusmodi criminis omnimoda imposterum anteuersione, atque in hoc crimen incidentium rursus ad veram fidem reductione, et signanter circa instituentium contra eiusmodi crimine implicitos processum, sequentia exactius deinceps obseruanda sub secunda huius benigne resoluit: et quidem I. Vt habita fundata attestazione vel grauiori suspitione, magistratui iurisdictionato facta, quod quis a fide catholica ad Aug. vel Helu. confessionem descuerit ac testibus idoneis, per fiscalem statuendis, aut denominandis legali methodo, habitaque ad aggrauantes in subiungenda forma examinatis expressas circumstantias reflexione examinatis, nobiles, penes communicationem inquisitionis, aliorumque, si quae adsint, documentorum pro competenti termino; ignobiles vero, iuxta proxime consuetam, ad personaliter comparendum citentur; atque vbi metus profugii aut alia peculiaris ratio ignobilium comprehensionem suaderet, comprehendi quidem possint, verum si sufficientem fideiussionem pro se statuunt, vsque reuisionem causae, seu finalem suae M. C. R. resolutionem, ex arresto dimitti debeant. II. Adueniente termino processus, secundum omnes formalita-

tes, de lege et praxi regni praescriptas, debito iuris ordine instituantur; ita ut, relictis sub defluxu ignobilibus quidem pure in merito, nobilibus vero etiam quoad formalitatem, defensionis mediis, idem summarie, hoc est, quo celerius et exactius reuideatur. III. Ut realitas, qualitasque delicti tanto solidius cognosci queat, magistratus in figura iudicii, pro recepto more, examen rei instituet; eumque, si opus fuerit, sub tali examine cum statutis testibus confrontabit. Puncta vero examinis haec erunt: 1) Vtrum a parentibus catholicis vel acatholicis natus? 2) An catholicus fuerit ab infantia vel conuersus? 3) Quando? vbi? cuius consilio? quibus ex motiuis apostatauerit? Et quot tunc annorum fuerit? 4) An non solemnem fidei professionem elicuerit? 5) An non aliquando et quoties fidem catholicam se seruaturum, iuramento firmavit? 6) An non suas vel coniugis, aut aliorum proles, in sua potestate constitutas, data opera ad scholas acatholicas transtulerit? vel alium et quem modum adhibuerit, ut luminis verae fidei impedimentum iisdem ponere potuerit? 7) An alios et quos? vbi? quando? quibus consiliis et motiuis ad apostasiam pertraxerit? 8) Quoties apostatauerit? IV. Delicto, eiusque grauitate, secundum circumstantias legaliter cognitis, sententia infligendae poenae pro comperto ferenda eademque; cum tota processus serie, vniuersisque actis, ante pronunciationem et executionem consilio huic regio locumtenentiali, ab hinc vero, cum voto et opinione, suae maiestati C. R. repraesentanda veniet; ita ut ignobiles, nisi fideiussores habeant, illico post latam sententiam inarestentur, ac interea vti etiam deflui processus tempore, per parochum loci, aut alias ecclesiasticas, religiosasque personas, exclusis ab eorum consortio, aut accessu praedicantibus, omnibusque aduersae religionis hominibus, et vel maxime iis, in quos metus seductionis cadere potest, verae fidei principiis imbuantur. V. Dictandae vero poenae hic modus erit: ut, si nobiles aut ignobiles, Latini seu Graeci ritus vnitorum apostasiae conuinci contigerit; iis pro praeterito, seu talibus apostatis, qui vsque praesentem benignam suae Maiestatis C. R. resolutionem, a fide descuerant, poena annui carceris; biennii vero, si iteratis vicibus apostatauerint; vtroque cum duorum dierum, Mercurii et Veneris, ieiunio in pane et aqua, statuatur: quod si autem ad frugem redire potuerint, expleto hoc carceris tempore, liberi admittantur. Pro futuro porro, hoc est, post hanc suae Maiestatis C. R. resolutionem in Apostasiam lapsi, si incarcerati etiam non resipiscerent, nobiles quidem grauiori pecuniae mulctae facultatibus ipsorum commensurandae subiicientur; ignobiles vero vel ad publica opera per plures annos perficienda, vel exsilium condemnabuntur. VI. Ad haec Aatholici, alios quacunq; arte ad apostasiam seducentes, communi cum Apostatis simplicibus poena, sub praeuia tamen inter nobiles et ignobiles posita classificatione plectentur; minores vero, quacunq; ratione a fide orthodoxa deficientes, magistratualiter comprehendendi, et ad locum quempiam idoneum, vti sunt religiosi conuentus, seminaria vel aliae pro iuuentute destinatae foundationes, pro studiis, si capaces, applicandi, et in rudimentis fidei instruendi; affabiliterque tractandi, erunt; qui si vsque legitimam aetatem non resipuerint; id Consilio huic R. L. abhinc vero suae Maiestati C. R. repraesentabitur: qui autem studiorum incapaces erunt, tales praeuie

in fide bene instructi, eademque denuo amplexi ad officia vel alia seruitia, non tamen acatholicorum, cum quibus quantum fieri potest, omnis conuersatio praecauenda, accomodabuntur, eorumque specialis cura a Magistratu habenda. VII. Parochi bono modo, non coactiue; parentes eo disponere ad laborabunt, ut proles ex diuersae religionis matrimoniis susceptae, ritu catholico educantur, desuperque reuersales porrigant, dioecesanis duntaxat et medio horum Parochis, pro debita obseruatione: orphani vero, ut in fide catholica educantur; magistratus iurisdictionati non minus, quam dioecesani, et horum parochi sedulo curabunt; et praeterea etiam in tam rescindendis, ac denunciandis Apostatis, quam instituendo contra eiusmodi rescitos et denunciatos processu ut muneri et obligationi suae, sub onere strictae de neglectu reddendae rationis, satisfaciant, altesata sua M. serio mandat. VIII. Ut parentes catholici, sub grauissima animaduersione, a mittendis ad acatholicorum scholas prolibus; ludimagistri vero acatholicorum, sub multa 12. florenorum in illis desumenda, et in casu vltioris contrauentionis duplicanda, a recipiendis eiusmodi catholicis prolibus, magistratualiter inhibeantur. IX. Ut in locis, vbi necessitas postulat parochiae harumque ministri, seu parochi catholici instituantur; et si acatholicorum ministros vltra loca mansionum suarum excurrere, aut in iurisdictionem catholicorum parochorum inuolare hosque turbare contigerit; talismodi contrauentiones suae M. C. Regiae medio huius consilii R. L. illico repraesententur: ac demum Magistratus quoque sedulo inuigilent, ne ludimagistri et notarii acatholici in locis, vbi ministri, seu praedicantes non habentur sub amissione officii, populo conciones faciant, aut postillas praelegant; neue Domini terrestres acatholici, exercitium suae confessionis, pro priuato vsu admissum habentes, sub poena cassationis huius, extraneos ad sua oratoria admittant, aut ipsorum praedicantes ad alias domos excurrant; serio pariter inhiibendi. Quae benigna suae M. C. Regiae resolutio praetitulatis DD. VV. praesentibus finem in eum intimatur, quatenus in ordine ad illius debitam obseruationem, et effectuationem quasuis necessarias dispositiones mox facere, praecipue autem in quosuis huius Comitatus vel Ciuitatis reperibiles apostatas, strictius inquirere, contra inquisitos aut rescitos aut denunciatos, iuxta praeuio modo praescriptam methodum debite procedere — nouerint. Datum — die XVII. Ianuarii anno 1749. — Mand. Reg. p. 58.

234. *Benedicti XIV. PP. quoad matrimonia mixta constitutio. 1748.*

Benedictus P. P. XIV. Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Magnae Nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fide dignorum relatione certisque grauium Virorum literis accepimus, falsam quamdam in isto Poloniae regno opinionem et famam inualuisse; quod scilicet ab hac Sede Apostolica, cui Nos, licet immeriti, Diuina ordinatione praesidemus, aliquae dispensationes Matrimoniales concessae ac missae fuerint et hactenus concedi et mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta canonica Matrimonio legitime aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter, vel etiam vterque Haereticam sectam aperte profiteatur.

Quod quum nonnisi per iniuriam et intolerabilem calumniam excogitatum sit, atque disseminatum; Apostolici ministerii nostri officio deesse Nos arbitraremur, nisi Vobis, Venerabiles Fratres, atque omnibus, ad quos hae litterae Nostrae peruenturae sunt, testatum ac manifestum redderemus, quae sit in hoc rerum genere perpetua Apostolicae huius Sedis agendi regula, et constans consuetudo; simulque Vos omnes et singulos per istud Poloniae Regnum, sua semper fide ac religione commendatum, Ordinarios Praesules constitutos, enixe admoneremus, et per misericordiam Dei obsecraremus, vt literas Dispensationum Matrimonialium, quae pro ipsius Regni Incolis ab hac sede et curia mittuntur, et ipsi attente legatis, atque expendatis, et a vestris quoque Vicariis et Officialibus accuratissime considerari iubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid vsquam in hac parte peccatum est, non id factum esse Apostolicae Sedis, eiusque officialium culpa, verum aut Ordinariis locorum, aut eorum Ministris, qui transmissas Dispensationum Literas nec legere nec satis pensare curarunt, omnino tribuendum:

Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus lueulenter demonstratur antiquitas eius disciplinae, qua semper Apostolica sedes Catholicorum cum haeticis coniugia reprobauit; sed aliqua duntaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad Nostra vsque tempora constanter seruata, apud Nos et Apostolicam sedem non minus integram vigere ac religiose custodiri. Hoc est, quod de seipso, suisque temporibus testatus est felicis recordationis Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. in suis literis Apostolicis datis die XXX. mensis Decembris anni MDCXXIV., quae leguntur apud Cardinalem Albitium in libro, cui Titulus: De inconstantia in Fide, cap. 37. Nr. 217. vbi ita scribit; „Licet probe teneamus Catholicorum cum Haeticis Matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in nobis est, a Catholica Ecclesia procul arcere intendamus.“ Nec minus aperte sententiam suam declarauit piae memoriae Praedecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in literis die XXV. Junii anno MDCCVI. datis et editis in collectione ipsius Breuium et Epistolarum Romae vulgata anno MDCCXXIV., vbi pag. 321. sic legitur: „Maioris momenti esse existimamus Ecclesiae Dei, Apostolicae sedis, Praedecessorum Nostrorum et Sacrorum Canonum, a Catholicorum cum haeticis coniugio abhorrentium, regulas, nisi id totius Christianae reipublicae bonum exposcat, non transgredi.“ Et in aliis literis datis die XXIII. Julii anno MDCCVII. in eadem collectione relatis. p. 391. „Ecclesia siquidem ab huiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praefereunt, abhorret.“

Sed et Nostrum hac de re iudicium satis patere arbitramur ex Decretali rescripto auctoritate nostra edito die IV. Nouembris anni MDCCXLI. et impresso Tomo I. Bullarii nostri num. XXXIV. §. 3. cuius verba sunt, quae sequuntur: „Dolens in primis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta Mater Ecclesia perpetuo damnauit, atque interdixit; ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinentium non ducunt;“ laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui seuerio-

ribus propositis spiritualibus poenis, Catholicos avertere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant; Episcopos omnes et Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles Ministros in iis partibus Hollandiae videlicet ac Belgii degentes, serio grauiusque hortatur, ac monet, vt Catholicos vtriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem adeundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliore modo intermittere, atque efficaciter impedire satagant. Et quae paulo post subiecta sunt, vbi de iam contracto Catholicae partis cum altera haeretica connubio, haec habentur: „Id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem Catholicum siue virum, siue feminam, vt pro grauissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem, a vera fide aberrantem, ad gremium Catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam, oportunissimum foret, sciens de cetero, vt mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatumire.“

His autem veluti fundamentalibus Apostolicae Sedis regulis eiusdem agendi ratio constanti vsu recepta, apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contingit, siue pro obtinenda simplici facultate contrahendi Matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur, siue praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter Contrahentes intercedit, nisi hac expressa lege, seu conditione adiecta, nimirum abiurata prius Haeresi. Quin etiam recolendae memoriae praedecessor Noster Innocentius P. P. X., vltius progrediens, iussit et cauit, ne dispensationes huiusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius dictum esset, Haeticam labem a contrahente Heterodoxo eiuratum fuisse; quod testatum reliquit laudatus Cardinalis Albitius Congregationis Uniuersalis Inquisitionis tunc temporis Assessor, in supracitato tractatu de Inconstantia in fide cap. 18. n. 99. Praefatus Praedecessor Clemens XI. in Congregatione Sancti officii coram se habita die XVI. Junii anni MDCCX. mandauit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechlinensi, ne vllas omnino licentias, aut dispensationes impertiretur, pro Matrimoniis inter contrahentem Catholicum et alterum Haeticum celebrandis, nisi abiuratio Haeresis reipsa praecessisset; Theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerint, acriter admonendos decreuit, quemadmodum memoriae prodidit bonae memoriae Vincentius huius S. R. E. Cardinalis Petra nuncupatus, in suo commentario ad Constitutionem XII. Joannis XXII. ipsius operis tomo IV. p. 76. n. 14.

Quodsi nonnulla inueniantur exempla, Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi Matrimonium, aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt, non adiecta conditione de abiuranda prius Haeresi; rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessionem fuisse, et quidem plerasque earum pro Matrimoniis inter supremos Principes contrahendis, nec nisi grauissima vrgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente, factas fuisse; insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas, tum ne Coniux Catholicus ab Haeretico peruerti posset, quia

potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, vt proles vtriusque sexus ex eo Matrimonio procreanda, sit in Catholicae Religionis sanctitate omnino educanda. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum Executoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter et data opera officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat, in omnibus Casibus, quibus facultates aut dispensationes ab apostolica Sede petuntur pro Matrimonio a Catholico Viro, aut Muliere, cum haeretica foemina aut viro contrahendis; eandem Apostolicam sedem, vt supra diximus, huiusmodi Matrimonia, nisi Haeresis abiuratio praecedat, semper improbasse, ac damnasse, et nunc quoque abominari ac detestari. (Quapropter praecipit in dispensationibus petendis: num ii, quorum res agitur, orthodoxae fidei cultores vere sint, et sub obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae vivant, viuereque ac mori intendant? exponendum semper veni-
re). Tum concludit:

Jam vero longius processit oratio nostra, quam nobis huius epistolae initio propositum fuerat; cuius rei tamen nos minime poenitet; nobis enim summopere cordi est maximeque interest Catholicae Religionis ac Sedis Apostolicae, vt factorum rerumque veritas non ignoretur, neque falsi rumores adversus sacram Petri Cathedram disseminati fidem inueniant; si quae autem contra sacros canones vllibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Ut autem eo redeat epistolae nostrae finis, inde eadem initium desumpsit, Tibi, Venerabilis Frater, caeterisque istius regni ordinatis Praesulibus, iterum enixe commendamus, vt Apostolicas Dispensationum Literas, quae Vobis pro exequutione diriguntur et diligenter ipsi expendatis, et a Vestris respectiue officialibus attente considerari iubeatis; neque etiam superfluum existimetis, siquid in ipsis abnorme ac noui exempli adesse videatur, de earum veritate aut falsitate disquirere; multa enim malitia hominum est super terram, nec nobis rescire datum est, vsque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad aures nostras peruenit, quemdam fuisse, qui sublato gradus impedimento, haeticum virum cum muliere catholica, Matrimonio coniunxerit; cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitarit asserere, se in hac re Apostolicae dispensationis, quam ab vrbe accepit, auctoritate munitum fuisse; quum vero ad producendas huiusmodi dispensationis literas prouocaretur, eas nusquam edere potuerit, quia eas reipsa nunquam acceperat. Verum nos, de inlyta Polcnorum natione, quam patrinae charitatis affectu complectimur, deque sacri istius regni Praesulibus, quos omnes et singulos magno in honore habemus, favorabilius iudicantes, improbum huiusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, Venerabilis Frater gregique tibi commisso, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur. Datum Romae apud St. Mariam Maiorem, die 29. Junii MDCCXLVIII. Pontificatus nostri anno octauo. Benedicti Papae XIV. Constitutiones selectae. Parte II. p. 25. sqq. Edit. Rom.

Idem Beuedictus XIV. edidit etiam constitutionem super abusu libelli repudii vniuersorum

a Judaismo ad fidem catholicam conuersorum. Datum Romae, XVI. Kal. Octobris. A. 1747. — MSS. Kaprinay sub B. tomo XX. nro 12. p. 213.

235. *Idem Papa lenem, et efficacem Martini Biro, Episcopi Weszprim. Apostatas ad gremium Ecclesiae Catholicae reducendi, operum collaudat. 1750.*

Benedictus Episcopus — Literas fraternitatis Tuae, quibus nos de pastoralis sollicitudine tua, in aeterna Christi fidelium, ac praesertim heterodoxorum, dioecesis tuae salute suauiter fortiterque procuranda, certiores facis; libenti et gaudenti animo excepimus. Pastorales virtutes tuas, sacra cum eruditione coniunctas, ac parem caeteris laudibus zelum complexuri sumus. Persuasum tibi, venerabilis frater, esse cupimus, fraternitatem tuam, quo maiori charitatis ardore, vigilantiaeque studio et sacerdotalis pectoris firmitate, pro reducendis errantibus et recte sentientibus in catholica religione instruendis confirmandisque certauerit; eo maiori coelestium carismatum copia a pastorum principe, Christo Jesu, fore cumulandum. Nos vero, qui plane immerentes illius vices in terris gerimus, tecum maximopere gratulamur, meritisque Apostolicae laudationis praeconiis fraternitatem tuam prosequimur, fore in Domino speramus, vt noua semper pontificiis nostris in suprema catholicae ecclesiae procuratore molestiis, curisque leuaminis ac solatii argumenta praebere satagas, et adnitaris. Porro ad populum, tuae curae creditum, vt flagrantiori studio peragantur christianae pietatis, veraeque religionis a te instituta officia, magis, magisque incitandum, libenter votis serenitatis tuae annuentes, per rescriptum, hisce nostris, in forma breuis, litteris alligatum, vt postulaueras, coelestium munerum thesauros apostolica benignitate indulgemus. Interim diuini praesidii auspicem, nostraeque beneuolentiae pignus, apostolicam benedictionem, quam populo tuo elargiri valeas, fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris, die XIV. Nouembris 1750. Pontif. nostri anno XI. — Apud Roka Vitae Vespr. Praes. p. 487.

Breue Apostolicum ad RR. D. Sigismundum Stojka, Episcopum Transiluanum de matrimonio Calvinistarum. A. 1754.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem. Christina Macskásy, ex Calvinismo ad catholicam fidem conuersa, post recursum habitum ad S. Congregationem Concilii, humillime nobis per epistolam supplicauit, quatenus declararemus; an Matrimonium ab ipsa cum Michaële Dosa, Catholico ritu contractum, sit validum? non obstante, quod eadem Christina illud contraxerit viuente Stephano Várady, Calviniano, cui ipsa, quum eodem errore detineretur, nupserat, etsi sub famosa illa conditione: donec in honestate et puritate permanseris; atque coram curione et testibus Calvinianis. — Nos igitur debito muneris, quod humilitati nostrae inscrutabile Dei iudicium imposuit, consentaneum esse ducentes, vt iustis petitionibus annuere, ac Sacramenti Matrimonii indemnitati consulere, omniumque pastoralis no-

strae sollicitudini commissarum tranquillitatis providere (quod sane vtrumque enunciata petitio complectebatur) causam istam a S. congr. Concilii ad Nos ipsos immediate auocauimus, ac sedulo perpendentes, tum iuris tum facti producti circumstantias omnes, informationem item a fraternitate tua, et venerabilibus fratribus nostris Episcopis Agriensi et Vesprimiensi, ad S. congreg. Concilii transmissam, prae oculis habentes, tum auditis plurimis viris, nedum in S. Theologia, iure canonico peritissimis, sed apime etiam instructis de modo, forma et consuetudine, quibus Calviniani, in hisce regionibus, matrimonia contrahunt, inhaerentes alias decreto a nobis edito 1. Augusti 1748. (quod Fraternitati tuae ex tuamet informatione innotuisse deprehendimus) declarauimus, vti per haec Apostolica scripta declaramus: matrimonium inter Christinam Macskásy, et Stephanum Várady Calviniano ritu contractum, irritum ac nullum fuisse, ac proinde validum esse illud, catholico ritu contractum, inter eandem Chrystinam, ad catholicam fidem conuersam, et Michaëlem Dósa. — Equidem Venerabilis Frater, non te latent, quae tit. de condit. appos. leguntur: „Si conditiones contra substantiam matrimonii inserantur, puta; si alter dicat alteri: contraho tecum, donec inueniam aliam honore vel facultatibus ditiolem; matrimonii contractus, quantumcunque sit fauorabilis, caret effectu.“ An non aequè opponitur dissolubilitati, proindeque substantiae matrimonii, conditio illa: donec inueniam aliam, ditiolem, de qua laudatus canon; atque ista, sub qua contrahunt Calviniani: Donec in honestate permanseris. Nec sane quoties huiusmodi expressa conditio inseritur, ad intentionem generalem recurri potest, quod contrahant valide, ac iuxta legem Christi: potuisset enim generalis haec intentio in casu laudati canonis facillime allegari, et tamen non fuit a Patribus attentata; neque Nos illam attendimus, qui iuxta canones iudicamus. Minus autem valet, quod Fraternitas tua ex Calviniano rituali subnectit: conditionem nempe illam proferri a contrahentibus, non immediate post prolatum verbum: accipio, sed post praestitum ab iisdem iuramentum: Si namque totam illam contrahendi formulam mature consideraueris, perspicias ex praecedentibus responsionibus, et ex immediate subsequenti iuramento, vnicum et continuatum actum resultare; sic ad pauciora verba redactum: accipio te, et iuro, quod non deseram, donec in honestate permanseris. Quapropter praefata conditio consulto a Calvinianis adiecta, limitat atque restringit, consensum praestitum per verbum: accipio ad tempus tantum seruatae honestatis. Neque Venerabilis Frater in hac significatione Calviniana subiicienda moraberis, quoties animum tuum ad ipsosmet haereticos tuae dioecesis conuerteris; qui solent passim matrimonia quoad vinculum dissoluere, si mulier in honestate non permanserit; quin imo, si verum est, quod ciues Claudiopolitani iure iurando testantur; Consistorium ipsum Transilvaniae non semel Calvinianis, ad orthodoxam fidem conuersis, potestatem facit ad alia vota conuolandi, viuentibus adhuc respectiue prioribus coniugibus; ea quidem ratione, quod sectarii huiusmodi, isthic degentes, solubiler contrahant. Haec Venerabilis Frater scribenda censuimus Fraternitati tuae, vt scias, teneasque, matrimonium inter Christinam Macskásy et

Michaëlem Dósa contractum, ratum et validum esse; ac proinde omni cunctatione abiecta, permittas, faciasque eosdem, tanquam veros et legitimos coniuges cohabitare. Et Fraternitati Tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, apud S. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die XXV. Maii 1754. Pontificatus nostri anno quarto decimo.“ — Ex archiuo Epis. Transil. Adiuncta, effectus connotauit Kaprinay MSS. sub B. tomo XL. p. 169.

236. *Maria Theresia Regina A catholicos tumultuantes, ad externos Ministros recurrentes, communique nomine agitantes, redarguit. 1750.*

Vestras prærogatiuas, leges publicas, vobisque a piæ memoriæ patre meo in religionis negotio sancita pacta, salua seruare volo dum modo, vt vos fideles decet, gratis; ad externos ministros non recurratis; nullos in regno tumultus concitatis; nec plebem ac populum contra nos ad seditiõnem animetis: si quid autem fors contra vos, sicut nuper contra Jaurinenses, decerni audiatis, vestræ imputabitur insolentiæ. — Quid? negare ne audetis, quod contra me ad exterorum principum legatos confugeritis? Nonne Burmania Batauus, nec non Hannoueranus, imo et Borussicus oratores, vestrum nomine me sollicitarunt? — per vestros agentes, et procuratores, qui pro vestra causa diu noctuque per omnes vicos et compita currunt, prouocati. — Si turbatores hos scire auetis, interrogate Debreczinenses. — Non iussimus omnes filiales ecclesias vobis adimi, sed dumtaxat illas, in quarum vsu subreptitiõ modo, absque indulto nostro inuolastis. — Vtique vos ipsi apostasiæ seclis non approbabitis; ergo ne cuilibet ab vna ad aliã religionem impune transire licebit? — Toties ac toties iam iam Vobis præcepi, vt non communi, sed priuato nomine querelas vestras exponatis; eiusmodi deputationibus vestros ad pauperiem redigitis. — Responsum a cancellario accipietis.“ — Die ergo IV. Augusti sex deputatis, cancellarium accedentibus, hic respondit: Regia Sua Maiestas vestrum libellum perlegit quidem, quia tamen, vtpote nomine communi conceptum, seposuit: de caetero, quia tot deputatorum numerus Viennæ insolitus sit; eis regina suadet, vt causam suam per agentes pertractent, ipsi vero quantocius vrbe excedant, nec sinistris opinionibus ansam præbeant.“ Anno 1750. — Apud Cont. Fleuri tomo LXXX. p. 618.

237. *Eadem A catholicorum in Sacerdotes catholicos insolentiam coërcet. 1753.*

— Processu Fiscali contra nonnullos incolas possessionis Bokor, Augustanæ confessioni addictos, qui parochum catholicum, mortuum sepelire volentem, ouis pūtridis et scopis immundis, indigne habuerunt, sicque eandem sepulturam impediuerunt, per prætitulatas DD. VV. instituto, abhinc vero suæ Maiestati repræsentato; circa latam sententiam in eodem excessu sua Maiestas sacratissima clementer resoluerè dignata est; vt tametsi ad verbera condemnatæ personæ, pro grauitate delicti sui seueriorem poenam mereantur, ex clementia nihilominus caesareo regia et sub indubia spe futuræ earundem emendationis, hac vice singula persona, ictus, ex sententia co-

mitatensi sibi inflingendos, in medietate tantum subeat, et deinde libere dimittatur. Et siquidem ex actis submissis, signanter vero literis plebani Herentseniensis, instantiae praementionatorum incolarum adnexis, pateret, quod ad dictam possessionem Bokor praedicans Beriensis e loco mansionis suae excurrere, et ibidem in domo comitatensi munia parochialia peragere praesumat; istud vero interuentis benignis caesareo regis resolutionibus positue prohibitum foret; ideo nouerint praetitulatae DD. VV. in obsequium benignarum resolutionum inuigilare, ne e loco mansionum suarum deinceps praedicantes excurrant, et si in posterum vnus vel alter eorum ministrorum benignis hisce resolutionibus contrauenire praesumeret; talis refractarius et inobediens, si ignobilis sit, comprehendatur; si vero nobilis fuerit, suo modo legali citetur, et processus eidem instituitur; sententia feratur; ante executionem tamen consilio huic R. L. submitatur. Ceterum, quum domus comitatensis, in saepe dicta possessione Bokor habita non pro oratorio acatholicorum, verum quarterio militum aedificata esse, supponatur; eatenus illico disponent praetitulatae DD. VV. vt ad vsus illos, in quos aedificata est, applicetur, et hoc modo, etiam contribuentes incolae in supportando onere quarteriali subleuentur. — Dat. VIII. Jan. anno 1753.“ Mandat. p. 67.

235. *Eadem Graecis etiam non vnitis templa struenda assignat. 1753.*

— Diuersis ex partibus Graeci ritus et illyricae nationis hominum, in regno Hungariae, et partibus eidem adnexis degentium, in merito extructionis templorum suorum, passim impertiri solitae, ad suam Maiestatem C. R. delatis querelis, quo omnis vltior easdem formandi ansa, per certam eatenus statuendam normam pro futuro sufferretur, finem in hunc atefata Sua Maiestas clementer resoluit, vt in pagis et locis apertis, in quibus duntaxat meri Graeci ritus non vniti, incolae sunt, et et proprium sui ritus parochum habent, eorumdemque filialibus, si aequae tales sunt, in quibus nonnisi Graeci ritus non vniti habitant, iidemque ex 30 familiis ad minimum consistunt, liberum ipsis sit, sine praeuio recursu, ecclesias absque distinctione tum materialium (adeoque seu ex lapidibus, coctisue lateribus, seu vero ex ligno) cum et formae aedificare; e conuerso vero, in eiusmodi apertis locis, in quibus non meri duntaxat graeci ritus schismatici sed et alterius religionis incolae promiscue cum illis degunt, vel etiam in aliis clausis seu circumvallatis, aut etiam apertis locis, in quibus incolae Graeci ritus non vniti iam aliunde vnam vel plures ecclesias sui ritus habent, et nouam iterum ecclesiam ibidem pro se erigere vellent; tum absque praeuio recursu, et obtenta desuper a sua Maiestate sacratissima speciali licentia, ecclesias aedificare nequaquam valeant; in locis autem, vbi ipsis praemisso modo ecclesias absque praeuio recursu aedificare licet, easdem etiam libere reparare, nunquam tamen super antiquis rudibus, sine praehabito benigno consensu regio, et idcirco facto recursu, aedificare licebit. Sed et illud quoque iisdem Graecis non vnitis hac occasione serio prohibetur, ne vllus ipsorum nouum monasterium aedificare, et ad illud fundos quospiam vel per se, vel per subditos in vita aut post mortem applicare, vel applicari cu-

rare praesumat; sed neque ad antiqua etiam, quae iam habent, ipsorum monasteria plures fundos superaddere, vel addi curare audeant. — Datum ex C. R. L. Posonii, die 25. Apr. anno 1753.“ Ibid. p. 70.

239. *Eadem Regina excessus cleri etiam catholici redurgit. 1753.*

— Ad anteuertendas quasuis acatholicorum querelas, suae Maiestati sub 30 recens euoluti mensis Augusti Consilio huic R. L. apud locorum ordinarios seu dioecesanos disponi clementer mandauit, vt sacerdotes, animarumque pastores verbum Dei zelose praedicando, paruulis diligenter catechizando, amoris charitatisque christianae suauitate alliciendo magis, quam vi et rigore ad agnitionem veritatis, verumque cultum aberrantes perducere studeant; neque ad actus, a quibus vi dogmatis in corde suo adhorrent, adigant. — Dat. ex C. R. L. Posonii die 3. Septemb. anno 1752. — Indidem p. 72.

Sane RR. etiam Martini Biró, Praesulis Vesprimiensis zelum immoderatum, et librum Enchiridion dictum prohibuit. Justam proin causam non habuerant Caluiniani tumultuandi, de quibus Millerus (Epit. Viciss. Bud. Bud. 182.) ad hunc annum ita scribit: „Quidam male contenti plebeiae conditionis homines — in oppido Thur, comitatu Heuesiensi et in oppido Vásárhely, comitatu Chongradiensi adiacente commorati, coniurarunt in seditionem aduersus statum publicum mouendam; factione autem hac tempestiue detecta, in captiuitate, in carceres, in praesidium Budense deducti, mox sententia lata capitali supplicio affecti anno 1754.“

240. *Eadem Augusta praerogatiuam pallii Gregorio, Episcopo Quinque-Ecclesiensi, restaurandam commendat, et obtinet. 1754.*

Beatissimo in Christo Patri, Domino Benedicto XIV. Romanae catholicae et vniuersalis ecclesiae Summo Pontifici, Domino Reuerendissimo. — Beatissime in Christo Pater! Domine Reuerendissime! Post officiorum nostrorum commendationem filialis obseruantiae continuum incrementum. Cetera inter ornamenta, quibus olim de munere sedis Apostolicae gaudebant Regni nostri Hungariae ecclesiae, eximiam fuisse, praerogatiuam Pallii Episcopis Quinque-Ecclesiensibus concessam et Historiarum monumenta et sacrorum canonum auctoritas, fidem faciunt amplissimam. At quae Hungariae fuit infelicitas, dum barbarus Hostis, sacra pariter ac profana perturbasset vniuersa, cumque reliquis Quinqueecclesiarum urbem suae subiecisset tyrannidi, solum tum insignis praerogatiuae memoriam nobis reliquam fecit; quae ne plane interciderat, deleaturque, quin potius pro decore tum ecclesiae cum et totius Apostolici huius regni Hungariae, tam excellentis praerogatiuae, de munere Sanctitatis Vestrae, episcopus Quinqueecclesiensis, postliminio particeps reddatur, deuotas illius, quas pro eo porrecturus est, preces, reuerenter, feruentique, quo in promouendum ecclesiarum decus, ferimur studio commendamus Sanctitati Vestrae: cui nos reuerenter offerentes filiali cum obseruantia, perseueramus. Datum in Arciducali ciuitate nostra Vienna Austriae, die XV. mensis Aprilis, anno Domini MDCC. quinquagesimo quarto. Re-

gnorum nostrorum Hungariae ac Bohemiae, et reliquorum anno decimo quarto. Sanctitatis Vestrae obsequens filia Maria Theresia.“ E regist. Vaticano Koller. Hist. eccl. Quinqueecl. tomo VII. p. 263—4.

Benedicti XIV. Papae responsoriae. A. 1754.

Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae, Hungariae et Bohemiae reginae illustri, in imperatricem electae Benedictus XIV. PP. — Charissima in Christo Filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem. Maiestati tuae satis perspectum esse, non dubitamus, quam propensam, studiosamque geramus voluntatem, ut votis tuis, quoad nobis integrum est, alacres in omnibus obsecundemus, atque in his praesertim, quae ad maiorem diuini nominis cultum procurandum, atque ad ecclesiarum decora magis adaugenda conducunt. Exceptis itaque ea, qua Maiestatem tuam paterna caritate prosequimur, literis tuis, quibus postulata ad fauorem venerabilis fratres Georgii, episcopi Quinqueecclesiensis, consignasti, Tibi charissima in Christo filia nostra, persuasum esse cupimus, nos minime fore omissuros, ut maiorem, qua fieri potest, super iisdem postulatis considerationem adhibeamus; qua Maiestati Tuae comprobare valeamus consentaneam a Nobis ad Tibi carissima in Christo filia nostra, opportune gratificandum iniri rationem. Interim Apostolicam benedictionem vberissima cum coelestium munerum copia coniunctam, Maiestati tuae amantissime impetitur. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris, die XVIII. Maii. MDCCLIV. Pontificatus nostri anno XIV. Indidem.

Benedictus XIV. Papa Georgium Klimo, Episcopum Quinqueecclesiensem, huiusque successores, perpetua pallii vsus concessione donat. A. 1754.

Benedictus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in beati Petri sede, ad vniuersae ecclesiae regimen a Deo constitutus, dum apostolicae benignitatis fauores inferiorum ecclesiarum Praesulibus circumspecta liberalitate distribuit, non modo supremam illam exercet potestatem, quam sibi, veluti haereditate relictam, agnoscit, a Beatissimo Apostolorum Principe, a quo, ut Sanctus Innocentius inquit, episcopatus ipse et tota auctoritas nominis huius emerit; sed illud praecipue efficere studet, ut animarum pastores, sacris honoribus aucti, maiorem sibi a subiectis populis reuerentiam concilient, atque ita vberiores spiritualis sollicitudinis suae fructus ex eorum docilitate et obedientia percipiant. Porro inter eximia sacrae dignitatis decora, quae ab Apostolica sede diuersis per orbem ecclesiis, earumque antistitibus indulgeri consueuerunt, et sacri pallii vsus et ius praeferendi sanctissimi crucis signi merito numerantur. Quorum primum illud, materiae quidem simplicitate, ipsaque specie exiguum, sed pontificiae benedictionis munere, ac mysteriorum significatione pretiosum, e sanctiori ecclesiae thesauro, nimirum ex veneranda B. Petri Apostoli confessione, desumptum certis duntaxat tribuitur insignium ecclesiarum Praesulibus, iisdemque enixe postulantis, et peculiarem obedientiam et fidem

Romano Pontifici, solemnibus iuris iurandi solemnibus interpositione, spondentibus, ut sicuti olim Dominus noster Jesus Christus, ouium suarum curam eidem Petro committens, conditionem posuit dicens: si diligis me, pasce oves meas: ita non aliis praestantiora haec pastoralis officii insignia tradant, quam qui Apostolicae sedis subiectionis debitae signa persoluant, quae ipsos cum B. Petro tanquam membra de membro, habere, et catholici capitis unitatem seruare declarent. Erectae autem crucis delatio Saluatoris nostri, cuius legatione fungimur, humilitatem pariter, et potentiam declarat, atque ita intuentium animos allicit ad illius excipienda praecepta, qui exaltatus a terra omnia traxit ad se ipsum, ut simul etiam praeuaricatores admoneat, hoc idem crucis signum in coelo fore, quum Dominus ad iudicandum orbem terrae in splendore Maiestatis aduenerit. Quae quidem indulta, licet olim solis Apostolicae Sedis vicariis concedi consueuerint, deinde vero omnium ecclesiarum metropolitanarum praesulibus communicata, ad minoris autem ordinis Antistites, nimirum ad simplices cathedralium ecclesiarum episcopos, nequaquam extensa fuerint; nihilominus omnium saeculorum monumenta testantur, eadem praeclaris quibusdam ecclesiarum pastoribus, etiam metropolitico iure et potestate carentibus, ex apostolicae sedis indulgentia, nunc personali priuilegio, peculiaribus ipsorum meritis debito, nunc autem perpetua concessione ad illustrium ecclesiarum splendorem augendum, cumulandumque tributa fuisse. Cum itaque ecclesia Quinqueecclesiensis, Prouincia Strigoniensis in Hungariae regno constituta, S. Stephani I. quondam Hungariae regis, pia liberalitate fundata atque dotata, et tam in ecclesiastica Hierarchia, quam in praedicti regni ordine multis nominibus clara et illustris, hac olim praerogatiua de tempore reuerendae memoriae Innocentii Papae praedecessoris nostri gauisa fuisse dignoscatur, ut illius episcopi ex Romani Pontificis concessione, pallio uterentur; quod constat ex eiusdem Innocentii papae literis, relatis in cap. cum in iuuentute sua de praesumptionibus; et licet aliquorum opinione eorum probator sententia videatur, qui indultum huiusmodi tunc existenti episcopo duntaxat, non etiam illius successoribus tributum fuisse putant; quum tamen maior canonistarum, aliorumque scriptorum numerus, priuilegium ipsum Ecclesiae Quinqueecclesiensi eiusque episcopis, pro tempore existentibus concessum, nec nisi ob lachrymabiles eiusdem ecclesiae vicissitudines, quae sub grauissimo Turcarum iugo, diu oppressa iacuit, amissum fuisse arbitrentur: Hinc factum est, ut plures eiusdem ecclesiae episcopi, dum illius statum Apostolicae sedi praescriptis temporibus de more referrent, et oportuna suis rebus postulata proponerent, ad praedicti priuilegii vsum sese reintegrari petierint; quod cum etiam nuper existens Quinqueecclesiensis episcopus in sua relatione, quam anno 1748. per occasionem visitationis sacrorum liminum ad Nos et Apostolicam sedem transmisit, atque iterum Venerabilis Frater Georgius modernus eiusdem ecclesiae Antistes, enixis precibus postulauerint, eorum autem votis carissima in Christo filia nostra, Maria Theresia Hungariae et Bohemiae regina illustris, in Romanorum Imperatricem electa, grauissimum supplicationis suae suffragium adiunxit: Nos attentis praemissis, et tam deuotionis nostrae affectum, erga memoratum Beatum Regem, eiusdem ecclesiae fundatorem, de

catholica fide ac religione optime meritum, quam paternae voluntatis nostrae studium erga ipsam Mariam Theresiam reginam et imperatricem electam, cuius egregia ad hunc diem extiterunt in Nos es Apostolicam sedem officia, amplius declarare volentes, praefati etiam Georgii, moderni Quinqueecclesiensis episcopi zelum, atque virtutes, iusta aestimatione pensantes, eundemque a quibusuis suspensionis et interdicti — — censentes, eidem Georgio episcopo, vt ipse, et eius successores ecclesiae Quinqueecclesiensis Praesules pro tempore existentes, de cetero perpetuis temporibus sacrum pallium in solemnitatibus et functionibus, in pontificali Romano descriptis, induere, gestare, ac etiam crucem adinstar Archiepiscoporum ante se eleuari, et gestari facere, in dicta Quinqueecclesiensi ciuitate ac dioecesi duntaxat, et non alibi omnino, siue in alienis dioecesibus, siue in praedicti regni comitiis, siue in quibusuis aliis locis, episcopo praefato non subiectis, etiam si ordinariorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta ciuitate, ac dioecesi Quinqueecclesiensi in praesentia alicuius ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, vel nostri, et eiusdem sedis Apostolicae ordinarii et extraordinarii legati, seu nuncii, seu Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respectiue consensu, sub gratiae et concessionis huiusmodi nullitate, et dum modo quoad pallium praedictum, tam ipse Georgius, quam illius successores, Quinqueecclesienses episcopi, pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica sede, seruatis de iure et consuetudine seruandis, postulare, et consueto debitae fidelitatis iuramento edicto accipere, aliaque in similibus obseruari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum pallium erectae crucis gestationem sibi licitam esse noverint, vtque demum, saluo in omnibus metropolitano iure ecclesiae Strigoniensis, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, et nihil immutato praecedentiae ordine, inter ipsos episcopos Quinqueecclesienses, aliosque episcopos, siue eiusdem, siue alterius prouinciae, hactenus de iure, vsu et consuetudine, in quibusuis functionibus, confessionibus, aut comitiis seruari solito, huiusmodi Pontificalis honoris insigniis vti libere ac licite possint, et valeant, de Apostolicae auctoritatis plenitudine, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, ac fore, nec vnquam sub quibusuis generalibus similibus et dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac censi, ac dicto Georgio episcopo, eiusque successoribus dictae Quinqueecclesiensis ecclesiae Praesulibus, pro tempore existentibus, perpetuo suffragari, nec non ab ipsis respectiue in omnibus et per omnia obseruari, sicque et non alias per quoscunque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Vicelegatos, eiusdemque sedis nuncios iudicari ac definiri, debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter iudicari, aut respectiue attentari contigerit. Non obstantibus Apostolicis et vniuersalibus, prouincialibus, et synodalibus conciliis edictis generalibus vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, seu dictae Quinqueecclesiensis aut alterius cuiuscunque ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia robo-

ratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumerit; indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo quarto, Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto decimo." Apud Koller Hist. Epis. Quinqueecl. tomus VII p. 265. sqq.

Sermo, quem in Ecclesia cathedrali Excellentissimus D. Franciscus Barkóczy, Episcopus Agriensis, ad vniuersum suae dioeceseos clerum die 5. Novembris anno 1754. habuit, dum scholam nouam Theologicam, per suos Ecclesiasticos regendam, introduceret." Sermonem hunc doctum et liberalem, ob prolixitatem, transscribere non potui: V. MSS. Kaprinay sub B. tomo XLIII. p. 281—288.

Litterae Excellentissimi Domni Émerici Battyányi, ad Excellentissimum Dominum Franciscum Comitem Zichy, Episcopum Jaurinensem, aduersus Patres S. Francisci, quibus queritur, quod hi e templo claustrum sui Német Ujváriensi, eiecissent aram S. Aloysii dicatam, cum populi scandalo. Anno 1754. — MSS. Kaprinay sub B. tomo XXIII. no. 45. p. 164.

Sententia Episcopi Jaurinensis, qua aram eiectam restitui iubet. Vt supra nro 46. p. 176.

241. *Eadem Regina a Benedicto XIV. Papa obtentam quorundam festorum abrogationem edicit. A. 1754.*

Nos Maria Theresia — Quum materna nostra sollicitudo eo vel maxime collimet, vt Dei adoratio, et Sanctorum cultus omnimodo promoueat, et vitiis ac peccatis, quantum fieri potest, obuietur; proin populus, nostro imperio subiectus, Christianis, piisque moribus imbuatur; coelestisque inde benedictio attrahatur; simulque per eam felicitas in nostras ditiones redundet; attamen, non sine magno animi moerore percepimus, eosdem dies, qui Deo, eiusque Sanctis sacrati sunt, a notissimis e plebe, per vitae licentiam, grauesque Dei offensas potius profanari, quam sanctificari, tantaque corruptela vel maxime inde oriatur, quia in eiusmodi praeceptis dominicis et festiuis diebus adeo non pietas foueatur, et animarum refectio quaeratur, vt auidius otio indulgeatur, et occasione inde arrepta, talia perpetrentur, quae morum disciplinae et honestati aduersantur, et ab eiusmodi festorum sanctitate prorsus aliena sunt. Enim vero tam nos, quam gloriosissimi praedecessores nostri, adeo perniciosae corruptelae per frequentes seuerasque sanctiones, obicem posuisse, existimauius; nos tamen praefixum nobis finem assequi adeo non potuimus, vt potius, aucto in dies malo, scandala multiplicari intelligeremus. Ea propter non paucorum incolarum vota eo abibant, ut in quibusdam festiuis diebus horae, a diuino officio liberae, non in otio impenderentur, hacque ratione, praesertim famuli et ancillae, intra modestiae et honestatis limites coarctarentur. Horum desiderio permotae, vna ex parte omnibus, quae dierum dominicalium et festiuarum profanationi occasionem praebere possent, obviare; altera vero ex parte sanctissimo domino nostro supplicare decreuimus, vt, iuxta

normam eorum, quae iam iam in aliis catholicae religionis studiosissimis regionibus statuta nouimus, pariter permittere velit, quatenus in quibusdam festis diebus, saluis tamen sacris functionibus (potius enim diuinum cultum augere, quam imminuere studemus) seruilibus oneribus alias prohibitis, sine conscientiae scrupulis incumbere valeant; proin illorum festiuorum dierum numerus quadamtenus imminuatur, qui ab omni seruili exercitatione ex praecepto feriatu erant. Hac enim ratione tot malorum scaturigo non modo obturaretur, sed et eorum, qui opificio vel agricultura victum sibi quaerere coguntur, conditio longe melior fieret. Nostris hac in re precibus annuit summus pontifex, petitam dispensationem indulsit eo tenore, vti in adnexo breui apostolico per extensum conspici valet: „Venerabiles Fratres! Quum, sicut quaedam sunt, vt inquit S. Leo M. praedecessor noster, quae nulla ratione possunt conuelli; ita multa sint, quae aut consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari, illa semper conditione seruata, vt semper id sequendum, nouerimus, quoad nec praeceptis euangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inueniatur aduersum. Eapropter apostolica haec S. Sedes pro paterna erga vniuersos Christi fideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae ceteroquin ad maius diuini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem ad otium luxuriamque conuertuntur, aut ob rerum, ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine angore conscientiae contemnuntur. Quum itaque, sicut charissima in Christo filia nostra Maria Theresia Romanorum Imperatrix et Hungariae, Bohemiae regina, per suam nobis datam epistolam nobis exponeret, quotidiana experientia constare, quod propter saepissime interruptos labores, bono publico tam proficuos, Sanctorum cultus adeo non promoueatur, diuinaque benedictio attrahatur, vt potius morum corruptio inualescat, ocium nutriatur, indeque pullulantia vitia augeantur. Eapropter a nobis studiosissime efflagitauit, vt subditorum suorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, calamitatibus subleuandis sanctorumque dierum cultui et religioni amplificandae, eorum festorum dierum numerum imminuere dignaremur. Vt ergo eiusdem reginae voluntati aequissimae, Deoque gratissimae hac in re, quantum cum Domino, auctoritate nobis concessa possumus, obsequuti, grandiozem festorum dierum numerum, ad modum reuocandum existimauius. Igitur Fraternitatibus Vestris, archiepiscopis et episcopis, per praesentes committimus, vt vnusquisque vestrum in suis respectiuis ciuitatibus et dioecesibus, hanc de festis diebus legem auctoritate nostra apostolica edicat,“ Nempe paschatis, resurrectionis, et pentecostes, aliisque omnibus per annum dominicis, nec non natiuitatis D. N. J. Ch., circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi; ac Purificationis, Annunciationis, Assumptionis Natiuitatis, et Conceptionis B. M. V. immaculatae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et OO. Sanctorum festiuis diebus, ac festo die cuiusuis praecipui quarumcunque ciuitatum vel locorum, dioecesium praefatarum patroni, pro veteri ecclesiae instituto, sacris non tantum adstare rei diuinae Christi fideles vestrarum respectiue ciuitatum et dioecesium teneantur, sed et a seruilibus operibus se abstinere debeant. In reliquis vero festis, siue per hanc S. Sedem praeceptis, siue

vero per synodalem quarumcunque dioecesium huiusmodi constitutionem, siue quacunque alia de causa, etiam ex causa voti, per Christi fideles ciuitatum et dioecesium uestrarum, eorumque maiores facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per vos in alia opera commutare volumus) praescriptis, audita tamen Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus seruilibusque operibus, sine vlllo conscientiae scrupulo, vacare possint. Fraternitates vero Vestras in Domino plurimum hortamur, vt populos, vestrae curae commissos, quam saepissime tam per vosmet ipsos, quam per alios instruatis, atque edoceatis, quae ad iustam legitimamque dierum festorum celebrationem, pro temporum varietate, pertinere videbuntur, qua nimirum alacritate spiritus, qua mentis contentione, qua cordis humilitate, adstare oporteat SS. altaris sacramento, in quo Christus Dominus tradit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suauitatis, et quam frequentes diuinis officiis, sacris concionibus, Christianae doctrinae explicationibus esse debeant, et quanti piaculi sit eos temerare dies, quos ad sui nominis gloriam amplificandam, sibi Dominus consecrauit. Ne autem per eos dies potissimum Christi fidelium corda grauentur crapula et ebrietate, ac cogitationibus secularibus, quam diligentissime curare debetis, vt profana quaequae ludicra et minus religiosa publicis locis quam longissime amoueantur. Sicut ergo clementissime confidimus fore; vt quiuis fidelis vasallus et subditus de moderna nostra sollicitudine persuasus sit, ac ipsemet comprehendet, quod haec partim pro bono nostrorum subditorum, quibus quotidianum panem suum lucrandi amplius temporis spatium et occasio praebetur, partim et praecipue pro exstirpando tantopere pernicioso otio, haec disposuerimus ac propterea firma viuamus spe, quemlibet aucto Christiano catholico feruore, ac pietate ceteros festos dies in pietate, et diuinae laudis augmento, transacturos; proin non modo SS. missae sacrificio, sed et concionibus, aliisque in catholica Ecclesia vsitatis sacris functionibus, debita ueneratione, mentisque suae ad altissimum creatorem coeli et terrae eleuatione, interfuturum; proin quilibet pater familias suas proles, suosque famulos non modo ad praefatas exercitationes excitaturus, sed etiam ad pietatem, bonosque mores et vitae probitatem inducturus, suoque pio exemplo sit animaturus. E contrario autem se suisque ab omnibus illicitis actibus, operibusque, ac vitae licentia, nec non a Dei neglectu atque offensionibus penitus reuocare studeat; hac que ratione alter alteri, et paterfamilias suis filiis et famulis, et praepositi suis subditis pietatis exemplo praelucere studeant. Eapropter clementissime volumus, ac praecipimus, vt subalterni nostri domini suis subditis in festiuis diebus, nunc vero, vi praefatae dispensationis Apostolicae, abrogatis, in sui commodum laborandi oportunitatem relinquunt, nec eos ad operas sibi praestandas adigant. Eo fine, iuxta gloriosissimorum praedecessorum nostrorum exemplum — — praecipimus, vt in illos, qui dierum dominicarum et festiuarum sanctitatem profanauerint, ac aliis diebus Missae sacrificiis, concionibus, aliisque ab Ecclesiastica potestate praescriptis Christiano-Catholicis officiis interesse neglexerint, aut omnino non sine contemptu absentes tempus in popinis aut tabernis, vel aliis indecentiis transegerint; per plures viros, a dominis et Magistratibus specialiter constitutos, vigili oculo

inquiratur; et tales transgressores illico pro meritis poenis castigentur. Mandamus etiam, vt diebus adhucdum feriatis, durante matutino et vespertino officio, omnes mercatorum et opificum officinae claudantur; — nec etiam fidibus ludi in tabernis vel popinis, minus vero iudiciales vel extraiudiciales actiones — ac speciatim strepitosi manuum labores aut onerosae vecturae permittantur. — Proin dicti dies dominici et festiui vnice in Dei cultu et Sanctorum veneratione a quouis transigantur; omnesque in debita deuotione, ac Dei timore sacratum hoc tempus, ad animarum solatium, ac salutem impendere intenti sint. Eapropter etiam in festis, hucusque praeceptis, nunc vero per praefatam dispensationem pontificiam, post auditionem S. Missae ad serui- les labores impendi permissis, nihilominus in praecipuis vrbibus diuinum officium, si- cut antea, nec non in iisdem diebus ruri catecheses habebuntur.“ Die 11. Jan. Anno 1754.“ Mandat. p. 90. et Cont. Fleurii.

Hoc anno decus accessit etiam Ecclesiae Hungaricae, quod idem Continuator ita refert: „Quum Ecclesia Quinqueecclesiensis, prouinciae Strigon. in Hungariae regno constituta, et a S. Stephano Protorege fundata, iam olim pallii ac praeferendae crucis praerogatiua tempore Innocentii III. gauisa esset; hoc autem priuilegium, ob funestas huius dioecesis sub Turcarum iugo diu oppressae vicisitudines, amisisse crederetur; hinc plures successores episcopi illud reddita pace redintegrari petebant; ex his Episcopus Georgius Klimo, Romam delatus, ac M. Theresiae, Hung. reginae literis commenda- titiis munitus, hanc gratiam sibi suisque successoribus concedi efflagitauit. Igitur Ponti- fex die 1. Septem. huic episcopo suisque successoribus, sub consuetis tamen restrictio- nibus, in perpetuum hoc ius indulisit.“ Tomo LXXXII. p. 9.

242. *Eadem de educatione prolium, signanter ex matrimoniis mixtis progenitarum, iuxta constitutionem Benedicti XIV. benigne disponit. A. 1756.*

SS. C. Regiam Maiestatem disciplicenter sane intellexisse, quod impii parentes catholici eo prolapsi sint, vt proles suas ex disparis religionis matrimonio progenitas, aut in fide orthodoxa educare, aut deuiantes ad eandem reducere non conentur; tametsi ex antecedaneis benignis resolutionibus regius nota sit ipsis benigna intentio, et voluntas regia, vt verus cultus diuinus omnimode propagetur, et hoc fine circa pro- lium, a parentibus ab vtrinque catholicis, aut disparis religionis progenitarum, in fi- de orthodoxa educationem, deuiantium vero ad eandem reductionem, omnis possi- bilis cura per magistratus, iurisdictiones et parochos catholicos adhibeatur; sine pro- inde declarato, atefata S. C. et R. M. clementer resolvere dignita est. I. Vt contra parentes illos, quorum vterque Catholicus est, proles tamen eorundem iam sunt per- uersae aut in damnato adhuc existunt indifferentismo, actio fiscalis magistratualis eri- gatur, seruatisque de iure seruandis, sententia feratur; et ante publicationem Consi- lio huic L. R. et ab hinc Suae Maiestati Smae submittatur. Non secus II. contra eos, qui reuersales dederunt, ad earundem implementum procedatur, at ad tenorem re- uersalium debito iuris ordine conuicti puniantur; proles autem, adhuc dum indiffe- rentes, vt in fide catholica educantur, instruanturque; iam peruersae autem, in con- formitate ideae anno 1749. elargitae reducantur; tam parochi, quam et locorum ma-

gistratus omnem sollicitam per iteratas clementissimas resolutiones regias, eatenus emanatas, eisdem impositam curam et solitudinem sunt impensuri. III. In casu vero illo, quo parentes diuersae sint religionis, proles tamen vtriusque sexus in acatholicismo educantur aut iam sunt educatae, in conformitate idealis resolutionis, ex fauore dominantis religionis, tum quoad educationem et respectiue reductionem magistratus iurisdictionati et locorum dioecesiani, ac IV. quoad proles in indifferentissimo existentes, placidioribus modis, immo, si vterque eorundem parens est catholicus, magis etiam seriis et efficacibus mediis ad orthodoxam fidem disponendas; parochis, sollicitam eatenus operam impensuris, magistratus omnem debitam et necessariam praebere teneatur assistentiam. Quatenus autem in futurum quoque similium peruersionum anteuertatur occasio benigne vult sua Maiestas R. SS. vt I. circa ineunda inter diuersae religionis personas matrimonia, benignissima idealis resolutio eatenus emanata, quam exactissime obseruetur. II. Vt non modo parentes catholici a mittendis ad oratoria acatholicorum prolibus suis, sed et ministri et praedicantes ab omni earumdem prolium seductione quam seuerissime et comminatione erigendae contra eosdem, in casu praeuicationis, actore magistratuali actionis inhi-beantur. III. Ne catholicorum proles a fide orthodoxa deflectant, taliterque malitiam suam in effectum deducere valeant, locorum Magistratus suam eatenus efficaciter interposituri sunt auctoritatem. IV. denique et vltimo, vt parentes catholici proles suas ipsimet circa quintum et sextum aetatis annum parochis, cum omni suauitate et discreto zelo eatenus erudiendas statuere, et vbi parochi iudicauerint, etiam ad confessionem sacramentalem peragendam adducere teneantur. Quemadmodum proinde praeductas benignas dispositiones regias — pro debita, exacta et impartiali obseruatione ac effectuatione, seruandaque cum parochis locorum mutua cooperatione, anteuertendis denique omnibus eatenus occurrentibus obicibus et impedimentis, praestandaque in omnibus, parochis locorum debita ac necessaria assistentia, et submittendis Consilio huic regio pro omni necessario casu requisitis informationibus, consilium hoc L. R. sub hodierno iurisdictionis magistratibus per Regnum circulariter publicauit; ita E. V. sub hodierno intimandum esse duxit, quatenus parochos locorum ad benignarum dispositionum regiarum, punctatim praeductarum, sollicitam omnino, exactam, solertemque obseruationem et effectuationem sua via debita instrui — facere, ac de qualiter compertis dispositis, pro omni nempe casu necessario Consilium hoc L. R. informare velit. — Dat. ex C. R. L. Posonii die 30. August. anno 1756.“ — Mand. Reg. p. 78.

243. *Eadem de prolibus catholice educandis, mature sacris catholicis admoventis, mandatum suum iterat. A. 1762.*

SS. Suae Maiestati C. R. et Apostolicae nouius iterum innotescente eo, quod nonnulli catholici parentes proles suas in acatholicismo, et in differentismo, educare porro quoque perperam praesumant, quo negotio penitus expenso, quandoquidem manifeste apparere Clementer obseruasset atefata sua M. SS. quod ipsi Parochi

incumbenti sibi obligationi minus satisfaciant; dum videlicet parochiani parentes, vt ut romanam Catholicam fidem profitentes, proles suas iam in acatholicismo, iam vero in damnato illo indifferentismo ad maiorem etiam aetatem promiscue quasi educant, absque eo, quin Parochi debitam eatenus vigilantiam adhibuissent, et defectum, neglectumque obseruatum seu ipsi, ac respectiue superioritas eorum ecclesiastica, seu re ad competentem magistratum delata, cum huius assistentia statim in exordio corrigant, atque errantes ad rectum tramitem reducant, vt adeo culposa hoc in passu negligentia ipsos animarum pastores, qui gregem sibi concreditum ita negligenter curant, quasi ab capite quodam modo feriat. Quem neglectum, velut in animarum iacturam tendentem, quemadmodum cum multa animi sui molestia atque displicenter sane suscipit sua summe fata M. SS. ita benigne commisit, quatenus prae expositus grauis omnino neglectus parochis, qui culpam eatenus ferre dignoscuntur, non modo medio E. V. serio improbetur; verum etiam iisdem districte iniungatur, vt dehinc incumbenti sibi muneri, exactius respondeant; et, si quem defectum aut neglectum in praemissis obseruauerint, hunc seu ipsi statim e vestigio corrigant, aut vero in casu alicuius renitentiae, rem seu ad competentem magistratum seu etiam ad altiores sua via pro remedio deferant. — Ad quod facilius assequendum — locorum parochi specialem librum seu matriculam, in qua animarum confessionis capacium, in sua parochia existentium, nomina et cognomina exponantur, ac aetas quoque exprimatur, recte confectam habeant; et suo tempore — proles, aetatem sacramentorum capacem attingentes, ad peragendam confessionem, sicque profitendam fidem catholicam vrgeant. — Posonii die XI. Octob. anno 1762.“ Ibid. p. 107.

Memorabilis est Apologia, qua Cels. Princeps, Primas, A. Episcopus Strigoniensis Franciscus Barkótyz sua decreta tuetur. Dat. Ex castro Strigon. XIV. Sept. 1762. — MSS. Kaprinay sub B. tomo XXXVIII. nro 90. p. 230.

244. *Eadem a Clemente XIII. Papa titulum Apostolici, pro se successoribusque suis, Hungariae Regibus obtinet. A. 1758.*

Clemens Episcopus — Cum multa alia Romani Pontifices, quibus nos plane quidem immerentes successimus, tum hoc praeclare sapienterque fecerunt, vt, quae prouinciae ac nationes in finibus perpetuorum christiani nominis hostium positae, tanquam valli quidam atque aggeres munitissimi, contra ipsorum impetum existimantur, eas illi, quam diligentissime obseruarent, praecipua beneuolentia complecterentur, et singularibus etiam, vbi res ferret, beneficiis exornarent. Eiusmodi est florentissimum Hungariae regnum, quod Tu, charissima in Christo filia nostra haereditarium accepisti, quodque in Christianae ditionis et gloriae terminos proferendos, vel propter bellicosissimae gentis fortitudinem, omnium aptissimum, vel propter locorum naturam oportunitissimum adhuc quidem semper habitum est, et fuit. Neque vero quisquam ignorat, quam multa, et quam egregia facinora pro tuenda, propugnandaque Jesu Christi religione gessit nobilissima Hungarorum natio, quam saepe manus conseruit cum teterrimis hostibus, iisdemque, ad communem Christianae reipublicae perniciem

erumpentibus, suo velut corpore aditum interclusit, maximasque de illo atque incredibiles victorias reportauit. Celebrantur ea quidem fama, scientiaque omnium, clarissimisque prodita sunt monumentis literarum. Hic autem silentio nullo modo praeterire possumus, Stephanum omnium sanctissimum fortissimumque Hungariae principem, cuius memoriam, coelestibus honoribus consecratam atque in sanctorum numero collocatam, rite veneramur. Eius autem virtutis et sanctitatis vestigia exstant istis in locis, ad laudem Hungarici nominis sempiternam. Neque illius pulcherrima exempla virtutum reliqui in regno successores non sunt perpetuis temporibus imitati. Quamobrem nemini mirum, videri debet si Romani Pontifices Hungaricam nationem eiusdemque principes et reges, ob maxima et egregia illorum erga Catholicam fidem et Romanam sedem merita, amplissimis laudibus et priuilegiis condecorauerint. Quale est illud imprimis sanè honorificum, quod ante Reges, quando prodeunt in publicum tanquam splendissimum apostolatus insigne crucem gestat episcopus, idque ex huius sacrae sedis concessione, quo ostendatur, Hungaricam nationem aequè eius reges gloriari vnice in crucè D. N. J. Ch. atque in eo signo pro catholica fide et dimicare semper et vincere decreuisse. Habent hoc et iam Hungariae Reges, vt a plerisque omnibus illic, appellatione certe magnifica et gloriosa, reges Apostolici salutari et nominari soleant. Cuius quidem siue consuetudinis, siue priuilegii, fons et caput ignoratur. Nos autem, qui praedecessorum nostrorum, quando sapientiam assequi non possumus, certe in exornandis honestandisque iis principibus et regibus, quos S. Sedi deuinctos maxime atque addictos nouimus, instituta imitari studemus, nunquam melius haec pontificatus nostri initia auspicari posse existimamus, quam si animum ad dignitatis Maiestatis tuae Apostolicae atque istius Hungarici regni amplificandam gloriam statim conuertamus. Id autem recte atque ordine praestabimus, si perhonorifice illi apostolatus appellationi, modo quem diximus, pontificiam auctoritatem, vim ac robur (quatenus opus est) adiungamus. Eapropter motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra deque pontificiae auctoritatis plenitudine, maiestatem tuam apostolicam, tanquam Hungariae reginam, tuosque in illo regno successores, titulo, appellatione, nomine Apostolici regis, harum vi literarum, in forma breuis, ornamus, honestamus, condecoramus, insignimus, atque etiam ab omnibus te quidem reginam apostolicam, tuos vero in Hungariae regno successores, reges apostolicos nominari, appellari, inscribi, salutari, ac tractari mandamus. Non obstantibus quibuscunque, quae huic nostrae voluntati aduersari posse videantur. Gratium igitur acceptumque habeas, Charissima in Christo filia nostra hunc titulum, non eum quidem indicem potentiae ac dominatus, quales ad inanem ostentationem ambitio seculi excogitauit, sed propriam Christianae modestiae notam et ministerii Jesu Christi; quo tamen Jesu Christi famulatu verissima et numquam interitura regni gloria continetur. Habens hoc siue testimonium, siue praemium ardentissimi illius propagandae catholicae religionis studii, quod a maioribus tuis antiquissima, laudatissimaque serie deductum, seruare semper maioremque in modum augere studuisti. Quod quidem honoris ornamentum trades optimo suauissimoque filio, ad quem maternae haereditas

gloriae ac factorum imitatio pertinet. Habeas denique has quasi primitias pontificiae caritatis, et benevolentiae, qua maiestatem tuam apostolicam prosequimur, et cui pignus alterum addimus in benedictione apostolica, quam tibi, carissima in Christo filia nostra, amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam maiorem, sub annulo piscatoris, die XIX. Augusti 1758. Pontificatus nostri anno primo." Caietanus Amatus." Apud Cont. Fleur. Tom. LXXXIII. p. 665.

Clemens XIII. Papa Praeposito Chanadiensi, singulares honores, ac praerogativas largitur. A. 1759.

Clemens Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Catholicae Ecclesiae decor, quem exemplo Christi Domini, cuius vices in terris immerito gerimus, diligere nos convenit, quandoquidem compellit nostrae potestatis plenitudinem, ut Ecclesiasticis dignitatibus fulgentes viros pro Ecclesiae huiusmodi defensione, et honorificentia, ac A catholicorum sacra ministeria perditae illudentium confusione honoribus quidem et praerogativis vberioribus cohonestemus, unde orthodoxa fides, quam A catholici ipsi prosternere conantur, in eorum terrorem, et opprobrium maiora in dies suscipiat incrementa. Sane pro parte dilecti filii Clementis Rossi Presbyteri Csanadiensis, seu alterius Civitatis, vel Dioecesis moderni Ecclesiae Csanadiensis Praepositi Maioris nuncupati nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dicta Ecclesia, quae a S. Stephano Hungariae Rege fundata existit, et cui S. Gerardus ex Illustri familia Sagredo Venetiarum Patria descendens primo illius Episcopus praefuit, quaeque in Regni hung. confinibus sita, et cum populis plerumque Schismaticis finitima reperiatur, pro maiori diuini cultus incremento, catholicaeque Religionis decore, et haereticorum confusione digna videatur, ut illius pro tempore existens Praepositus Praeposituram maiorem nuncupatam dictae Ecclesiae Dignitatem inibi post Pontificalem maiorem existentem etiam pro tempore obtineat, inscriptorum Insignium vsu cohonestetur; quare pro parte dicti Clementis nobis fuit humiliter supplicarum, quatenus Ecclesiae hung. honorificentiae, ac Catholicarum personarum deuotionis augmento consulere, nec non eidem Clementi, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praefato Clementi specialem gratiam facere volentes ipsumque Clementem a quibusuis excois suspns, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententys, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum earum serie absoluentes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus benigne inclinati eidem Clementi, ut ipse quoad vixerit, ac praeposituram praefatam obtinuerit, eiusque in dicta praepositura successores pro tempore existentes de consensu tamen Venerabilis fratris nostri moderni, et pro tempore existentis Episcopi Csanadien. Mitra, Baculo, et annulo Pastoralibus, sandaliis, chirotecis, aliisque Insigniis Pontificalibus tam in dicta Csanadiens. quam in aliis ei ratione dictae Praepositurae subiectis Ecclesiis seu Capellis inter missarum, aliorumque diuinorum officiorum celebrationem uti, eaque deferre et gestare, ac Missas aliaque

diuina officia huiusmodi cum dicta Mitra solenniter celebrare, Benedictionemque solemnem post Missarum Vesperarum et matutinarum, aliorumque diuinorum officiorum solemniam cum Insigniis huiusmodi supra populum inibi interessentem, dummodo tamen aliquis Catholicus antistes, aut sedis apostolicae Legatus, vel nuncius inibi praesens non fuerit, vel si praesens fuerit eius ad hoc expressus accedat assensus, elargiri libere, et licite valeat, apostolica auctoritate ex gratia speciali, et attentis peculiaribus circumstantiis tenore praesentium perpetuo concedimus, et indulgemus, ac liberam et omnimodam licentiam et facultatem desuper impartimur, nec non eundem Clementem, eiusque successores praefatos desuper a quoquam, quauis auctoritate, sub quouis praetextu, colore, vel qualibet causa et occasione inquietari, molestari, perturbari, aut quouis modo impediri nullatenus vnquam posse, neque debere, ac eandem praesentes ex quocunque capite quantumuis Juridico et legitimo de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nunquam posse, sed eas semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec eas sub quibusuis similibus, vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, ac Clementi illiusque in dicta Praepra successoribus pro tempore existentibus p̄tis perpetuo suffragari. Sicque et non alias per quoscunque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis aũte fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos d-leque sedis nuncium iudicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quauis aũcte scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus non obstan. quibusuis etiam in Synodalibus Prouincialibus vniuersalibus ac Generalibus Consiliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinibus apostolicis, dictaeque Csanadien. Ecclesiae, et Jurato Confirmatione aplica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus priuilegiis quoque indultis, et l̄is apostolicis quibusuis superioribus et Personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsitan concessis, confirmatis et innouatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienter derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, et indiuidua non autem per Cc̄as generales idem importantes mentio, seu quaeuis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores h̄uoi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita obseruata, et inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter ex̄pris habentes illis alias in suo robore permansuris Lat̄me et plenissime hac vice duntaxat spēaler, et ex̄pre harum quoque serie derogamus, caeterisque con̄riis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam arr̄e abn̄is concessionis indulti licentiae facultatis impartitionis Decri et Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incur-

surum. Datum Romae apud Sanctam Mariam maiorem anno Incarnationis Dominicae milesimo septingentesimo quinquagesimo nono, sexto nonas Octobris Pontificatus nostri anno secundo. Locus † Plumb.

245. *Eadem titulo suo Apostolico, dispositionibus circa proles in acatholicismo, aut indifferentismo educatas, circa eos item, qui matrimonio mixto illigati sunt, constitutis respondet. A. 1761.*

Siquidem in pluribus casibus appareat, quod iam non tantum in prolium a disparis religionis parentibus progenitarum, in fide orthodoxa debita educatione sufficiens cura et sollicitudo non adhibeatur, quin potius eadem ad oratoria et scholas iam Aug. iam Helu. confessioni addictorum promiscue mittantur; taliterque partim in reali acatholicismo, partim vero damnato indifferentismo educantur; verum etiam ipsae personae catholicae res orthodoxae fidei negligenter et segniter agant; et nec Ecclesias Romano-catholicas frequentent, ac aliis quoque Ecclesiae praeceptis aperte et impure contraueniant; non contrauenirent autem, si ipsi loci parochi, obligationi suae parochiali exactius satisfacientes, eiusmodi frigidis et languidis catholicis parochianis, eorumdemque prolium conuenienti educationi solerter et attente inuigilarent. Qualiter porro debitam prolium cumprimis in orthodoxa fide educationem ac in genere eiusdem orthodoxae fidei incrementum et augmentum, pro solita sua in Deum pietate Sacra sua C. R. M. sibi cordi continuo sumat, ex compluribus benignis rescriptis, medio Consilii huius L. R. sibi intimatis, Excellentiam Vestram vbertim iam percepisse, non ambigitur. Atque hinc eidem in continuationem illorum, de benigne altefatae C. R. Maiestatis iussu, intimat Consilium hoc R. L. quatenus eadem apud Dioecesis, sibi concredita, curiones efficaciter disponere, eosdemque serio monere et hortari velit, quo videlicet ipsi, qua exemplo, qua verbi diuini zelosa praedicatione, ipsum quidem Romano-Catholicum populum, et cumprimis proles in acatholicismo et damnato illo indifferentismo educatas, suauiter et quauis alia ad id modalitate ad orthodoxam fidem reducere, contendant, ac vt taliter reductae, in eadem fide constanter permaneant, ac ne iterum seduci possint, omnem possibilem vigilantiam et attentionem, pro incumbenti etiam sibi pastorali munere, adhibeant. Ipsi porro archi- vel Vice-archidiaconi tempore visitationis omnem sollicitudinem eo impendant, inuestigentque, an et qualiter res catholicae in hac aut illa parochia agatur et promoueatur, qualiaue media hunc in finem per parochum adhibeantur. Demum comperiendos ne fors defectus, et errores, pro bono orthodoxae fidei, instantanee sufferant, et emendent. Praeterea, vbi disparis religionis matrimonia contrahuntur, solitarum de educandis in orthodoxa religione, quam sponsus et sponsa profitetur, vtriusque sexus, quantum licet, prolium, reuersalium literarum extradationis omnimodam rationem habeant exacte; harum obseruationi et effectuationi, per quam sollicito inuigilent. Dat. ex C. R. L. H. Posenii, die 29. men. Jan. anno Dom. 1761.“ — Mand. Reg. p. 69.

Vetuit etiam Iudaeos baptizari per ministros acatholicos, catholicos vero per Popas Graeci ritus non vnitos, absque altiori indultu. Ibid. p. 98.

246. *Eadem causas matrimoniales iuxta principia acatholicorum iudicandas, tunc tantum, si pura sunt, non item in mixtis, indulget. A. 1761.*

SS. sua C. R. et Apostolica Maiestas benigne resolvere, declarareque dignatur, quod per acatholicos in causis ipsorum matrimonialibus, eorum consistoriis episcopalibus, et foris ecclesiasticis vertentibus, allegari solita, in anno 1731. elargita benigna resolutio in terminis innuens: „causas matrimoniales acatholicorum iuxta eorum principia iudicandas esse“, de illo casu, vbi pars vtraque ab orthodoxa fide aliena est, intelligenda veniat; minime vero, vbi res inter sponsam et sponsum disparis religionis, Catholicam quippe et acatholicam personam, vertitur, fauore dominantis religionis, locum obtineat. — Posenii die XXXI. mensis Augusti. Anno 1761. — Ibid. pag. 98.

247. *Eadem competentem Parochorum provisionem vrget. A. 1766.*

Ex iteratis consilii huius L. R. intimatis, — notum est E. V. qualemnam sua M. C. R. A. parochiarum, in haereditario hoc regno suo existentium, circumstantialem informationem sibi medio consilii huius L. R. per E. V. submitti clementer iubeat; — porro ex quo obseruaretur, quod fundi colonicales in pluribus locis pro parochis excisi non habeantur; hi item, vbi etiam taliter excisi forent, non vbiq; per incolas locorum, quemadmodum benignae resolutiones Caesareo-Regiae praeciperent, gratuito excolantur; sed neque sedecimae, alias parochis tam ad mentem benignarum resolutionum, quam et de lege regni debitae, iisdem praestarentur; propter huiusmodi vero defectus generalis parochorum cassa grauari neutiquam deberet; eapropter Consilium istud L. R. vniuersis etiam regni Comitatibus sub hodierno dato prae acclusam ideam ea cum intimatione denuo communicat; quatenus in praemissis cunctis debitam assistentiam praebeant, incolas item locorum ad gratuitam tenentium, ad Parochias et Ecclesias spectantium, non tamen per parochos priuatiue pro se comparatorum, vel arendatorum, culturam adstringant. — Datum ex Cons. L. R. H. Posenii die XXV. Febr. anno 1766. celebrato. Albertus mpr. Ladislaus Balogh mpr. Josephus Aszalay mpr.

248. *Eadem contra Libertinos seuerum mandatum elargitur. A. 1767.*

— Ex quo, magno cum animi moerore intelligere debeat sacra et apostolica sua Maiestas, damnatum libertinismum, seu abominandam de sacra religione et eius mysteriis pro cuiusque arbitrio sentiendi libidinem, in animis fidelium multorum iam ita inualuisse, vt palam et publicae sacrae religioni explosiuis plane verbis, et sermocinationibus impudenti audacia summaque temeritate illudere non erubescant; hinc, vt Deo, per quem ipsi etiam reges regnant, et ad cuius amplificandum honorem et augendam sanctissimi neminis gloriam omnis rationalis creatura condita, efformataque est, sua Maiestas; ipsi vero per eundem institutae et per apostolos propagatae verae fidei, quae non modo rerum publ. basis et fundamentum, verum etiam tam tempora-

lis, quam aeuernae felicitatis fons et scaturigo est; sua integritas et veneratio constant; summe fata Maiestas sua Caesarea Regia Apostolica supremo nomine suo declarari clementer iubet, benignam, eamque absolutam voluntatem suam esse, vt damnabilis hic libertinismus, et indifferentismus, vbique locorum penitus et effectiue ex animis hominum eradicetur; Deo e conuerso omnipotenti, mysteriis item sacrae religionis debitus cultus, honos ac veneratio tribuatur; huncque in finem omnes eos, qui huic crimini, stimulo propriae conscientiae, semet irretitos esse sentiunt, ad instantaneam sui conuersionem ea ratione serio praemonitos esse velle; quod si ab hoc damnato errore non statim recesserint, tales non secus, atque illi, qui in hunc, praeter omnem meliorem expectationem regiam, nefors ab hinc prolaberentur, poenae, pro grauitate ipsius criminis statuendae prorsus exemplari indispensabiliter subiiciendi; nec minus tales etiam, qui procacibus, scandalosis et temerariis huiusmodi sermocinationibus interfuerint; neque auctores harum rerum competenti iurisdictioni illico detulerint, exemplari aequae poena afficiendi sint. Cautum nihilominus vna esse vult SS. M. sua, ne quis sub graui responsionis onere, hac via ad alios iniuste criminandos et deferendos quaqua ratione abutatur. Vltorius demum clementer statuitur, et districtim praecipitur, vt possessores librorum, qui seu amplectendo huiusmodi damnato libertinismo ac indifferentismo viam quodammodo sternunt seu ipsis mysteriis fidei illudendo, religionem explodunt, tales libros intra spatium 8 dierum, a die publicationis praesentium computandum, ipsi comburere teneantur; siquidem casu in contrario, quaecumque demum persona illa fuerit, apud quam eiusmodi libri deprehenderentur, aut quae alios quospiam tales libros habere et saltem legere, vel plane huic damnabili errori adhaerere certo sciuerit, eosque actutum non indicauerit; ipso facto illi, qua ipsi, huic sceleri implexi, puniendi venient, poenae, absque vilo sexus discrimine sit subiicienda. Pro finali demum superiores cumprimis et reliquos iurisdictionatos magistratus, sub incursu indignationis regiae, et etiam sub amissione officii sui, hoc in passu muneris, obligationisque ea ratione commoneri vult summefata M. sua, vt iidem huiusmodi Deo exosos homines, non tantum diligenti cura obseruare, verum etiam eosdem pro demerito seu condigna quoque poena afficere nouerint, nullatenusque intermittant. Vnde veluti ad effectum praedeductae clementissimae ordinationis C. R. apud vniuersos regni comitatus, ciuitates et districtus, separatas portas habentes, oportuna sub hodierno abhinc disponderentur; ita eandem E. quoque Vestrae pro notitia et directione hisce intimandam esse duxit regium hoc L. Consilium. — XVIII. mensis Maii, anno Dom. 1767.“ — E mand. Reg. p. 131.

249. *Eadem de prolibus Catholice educandis sanctionem suam iterat. A. 1767.*

Quandoquidem sua Caesarea et Regia Apostolica Maiestas nomine suo regio ordinarios dioecesium identidem reflectendos iubeat, vt quum notabilis in clerum praepriis culpa cadat, quod plures eiusmodi reperire sit catholicos parentes, qui liberos suos in acatholicismo aut indifferentismo, vti perhibetur, educant, aut saltem prolium

plane negligentes, an et qua in religione illae imbuantur, haud curae habeant, quatenus in eiusmodi catholicos parentes, qui liberos suos in aliena religione educant, omni cura inuigilent, mediaque spiritualia in instruendis parentibus et liberis impendant; vbi vero haec non profecerint, debitam idcirco informationem foro saeculari exhibeant; quam maxime autem parochias iis in locis, vbi malum hoc ex defectu parochorum grassatur, erigere, aut plures illuc capellanos constituere studeant: hinc clementissimam hanc resolutionem caesaream regiam E. vestrae de benigno iussu regio finem in eum intimat consilium hoc. L. R. quatenus ad procurandum eiusdem debiti effectum oportune agere et subordinatos sibi locorum parochos debite instruere haud grauatim velit eadem E. V. Dat. ex C. R. L. Posonii, die IV. men. Junii 1767.“ Ibid. pag. 136.

250. *Eadem ob seductiones Aatholicorum frequentes, mixta matrimonia, non secus, quam datis reuersalibus, de coniuge catholica non seducenda, ac prolibus in catholica religione educandis, ineunda praecipit. 1768.*

Siquidem ab experientia et ex quotidianis querelarum ad suam Maiestatem Sacratissimam delatarum, casibus, magistratualibus item inquisitionibus, ac ipsis etiam submissis fiscalibus processibus, altefata sua Maiestas Caesarea clementer obseruasset, quod, non obstantibus tot salutaribus et seuerissimis circa orthodoxam educationem prolium emanatis clementissimis resolutionibus et ordinationibus, plurimae tam ex catholicis, sed potissimum ex disparis religionis parentibus progenitae proles, partim in damnato indifferentismo educantur; partim vero, seu coniuuentia parentum; seu fors etiam variis artibus acatholicorum in haeresim prolabantur; ideo, quo malo huic remedium adferri possit, summe facta sua Maiestas Apostolica clementer resolvere dignata est, vt in posterum huiuscemodi mixta matrimonia non alio modo admittantur, quam si pars acatholica reuersales de vtriusque sexus prolibus in orthodoxa fide educandis dederit literas. — Dat. ex C. R. L. Posonii die XXVIII. mensis Iulii anno Dom. 1768. Albertus. Iosephus Klobusitzky.“ Ibid. p. 145.

Celebranda quoque foret eiusdem Reginae pietas, de Vniuersitate Pazmaniana anno 1769. instaurata et aucta, anno vero 1777 Tyrnauia Budam translata, et 1780 solenniter inaugurata; sed de his vide Historiam Vniuersitatis Pazmanio-Theresianae Regiae, a me conscriptam. Solennitatem vero sacram, qua dexteram S. Stephani Ragusa Budam promouit, et qua eiusdem festum celebrari iussit: vide apud Pray in vita S. Stephani Regis Apostolici.

251. *Eadem leges circa festa religiosius celebranda praescribit. 1771.*

Quibus momentis et rationibus inducta Sacratissima sua Caesarea et Regia Apostolica Maiestas plurimum fori festorum diminutionem, ex dispensatione sedis Apostolicae, sollicitis studiis suis consequuta sit; e summi sacrorum antistitis bullae contextu, E. vestrae pro eo, vt in concredita pastoralis suae curae dioecesi pro communi omnium notitia publicetur, et simpliciori potissimum populo ad captum identidem explicetur,

anno adhuc superiori clementer transmissio, plenius ac uberius perspexerit eadem E. V. Quo facto, quemadmodum, crescentibus in dies fidelium altitatis suae Maiestatis subditorum necessitatibus, laboriosa suarum artium exercitatione et opera serui amplius occurrendi occasionem praebere; alios vero, quos torpor et otium, indeque enata licentiosior viuendi ratio in diuinorum toedium, comessationes, et tripudia abriperat, ad amplectendas sibi et publico magis proficuas occupationes reuocare clementer intendebat; ita reciproce ne quid ex reductione plurimum festorum cultui diuino detractum censi possit, sed quo minor factus est festorum numerus, eo maior sit in populorum animis pietatis feruor, ac deuotio; dominicos et, qui in bulla summi pontificis reseruati sunt, festos dies praecise Dei omnipotentis obsequio et eius coelitum cultui, intenso deuotionis affectu, sacrari vult sua Maiestas Sacratissima. In cuius voluntatis caesareo-regiae implementum, pro debita dehinc dierum dominicarum et festorum obseruatione sequentia clementer statuit, et decreuit: I. Dominicis et festis diebus nemo seruilibus manuum laboribus, aut artium suarum exercitationibus vacabit; omnis autem, pro ratione religionis suae, diuinis officiis, missae sacrificio, sacris concionibus, et pastorum suorum doctrinae Christianae, deuoto pietatis sensu interesse studebit; et neque citra legitimum impedimentum negligere, aut plane contemnere, aut etiam in tabernis, tempore diuinorum officiorum, comessationibus, computationibus, aliisque incongruis actionibus semet detinere, aut clamores, tricas et contentiones excitare, sub poena arbitraria, per concernentes iurisdictionatos magistratus pro qualitate delicti contrauenientibus dictanda et effectiue desumenda, audebit; quem in finem in omni ciuitate, oppido et possessione, vna vel plures personae, eiusmodi excessibus inuigilaturae, a legitima superioritate vel magistratu constituendae erunt. II. Iisdem dominicis et festis diebus spectacula theatralia ante horam septimam; amphitheatra vero ante horam 5. pomeridianam non inchoentur; musica vero seu in tabernis et popinis seu etiam in domibus priuatis; et quidem in ciuitatibus ante horam tertiam pomeridianam vetita sit; sed neque in popinis, domibus crematoriis et cereuisariis ante horam 4. extra vrbes autem ante horam 3. pomeridianam clamorosus otiosorum concursus admittatur; itinerantibus tamen esca et potus praebere potest; lusus denique omnis generis, incluso etiam Billiard, seu in domibus caffeariis, seu aliis, popinis et aliis eiusmodi locis vsque 4. pomeridianam interdicanur, et ultra 10. et 11. noctis nullibi protrahantur. III. Dominicis et festis diebus grauiori onere currus non onerentur, praeuie autem oneratis in urbibus ante horam 9. matutinam, extra has autem ante persoluta diuina, motus interdicanur; subinde vero progredientibus in prosecutione itineris nullibi impedimentum ponatur; quin si currus fractus reparandus foret, sine difficultate eidem auxilium admittatur. IV. Omnes fornices mercantiles, aromatici, tabacarii et alii eiusmodi tota die oclusi maneant; et sub poena amissionis rerum nullibi prae foribus ecclesiarum forniculae aperiantur, et rosaria, oratiunculae et his similia, diebus dominicis et festis publice distrahantur; fornices nihilominus capillamentariorum, vsque horam 9. antemeridianam, tonsorum autem, apothecae, et balneatorum domus, sine restrictione aperta tolerentur; dulciareis denique et cero-

plastis dulciorum et cerae distractio finitis diuinis libere admittatur; smigmatos nihilominus in hieme ante 4. horam in aestate vero ante 6. pomeridianam materiale suum vendere prohibeantur; mechanici porro contubernales coetus suos a meridie, finitis duatant diuinis, seruare relinquuntur. V. Ultra haec, sicut aliarum rerum, ita esculentorum quoque in foris, plateis, et aliis fornicibus publica venditio dominicis et festis diebus prohibita intelligatur; carnum tamen emacellatio prout et piscium, panis, fructuum, et lactiniorum publica distractio in ciuitatibus quidem vsque horam 9. matutinam, extra vrbes vero, vbi ante diuina tres pulsus campanae praemitti solent; vsque ad secundum pulsum libere admittatur; idque ea cum restrictione, vt lac et fructus non publice in plateis, sed lac sub portis domorum, fructus autem ex cellariis et repositoriis in ipsa clausura vendi possint. Quae omnia velut praecise ad augendam Dei gloriam, et eius Sanctorum cultum promouendum, indeque subiecti fidelis populi salutem animarum securius consequendam, a Sacratissima sua Maiestate dirigerentur; ita his dolo malo, et praesumptuose contravenientes, per concernentes locales et iurisdictionatos magistratus, quorum muneri, sub graui responsionis onere, omnium praemissorum obseruationi sedulo inuigilare incumbet; pro grauitate delicti proportionatis poenis inomisse castigentur. — Datum ex Consilio R. L. H. Posonii, die XV. mensis Dec. anno Dom. 1772.“ Ibid. p. 274.

252. *Eadem Apostolica, ex Archiepiscopatu Strigoniensi, tres novos Episcopatus: Scepusiensem, Neosoliensem, ac Rosnauensem exscindit. A. 1776.*

Populo Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis nimium aucto, nimio etiam Antistibus onere incumbente, postquam sedes primatialis ab obitu Francisci Barkóczy annos decem vacasset, vt illud facilius sustineri, gregique dominico melius a pastoribus prouideretur, Regina Apostolica, sedis Romanae consensu et approbatione accedente, Archiepiscopatum in quatuor dioeceses distraxit: nempe praeter Strigoniensem Metropolitanum, in Neosoliensem, Rosnauensem et Scepusiensem. Metropolitanae subiectis manentibus, primum paroeciis exemptis S. Andreae, Békás Megyer, Buda cum paroeciis, quae huic adiacent, Dömös, Pestinum, Budaörs Telk; item Posonium, Týrnauia, Visegrad; porro comitatus Strigoniensis totus, in comitatu Nitriensi tractus Cseitensis, Érsekújvárensis, Mijaukensis, Nagy Tapolcsánensis, Radosnensis, Szenitzensis, Vittentzensis, Transmortanus; et in prouincia Neogradiensi ager Szécsénien-sis, totus comitatus Hontensis; in comitatu Barsiensi tractus Levensis, Kis Tapolcsánensis, Verebélyiensis; in prouincia Jaurinensi tractus Hederváriensis, et in Comaromiensi Vdvardensis; totus denique comitatus Posoniensis. Cum metropolitano capitulo Strigonii 22, collegiato Posoniensi 13 canonicis. Praeterea etiam supremi comitis munus in Strigoniensi comitatu confirmavit princeps Augusta, huic adiecit Josepho e comitibus Battyán eo tempore e Colocensi Archiepiscopo, Metropolitano ac Primate renunciato, ius canonicos Strigonienses, ac Posonienses denominandi; praerogatiuas vero, quas Hungariae reges cum amplissimo hoc munere coniunctas esse vo-

luerant, eidem pro summa sua clementia confirmauit. — Neosoliensis dioecesis toto comitatu Zoliensi, toto item Thuroczensi, tractu Bajmoczensi, prouinciae Nitriensis, et agro Oslanensi, ac S. Crucis comitatus Barsiensis definitur; complectitur canonicos 6. Rosnauiensis Dioecesis per totum comitatum Gömöriensem, totum item Tornensem, per tractum Kis Hontensem, tractum montanum Comitatus Scepus, agrumque Losontzensem prouinciae Neogradiensis. Numerat canonicus 6. — Scepusiensis Episcopus Sacrorum ius exercet in Comitatu Scepusiensi, excepto tractu montano; in toto comitatu Aruensi, totoque item Liptouiensi, quae prouinciae comprehendunt 13. etiam oppida scepusiensia. Quum vero hoc in loco iam pridem canonici quidam conuictum, societatemque habuerint; nouum canonicorum collegium institutum non est.“ Ex Ephem. Viennen. Anno 1776. p. 3—19.

253. *Neocreata Episcopi Neosoliensis institutio. A. 1776.*

Nos Maria Theresia — memoriae commendamus, — quod nos pro ea, qua in constituendis ecclesiarum Dei pastoribus tenemur cura et solitudine, benignam habentes reflexionem ad praeclaras virtutes, laudatosque et acceptabiles mores, singularemque doctrinam et eruditionem, omnibusque gratam et acceptam exemplaris vitae conuersionem, ac caeteras excellentes animi dotes et qualitates fidelis nostri, nobis dilecti, reuerendi, spectabilisque ac magnifici C. Francisci Berchtoldi, L. B. ab Ungerschütz, electi episcopi Nouiensis, Abbatis S. Saluatoris de Kapornak, collegiatae ecclesiae Poson. Praepositi, Archidiaconi Poson. nec non ad Consilium nostrum L. R. H. Consilarii, quibus ipsum Dei altissimi munere insignitum et ornatum esse, tam aliorum fidelium nostrorum fide digno testimonio, quam etiam propria experientia nostra benigne cognouimus; eundem itaque C. Franciscum Berchtholdi, tanquam personam idoneam ac de ecclesia Dei, Sacraque dicti regni nostri Hungariae corona, ac maiestate quoque nostra benemeritam, nobisque gratam et acceptam, ad neorectum et suis limitibus circumscriptum episcopatum Neosoliensem, auctoritate iuris patronatus nostri regii, quod generaliter in conferendis omnibus praedicti regni nostri Hung. et partium ei annexarum, ecclesiis, earumque beneficiis, instar diuorum quondam Hung. regum, praedecessorum videlicet nostrorum, gloriosae reminiscendae, optimo iure habere et exercere dinoscimur, eligendum et nominandum, ipsumque ad praefatum episcopatum Neosoliensem promouentes, vniuersa bona, ad dominium Sanctae Crucis hactenus per episcopatum Strigon. possessa dehinc in qualitate dotis, pro episcopatu Neosoliensi assignatae, consideranda, vna cum decimis, quas idem Archiepiscopus in comitatibus Zoliensi et Thuroczensi, nec non districtibus Oszlanensi, et S. Crucensi, in comitatu Barsiensi antehac percipiebat (saluis nihilominus decimis et quartis capituli Strigoniensis prout et nonnullarum eiusdem gremialium dignitatum in praefatis comitatibus et districtibus, in praesentiarum vsque possessis.) Simul cum cunctis castris, castellis, oppidis, villis, possessionibus, praediis, fructibus, redditibus, prouentibus, obuentionibus, ac emolumentis, ad modo fatum dominium S. Crucense

(exceptis tamen feudis archiepiscopalibus, in eodem dominio praeexistentibus, et domo pisetaria, Cremnitzii existente, velut pro Archiepiscopo ulterius etiam in saluo relictis) de iure et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, vbiunque sub sacra praerepetiti regni nostri Hungariae corona existentibus et habitis, prout nempe per antelatum Archiepiscopatum Strigoniensem possessa fuerunt; danda duximus et coeferenda. — Quemquidem in persona sua a pendendo seu ad fortificatorii, seu parochorum cassam onere, pro hac vice clementer eximimus; vna tamen serio volumus, vt in vicem praeattactorum onerum, pro erigendis ac fundandis per ipsum parochiis nullum a praefata generali parochorum cassa, subsidium sibi polliceri, sed neque eatenus vnquam recursum facere possit; verum ex propriis huius episcopatus redditibus erigendis eiusmodi beneficiis, in quantum necesse fuerit, providere; de eo autem, quidnam per multiplicationem et congruam prouisionem parochiarum pro bono religionis in episcopatu hoc factum sit, fidelem quot annis relationem via consilii nostri L. R. H. submittere teneatur. Reseruantes ceteroquin nobis et successoribus nostris, Hungariae regibus omnia in capitulo beneficia ecclesiastica et canonicatus ius conferendi, admissa duntaxat antelato episcopo, in casu singulae vacantiae pro tali supplenda duorum idoneorum electione, absque tamen nostri omni ad hanc electionem restrictione. Quocirca vobis fidelibus nostris, honorabili praeposito, lectori, cantori, custodi, caeterisque canonicis et beneficiatis, tam ipsius ecclesiae Neosoliensis, quam etiam aliarum, dioecesi illi subiectorum harum serie firmiter praecipientes, committimus et mandamus, quatenus a modo imposterum prae-mentionatum C. Franciscum Berchtoldi pro vestro legitimo et indubitato episcopo et praelato habere, tenere et recognoscere — debeatis. Datum — die XV. Januarii, anno 1776.“ Ex originali.

254. *Eadem Regina Adamo L. B. Patachich Metropolitano Coloczensi creato Capitulum eius auget. 1776.*

Nos Maria Theresia — memoriae commendamus — quod nos, pro ea, qua in maius incrementum dominantis in antelato apostolico regno nostro Hung. orthodoxae fidei constanter ferimus, pietate, vigilantia et solitudine, benigne considerantes tenuem admodum capituli metropolitanae Colocen. et Bachien. ecclesiarum canonicè vni-tarum, fundationem et dotationem, per Archiepiscopum olim Colocensem, C. Gabrielem Patachich de Zajesda, institutam, et glor. memoriae dilectissimi olim genitoris ac praedecessoris nostri, Imp. et Hungariae regis Caroli VI. consensu anno 1738. firmatam; reflectentes item ad numerum animarum catholicarum ab eo inde tempore, tam in archidioecesi hac, quam et in aliis Archiepiscopo Colocensi iure suffraganeo subordinatis dioecesibus, notabiliter auctum, per consequens ad necessitatem plurium ministrorum, quo condecensius in subsistentia prouisi, tam Deo in cathedrali ecclesia, feruentius famulari, et in dioecesi salutem animarum promouere, quam et ipsi Archiepiscopo in subleuandis eidem incumbentibus pastoralibus curis, opera, consilio et

auxilio vtilius et efficacius adesse possint; idem capitulum, quod hactenus 5 dumtaxat indiuiduis consistebat; aliis adhuc 5 nouis indiuiduis et canonicis ea ratione clementer augendum et fundandum in animum nostrum induxerimus, vt idem deinceps ex praeposito maiore, cantore, custode, praeposito minore S. Pauli de Bács, archidiacono cathedrali, archidiacono Bácsiensi, archidiacono Tibiscano, nec non duobus magistris canonicis consistat; pro horum vero congrua subsistentia, et quidem praeposito maiori 2000, lectori 1600, cantori 1500, custodi 1400, praeposito minori S. Pauli de Bács 1300, archidiacono cathedrali 1200, archidiacono Bácsiensi 1100, archidiacono Tibiscano perinde 1100, ac denique vni ex magistris duobus canonicis 1000, (altero magistro canonico parochia Colocensi cum suis prouentibus, deducta prouisione cooperatorum, ad 1000 florenos computata, in sortem dotis et foundationis, extra onus mensae archiepiscopalis deseruiat) pro notario et vno fiscali sacrae sedis 400 pro ministris et aliis cathedralis ecclesiae necessitatibus 1500, ac demum pro musicis eiusdem cath. ecclesiae 1300, porro pro succentore 200, item pro praebendarista 100 floreni, praeter victum, eisdem in seminario clericorum suppeditandum, in toto vero 15700 flor. Rhen, ex prouentibus archiepiscopatus annue dependantur; ac praeterea in vicem beneficii lignationis, quod hactenus canonici habuerunt, pro singulo eorundem 10 canonicorum annuatim 20 orgyae lignorum e syluis archiepiscopalibus assignentur: quod onus, prout praerecensitum est, ad casum et sub tempus sedis archiepiscopalis vacantis, ipse quoque fiscus noster regius, citra omnem obmouendam difficultatem ex prouentibus eiusdem archiepiscopatus Colocensis inomisse supportare et explere teneatur; beneficium tamen compascuationis, quo hucusque iisdem canonici aequae gaudebant, ad praecauendam, quam communitas Colocensis, ob auctum eorundem numerum fundate ponere posset, querimoniam pro futuro simpliciter cesset: obligatio vero conseruandarum in bono statu neo erigendarum canonicalium domorum, pro quarum singula hac vice statim ex iisdem archiepiscopalibus prouentibus 2000, adeoque insimul decem millia florenorum Rh. numerari clementer indulsumus, penes ipsos canonicos, a quibus inhabitabuntur, continuo permaneat. — Dat. VIII. mensis Martii, anno Domini 1776.“ Ex originali.

255. *Eadem Regina Graeci ritus Episcopis catholicis non minora confert beneficia Anno 1776.*

Munkácsiensis Episcopus, cuius sacrae ditioni vniuersus populus Ruthenicus, qui Hungariam superiorem, 15 prope comitatum spatio incolit, et haud exigua pars Valachorum subiecta est, numerat vltro 675 curiones, templa 839 — exeunte seculo proximo, vicarii pontificis nomine praefuit, et vocatus est. Augusta iam anno 1771. eam gratiam praestitit, vt a Clemente XIV. par ei cum reliquis episcopis dignitas et potestas concederetur. — Iisdem in oportuna vitae subsidia perpetuum censum annum 12 millium flor. adtribuit. Collegium VII. canonicorum, et 4 qui Theologiam profiterentur, constituit; collegium, templumque, in cuius possessione ante haec So-

cietas Jesu Vngvariae erat, alterum sedem, alterum templum Episcopi esse voluit: arcem suam regiam Vnguariensem canonicis, iisque, qui scientias profitentur, vna cum iuniore clero incolendam dedit. — Antistites Graecorum rituum Varadinenses ad hanc diem vicarii tantummodo antistitum Varadinensium Latinorum fuerant. Sed quoniam ea res multis implicabatur difficultatibus; Augusta posterum illos Graecorum rituum episcopos nullius contineri imperio, sui iuris esse voluit. — Sedes Episcopi Varadini collocatur. Census annuus episcopo, 4. canonicis, et vni, qui ecclesiasticam iuventutem graecos ritus edoceat, adsignatur. Fines dioeceseos, quae hucusque sola prope prouincia Bihariensi continebatur, ita proferuntur, vt vniuersus graecorum rituum populus catholicus, qui vastos comitatus Bihariensem, Csongradiensem, Csanadiersem, Aradiensem, totumque tractum Temesiensem, incolit, in eam adscribatur. — In regno Croatiae Suidnicensis Graecorum rituum episcopi, ad hunc diem pontificii tantummodo erant vicarii, neque celebri aliquo loco sedem constitutam habebant, nec maiorem quotannis quam 1500 Rhenensium summam, in oportuna vitae subsidia de aerario regio recipiebant. Augustae benignitate hi episcopi in posterum idem cum reliquis episcopis ius, eandemque potestatem obtinebunt. Domicilium in regia Croatiae vrbe, Crisio habebunt, a quo loco etiam nomen Crisiensium episcoporum consequenti tempore gerent. — Fructibus demum annuis fruuntur amplioribus, duorum pagorum Sirmiensem Sid et Berhaszouo, prouentibus ad eam, de qua commemorauimus, pecuniae summam adiecit. Ad haec dioecesis Crisiensis iis finibus describitur, quibus omnes catholici regnorum Croatiae et Slaoniae, ac comitatus Hungariae Bacsensis incolae, qui graecis ritibus addicti sunt, continentur. Eszekini vicarius episcopi instituitur. Ad senatum de grauioribus negociis habendum episcopo duo adiunguntur canonici. Educationi cleri iunioris ea ratione consulitur, vt sex clerici communi totius cleri catholici Graecorum rituum seminario Vindobonensi, reliqui in seminario Zagrabieni, literis, moribusque imbuantur. Episcopium, templumque tum Crisii, tum Eszekini sumptibus publicis construitur, vtque etiam sarta tecta seruentur, certa quotannis eam in rem pecunia ei, qui nunc illum administrat, episcopo, Basilio Bositskouics, eiusque successoribus de aerario regio persoluetur.“ — Ex Eph. Vind. p. 74. 82. 89. 217. anno 1776.

265. *Eadem Regina Apostolica duos novos episcopatus, Albensem, ac Sabariensem erigit. Anno 1777.*

Episcopatus Albensis per totum comitum Albensem, itemque totum comitatum Pilisiensem, qui nunc pars comitatus Pestiensis est, porrigetur. Prouentus annui episcopo de bonis praepositurae Albensis, et de decimis Budensibus, quae ad hunc diem episcopi Vesprimiensis erant, adsignati sunt. Collegium canonicorum sex canonici continent. — His oportunum vitae subsidium 5 pagi, qui antehac ad patres de Societate Jesu Comaromienses pertinebant, attributi sunt. — Episcopatus Sabariensis per totum comitatum Castriferrei antea ad Jaurinensem pertinentem; ac

praeterea districtum Szala-Egerszegiensem — hucusque ad Vesprimiensem, dioeceses pertinentes, exceptis tamen Parochiis Tsatsensi, Csatár, Sz. László, et Sz. Juaniensi pro eadem Dioecesi ultra quoque relictis, — adeoque cum reliquis — parochiis matricibus XI. eorumque filialibus; ex dioecesi vero Zagrabiensi, in eodem Comitatu Zala, districtum Transmuranum nuncupatum, cum XVI. parochiis, earumque filialibus, — intra cuius dioecesis limites numerabit idem episcopus 114. parochiales matricēs, praeter numerosas eisdem parochialibus adnexas filiales Ecclesias. Datum Romae 1777. XV. kal. Julias.“

Mariae Theresiae Augustae collationales emanarunt die 17. Mensis Febr. anno 1777. Primus Episcopus Sabariensis creatus Joannes Szili, Electus Episcopus Tinniniensis, Praepositus S. Adalberti de Jaurino, Suffraganeus Jaurinensis Episcopi, et Canonicus. V. Schönvisner Hist. Sab. p. 349. Albensis denominatus, in loco suo natali, Ignatius Nagy, Ecclesiae Wesprim. Cantor et Canonicus, Vniuersitatis Budensis Cancellarius; cuius sub protectione paterna educatus sum in Seminario Generali Poson. ab anno 1785—1790.

257. Ignatii Nagy, Albensis Episcopi, institutio. A. 1777.

Nos Maria Theresia Dei gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Magna Princeps Transyluaniae, Dux Medfolani, Mantuae, Parmae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, et Vidua Dux Lotharingiae et Barri, Magna Dux Hetruriae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis quod Nos pro ea, qua in constituendis ecclesiarum Dei pastoribus, tenemur cura, et sollicitudine, benignam habentes reflexionem ad praeclaras virtutes, laudatosque et acceptabiles mores, singularemque doctrinam, et eruditionem, omnibusque gratam et acceptam exemplaris vitae conuersationem, ac caeteras excellentes animi dotes, et qualitates fidelis nostri nobis dilecti reuerendi Ignatii Nagy de Séllye, electi episcopi Driuestensis, praepositi sancti Benedicti de Kaposfő, cathedralis ecclesiae Wesprimiensis cantoris et canonici, nec non ad Consilium nostrum Locumtenentiale Regium Hungaricum Consilarii, quibus ipsum Dei altissimi munere insignitum, et ornatum esse tam aliorum fidelium nostrorum fidedigno testimonio, cum etiam propria experientia nostra benigne cognouimus. Eundem itaque Ignatium Nagy tamquam Personam idoneam, ac de ecclesia Dei, sacraque dicti Regni nostri Hungariae Corona ac Maiestate quoque nostra bene meritam, Nobisque gratam et acceptam ad neoerectum, et suis limitibus circumscriptum Episcopatum Alba-Regalensem, autoritate iuris patronatus nostri Regii, quod generaliter in conferendis omnibus praedicti Regni nostri Hungariae et partium ei annexarum Ecclesiis, earumque beneficiis instar duorum quondam Hungariae Regum, praedecessorum videlicet nostrorum gloriosae reminiscentiae optimo iure habere, et exercere dignoscimur, eligendum et nominandum, ipsumque ad praefatum Episcopatum Alba-Regalensem promouentes, vniuersa bona ad exemptam olim Praeposituram Alba-Regalensem pertinentia, et hactenus per praepositum possessa, dehinc in qualitate dotis pro Episcopa-

tu Alba-Regalensi assignatae consideranda, vna cum decimis tam ad antelatam Praeposituram vbicumque, quam et Episcopatum Weszprimiensem in districtu Budensi, et Pilisiensi, nec non Comitatu Albensi hucdum pertinentibus ac percipi solitis; non secus vineam cum domo et cellario in Libera, Regiaque Ciuitate nostra Alba-Regalensi existentia ac antea ad aboliuae societatis residentiam Alba-Regalensem pertinentia, simul cum cunctis Castris, Castellis, Oppidis, Villis, Possessionibus, Praediis, Fructibus, Reditibus, Obuentionibus, ac Emolumentis, ad modo fatam Praeposituram de iure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, vbicumque sub sacra praerepetiti Regni nostri Hungariae Corona existentibus et habitis, prouti nempe per antelatum Praepositum Alba-Regalensem, et respectiue Episcopum Weszprimiensem, nec non aboliuae societatis residentiam Alba-Regalensem possessa fuerunt, danda duximus, et conferenda, prouti praesentium per vigorem nominamus, eligimus, et promouemus, damusque et conferimus; quem quidem a pendendo ex nouo hoc Episcopatu seu ad fortificationum, seu parochorum cassam onere clementer eximimus, volumus tamen, vt idem nominatus Episcopus tria millia florenorum annua e prouentibus mensae suae Episcopali attributis, ad Seminarium generale Cleri Regni Hungariae, pro intertenendis ad rationem Dioecesi suae Alba-Regalensis viginti Alumnis ac in Vniuersitate nostra regia studiis operam daturis rite dependere teneatur, reseruantes caeteroquin nobis et successoribus nostris Hungariae Regibus, omnia in Capitulo beneficia Ecclesiastica et Canonicatus ius conferendi, admissa duntaxat antelato Episcopo in casu singulae vacantiae pro tali supplenda duorum idoneorum subiectorum electione, et nobis demissa praesentatione, absque tamen nostri omni ad hanc praesentationem restrictione; quo circa vobis fidelibus nostris Honorabilibus, Praeposito, Lectori, Cantori, Custodi, caeterisque Canonicis et beneficiatis tam ipsius Ecclesiae Alba-Regalensis, quam etiam aliarum Dioecesi illius subiectarum, harum serie firmiter praecipientes, committimus, et mandamus, quatenus a modo imposterum praementionatum Ignatium Nagy pro vestro vero, legitimo, et indubitato Episcopo, et Praelato habere, tenere et recognoscere, eidemque debitam reuerentiam, honorem, et obedientiam, prout bonos et pios Ecclesiae ministros decet, praestare, et exhibere, in omnibus denique licitis et consuetis rebus iurisdictioni illius parere, et obtemperare debeatis, et teneamini; secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restititis. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui in Frakno, aurei velleris, ac vna Insignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apostolici magnae Crucis Equitis, Camerarii Consiliarii que nostri Actualis Intimi, Comitatus Mossoniensis Supremi Comitis, Curiae nostrae Regiae per Regnum Hungariae Magistri, nec non per antelatum nostrum Hungariae Regnum Aulae nostrae, prout et dicti Ordinis Sancti Stephani Cancellarii, in Archi-Ducali Ciuitate nostra Vienna Austriae, die decima septima mensis Februarii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septimo. Regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae, etc. et reliquorum anno trige-

simo septimo. Maria Theresia mp. Franciscus Eszterházy mp. Josephus Jablonczy mp. Insertum in Libro B. Collat. in officio Registraturae pag. 193. per Joannem Huber.

Penes praesentes benignas suae sacratissimae Caesareo-Regiae Apostolicae Maie-
statis Dominae Dominae Clementissimae collationales, Illustrissimus ac Reuerendissi-
mus Dominus Ignatius Nagy de Séllye, Electus Episcopus Driuestensis, Praepositus
sancti Benedicti de Kaposfeő, Cathedralis Ecclesiae Veszprimiensis Cantor, et Cano-
nicus, nec non ad Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum Consiliarius ad neoerectum, et suis limitibus circumscriptum Episcopatum Alba-Regalensem, huicque de facto in dotem constituta et annexa, in hisque benignis collationalibus designata bona, iuraque temporalia, ac beneficia, a modo imposterum ad eundem Episcopatum Alba-Regalensem de iure, et de benigna collatione Regia spectantia, et pertinere debentia, signanter autem Praeposituram hactenus Alba-Regalensem, vniuersaque eiusdem bona, per eandem possessa, decimas item tam ad antelatam Praeposituram vbicunque, quam et ad Episcopatum Veszprimiensem in Districtu Budensi et Pilisiensi, nec non Comitatu Albensi hucdum pertinentes, et percipi solitas, non secus vineam, domum item et cellarium, in libera Regiaque Ciuitate Alba-Regalensi existent., ac antea ad abolitae societatis residentiam Alba-Regalensem pertinent. dehinc in qualitate dotis pro memorato Episcopatu clementer assignatae consideran. ea lege, et conditione, vt praenominatus Episcopus tria millia florenorum annue ex prouentibus mensae suae Episcopali attributis ad Seminarium generale Cleri Regni Hungariae pro intertenendis ad rationem Dioecesis suae Alba-Regalensis viginti alumnis in Vniuersitate Caesareo-Regia studiis operam daturis rite dependere teneatur, a pendendo in reliquo ex nouo hoc Episcopatu seu ad Fortificatorium, seu Parochorum cassam onere clementer exemptus, a 1. current. mensis Martii inchoando possiden., tenen. et vsuand per Illustrissimum Dominum L. Baronem Josephum a Pfeffershoven Camerae huius Regiae Consiliarium vigore, benigni ad praelibatam Regiam hanc Camera sub 17. vltimo transacti mensis Februarii anni labentis emanati introductorii et instalatorii Mandati Regii Cameraliter deputatum in praesentia ad hunc actum specialiter conuocatarum tam Ecclesiasticarum, quam Saecularium Personarum sollemniter introductus, et installatus est. Ex Consilio Regiae Camerae Hung. Aulicae Posonii, die 22. Martii 1777. Adamus Philippovich mp. — Praesentem Copiam Originali in omnibus conformem esse testor Joannes Pados m. p. S. Sedis Notarius.

Eadem.

Nos Maria Theresia Diuina fauente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Lodomeriae, Galliciae, Bosniae, Seruiae, Cumaniae, et Bulgariae, Regina apostolica, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, et Carnioliae, Magna Princeps Transyluaniae, Marchio Morauiae Dux Brabantiae, Limburgiae, Lucemburgae, Geldriae, Würtembergae, Superioris et Inferioris Silesiae, Mediolani, Mantuae, Parmae, Placentiae, et Gvstal-

lae, Auschuiczy et Zatori, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Hannouiae; Kyburgi, Goritiae et Gradiſcaae, Marchio Sacri Romani Impery, Burgouiae Superioris, et Inferioris Lusatiae, Comes Namurci, Domina Marchiae Sclauonicae et Mechliniae, Vidua Dux Lotharingiae, et Barri, Magna Dux Hetruriae etc. Damus pro memoria nostro successorumque nostrorum nomine significantes, quibus expedit vniuersis. Quod nos in prouehenda et firmanda felicitate regnorum, quae a maioribus nostris iure haereditario accepimus inter caetera subsidia illud efficacissimum esse compererimus, quod totius rei Christianae firmitas religionis orthodoxae propagatio, hancque consequens animarum salus secundum Deum a sublimi Episcoporum munere, vigilantia, sollicitudine, Doctrina, verbo et exemplo potissimum dependeat, neque proinde vllum dubium supersit, quin quo plures e specula intendant saluti animarum vigilaturi pastorum oculi, eo maius res Christiana sumat incrementum, mores populorum ad humanitatis leges amplius excolantur, vita plebis innocentior reddatur, per consequens diuinis non secus, ac humanis legibus maior etiam reuerentia exhibeatur reipublicae salus, et tranquillitas solidioribus fundamentis fulciatur. Hinc cum Diaeceses Jaurinensis, Veszprimiensis ac Zagrabiensis adeo vastos hactenus complexae fuerint limites, vt impossibile quodammodo fuerit, iisdem Episcopis pastoralis officij partes in tantae extensionis Diaecesibus ita exequi, ita omnibus attendere, ita vniuersos instruere, ac regere, vt rei magnitudo, ac necessitas, vetusque Ecclesiae disciplina postulat, per consequens haec ipsa memoratarum Diaeesium ampla adeo extensio, et exinde promanans Administrationis Ecclesiasticae difficultas congruam a nobis, qua Apostolica Regina, et summa Ecclesiarum in praefato Regno nostro Hungariae existentium patrona, exegerit medelam in eo cumprimis consistentem, vt in remotioribus ab ordinarijs sedibus Episcoporum Jaurinensis, Veszprimiensis, ab Zagrabiensis Comitatus et Districtibus magis vicini pastores constituantur, qui Diaeceses suas arctioribus limitibus constitutas frequentius visitent, Cleri disciplinam vrgeant, excessibus quibusuis, qui promotioni orthodoxae fidei obstaculo esse possent, propius solerter inuigilent, ac denique procurandae animarum saluti magis et facilius intenti esse possint: Eapropter exemplis etiam praedecessorum nostrorum diuorum quondam Hungariae Regum gloriosae memoriae impulsae pro summo illo iure patronatus, quod qua Apostolica Regina Hungariae in conferendis, et pro ratione necessitatis, ac vtilitatis publicae ordinandis Diaecesibus optimo iure habere, et exercere dignoscimur, pro solita item, qua ad maiorem diuini cultus promotionem, et orthodoxae fidei propagationem ferimur, cura et sollicitudine nostra praeattactos Episcopatus Jaurinensem, Veszprimiensem, et in parte etiam Zagrabiensem diuidendos, et e limitibus eorundem in remotioribus quippe Comitatus, et Districtibus praeter alium nouum Episcopatum Sabariensem, Alba-Regaliensem quoque a libera Regiaque Ciuitate nostra Alba-Regalensi denominationem suam habiturum ea ratione benigne erigendum et fundandum esse duximus, vt nominis huius ordinarius Diaecesanus Episcopus residentiam suam cum Ecclesia Cathedrali et Capitulo, ex Praeposito, Lectore, Cantore, et Custode, duobus item Canonicis, adeoque sex indiuiduis consistente in prae-

fata ciuitate Alba-Regalensi habeat. Limites vero Diaecesis huius Alba-Regalensis integrum Comitatum Albensem ex Comitatu vero Pilisiensi partem ad Episcopatum, et Diaecesim Veszprimiensem praeuie pertinentes ambitu suo complectantur; Quoad iuniorum Clerum eam respectu Diaecesis huius fecimus benignam prouisionem, ut tot numero Clerici ad rationem Diaecesis huius in generali Cleri Regni Hungariae Seminario penes Vniuersitatem regiam constanter erga pendendam nempe per Episcopum a prouentibus mensae suae Episcopalis attributis ad idem Seminarium in annos singulos Ter mille florenorum summam interteneantur, quot nempe secundum Tractatum cum eiusdem Seminarii Praefecto eatenus ex parte Diaecesis huius ineundum, ac per nos subinde rati habendum cum omnibus suis necessitatibus ex eadem Ter mille florenorum summa annua intertineri poterunt; qui Clerici dein praecise ab ipsius Episcopi Alba-Regalensis seu in receptione, seu euocatione libera plenariaque dispositione dependant; pro condecienti demum Episcopi subsistentia Neoerecto huic Episcopatu Alba-Regalensi, vniuersa bona ad exemptam olim Praeposituram Alba-Regalensem pertinentia, et hactenus per Praepositum possessa, de hinc in qualitate dotis pro Episcopatu hocce Alba-Regalensi assignatae considerata, vna cum decimis tam ad antelatum Praeposituram vbicumque; quam et ad Episcopatum Veszprimiensem in Districtu Budensi et Pilisiensi, nec non Comitatu Albensi hucdum pertinentibus, ac percipi et respectiue in summa decem mille florenorum annue elocari solitis non secus vineam cum domo et cellario in liberae Regiaeque Ciuitatis nostrae Alba-Regalensis territorio existentia, ac antea ad abolitae societatis residentiam Alba-Regalensem pertinentia simul cum cunctis, Castellis, Oppidis, Villis, Possessionibus Praediis et eorumdem appertinentiis. Terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, Agris, Pratis, Pascuis, Campis, Foenetis, Hortis, Pomarys, Syluis, Nemoribus, Dumetis, Virgultis, Extirpaturis, Montibus, Collibus, Vallibus, Vineis, et earum Promontorijs, Fluyjs, Aquis, Piscinis, Piscaturis, Pisciumve clausuris, et Aquarum decursibus. Molendinis, et eorumdem locis, generaliter cunctis vtilitatum, obuentionum, reddituum, et pertinentiarum suarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis, et antiquis limitibus existentibus ad modo fatam Praeposituram de iure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, vbicumque sub sacra praerepetiti Regni Nostri Hungariae Corona existentibus, et habitis, caeterisque priuilegijs, Juribus et Jurisdictionibus de lege Regni et passim recepta consuetudine Clero, qua Domino Terrestri legitime competentibus, Donationis ac piae foundationis titulo pleno iure Domini, Regio et perennali (saluo tamen iure aliorum, si quod praeattactis bonis in esse legitime comprobata fuerit) benigne conferenda esse duximus: Imo conferimus, donamus, et fundamus, perpetuo, et irreuocabiliter tenenda, possidenda, habenda pariter et vsuanda; reseruantes caeteroquin nobis et successoribus nostris Hungariae regibus omnia in Capitulo beneficia Ecclesiastica, et Canonicatus ius conferendi, admissa duntaxat ipsi Episcopo in casu singulae vacantiae pro tali supplenda duorum idoneorum subiectorum electione et nobis demissa praesentatione citra tamen potestatis nostrae in hoc vel illo subiecto denominando restrictionem, quae omnia, dum mente animo-

que deliberato, et ex plenitudine potestatis nostrae Regiae hisce clementer statuimus, fundamus ac ordinamus, vna non ambigimus, quod quemadmodum hic per nos clementer neo erectus, et fundatus Episcopatus vnice ad incrementum religionis orthodoxae, per idque magis, ac melius promouendam animarum salutem directus est, eique ad suam consistentiam perducendo nos omni cura, et sollicitudine intentae fuimus, ita nostri quoque successores non minoris sollicitudinis studio salutare hoc, et pientissimum institutum nostrum ad omnem aetatem firmiter manutenturi, subsequenter totum id, quod ad neo erectum, et fundatum huncce Episcopatum praeuia ratione per nos clementer destinatum habetur, tanquam pro perpetuo stipulatam, et pactatam foundationalem dotem absque diminutione in sua integritate conseruaturi, et pro ratione circumstantiarum nouis etiam gratys et fauoribus adaucturi sint: Quapropter omnibus et singulis, quorum interest, benigne praecipimus, et mandamus, quatenus praesentem salutarem pientissimamque foundationem, et ordinationem nostram, quibusuis euenire queuntibus in casibus ad amussim obseruare nouerint, neque eidem sub incursu indignationis nostrae Regiae quaqua ratione contrauenire praesumant: In quorum maius robur, perpetuamque firmitatem, hasce secreto maiori Sigillo nostro, quo vt Regina Hungariae Apostolica vtimur impendenti communitas extradandas esse duximus, et concedendas litteras Fundationales. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui in Frankno, Aurei Velleris, et vna Insignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equitis Camerary, et Consiliary nostri Actualis Intimi, Comitatus Mossoniensis Supremi Comitis, Curiae Regiae per Hungariam Magistrī, et per antelatum Regnum nostrum Hungariae Aulae, prout et dicti Ordinis Sancti Stephani Cancellary, in Archi-Ducali Ciuitate nostra Vienna Austriae, die Decima Septima Mensis February Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Septimo. Regnorum Nostrorum Hungariae, Bohemiae, et reliquorum Anno Trigesimo septimo. Reuerendissimis, Illustrissimis, Reuerendis, item ac Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Josepho e Comitibus de Batthány Perpetuo in Németsújvár Sacri Romani Impery Principe Strigoniensis; Adamo Libero Barone Patachich de Zajezda Colocensis, et Bacsensis Ecclesiarum canonice Vnitarum Metropolitanarum Archi-Episcopis; Comite Francisco Zichy de Vásónkő Jaurinensis; Georgio Klimo Quinque-Ecclesiensis; Comite Carolo Eszterházy de Galantha Agriensis; Christophoro e Comitibus Migázz de Wal, et Sonnenturn Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinale Principe Sacri Romani Imperii Administratore Vaciensis; Josepho Gallyuff Zagrabiensis; Joanne Baptista Caballini de Szlavingrad Segniensis et Modrusiensis, seu Corbauensis; Mathaeo Francisco Kerticza Bosnensis, seu Diakouiensis et Syrmienis, Comite Ladislao Kollonich de Kollegrad Transyluaniensis; Carolo Szalbek Scepusiensis; Comite Francisco Berchtold Libero Barone ab Vngerschitz Neosoliensis; Comite Antonio de Réva Rosnauensis; Josepho Bajzáth Electo Veszprimiensis; (sedibus Magno-Variensi, Nittriensi, et Csanadiensi vacantibus) Antonio Zlutarich Belegradiensis; Joanne Szily Tinniensis; Stephano Nicolao Jaklin de Elephant Electo Almisiensis; Co-

mite Sigismundo Keglevich de Buzin Electo Makariensis; Joanne Alapi de Eadem Electo Dulcinensis; Emerico Kristovich Electo Scutariensis; Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus: nec non Serenissimo Duce Domino Alberto per Regnum Nostrum Hungariae Locumtenente Nostro Regio; Spectabilibus item, et Magnificis Comite Georgio Fekete de Galantha Iudice Curiae Nostrae Regiae; Comite Francisco de Nádasd Perpetuo Terrae Fogaras, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano; Comite Adamo de Batthyán Tauernicorum; Illustrissimo Nicolao Eszterházy de Galantha Nobilis Turmae Praetorianae Hungaricae Capitaneo; praelibato Comite Francisco Eszterházy de dicta Galantha Curiae, Comite Joanne Csáky de Keresztszegh Agazonum; Comite Francisco Döry de Jobbaháza Pincernarum; Comite Joanne Erdödy de Monyorókerék Cubiculariorum; Comite Antonio Károly de Nagy-Károly Dapiferorum; Comite Leopoldo Pálffy de Erdöd Janitorum, Nostrorum Regalium per Hungariam Magistris, ac Comite Joanne Pálffy ab Erdöd Comite Posoniense, caeterisque quam plurimis saepefati Regni Nostri Hungariae Comitatus Tenentibus et Honoris. Maria Theresia m. p. Comes Franciscus Eszterházy m. p. Adamus Trajcsik m. p.

Penes praesentes benignissimas Sacratissimae Caesareo-Regiae Apostolicae Majestatis Dominae Dominae clementissimae Collationales, neoerectus Episcopatus Alba-Regalensis a Libera Regiaque Ciuitate Alba-Regalensi Denominationem suam habiturus, in vniuersorum bonorum ad exemptam olim Praeposituram Alba-Regalensem pertinentium, et hactenus per Praepositum possessorum, dehinc vero in qualitate dotis pro Episcopatu hocce Alba-Regalensi clementer assignatae considerandorum, vna cum decimis, tam ad antelatum Praeposituram vbicunque, quam et ad Episcopatum Veszprimiensem in Districtu Budensi et Pilisiensi, nec non Comitatu Albensi hucdum pertinentibus, ac percipi et respectiue in summa decem mille florenorum annue elocari solitis, non secus vineae cum Domo, et Cellario, in praeattactae liberae Regiae Ciuitatis Alba-Regalensis Territorio existentium, ac antea ad abolitae Societatis Residentiam Alba-Regalensem pertinentium, ac generaliter quarumlibet vtilitatum, obuentionum reddituum, et pertinentiarum; quouis nominis vocabulo, vocitarum, ad modofatam Praeposituram de Jure, et ab antiquo spectantium, et pertinere debentium Dominium (saluo tamen Jure aliorum, si quod praeattactis bonis in esse legitime comprobatum fuerit) per Illustrissimum Dominum Liberum Baronem Josephum a Pföförhoven Regiae Camerae Hungarico Aulicae Consiliarium, vigore benigni idcirco ad Regiam hanc Camerae Hungarico Aulicam sub 17. Mensis Februarii anni currentis emanati introductory Mandati Regy cameraliter deputatum, in praesentia ad hunc actum specialiter conuocatarum tam Ecclesiasticarum, quam Saecularium Personarum reseruato caeteroquin suae Maiestati Sacratissimae, et Augustis eiusdem successoribus, Hungariae Regibus omnia in Capitulo ad neo erectum hunc Episcopatum pertinente beneficia Ecclesiastica, et Canonicatus conferendi iure admissa duntaxat ipsi Episcopo in casu singulae vacantiae pro tali supplenda, duorum idoneorum subiectorum Electione, et suae Maiestati Sacratissimae demissa Praesentatione citra tamen eiusdem

alfatae suae Maiestatis Sacratissimae in hoc vel illo subiecto denominando restrictionem, solenniter installatus, et introductus existit. — Ex consilio R. C. H. Aulicae Posonii die 12. Julii 1777. Ignatius Fröhlich m. p.

258. *Eadem Regina Archiepitulo Colocensi ornamentum confert. A. 1779.*

Nos Maria Theresia — memoriae commendamus — qualiter nos benigno revolventes animo, quam salutare atque decorum sit, quantumue stabiliendis et firmandis regnorum nostrorum imperiis expediat in augendum atque ampliandum orthodoxae religionis bonum promptissima quaeque conferre studia, quo et prosperitas, laudabilia praedecessorum nostrorum vestigia conspiciendo, ad parem virtutum prosecutionem erecta, gloriam hanc, quasi simulacrum, prae oculis habere possit: quocirca nihil unquam antiquius, nil magis in votis habuimus, quam cultum diuinum, quaque licet ratione promouere, et eos, qui in ecclesiis Deo iugiter famulantur, pro maiori fidelis populi aedificatione distinctis honoribus et ornamentis exornare, Condecorareque. Quod ipsum Maiestatem nostram induxit, ut, quum archiepiscopatum Colocensem prae ceteris ipso nomine emineat, peculiari quoque signo, seu honore distinguatur, et exornetur. Ut proinde deuotus in ecclesias Dei, propensusque in earum ministros animus noster eo magis eluceat, et hac ratione alii quoque ad propagandum cultum diuinum exstimulentur; ex plenitudine potestatis nostrae regiae, quam ut regina apostolica exercemus, eidem archiepiscopato Colocensi id clementer indulgendum et concedendum esse duximus, ut actuales eiusdem archiepiscopati canonici moderni et successores signum, de collo dependens, palam publice gestare possint et valeant. Signum videlicet, siue crucem Tolosanam, Saphiro infuso conspicuam, auroque reductam, quolibet latere introrsum incisam, cuius 4 capitum extrema singuli ornant globuli, similiter aurei, centrum crucis huius, in orbis figuram locatum, exhibet in antica quidem parte Astricum, primum, ut Historiae memorant Colocensem Archiepiscopum, coronam antelati regni nostri Hung. Roma allatam D. Regi Stephano in solio sedenti offerentem, cum inscriptione: Allatae S. Coronae memoria. In auersa autem crucis parte concernuntur, primae seu initiales aug. Imperat. filii nostri carissimi, nostrumque nominum literae IS. MT. cum hac Epigraphe: Sub Augg. renouata. 1779. Signum igitur, siue crucem, praeuia ratione circumscriptas figuras referentem, de clementia et benignitate nostra regio-apostolica gestabunt canonici ecclesiae metropolitanae Colocensis futuris quibusuis temporibus, e ligamine sericeo-coelestini coloris, argenteo limite ad marginem ornato, et coronae regni nostri Hung. implexo, quod coronam et huic ad perpendicularum appensam anchoram, nobiliori metallo tinctam, ad allusionem armorum hodierni Archipraesulis Colocensis, Adami e L. B. Patachich de Zajezda, desumptam, ipsam denique crucem, siue signum superius descriptum sustentaturum est, — eidem Archiepiscopato Colocensi, gratiose impertitae sumus. — Datum — Viennae Austriae die 19. mensis Nouembris anno Domini 1779. Regnorum nostrorum Hung. Boh. et reliquorum anno 40.“ Ex origin.

259. *Eadem Regina dexteram S. Regis Stephani a Ragusanis rehabitam regno solenniter restituit. 1771.*

V. Pray de Dextera S. Stephani.

Anno iam 1777. contulit eadem Augusta canonicis Strigoniensibus facultatem auream crucem portandi, cuius vna pars S. Adalbertum, sacro latice S. Stephanum abluentem. — Anno item 1779. capituli Sabariensis, numero iam aucti, latifundia dimidio oppidi Papotz, pago Sz. Péter et praedio Csonkas auxit. Schönvisner l. c. p. 366. Sacerdotiis vero 17. reformatis Capitulo Soproniensi primordia dedit. Apud Katona Hist. crit. tomo XXXIX. p. 898—900.

260. *Eadem Regina veterem Praeposituram Ecclesiae Nitriensis gratiose restaurat. A. 1780.*

Augusta, quae prope singula canonicorum collegia in Hungariae regno ad florentissimum statum euexit, Nitriensi etiam tantum splendorem addidit, vt iure merito altera eius conditrix dici possit. Quum Nitriae canonicorum collegium ab eo inde tempore, quo olim praepositura Nitriensis in episcopatum conuersa fuit, praeposito careret, Augusta Praeposituram, adiectis illi annuis 5000 florenorum, condidit. Ad tolerandos autem sumtus, qui in structuram eius praepositurae insumendi essent, 10 millia florenorum designauit. Praeterea ipsis etiam eius canonicorum collegii columnis, lectori, videlicet, cantori, custodi, itemque tribus archidiaconis, exigui hactenus prouentus erant, lectori itaque 4000, cantori 3000, custodi 2000, singulis autem archidiaconis 1500 florenos, praeter alios prouentus eorum annuos, adsignauit. — Notario quoque certum et stabile annum 300 florenorum stipendium constituit. Sors ipsa templi cathedralis perexigua fuit, adeo, vt annui foenerationis fructus 760 florenorum dumtaxat essent. — Augusta nunc pristinis illis templi huius prouentibus 2240 florenos annuos adiecit; proindeque vniuersim 3000 floreni quotannis eidem obuenient. — Praeter haec in Nitriensi Dioecesi iam antiquiores exstabant pecuniarum sortes, ex quibus iunior clerus antehac quidem in Tyrnauisiensi, nunc vero in Budensi alumniorum ecclesiasticorum seminario, educabatur. His ab Augusta, cui eiusmodi alumnum recta institutio, educatioque vel maxime cordi est 1000 flor. annui additi sunt. Ex ea sorte, quae in vsum sacrorum curionum, iam consenescentium et inuaidorum destinata fuerat, 750 tantum floreni annui hactenus redibant, quae summa ne tribus quidem eiusmodi viris alendis suffecit. Itaque clementissima princeps his quoque prouentibus 1050 florenos annuos addidit, vt in posterum sex sacri curiones inde sustentarentur. „Vt autem (sunt verba diplomatis ipsius) iidem viri, de rep. christiana optime meriti, et aetatem suam ac vires in graui animarum cura absumentes, reliquos vitae suae dies tranquille et ab omni sollicitudine liberi agere, terminareque possent, statuit, vt cuique eorum 300 floreni ex memorata pecuniae summa cederent; 100 nempe et 50 pro victu, 50 pro sustentatione famuli, medicamentis et aliis eiusmodi impensis, 100 vero floreni ipsis illis tradantur, pro vestitu nempe, linea suppellectili, aliisque uebus, quibus iis opus fuerit. Habitatio iisdem in domo, quam magistri nunc

iunioris cleri incolunt, destinata est: et vt domus ista eorum habitationibus accomodari, rebusque necessariis instrui possit, septem millia florenorum designata fuit.“ Ex Ephem. Vienn. anni 1780. p. 11. Cf. etiam Hist. Eppatus Nitrieni. ad hunc annum.

Aliis quoque capitulis munificam se exhibuit: Dynastiam Skatsán, et abbatiam Demes ab Episcopatu Nitriensi auulsam, Augusta Princeps Strigoniensi canonicorum collegio tradidit, vt damnum, ex ereptis prouentibus archidiaconatum, in iis tractibus, qui nunc — vel Neosoliensi vel Rosnauensi episcopatu adiecti sunt, ei alias redeuntibus, acceptum resarciretur. Haec tamen Strigoniensi canonicorum collegio conditio imposita est, vt sumtus in educationem ac institutionem trium alumnorum ecclesiasticorum e dioecesi Nitriensi in generali cleri iunioris seminario Budensi perpetuo suppeditaret. — Clero autem Quinqueecclesiensi, per eliberationem ciuitatis nonnullorum commodorum ac prouentuum iacturam passo, ea de causa a ciuitate 62,888 florenos persolui iussit.

261. *Eadem Regina Augusta Ladislaum Kollonics, e Transilvaniensi episcopatu ad Magno-Varadinensem, certis sub conditionibus translocat. A. 1780.*

Nos Maria Theresia — memoriae commendamus — quod nos — benignum habentes respectum et reflexionem ad praeclaras virtutes, singularemque doctrinam atque eruditionem, prout et exemplarem, omnibusque gratam et acceptam vitae conversationem, ac caeteras excellentes animi dotes, ac qualitates, fidelis nostri, nobis sincere dilecti, Reu. Spect. ac Magnif. Ladislai com. Kollonics de Kollegrad, perpetui in Zay-Vgrotz, episcopi Transilvaniensis, canonici Olomuczensis, nec non act. intimi status et ad gubernium nostrum regium Transilvaniense consiliarii nostri; — ad haec etiam perbenigne ac penitus perpendentes claram ac vetustam non minus ipsius praelibati comitis prosapiam, — sed et ipsius propria praelibati comitis Ladislai e comitibus Kollonich de Kollegrad, a virtutibus praedictorum antenatorum suorum haud degenerantis — merita; antelatum Ladislaum e comitibus Kollonich — ad episcopatum Magno-Varadiensem, per promotionem fidelis nostri, nobis sincere dilecti, RR. in Ch. P. magnif. L. B. Adami Patatich de Zajezda, metropol. Colocen. et Bácsien. ecclesiarum canonicè vnitarum, archiepiscopi, — modo tali episcopatus Magno-Varadiensis vltimi veri ac legitimi possessoris, ad archiepiscopatum Colocensem de iure et de facto vacantem, nouiterque per nos tam quoad prouentus mensae episcopalis, quam et alia complura obiecta, dioecesanisque necessitates in bonum religionis, ac ipsius Dioecesis, sacraeque vnionis promotionem, ac incrementum regulatum, et in ordinem redactum, auctoritate iuris patronatus nostri regii — promouendum, nominandum, et transferendum, ipsique praefatum episcopatum Magno-Varadinensem ita; quemadmodum per nos tam quoad prouentus mensae episcopalis regulatus, quam et intuitu superfluatorum a mensa episcopali rediturum, pro bono religionis, ac signanter ad promovendam sacram vnionem, iuxta expeditum in forma priuilegiali pro eodem episcopatu regulatiuum et respectiue fundationale instrumentum in ordinem redactus est; iis proinde dominiis et decimis vnice exceptis, quae ad alios fines designata et respectiue dismembrata sunt; caeteroquin vna cum omnibus castris et castellis. — Sequen-

tibus cum conditionibus, in supra memorato benigno regulatiuo, seu fundationali instrumento nostro vberius expressis, dandum duximus, et conferendum: vt nempe dominium M. Varadiense eidem per nos nominato episcopo, velut ob vicinum episcopali residentiae situm, maxime conueniens, comitatuique Bihariensi adiacens, cum vniuersis decimis, ad eundem episcopatum ab olim pertinentibus, iisque dumtaxat demtis, quae in reliquis tribus dominiis, vtpote Belényes, Bél, et Vaskoh. episcopatu huic M. Varad. hucdum dependebantur, veluti pro futuro per illos, ad quos haec dominia pertinebunt, percipiendis, ea ratione obueniatur, vt idem neonomiatus episcopus pro sartorum, tectorum conseruatione, ac eorum aedificiorum episcopalium, quae ex suppeditandis eidem hoc titulo summis, perfici nequibunt, ad vires huius summae continuatiuae 5 mille florenos, pro incumbente ad prouidendas, iuxta ideam, per nos benigne praescriptam, in bonis suis episcopalibus, dominio quippe M. Varadinensi, vtriusque ritus ecclesias catholicas, parochias et scholas nationales iuris; patronatus onere 4 mille florenos, pro sumtibus denique consistorialibus, e reflexione limitatae congruae episcopalis, annue mille florenos ex prouentibus eiusdem domini retineat; atque in praestitutos fines ita conuertere teneatur, ne futuris quibusuis temporibus, siue praetextu sumtuosae sartorum tectorum conseruationis, et residentiae episcopalis continuationis, siue incumbentium iuris patronatus onerum, siue denique sumtuum consistorialium, ad thronum nostrum regium recurrere, congruaeque suae auctorem quampiam praetendere in animum suum inducat; quin potius super erogatis praeuios in fines summis, si ita visum fuerit, semet etiam sua via legitimare sit obligatus. Ultra haec pro dioecesanis quidem necessitatibus erogandos titulo tamen cassae parochorum, ad eandem 8500 florenos; pro dote porro ecclesiae cathedralis ad manus custodis capituli annue 2000 florenos; ad rationem item deficientium in cura animarum parochorum ad cassam seminarii 1000 florenos; titulo tandem annui interusurii, 5 per 100 computati, a capitalibus summis ex fundo studiorum pro variis anticipationibus cameralibus, nec non aliis piis foundationibus, in prouentibus episcopatus M. Varadin. hucdum radicatis exsoluendis suppeditatis, atque iuxta elargitas benignas assecutorias, praeattactumque regulatiuum instrumentum competentis, eidem fundo studiorum 20,400 florenos; ea tamen conditione, si ad vires 80,000 florenorum episcopo Segniensi bona per cameram cessa fuerint, et haec summa subinde aequae e capitalibus fundi studiorum, apud cameram elocatis, defalcata exstiterit; secus deducenda ex praeuia interusuriali summa 4000 flor. ad cassam parochorum, vnde dictus episcopus Segniensis designatos sibi in adiutorium congruae 4000 florenos leuaturus est. Denique eidem cassae 3100 florenos annue numerare teneatur. Reliquos vero vniuersos, a depuratione praespecificatorum onerum remanentes, domini eiusdem M. Varadinensis et decimarum prouentus, qui iuxta modernum aestimationis calculum, summam 20,000 florenorum facile constituunt, titulo congruae, et mensae suae episcopalis reddituum percipere possit, atque valeat, dominio Belényes caeteroquin, in comitatu Bihariensi sito, iuxta alias benignas fundationales literas nostras, Graeci ritus catholicorum episcopo, aequae M. Varadiensi, erga obligationes, in mentionatis benignis fun-

dationalibus expressas, prouti reliquis duobus dominiis Bél, et Vaskoh nominatis, ad episcopatum perinde M. Varadinensem pertinentibus, ab eodem haud quidem plene secernendis; verum sub titulo Varadiensis episcopatus porro quoque, seu in forma arendae, (respectu cuius quidem arendae episcopo M. Varadiensi latini ritus, caeteris paribus, ius prioriatu in saluo relictum est) seu alia quacunque modalitate ad rationem cassae parochorum, in fines, per benignas itidem fundationales literas nostras clementer specificè praescriptos administrandis, stabiliter destinatis, resolutis et collatis, — imo eligimus et nominamus, ac tam eundem episcopum M. Varadinensem quam et reliquos honorum episcopatus huius possessores, ex eo etiam, quod omnes episcopatus huius a mensa episcopali superfluos redditus in bonum religionis, promotionemque ac incrementum orthodoxae fidei catholicae conuertantur, ab omni, seu ad cassam camerae nostrae regiae Hung. aulicae, pro fortificatione destinata, seu ad aliam parochorum cassam quotae procentualis depensione clementer dispensamus, — reservantes caeteroquin nobis et successoribus nostris, Hungariae regibus, ius omnia in capitulo beneficia ecclesiastica et canonicatus conferendi, admissa duntaxat antelato episcopo, in casu singulae vacantiae, pro tali supplenda, duorum idoneorum subiectorum electione, et nobis demissa praesentatione; absque tamen omni nostri, successorumque nostrorum ad hanc praesentationem restrictione. — Dat. — in archiducali civitate nostra Vienna Austriae. XXIII. mensis Junii, anno Domini 1780, regnorum nostrorum Hung. Boh. et reliquorum anno 40.“

262. *Articuli regnante Maria Theresia in favorem Religionis et Ecclesiae Catholicae comitaliter decreti anno 1740—1780.*

Decreti I. Posen. anno 1740. Art. 10. „Securos reddidit perquam benigne status et ordines regni sua Maiestas Regia in eo quoque, quod videlicet primatiali etiam, ac archiepiscopali dignate, in legalem, et plenam auctoritatem atque iurisdictionem reposita, eum in finem duplex etiam sigillum suum regium, moderno domino primati et archiepiscopo Strigoniensi consignari; eumque in auitum et legalem eiusdem usum restitui faciet; ac tam hunc, quam futuros dominos regni primates et archiepiscopos Strigonienses in vsu eodem et actiuitate legali, conseruabit.“ Art. 15. „Annuit clementer Sacra Regia Maiestas, demisso statuum et ordinum regni, partiumque eidem adnexarum, petito, atque benigne resoluit, quod iuxta dictamen legum regni, quaeuis beneficia, dignitates et officia, ecclesiastica aequè ac secularia, de rege, ac regno bene meritis hungaris conferet.“ Art. 16. „Approbante salutarem hanc statuum et ordinum prouisionem Sacra Regia Maiestate, vltro quoque statuitur: vt praelati, aliique beneficiati, publicis regis vel regni, aut aliis grauibus ecclesiae necessitatibus non praepediti, in suis diocesisibus et beneficiis resideant. Ad id etiam retentione prouentuum beneficii, quod tenent (et quidem per Regiam Maiestatem, qua summum Ecclesiarum Patronum) similitudine etiam articuli 71. anni 1723. adstringendi. Justum porro agnoscit esse sua Altesata etiam Maiestas, vt ad canonicatus pariter, nonnisi

epti et idonei, iuriumque ac consuetudinum regni et linguae patriae gnari Hungari assumantur.“ — Art. 33. „Circa diuidendam prouinciam religiosorum sociétatis Jesu, tollendam item in Mariana ordinis Minorum S. Francisci reformatorum prouincia alternacionem, ac incorporandum prouinciae Hungaricae ordinis Minorum conuentualium conuentum Wimpassingensem, sua Regia Maiestas superiores dictorum religiosorum ordinum semet benigne audiat; ac se demum vltiorem eatenus dispositionem facturam, clementer resoluit. Sperant igitur status et ordines regni in benignitate regia demissi in praemissis postulati sui cupitum effectum.“ Art. 43. „Cum consolatione intellexerunt status et ordines regni Benignam sacrae Regiae Maiestatis, Dominae Dominae eorum clementissimae resolutionem; vi cuius, summae quinque millium. Rhenen. florenorum, iuxta foundationem Pazmaniam, pro conuictu nobilium Tyrnauensi ex prouentu piseti, secundum literarum fundationalium genuinum, regia et pontificia auctoritate roboratum tenorem quotannis praestandae; ibidem specificatos bis mille florenos ex regis redditibus suis annue superaddendos clementer decreuit; ac id quoque benigne declarauit, quod videlicet pro regio munere suo, circa vltiorem dictae foundationis administrationem, eam prouisionem sit initura, quae spectato moderno rerum cursu, pro meliore nobilis iuuentutis educatione et eruditione, adeoque publico bono et emolumento, utilis, et conueniens videbitur. Pro qua benigna dispositione demississimas summae memoratae Regiae Maiestati referunt gratias.“ Art. 46. „Singularem suae Sacrae Regiae Maiestatis in Deum Optimum Maximum pietatem et in perpetuo fideles suos subditos, ex vnus et solius verae in praefatis Dalmatiae, Croatiae ac Sclauoniae regnis diplomaticae et articulariter stabilitae, et nulla penitus alia admissa, aut tolerata seruatae, ipsoque Christi Domini Sanguine irrigatae et fundatae, atque per Apostolos et Sanctos ecclesiae Patres traditae Romano catholicae fidei et religionis vnione principalem et summam coniunctionis animorum, atque adeo intrinsecae non tantum suae, sed et vicinarum suae sacrae regiae Maiestatis prouinciarum conseruationem, et felicitatem, et hactenus expertos et in futurum quoque indubie experturos, vere maternam clementiam venerabundi agnoscunt, status et ordines; dum erga vnanimem statuum et ordinum regni Hungariae, partiumque eidem annexarum supplicationem et augendum verum Dei cultum et promouendam vberiore in dies eiusdem misericordiam et benedictionem, clementissime, atque sanctissime annuere dignata est; vt statuta eorundem Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae regnorum in fauorem et conseruationem orthodoxae religionis condita, occasione huius diaetae confirmarentur. Et proinde Sacrae Regiae Maiestatis benignissima, aequae ac pietissima resolutione, sic et vnanimi statuum et ordinum consensu, et voto statuta eadem confirmantur. Et veluti iuxta art. 86. anni 1723. in eodemque citatos et hicce etiam confirmatos articulos, dispositum iam esset, vt in districtu eorundem regnorum non alii, quam romano-catholicam religionem profitentes possessionis bonorum sint capaces, ita officiales oeconomici dominorum terrestrium a fide orthodoxa alieni, in antelatis regnis administrationis quoque bonorum incapaces esse declarantur. Quo vero ad Varasdinensem et Carolostadiensem generalatus semet facturam beni-

gnissima sua Sacra Regia Maiestas declarauit, ne inde quoque dictae religioni orthodoxae quodpiam eueniat praeiudicium. Metropolitanæ porro Graeci ritus non vnitorum in districtu praefatorum regnorum, nulla vtique in antelati ritus clerum, et populum admittetur iurisdictio. Quod autem concernit episcopi Szuidniczensis cum ecclesia catholica vniti, ex monasterio Marchensi exclusionem, aliosque contra Simeonem Philippouich insinuos excessus; fundate indagari curabit, superindeque condignam animadversionem et praeterea damnificatis competentem reparationem decerni faciet altefata sua Regia Maiestas. Id etiam curatura vt quoadvsque alii etiam Episcopi Graeci ritus non vniti ibidem perstiterint, ab omni excessu et confusione sese continere debeant.“ Art. 61. „Accedente benigna sacrae Regiae Maiestatis resolutione, communi statuum et ordinum voto vltro compertum et statutum est, vt praefatorum regno Hungariae annexorum filii natiui sub denominatione Hungarorum quoad officia et beneficia ecclesiastica et saecularia etiam comprehensi intelligantur.“ Art. 65. „Florentem olim etiam in hoc regno Hungariae religiosum fratrum praedicatorum Sancti Dominici ordinem status et ordines regni, in regnum hocce Hungariae partesque eidem adnexas, absque tamen omni voto et sessione recipiunt, cum obligatione 12 Missae sacrificiorum celebrandorum vt supra.

Decreti II. Posón. anni 1751. Art. 3. „Primatiali et archiepiscopali dignitate, per art. quoque 10. nouissimae diaetae in legalem plenamque auctoritatem et iurisdictionem reponenda, desiderii status et ordines regni in eo etiam sua Maiestas Caesarea Regia clementer deferre dignata est, vt sedes archiepiscopalis et capituli, eidem subordinati, Strigonium, locum videlicet, cui per S. regem Stephanum insiti sunt, quam primum fieri poterit, postliminio transferatur; quod item altefata Sua Maiestas vigore praelitati art. 10, duplex etiam sigillum suum regium eidem primati et archiepiscopo, qua summo secretario cancellario benigne consignatura, eundemque in auitum et legalem illius vsum restitutura sit.“ Art. VII. „Capitulo Coloczensi post exactum regni finibus Christiani nominis hostem, Turcam, per magnae memoriae imperatorem et regem Carolum VI. in pristinam sedem suam, inque iura et praerogatiuas antiquas postliminio reposito, sua Maiestate Sacratissima clementer admittente, restorationem hanc, et in iura sua, vna et in sigilli authentici vsum praedicti capituli restitutionem, articulo huic inserendam decreuerunt status et ordines regni.“ — VIII. Art. Clementer annuente sua Maiestate Sacratissima per status et ordines regni statutum est, vt conuentus de Szalavár in pristinum reducatur, ac in parem cum reliquis regni locis credibilibus ponatur statum; ita tamen vt abbas loci eiusdem religiosos conuentuales ad minimum quinque patriae linguae gnaros, corporali iuramento in forma art. 46. anni 1723: subnexa, adstringendos, pleno numero, notariumque idoneum, continue in conuentu habeat, seque ad instar aliorum locorum credibilium legibus regni se conformet, sigillum vero a sua Maiestate Sacratissima, quo expeditiones conuentuales munientur, impetret. Literae porro et literalia instrumenta. ex conuentu eodem et Kapornakiensl, innuente, art. 52. anni 1609. ad capitulum ecclesiae Castriferrei translatae, eidem conuentui pro conseruatione restituantur.“ Art. X. De prouincia re-

ligiosorum S. J. ab Austriaca separanda. Art. XII. Sua M. Sacratissima auditis prae-
 uie audiendis, vniuersalem normam in re stolarum ponere dignabitur, hocque modo
 clementer prouidere, vt excessibus, qui in exigendis stolis hactenus euenerunt, re-
 medium afferatur.

Decreti III. Poson. 1764—5. art. XLII. Ordo minorum S. Francisci Seraphici
 conuentualium, prouinciae a S. Elisabeth, post liminio receptus, conditione consueta
 inarticulatur. Art. XLIII. Congregatio Monialium Virginum Notre-Dame dictarum non
 absimiliter articulariter recipitur.“

Comitiorum a 17. Junii 1764—1765. productionis causa duplex fuit: Sua Maiestas contri-
 butionale quantum vno millione augeri, et insurrectionis negotium in eum redigi ordi-
 nem, vt efficax auxilium pro publica necessitate haberi possit, petiit. Status et Ordi-
 nes, miseram contribuentem plebem grauari, aut onus fundo inhaerere debere, metuentes
 primum tergiversari ac difficultate coeperunt, mox grauamina, quae vniuersae 250.
 capita continebant, praepressis complanari petierunt. Altera morae rebus agendis in-
 iectae causa fuit libellus a Georgio Kollar de potestate legislatiua scriptus, et
 in comitiis sparsus: qui ad preces statuum ab Augusta XVI. Augusti prohibitus est.

*Eadem Regia Maiestas regulationem, dotationem Episcopatus, Capituli Ecclesiae, ac
 seminarii Csanadiensis sibi propositam clementissime ratificat. A. 1780.*

Sacrae Caesareae et Regio—Apostolicae Maiestatis Dominae Dominae clementis-
 simae nomine eiusdem Consiliario Actuali Intimo Episcopo Csanadiensi Domino Eme-
 rico Kristovics hisce benigne intimandum: Altesatam suam Maiestatem Sacratissimam
 erga humillimam intuitu regulationis, et dotationis Episcopatus, Ecclesiae, Capituli et
 Seminarii Csanadiensis abhinc factam propositionem clementer resoluisse, et quidem
 1. vt Ecclesia Cathedralis pro Musica, ornamentis, et aliis necessitatibus habeat annuos
 2000 fl. 2. Vt Dominus Episcopus, cuius dotem caeteroquin Dominium Makó con-
 stituit, deinceps etiam e cassa Camerali annuos 2000 fl. et occasione instituendae vi-
 sitationis, titulo sumtuum itinerarium ex eodem Camerali fundo percipiat aureos 100.
 Praeterea vt pro residentia eidem suo tempore resignetur domus Cameralis ea ratio-
 ne: vt in eandem Domum Praebendarius quoque et succentor, nec non Archium
 Capituli, cum Notario illocentur; ita etiam in eadem domo interea, quoad noua do-
 mus telonialis extracta fuerit, ipsum officium teloniale cum antiquis scriptis remaneat.
 3. Capitulum, quod nunc ex Praeposito, et quatuor participantibus Canonice consistit,
 vno adhuc indiuiduo augendum decreuit sua Maiestas Saēma, pro quo praemontio-
 natus Dominus Episcopus tria idonea subiecta altissimo selectui substernet. Horum Ca-
 pitularium congrua ad normam aliorum Capitularum in seorsiuus 1000 fl. defixa est,
 resoluit praeterea septimam Canonice portionem, ex qua Praeposito 500 fl. Lecto-
 ri 250 fl. Cantori 166 fl. 40 xr. Custodi 83 fl. 20 xr. superaddentur. Pro succentore
 destinati sunt 400 fl. pro Praebendariis 300 fl. pro Notario Capituli 200 fl. pro Fisca-
 li 150 fl. Pro exstruendis domibus canonicalibus, caeteroquin ab omni publico one-
 re eximendis locus prope Ecclesiam Cathedralem assignandus disponitur, pro quarum

singula e quatuor cubiculis, tribus nempe pro Canonico et quarto pro famulatio destinatis, item ex vna dispensa, culina et cellario, nec non stabulo quatuor equos recipiente seorsive 3500 fl. insimul 21000 fl. destinantur, interea vero census quarteriales continuabuntur. In eo demum benignam mentem suam manifestavit sua Maiestas Saēma, quod Domino Episcopo, item Ecclesiae, et Capitulo in locum praedeclearatarum paratarum solutionum bona immobilia per Commissionem Regiam circa reincorporationem operantem proiectanda assignare, eousque autem ipsa Salaria et census quarteriales modalitate praedeclearata continnanda velit, eo per expressum declarato, vt Chorus ad summum cum 1. Nouembr. anni curr. initium sumat, atque ab eo tempore praedeclearatae competentiae in parato aēre assignentur. Quae benigna Resolutio Regia praementionato Domino Episcopo pro interimali notitiae statu et requisita sui Directione, vigore praesentium nota redditur. Datum in Archiducali Ciuitate Vienna Austriae die 2. mensis Junii, anno Domini milesimo septingentesimo octuagesimo. Comes Franciscus Eszterházy, ad benignum Sacrae Caesareae et Regio Apostolicae Maiestatis mandatum Josephus Kelcz mpr. Josephus Gaszner.

263. *Josephus II. Augustus, iura libertates, et immunitates, regni Hungariae obseruaturum se spondet. A. 1780.*

Josephus II. — Postquam e Dei peroptimi maximique, bonorum omnium largitoris, inscrutabili iudicio et prouidentia, SS. sua Maiestas, Romanorum Imperatrix vidua, et Hungariae Apostolica, nec non Bohemiae regina, genitrix nostra desideratissima, hesternae luce cum intimo penetrantis afflicti filialis animi nostri doloris sensu, relictoque in quibusuis fidelis, quem elapsis plene 40. annis materno rexit, populi animis iugi suo desiderio, sed praecipue etiam condigno nationis Hungaricae, innumera maternae benignitatis et gratiarum monumenta participantis, luctu ex hac temporali vita, ad aeternam quietem ea, quae ipsi, dum in viuis ageret, propria fuit, rara animi constantia ac fortitudine, sibiue vsque extremum vitae spiritum praesentissima transiisset, a tristissimo eiusdem statim decessu regni Hungariae, qua virtute diaetaliū anni huius seculi XXIII. primi et secundi articulorum, in Hungariae Regno et corona, ad eandem pertinentibus partibus, prouinciis et regnis, immediatus haeres, et successor, regimen et gubernacula suscepimus. Et quemadmodum mox, atque haec capessimus, vniuersa tam aulica, quam prouincialia dicasteria sub iis, quibus hactenus obstringebantur, fide, obligatione et instructionibus clementer confirmauimus; ita status quoque et ordines Comitatus huiusce de eo, quod eosdem in iuribus, priuilegiis et libertatibus, et immunitatibus, illibate, inuiolabiliterque conseruare, nec iisdem quaqua ratione derogare velimus, praesentibus in antecessum etiam securos benigne reddimus; clementer vna eisdem iniungentes, vt benigne per nos confirmatis praeuia ratione et pristina sua auctoritate, atque actiuitate plene stabilitis, tam aulicis, quam vero prouincialibus dicasteriis, eorum in officii rebus, nomine nostro expediendis intimatis, dehinc

etiam morem gerere relationemque ac remonstrationes suas, ope eorumdem dicasteriorum ad thronum nostrum regium promouere nouerint. Vobis in reliquo gratia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manemus. Datum in archiducali ciuitate nostra Vienna, anno 1780. Josephus m. pr. Comes Franciscus Eszterházy m. pr. Franciscus Gyóri m. pr.“ — Mutat. Peric. p. 56.

264. *Idem Josephus comitia indicenda edicit, et illa, quae extra eadem sanxit, reuocat, et irritat. A. 1790.*

Josephus II. — Quum generalia regni comitia, quorum celebrationem vobis, regii verbi nostri sponsione interposita nuper, die quippe 18. Decembris, anni nunc elapsi 1789. polliciti eramus, a legali nostra coronatione, inauguralisque diplomatis, ad mentem art. 2. anni 1723. expeditione auspicari, atque ideo dictis regni comitiis ipsi in persona praeesse velimus; inde factum est, quod eorumdem celebrationem ad pacata tempora remittenda duxerimus; quippe nobiscum reputantes, nos, curis belli solutos, recuperatisque, quae nunc vi morbi labefactatae sunt, viribus, nos totos curandis comitorum regni negocijs consecrare posse. Ne tamen vos expectatione incerti adhuc agendorum regni comitorum temporis diutius sollicitos teneamus; constitutum nobis est, haecce comitia non vltra annum 1791. differre. Atque ideo vos hisce verbo nostro regio certos reddimus, venturo anno generalia regni comitia per nos certo indicenda, eaque ratione per leges perscripta, celebranda esse. Non his adhuc teneritudinem paterni nostri in gentem Hungarum animi limitibus constringere volentes, vt hoc etiam, quod adhuc celebrationem regni comitorum intercedit, exiguo temporis interuallo votis vestris penitus satisfiat; vltro, proprio cordis nostri motu, clementer decreuimus, publicam regni, reique iustitiae administrationem cum prima venturi mensis Maii ad eum plane statum reponere, in quo ea fuerat, dum anno 1780. post decessum Ser. D. Imperatricis viduae et reginae Apostolicae, matris nostrae desideratissimae, regni gubernacula capessiueramus: quippe qui quum instituta quaequam publicae administrationis inde ab exordio regiminis nostri, studio prouehendae communis felicitatis, eaque spe immutanda duxerimus, quod ea vobis, vsu edoctis, placitura essent; nunc adeo certiores redditi, vos priscam administrationis formam malle, atque in ea sola vestram et quaerere, et inuenire felicitatem, nihil moramur hac etiam in parte vestris deferre desiderijs; nempe, quum vnice prosperitatem regimini nostro concreditarum nationum ardentem cupiamus; illa ad hanc obtinendam via nobis gratissima est, quam certius eo ducere communi nationis consensione intelligimus. Quare cunctis Regni comitatibus in suam pristinam et legalem auctoritatem, tam quoad negocia, in generali vel particulari congregatione pertractanda, quam et legaliter legendum magistratum restituitis; reddita liberis, regisque ciuitatibus, item districtibus, separatas portas habentibus, prisca sua et legali actiuitate reliquas etiam ordinationes, inde a regimine nostro elargitas, quae sensu communi legibus aduersari videbantur; hisce pro sublatis et extra vigorem positis, declara-

mus; volentes nihilominus, ne interea, donec de earum indiuiduali sublacione ulterio- res, de quarum adornatione iam mandata dedimus, ad vos dispositiones pertigerint, ad vitandam publicae administrationis perturbationem; quidpiam sponte immutetur; prout etiam vos, donec supremus Comes, quem de recipiendis proximis muneris sui functionibus vna certiore reddi iubemus, legalem suam auctoritatem exercere poterit; a moderni vestri fungentis supremi Comitis inuicationibus tantisper praestolari debeatis. Ceterum decreuimus, ne vigori decreti nostri, tolerantialis nuncupati, item quod parochiarum regulationem concernit; denique relate ad subditos, eorumque non modo tractandi rationem, sed et nexum cum Dominis eorum terrestribus quidpiam decerpatur; quum alioquin haec et cum legibus rite componi possint, ac naturali aequitati innitantur; parochorum autem regulationem etiam nostrum, qua summi ecclesiarum patroni, munus a nobis deposcat; nobisque ceteroquin persuasum haberemus, vos ipsos, pro aequanimitate vestra, hisce nostris ordinationibus penitus acquiescisse. Denique, ne ad summam votorum vestrorum quidpiam desiderari patiamur, sacram regni coronam ac cetera clenodia, ad tempus in caesareum nostrum gazophilacium deposita, primo quoque tempore, Budam in arcem nostram regiam transferenda, ibique iuxta legis dispositionem custodienda decreuimus, dedimusque in mandatis; vt oportunus pro iis rite conseruandis illico locus apparetur. Ex his per nos taliter in sequelam legum decretis noua paterni nostri, quo gentem Hungaram complectimur, affectus accipietis monumenta; accipietis autem vna irrefragabile atque in perpetua valiturum tempora documentum, quod nos legum ferendarum potestatem; quia illa, vigore fundamentalium regni, constitutionum inter principem atque regni ordinum status aequa ratione diuisa foret, hoc statuum ius illibatum seruabimus; atque prout ipsi illud a diuis maioribus nostris accepimus, ita etiam ad successores nostros inuiolatum transmittemus; sperantes, neque vos etiam opem vestram imploranti patriae, et frugibus pro militis, in illius securitatem excubantis, alimento, et tyrronum statutione, ea, quam conuenientissimam existimaueritis, ratione pro currentis anni campiductu auxiliaturos esse. Datum Viennae 28. Jan. 1790.“ — In collect. Resolut. Regiarum. Par. 1.

265. *Josephus II. Bosnensem Ecclesiam prouentibus et Canonicis auget. 1781.*

Nos Josephus II. diuina fau. clem. electus romanorum imperator S. A. Germ. Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Galiciae, Lodomeriae, Ram. Seru. Cum. et Bulg. rex apostolicus, etc. memoriae commendamus, — quod quum ser. ac potentissima olim domina Maria Theresia, romanorum imperatrix vidua, et genitrix nostra fel. record. desideratissima, tamquam suprafati regni nostri Hungariae regina apostolica, et summa ecclesiarum Dei patrona, probe adverterit, complures archi- et episcopatus in eodem percaro regno nostro Hung. provinciisque adnexis partim adeo diffusos dioecesium suarum limites habere, vt pro eo, ac necessum esset, easdem regere, disciplinam ecclesiasticam conseruare, eos, qui a religione orthodoxa

alieni sunt, quorumue magna adhuc est copia, seu ad veram saluificam fidem suauimodelitate reducere, seu vero in excessus illorum, ne vltra errores serpent, vigilem oculum tenere, atque cuncta sane ardua episcopalis muneris officia adaequate explere minus possent; partim vero nonnullarum dioecesium limites ita implexos esse, vt una alteram in administratione dioecesana quadamtenus impediatur; partim denique tam has, quam et alias nonnullas dioeceses, etsi quoad illarum extensionem et limites nulla prorsus reflexio occurrat; in intrinseca tamen omnium ad rite ordinatam dioecesim spectantium partium regulatione non parum deficere; idcirco his admodum retroactis annis, communicato cum sede etiam apostolica consilio, eademque conatus hos multum probante, alios archi- et episcopatus diuiserit, nouasque ex diuisis partibus dioeceses efformauerit; in aliis porro limites dioecesanos ad situm prouinciarum magis opportune accommodauerit; ac denique poene in omnibus dioecesibus ea, quae deficere obseruauit, in rectum ordinem collocare adnisa sit; ita, vt vbique tam ecclesiae cathedrali, atque in eadem celebrando seruitio diuino et choro ecclesiastico, mensae item episcopali, capitulo, seminario tam iunioris cleri, quam et deficientium in cura animarum parochorum, aliisque dioecesanis necessitatibus prospiceretur. Quare eodem hoc consilio inducta fuit, vt, quum dioecesis Quinqueecclesiensis limites parte ex vna in Sclauoniam ita procurrere obseruauerit, ut eadem complures parochias, in comitatibus Sirmiensi et Veröczeni, nec non in confiniis militaribus existentes, inter dioecesim Sirmiensem et alteram Bosnensem interiacentes, numerauerit; parte vero ex altera certum quoque districtum, in quo regimen Brodense est, hucdum ad dioecesim Zagrabiensem pertinentem, ob multifarias rationes commodius ad eandem dioecesim Bosnensem et Sirmiensem applicari posse intellexerit; facta horum districtuum a dioecesi Quinqueecclesiensi, cui non ita dudum, occasione dismembrationis archiepiscopatus Strigoniensis, complures parochiae, in comitatibus Tolnensi et Baranyensi sitae, antea exemptae, verum dioecesis Quinqueecclesiensis limitibus immixtae, accesserunt; tum ab altera dioecesi Zagrabiensi dismembratione eosdem saepe fatae dioecesi Bosniensi et Sirmiensi, accedente quoque sedis apostolicae, eatenus interpellatae, consensu, vt contextus ipsius bullae pontificiae perhibet, in qua tam districtuum horum dismembratorum limites, quam et existentium in iisdem parochiarum matricum numerus et nomina specificè recensentur, ingremiauerit. Dioecesi igitur Sirmiensi et Bosnensi hoc modo in numero parochiarum et limitibus dioeceseos suae aucta, quum eandem ceteroquin in multis ad recte ordinatam dioecesim pertinentibus obiectis deficere, neque sufficienter instructam esse compererit; ne igitur, dum vna ex parte iurisdictionem dioecesanam auget, parte ex altera necessaria subsidia minus suppetitando, curae animarum peius prospectum sit; hac de causa igitur multum sollicita, huius quoque dioecesis regulationem more aliarum dioecesium sequenti modalitate perficiendum constituit; atque nos etiam, vestigiis potentissimae genitricis nostrae insistentes, cunctaque, per eam eatenus prouide sancita, pro auctoritate nostra regis apostolici omnimode confirmantes, aequè clementer constituimus. Vt igitur media, vnde praemissa subsidia petuntur, adsint; idcirco cunctas illas decimas, quas episco-

patus Quinqueecclesiensis in dismembratis ab eiusdem dioecesi Sclauoniae districtibus, in bulla pontificia vberius specificatis, ac signanter in dominiis Erdöd, Vuková, Nyustar et Révfalu, huc non intellectis proinde decimis territorii Tsepiniensis, quod limitibus dioecesis Quinqueecclesiensis ultra quoque inclusum manet, hucdum seu ad rationem mensae episcopalis, seu vero pro ecclesia cathedrali, seu denique ad rationem capituli et seminarii percipiebat, et quoquo modo eo pertinebant, episcopatus Bosnensi et Sirmiensi in perpetuum sequenti modo addicimus, vt, quum episcopus pro mensae suae episcopalis intertentione aliis redditibus sufficienter dotatus sit, atque hi, vbi ab onere prouidendarum aliarum dioecesanarum necessitatum, quibus nunc alia ratione prospicietur; quasve idem ex suis mensae episcopalis prouentibus hucdum sustentabat, releuatus fuerit, eo magis suffecturi sunt; tota haec massa decimarum cum eo etiam, quod per meliorem illarum administrationem subinde accessurum est, ea ratione inter cathedralem ecclesiam, capitulum et seminarium eiusdem episcopatus Bosnensis et Sirmiensis diuidatur, vt primo vna eorum quarta pro dote cathedralis ecclesiae ita cedat, vt, a) quum actu etiam quarta haec, iuxta modernos extractus, circiter 1600 florenos inferre referatur; ex hac summa 1200 floreni annue ad manus custodis capitularis numerentur, atque per eum, iuxta assignationem episcopi, aut, sede vacante, capituli, in eiusdem ecclesiae necessitates conuertantur, b) residuum vero, etsi perinde proprium semper maneat ecclesiae, atque inde, in omnem infortunii cuiuspiam casum, subsidium peti debeat; in quantum tamen ad hoc necessarium non erit, iuxta assignationem eiusdem episcopi, in alias pauperes ecclesias, nec non, vbi patronus deficeret, aut mediis destitutus esset, parochiarum et scholarum nationalium seu triuialium dotationem conuertatur; atque super his cunctis, tam super perceptione videlicet, quam et erogationibus per praefatum custodem annuales rationes, suis quietantiis firmatae, conficiantur, capitulo praesententur; ac ita demum per episcopum superreuisae, consilio R. L. inomisse submittantur. c) Si autem ex meliori administratione horum decimalium prouentuum, quod onus principaliter capitulo sub inspectione episcopi incumbet, aliquid ad hanc partem accesserit; illud aequae in beneficium dotis cathedralis ecclesiae cedat; eritque amplior fundus, ex quo aliis etiam pauperioribus in dioecesi ecclesiis, parochiis et scholis, secundum ideales resolutionales nostras, circa haec elargitas, dotandis prouideri poterit. Secundo. Duas ex his decimalibus prouentibus quartas dicto capitulo Bosnensi, quod hucdum ex 4 solum indiuiduis, praeposito quippe, et tribus canonicis constabat; ea lege benigne conferimus: a) quum facta ad varias dioecesanarum necessitates et recte ordinatis capitulis cathedralibus incumbentes obligationes reflexione, exiguus adhuc participantium canonicorum sit numerus; idcirco volumus, vt pro more aliorum capitulorum neo-fundatorum duo adhuc participantes canonici, praeterea solitae capitulares dignitates, ut pote lectoris, cantoris, et custodis, introducantur; atque hunc in finem decimalibus his prouentibus, cum reliqua praeexistente capitulari massa coniunctis, duae adhuc et media portiones canonicales formentur, ita quippe, vt, praeter praepositum, qui actu quoque semi altera portione gaudet, ex efformanda adhuc media portione, eius census

medietatem lector, alterius porro medietatis duas tertias cantor, vnam vero tertiam custos tollat; reliqui vero neo-fundati duo canonici simplas portiones vnice obtineant. Porro b) hi canonici chorum ecclesiasticum, more penes alia huiusmodi minora capitula introductum, frequentare, munia poenitentiarum et scholastici canonicorum suscipere; atque cunctis dioecesanis obligationibus, ex ordinatione episcopi iisdem iniungendis, satisfacere teneantur. c) Vt autem praeattactus chorus ecclesiasticus ea qua par est, solemnitate peragatur; ex communi capitulari massa duo etiam praebendarii intertenebuntur: atque cuilibet horum 300. fl. annui tribuentur; d) vicario foraneo, in dioecesi Sirmiensi per episcopum, aut, sede vacante, vicarium capitularem constituendo, titulo remunerationis, et pro extraordinariis officii sumtibus 400. floreni, alteri vero vicario generali, penes cathedralem ecclesiam constituto, quum is alioquin vnus ex numero canonicorum, praebenda prouisorum, futurus sit, pro expensis cancellariae vicarialis 300 flor. annui ex eadem capitulari massa dependantur, e) quum capitulum hocce publico archiuo prouisum sit; de apto notario quoque et archiuario prouidebit, atque eidem compotens salarium emetietur. f) Quia vero hoc quoque capitulum, vti alia, a praestatione ad cassam parochorum ideo immune est, vt in propriis bonis ecclesias aedificet et conservet, porro parochias et scholas triuiales introducat atque interteneat; ideo huic quoque capitulo incumbet, iuri huic patronatus ita satisfacere, vt, iuxta editas ac deinceps hoc in merito edendas normales resolutiones nostras, et parochias pro exigentia necessitatis, per dioecesanum comperiendae, et scholas triuiales introducat, atque ita dotet, vt parochus minimum 300 florenorum congrua prouisus sit; ludimagister autem, citra exactionem etiam didactri, quod proles miserorum a scholis publicis plurimum arcet, statui suo conuenienter subsistere possit. g) Si quid igitur vltra haec onera ex rectiori decimalium prouentuum administratione augmenti accesserit; illud capitulari massae pro meliori participantium canonicorum subsistentia adiiciatur; noui tamen duo canonici post effluxum duorum annorum per nos primo benigne nominabuntur; ac illud, quod ex horum portionibus interea incassabitur, in aedificandas duas nouas canonicas domos impendatur. Tertio: Quum nec accedentibus nouis districtibus, numerus parochiarum admodum magnus sit futurus; a proportione proinde cleri dioecesani 10 alumni hic et nunc suffecturi videantur; capitale nihilominus, hunc in finem destinatum, tantum in 4300 florenis subsistat; adeoque pro horum intertentione nullatenus sufficiat; ideo eorundem intertentioni et educationi debite prospecturi, residuam quartam praeattactorum decimalium prouentuum partem, nec non capitale 10 millium florenorum, a seminario Quinqueecclesiensi hoc titulo numerandum, pro dote seminarii sequenti modalitate benigne addiximus vt a) hi 10 alumni, quum in hac dioecesi priuatum quodpiam studium theologicum introduci non velimus; ad generale seminarium Budense, publicas vniuersitatis scholas frequentaturi mittantur; atque pro his singulis a 170 florenis computando, 1700 fl. annui ad manus praefecti eiusdem generalis seminarii numerentur: porro 115 floreni pro horum itineribus et aliis extraordinariis expensis computentur: si proinde interusuria vniuersorum capitalium, in 13400 flor. subsistentium,

nec non quarta pars prouentuum decimalium, hic et nunc circiter in 1600 flor. computata, in vnum calculum sumantur; eueniet, a praespecificatis sumtibus circiter 600 florenos adhuc remansuros: quos proinde b) pro subsidio deficientium in cura animarum parochorum ea ratione benigne destinamus, vt, pro more aliarum dioecesium, illis honeste ac statui eorum conuenienter prouideatur. Quia vero c) non dubitamus, suo tempore per auctionem horum decimalium prouentuum huic quoque quartae quidpiam accessurum; id circo hinc vltra clericos, ex scholis vniuersitatis reduces, sub conspectu episcopi, et sub directione canonici, eatenus per episcopum deputandi, ad curam animarum praeparandos, in ipsa sede episcopali interteneri clementer volumus. Illud denique, d) quod ab his etiam erogationibus supererit, rursum pro subsidio ampliori deficientium et pauperiorum parochiarum ecclesiarumque dotatione benigne addicimus. e) Quemadmodum igitur huius quartae, nec non interusuriorum, a capitalibus incassandorum, cura vni e canonicis ab episcopo dioecesano deferetur; ita is accuratas rationes super cunctis his reddere, atque eas aequae capitulo praesentare tenebitur: quae dein postquam etiam ab episcopo superreuisae fuerint: consilio R. L. accurate submittentur. „Dum igitur salutarem hanc iam per aug. olim imperatricem et reginam apostolicam, D. M. Thesiam, genitricem nostram desideratissimam, benigne resolutam, atque per nos in consequentiam illius plene confirmatam foundationem atque regulationem, per quam dioecesi Sirmiensi et Bosnensi rectaeque administrationi curae animarum optime prospectum fore existimamus; animo deliberato et de plenitudine potestatis nostrae regiae, qua summus ecclesiarum Dei patronus, pro solita nostra in Deum pietate, ad maiorem cultus diuini promotionem et orthodoxae fidei propagationem, atque cleri, cuius deuotis ad Deum precibus et suffragiis fausta et felicia suscepti regiminis gubernacula, prosperitatem annorum et secundos aduersus hostes victoriarum successus, imperiique et aug. domus nostrae felicitatem vltieris quoque nos consequuturos, pie confidimus, commodorum incrementum instituimus, nihil prorsus est, quod ambigamus futurum, vt nostri quoque in regimine successores pientissimam hancce ordinationem et regulationem nostram non modo adimplere, quin potius eandem, pro ratione circumstantiarum, nouis etiam gratiis et fouoribus augere sint adnisiuri: ac proinde benigne praecipimus et mandamus, quorum interest vel in futurum intererit, vniuersis, quatenus praesentem regulationem nostram in quibusvis euenire queuntibus casibus ad amussim obseruare nouerint; neque eidem, sub incursu indignationis nostrae regiae, quaqua ratione contrauenire praesumant. In quorum maius robur perpetuamque firmitatem hasce, secreto maiori sigillo nostro, quo vt rex Hung. apostolicus vtimur, impendenti communitas, extradandas esse duximus et concedendas confirmationales fundationales. Datum per manus fidelis nostri, nobis sincere dilecti, spect. ac magn. C. Francisci Eszterházi de Galantha, perp. comitis in Frakno, aur. velleris ac vna insignis ord. S. Stephani regis apostolici, magnae crucis equitis, comitatus Mosonien. supr. comitis, camerarii consiliariiue nostri actualis intimi, curiae nostrae regiae per Hung. regnum aulae, prout et dicti ord. S. Stephani cancel-

larii, in archiducali ciuitate nostra Vienna Austriae, die 16: mensis Febr. anno dom. 1781. regnorum nostrorum, Romani 16. Hung. Boh. et reliquorum anno 1.

Decreto Tolerantiali Josephino, Aatholici, pro genio suo, duppliciter sunt abusi: 1) Nec coniuges, qui antea sponte ac libere se obligarant ad proles suas, e mixto matrimonio oriundas, in religione catholica educandas, datis reuersalibus vltra obligari, asserentes. 2) Per idem decretum religionem catholicam acatholicis confessionibus aequiparatam; et quamcunque quis teneat, indifferens fore. — Errori primo: cum partes catholicae consortem acatholicam ducturae secus neutiquam fuissent, praeterquam sub conditione prolium omnium catholice educandarum, contradixit, decreto 13. Maii 1782. emanato. Alteri: Religionem catholicam aitam, vnice veram, ac diuinam profitendo, conatus est occurrere: Decreto 24. Maii anno 1782. Ast indifferentismum coërcere neutiquam potuit.

266. *Idem Iosephus Canonicis etiam Quinqueecclesiensis Ecclesiae consulit. A. 1781.*

I. Decimae, quas Episcopus et canonicorum collegium Quinqueecclesiense ex auulsis in Slauonia de eadem Dioecesi partibus percipiebant, in commodum Dioecesis Bosnensis et Sirmiensis omnino cedent: ita tamen, vt id, quod inde, canonicorum collegio Quinqueecclesiensium obueniebat, ex decimis episcopatus Quinqueecclesiensis, aut aliis prouentibus, eidem resarciatur. Ea itaque de re inter episcopum et canonicorum collegium paciscendum erit. II. Episcopus Quinqueecclesiensis in commodum et incrementum scholarum, et sacrorum curionum in bonis episcopatus sui quot annis bismille florenos, praeter id, quod hactenus episcopi eo nomine persoluere solebant, dependet. III. Templum cathedrale secundum diploma Leopoldi imperatoris et regis anno 1703. editum, octauam honorum et decimarum episcopatus partem obtinet, ac praeterea haud exiguam pecuniae summam foenori locatam habet, vt adeo, deductis quibusuis annuis eius expensis, facile 8 millia florenorum supersint: sancitum itaque est: vt quotannis 4000 florenorum in constructionem turrium, aliarumque aedium, ei necessariarum impendantur; duo item millia florenorum in institutionem orphanotrophei, ac subinde in sustentationem pupillorum vtriusque sexus; curatorum item ac praeceptorum eorundem, insumerentur; reliqua verò duo millia fl. in vsum sacrorum curionum inualidorum, scholarumque triuialium in eadem dioecesi, quae aliis subsidiis carent, praecipue autem primariae nationalis scholae Quinqueecclesiensis, conuerterentur. Quod si progressu temporis, ipsum templum, et quaevis alia aedificia eius prorsus perfecta fuerint; etiam quatuor illa millia flor. quae supramemorata sunt, eosdem hos in vsus pios impendenda sunt. Curam templi et omnium istarum erogationum pecuniarum custos collegii canonicorum geret, qui earum rationes annis singulis eidem collegio edet; episcopus vero has recognitas regio consilio locumtenentiali transmittet. IV. Canonicorum collegium vniuersorum episcopatus honorum et decimarum quartam partem ex instituto imp. et regis Leopoldi, obtinet, et prouentus hi porro illi manebunt; ea nempe lege, vt sumtus in templorum, quae in ipsorum bonis sunt, conseruationem, et vsus sustentent; paroecias, scholasque triuiales, prout res postulauerit, et necessaria etiam subsidia iisdem admini-

strent. V. Seminarium octauam vniuersorum episcopatus honorum et decimarum partem habet, ideo, quo pro diocesis vsibus quotannis 40 alumni, decem videlicet Budae, in generali seminario cleri Hungarici, in Quinqueecclesiensi autem seminario 30 sustententur. His vnus de canonicis Quinqueecclesiensibus, praeficietur, addito etiam spirituali et vicepraefecto, quorum vtrique, praeter victum et habitationem annui 200 floreni penduntur. Doctores Theologiae quatuor erunt, quorum primus 400, secundus et tertius 300, quartus 200 florenos, itemque victum et habitationem in eodem seminario obtinebunt. Si quid progressu temporum ex prouentibus seminarii reliquum factum fuerit, illud in subsidium emeritorum sacrorum curionum, vel in eorum, qui, absolutis studiis, ad procurandam animarum salutem a canonico, ad id constituto, comparandi sunt, vsus conuertetur. VI. Sacris curionibus inualidis ex prouentibus ad id hucusque iam designatis, atque ex templi cathedralis ac seminarii, prout iam supra dictum est, prouentibus pro victu et habitatione annui 200, pro vestitu autem 100 floreni penduntur. — Ex ephemeridibus anni 1782.

267. *Idem res Episcopatus M. Varadinensis in ordinem redigit. A. 1781.*

Episcopatum Varadinensem olim florentissimum, turbulentis illis temporibus, quibus Hungaria bellis Turcicis premebatur, penitus euersum, Leopoldus imperator et rex postmodum in pristinum statum reuocauit, ereptaque bona ei restituit, ea lege, vt ipsi episcopo 17 millia florenorum in vsum cederent, reliquum vero in diuersa pia instituta impenderetur. Quum res haec nunquam in certum ordinem redacta fuisset, proindeque ex episcopi arbitrio plerumque penderet, quid et quantum in pios eiusmodi vsus conuertendum esset; demortua imperatrix et regina apostolica, stabili lege sanciuit, quid episcopo, quid templo, quid scholis, quid aliis piis institutis ex annuis eius prouentibus tribuendum sit. Vt sapiens rerum istarum institutio melius perspiciatur, obseruandum est: Episcopatus M. Varadinensis quatuor dynastias (dominia) fuisse, videlicet Magno-Varadiensis, itemque Beel, Vasko et Belényes; Magno-Varadiensis Dynastia episcopo, eiusque necessitatibus mansit tota, ita vt pro suis vsibus annua 20 millia florenorum retinere possit; residuos vero prouentus in designatos regio diplomate vsus conuertat: Nempe ex iis I. Cathedrale templum, quod regnante Maria Theresia basilicae instar splendidissime constructum fuit, vna cum foenore propriae suae sortis, annuos 3000 flor. habeat; qui partim ad illud sartum tectumque seruandum, partim ad sacram supellectilem, aliasque res necessarias comparandas, et conseruandas, itemque in annua stipendia aeditui, musicorum aliorumque, qui suam ei operam praestant, secundum arbitrium custodis, cui rationes impensarum annis singulis edendae sunt, insumentur. II. Sumtus in templorum, quae hac in Dynastia sunt, conseruationem et vsus suppeditandi; sacris item curionibus, scholisque triuialibus necessaria subsidia subministranda sunt: quem in finem annui 4000 flor. designantur. III. Ad aedes conseruandas, nouasque construendas annui 5000. IV. Ad sumtus in consistorium episcopi tolerandos 1000 floreni destinantur. V. Alumni sex Budae.

M. Varadini in seminario 12 minimum sustentandi sunt. In id vniuersim tam ex dynastia Varadiensi quam ex aliis iam fixis prouentibus annua summa 4000 florenorum constituitur. VI. Pro sacris curionibus inualidis, vltra summam hucusque iam ad id designatam, 1000 floreni annui dependendi sunt, ita vt singuli eorum 300 florenos quotannis obtineant. Id, quod ex memoratae dynastiae prouentibus reliquum factum fuerit, sacrorum curionum aerario (cassae parochorum) in alios designatos vsus addendum est. Dynastiae Beel et Vasko ad cassam generalem parochorum, curae regii Cons. L. concreditam, integrae adiiciuntur. Ex earum prouentibus Vindobonense regium seminarium Graeciritus catholicorum annua 10 millia flor. percipiet. In dioecesi Munkácsiensi Graeci ritus catholicorum, primum ipsis canonicis Munkácsien. praeter eos, quos nunc habent, prouentus, annui 3400 tum 4. Ruthenicis professoribus in seminario Vnguariensi, 650, duobus vicariis, qui ob dioeceseos amplitudinem constituendi erant, 500, consistorii fiscali et notario 500. Seminario Munkácsiensi in educationem iunioris cleri 3000, templo cathedrali Vnguariensi 1800, in summa 10,150 floreni designantur. Ex prouentibus earumdem dynastiarum, praeter diuersa alia instituta, episcopatus etiam Chrysiensis Graeci ritus catholicus certam pecuniae summam percipiet. Dynastia Belényes episcopatus Graeci ritus catholicorum Magno-Varadinensi cessit. De quo haec sancita, et regio diplomate 16. praeteriti mensis Februarii edito confirmata sunt: Dioecesis huius episcopatus complectetur comitatus Bihar, Békes, Arad, Csanád, tractum item Temes, seu comitatus, quos is continet Torontal, Temes et Krassouiensem. Dynastia Belényes episcopo graeci ritus, eiusque successoribus, in perpetuum traditur, ea nempe lege, vt ipsis episcopis 6000 flor. in vsum cedant, canonicorum collegio, quod ex 5 canonicis, videlicet archipresbitero, archidiacono, primicerio seu cantore, chartophylacio, seu cancellario, et scholastico constat 2800; in sustentationem iunioris cleri partim Budae, partim Magno-Varadini 1200; in vsus cathedralis ecclesiae graeci ritus catholici 500, ad aedes episcopi sartas tectas conseruandas 300, pro vicearchidiaconis, sacris curionibus, cantoribus, ludimagistris 5406 floreni quot annis ab iis dependantur; inde etiam annui 200 floreni pro consistorio soluentur. Praeterea 8500 flor. assignati sunt, qui in vsus templorum, quae patronis carent, sacrorum curionum, Scholarum et ludimagistrorum, in construendas domus canonicorum, et alia quaeuis necessaria impendia conuertentur.“ Ex Ephemeridibus anni 1781. Poson. p. 241.

268. *Idem in patrociniū religionis et Ecclesiae Catholicae quaedam restringit anno 1781.*

Josephus II. — Art. VI. Per hoc autem ita explicatum religionis exercitium, atque Christianae tolerantiae limites, nullo modo, vti iam in superioribus punctis attatum est, legibus regni rite expeditis, item et vsu firmatis priuilegiis, benignisque normalibus resolutionibus regis, quae publicum religionis exercitium in nonnullis locis praeattactis A. et H. confessioni addictis et Graeci ritus non vnitis, aliasque con-

cessionones tribuunt, derogari; prouti parte ex altera eas quoque regni leges, et priuilegia, quae in fauorem dominantis religionis, signanter quoad regna Dalm. Croatiae, ac Sclauoniae nonnullasque liberas regiasque ciuitates, atque communitates, constituta sunt, circa non admittendum publicum religionis exercitium in saluo relinqui: verum praetactum priuatum exercitium, aliaque praerecensita vere Christianae tolerantiae accessoria, ex gratia vnice et clementia regia, per modum dispensationis, in mentionis quoque regnis et ciuitatibus in quantum huiusmodi leges, et priuilegia iisdem obstant, concedi clementer volumus. — VII. Quum matrimonia disparis religionis hucdum non secus, quam erga dandas reuersales de prolibus vtriusque sexus in religione Romano-Catholica educandis, admissa fuerint; huiusmodi reuersalium vsum ex nunc quidem abrogare, pro constanti tamen, norma vna sancire duximus, in matrimoniis disparis religionis, vbi pater catholicae religioni addictus est, omnes proles, tam masculi, quam et foeminei sexus, in religione catholica educandas esse; quod dominantis religionis praecipuum ac praerogatiua esse dignoscitur; si e contra mater catholica, pater vero acatholicus foret, proles sexum parentum, qua educentur, religione, sequantur.“ Datum Viennae, confectum XXV. Octobris. Expeditum Mensis eiusdem anno 1781. — Ex exemplari publico, impresso.

Hoc decretum nec ipsis Augustanae vel Helueticae Confessioni addictis arrisit, partim, quod „catholici“ saluari volentes, his ac catholici vocentur; partim quod, qui pari cum Catholicis iure gaudere vellent, hic tolerati duntaxat declarati fuerint; religioque Catholica dominans compellata sit, publico diplomate. V. Repraesentationes ideo diuersas.

269. *Eminentissimi Cardinalis, et A. Episcopi Strigonien. Josephi a Battyán aduersus mandata Josephi II. in Ecclesiastico-politicis emanata humillima repraesentatio. Anno 1781.*

„SS. C. R. et apostolica M. DD. clementissime!“ Complura iam emanarunt sub initium auspiciatissimi regiminis maiestatis V. SS. clementissima mandata in materia negotiorum ecclesiastico-politicorum; vti die 2. Apr. sub N. 1010. de religiosis ordinibus; die 9. eiusdem pariter mensis de non recipiendis, sine placito regis, rescriptis pontificiis, die 20. eiusdem mensis N. 2071. de bulla coenae; denique die 4. Maii sub N. 2483. de bulla coenae et bulla vnigenitus. Omnia haec clementissima mandata C. R. qua par est, homagiali cum obseruantia accepi; ab eorum tamen publicatione abstinere tum propter meam, tum propter plurimorum speciali curae concreditorum populorum conscientiam, pro quibus euigilare debeo, tamquam rationem pro eorum animabus redditurus. Quocirca mihi persuadeor, clementissimum maiestatis V. animum benigne admissurum, vt demissa sensa mea de emanatis clementissimis caesareo regis mandatis humillime depromam; vt reddam, quae sunt caesaris, caesari; et quae sunt Dei, Deo. Hac fiducia et C. R. maiestati innata clementia fretus, obtestor M. vestram SS. per gloriosam memoriam praedecessorum suorum, regum apostolicorum, vt sollicitudinem res spirituales regendi, gubernandi, prouidendi, disponendi, ac dispensandi, secundum canonum auctoritatem, nobis, qui episcopi sumus, relinquat,

ad exemplum S. regis Stephani eiusque in coronam successorum omnium, qui primus rex apostolicus et verus Hung. apostolus, implantata religione catholica saluifica, episcopatus fundauit, et accepta a Siluestro II. P. M. corona et crucis sibi suisque successoribus praeferendae potestate, conuersum populum sanctissimis legibus communiuit, in aliis Regnis vigentes Deoque caras disciplinas ad neo-partum Christo regnum inuecturus, confirmauit: (a) „Vt episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas prouidere, regere et gubernare atque dispensare secundum canonum auctoritatem.“ Stabilitur haec sancta S. regis dispositio pluribus regni legibus art. 12. 13. 15. 16. 1550. quorum postremus disponit, vt, siquid contra doctrinam religionis disponendum cuiuspiam videretur; id totum concilio generali dirimendum relinquatur: in quo siquae de religione et fide reformanda videbuntur; diuina inspiratione reformandum iri, sperandum est; interim autem veteribus ecclesiae institutis insistendum; nec cuiquam quouis praetextu ab illis quoquo modo videtur esse discedendum. Maiestati enim vestrae Deus imperium commisit, nobis ea, quae ecclesiae sunt, concredidit. Agnoscimus et proueneramur summam et supremam in regno apostolico maiestatis V. potestatem, quam qui habent, a solo Deo acceperunt, et cui nos semper cum gaudio propter conscientiam subiecti sumus ac erimus, more aliorum maiestatis V. subditorum; imo in hoc subditis reliquis exemplum damus et doctrinam. Est autem et alia in terris potestas aequae a Deo, et suo in genere suprema, nec ab alia vlla potestate dependens, soluendi et ligandi, atque pascendarum ouium curam gerendi: quam Christus contulit Petro et apostolis, et quos hi ministerii huius facturi essent participes: quaeque hodieum perdurat in ecclesia, in pontifice, tamquam visibili capite, ac in nobis episcopis continua successione perdurabit; quam Christus fundatam a se ecclesiam vsque finem seculorum perdurare voluit: quae spiritualis potestas quum omnem naturae ordinem exsuperet; ab alio vtique exerceri non potest, quam cui per impositionem manuum presbyterii a Deo collata est. In confesso autem est, regibus et principibus nullam eiusmodi potestatem datam esse. Quemadmodum enim Christus in institutione ecclesiae suae regum potestatem ne in minimo laesit; ita nec auexit; nec ex eo, quod reges nutritii facti sint ecclesiae Christianae, vt Isaias praedixerat, vllam in ecclesia aut ecclesiarum potestatem acceperunt. Eadem enim libertate ac potestate fruitur modo ecclesia sub principibus Christianis, qua olim sub idololatriis ac persecutoribus fruebatur. Quum mundus se ecclesiae subiecit; nunquam ius acquirere potuit eidem imperandi: nec principes, dum ecclesiae filii facti sunt, eiusdem domini sunt effecti: immo vero, quemadmodum potestatem regiam alteri, quam cui competit, vsurpare integrum non est; ita nec fas est arrogare sibi potestatem alteri, quam qui vocatus est a Deo, tamquam Aaron. Idcirco Oseas rex a Deo lepra percussus est, quod in proprium ius Leuitarum ac ministerium inuolarit, incensum in altari adoleuerit. Absit quidem a me, et abest quam longissime haec cogitatio, vt

(a) Decr. L. II. C. II.

vel suspicer, maiestatem V. spiritualem aliquam potestatem aut nobis proprium ministerium sibi arrogare in ecclesia velle. Illud nihilominus profundissima cum demissione exponere necessitor: emanata clementissima mandata inter cancellos potestatis praecise politicae non contineri: ad quorum emanationem etiamsi ecclesiasticorum virorum consultuum accessit iudicium; plus tamen in eo valuit adulatio, quam sincera veritas: quam tamen veritatem, vel maxime quum eam religiosissimis maiestatis V. consilii sciam esse consentaneam, ego tacere nec volo, nec possum; ne aliquando ingeminare cogar cum Isaia: „Vae mihi, quia tacui.“ Itaque „I. Quod clementissimum mandatum caesareo-regium de religiosis ordinibus attinet; omni homagiali cum demissione declarare necessitor, a me et per me illud multis grauissimisque de causis promulgari non posse: Nam 1. clementissimo hoc mandato C. R. praecipitur, vt omnes existentes in ditionibus C. R. hereditariis religiosorum aedes, nullis omnino exceptis, omni nexui passiuo, ac proinde cuius obligationi, et cuiuscunque nominis habitae hactenus erga et cum extraneorum, suae maiestati SS. non subditorum regnorum ac prouinciarum religiosis aedibus, conuentibus eorundemque superioribus relationi plene ac pro perpetuis temporibus renuncient.“ Marcianus exemplo suo docuit, quid sequi debeant principes; quum clericorum aut monachorum disciplina constituenda esset: Etenim — — quae ecclesiasticos plane ordines attingebant, de his noluit legem ferre; sed satius esse iudicauit, vt synodi decreto statuerentur. — Huc accedit, quod passiuam relatio popularium nostrorum religiosorum necessario supponat actiuam religiosorum extraneorum in domesticos nostros relationem, talemque plane, qualis filii erga parentem, subditi erga dominum, inferioris erga superiorem: quam parum ergo filius renunciare potest passiuae suae relationi erga patrem; vbicumque terrarum degentem; tam parum renunciare possunt harum ditionum passiuae suae relationi erga actiuam in exteris prouinciis degentium religiosorum relationem: omni enim iure dependet inferior a superiore; nec est vlla alia semet ex hac dependentia emancipandi via legitima, quam, si qua auctoritate praefectus est superior, eadem a superioris dependentia, atque adeo obedientia subditus eximatur: quod inter religiosos ordines nonnisi per auctoritatem fieri potest; quum religiosorum superiorum in religiosos subditos suos actiuam relatio, id est, iurisdictio, quasi episcopalis, adeoque merè spiritualis sit. 2. Hoc mandato C. R. praecipitur: „vt religiosi ordines semet declarent, an in hereditariis caesareo-regiis prouinciis separatam erigere prouinciam, vel vero vnitis religiosis domibus, in vnam coalescere malint congregationem.“ Prouinciarum religiosi cuiuscunque ordinis separatio aut vnio institui quidem potest, sed nonnisi per legitimam et competentem potestatem. — 3. Hoc mandato C. R. vetatur „omnibus religiosis ordinibus omnis in spiritualibus, disciplinaribus et temporalibus nexus cum P. generali, extra ditiones C. R. hereditarias degente, omnisque ab illo dependentia tollitur; subiiciuntur vero gubernio gremialis prouincialis, sub inspectione ordinariorum et excelsi consilii regii, tamquam dicasterii politici.“ Temporalem quidem rerum nexum cum exteris prouinciis ac personis rescindere potest is, qui in sua prouincia summam rerum obtinet; at in spiritualibus ac disciplinaribus regularium a

suo generali dependentiam tollere nequaquam potest. Voto enim in ipsa professione religiosa emisso, obstringuntur regulares ad praestandam generali ordinis obedientiam, a qua eos alter non potest absoluere, quam qui cum iisdem in votis religiosis dispensare potest. — Sunt fueruntque plurimi, qui regibus amplissimam circa et in sacra potestatem tribuerunt, ast, qui eosdem tam procul in sanctuarium admisisset, ut iisdem ius quoque dispensandi in votis religiosis concessisset, nemo vnus repertus est. Et ideo exerciti huiusmodi a principibus iuris non modo in memoria hominum, sed nec in historiographis vllum exstat exemplum. — Denique plerique ordines religiosi in Hungaria articulariter sunt recepti, uti 1715. art. 102. et 1723. art. 96. et quidem sub ea forma recepti sunt, qua fuerant ab ecclesia approbati; quum nulla in eorundem receptione, ratione regularum et ipsorum instituti, quaestio mota, aut conditio quaepiam vel exceptio fuerit apposita. Jam vero approbati ab ecclesia ordines regularium sub ea forma ab ecclesia recepti sunt, ut capita ordinum habeant, a quibus reliqui dependeant; eadem igitur forma etiam conseruari debent. Quaeso enim an non saltem in eadem sequendi instituti sui professione perseuerare possint regulares, articulariter recepti, in qua iure suo sese stabiles esse censent Aug. et Helu. confessioni addicti, exercendi publice religionem suam in locis articularibus? praesertim quum religiosi ordines in regnum Hung. pacifice, immo aliqui etiam expetiti, omnes per ostium intrauerint; (a) haeretici autem in regnum quidem cum pacis perturbatione ac regis ipsius periculo, in articulos autem patrios, necessitate ita secum ferente, ingressi sint. Denique qualis esse deberet illa, quae clementissimo mandato C. R. praecipitur, ordinariorum in religiosos inspectio? Omnes alioquin regulares, quoad praedicationem verbi diuini, administrationem sacramentorum fidei populo, ob-eunda publice diuina officia, correctionem morum, siquid in publico aut cum offensione publica delinquant, vi concilii Tridentini, episcoporum subiecti sunt inspectioni; vi autem eiusdem conc. Tridentini, quoad internam suam disciplinam, ab episcoporum iurisdictione sunt exempti. — Huc accedit, quod concessae regularibus exemptioni nos omnes, qui etiam concilio Tridentino praesentes non aderamus consenserimus. Quomodo nunc reprobabimus citra vllam causam, quod tunc, non sine grauissimarum causarum intuitu, approbaueramus; non quidem nos ipsi, qui modo sumus, sed qui tunc loco nostri et quorum nunc loco sumus? — Si haec interna religiosorum ordinum cum generali suo et cum aliis exterarum prouinciarum superioribus connexio, tamquam canalis quidam spectatur, per quem thesauri aliqui ex regno effluant; praeccluso hoc pretioso alueo, qui ad fouendam spiritualem membrorum cum capite connexionem nihil prorsus confert, necessaria naturalisque riuulorum cum suis fontibus communicatio impediri non debet. Quantumuis prouidus sit chirurgus, si tamen insedentem digito concrum ligando sistere possit, ne vltra serpat; eum abscissione integrae manus non curat. Si pes aut manus a compage reliqua corporis resecetur; humani corporis dominationem non amittit: at si caput a membris

(a) Joan. 10.

praescindatur; cadaver illudque mancum efficitur. „Ecce Holofernes iacet in terra, et caput eius non est in illo.“ (a) Sed quid si sub praetextu boni publici praetenditur; immo vero contra religiosissima maiestatis V. SS. consilia illud a proiectistis nonnullis intenditur, vt, quoad eius fieri potuerit, religiosi ordines pedetentim in Hungaria supprimantur? Vtinam mea me fallat cogitatio! Sed eae profecto nonnullorum cogitationes, immo vero minime obscurae sermocinationes, quique iam sensim Hungariam omnem peruagatur susurrus et metus; omnia, inquam, haec eo dirigi videntur, atque vtinam non dirigantur! Verum, qui eiusmodi consilia maiestati V. SS. ingenerant, illud studiose palliant: inde a temporibus S. regis Stephani copiosissimas semper in Hungaria fuisse virorum religiosorum familias, longe vtique, ac modo, copiosiores; et tamen in tanta religiosorum frequentia florentissimum semper fuisse patriae nostrae statum, abundantiam rerum omnium, non modo pacis, sed et belli temporibus; metuendum proinde non esse, vt modernis nostris temporibus per religiosorum ordinum familias misera contribuens plebs eneruetur, et quodam modo exugatur. Non enim illud dat, quod regi pendere debet; sed, quod ab ore suo subtrahit, vt Deo in ministris suis offerat. Illud quoque meminisse et maiestati V. SS. insinuasse eadem occasione DD. proiectistae debebant: pietissimos monasteriorum fundatores in coenobiorum institutione praecipue diuinae gloriae augmentum prae oculis habuisse; immo etiam ad bonum publicum respexisse, vt qui ex patriae filiis aut natura sua, aut pietate a secularibus curis semet penitus abstrahere et peculiari modo famulari vellent, habeant, vbi et sibi, et Deo, remoti a mundano strepitu, vacare possint. In eo quoque grauiterrime errare videntur mihi iidem proiectistae, quod, dum maiestati V. SS. humillime proponunt, quod religiosi ordines in emolumentum reip. non agant; ex aduerso studiose taceant de eorum in commune bonum meritis. Quod si proiectistae solidi essent politici; vel ex eo politices conuincerentur argumento: interesse bono publicarum rerum, vt gremio suo religiosos ordines foueant; quod nulla assignari possit aetas, nulla religio, quae quoquo modo verum vel fictum Deum coleret, non habuerit tamen aliquos, quasi a profana reliquorum turba secretos, et ad diuinum cultum peculiariter deputatos. Sed si reliqua etiam, quae ex religiosis ordinibus ad commune bonum proficiscuntur, emolumenta taceantur; an illud nullam plane considerationem in animo catholico meretur, quod quaemadmodum alii consiliis, alii labore manuum, ita hi diurnis nocturnisque precationibus euigilent pro communi bono? Quem Israelitae armorum vi prosternere non poterant Goliathum; hunc prostravit Dauid funda et lapide in nomine domini: et quos vniuersus in Israel superare non poterat Madianitas; eos gladius domini et Gedeonis in comitiua 300. tantum virorum deleuit. Quid multis? „nisi dominus custodiuerit ciuitatem; frustra vigilat, qui custodit eam.“ Reliquis 5 punctis clementissimi mandati C. R. ea statuuntur, quae ad reformationem regularium ordinum pertinent. At enim ius reformandorum religiosorum

(a) Judith 14.

nunquam principibus competeat; sed ea cura semper penes abbates et superiores ordines, aut penes synodos fuit. Idcirco Marcianus imp. quum quaedam salutaria capita, de monachorum disciplina constitui vellet; nequaquam de illis legem ipse tulit; sed synodo Chalcedonensi, quae sancita volebat, examinanda et sancienda proposuit. Jus quoque nostrum patrium, S. Ladislai decr. 1. cap. 21. et Math. decr. VI. art. 12. religiosorum ordinum reformationem non apostolicis Hungariae regibus reservavit, sed episcopis commisit: atque hac ordinatione sacra rex et regnum recognovit ius reformatorem religiosorum non ad secularem, sed ad ecclesiasticam potestatem pertinere. Idcirco denique conc. Trid. sess. 25. cap. 22. de regular. hortatur „omnes reges, principes resp. et magistratus, et in virtute S. obedientiae praecipit, vt velint praedictis episcopis, abbatibus, generalibus et ceteris praefectis in superius contentae reformationis exsequutione suum auxilium et auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; vt sine vlllo impedimento praemissa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.“ Quae omnia dum mecum ipse cogito; non possum non obtestari et obsecrare maiestatem V. SS. ne proiectistarum hoc sibi tam graue contra religiosos ordines et religionem ipsam praeiudicium publicari et exsequutioni mandari patiat; nec persuaderi se sinat maiestas V. SS. aliarum prouinciarum exemplis, quae forte paria his circa religiosos ordines ac res sacras statuerunt, adhibitis etiam in consultationem viris doctissimis; nulla enim est tam deplorata causa, quae suos non habeat patronos; maxime quum passio et auctoritas suffragatur, et fauor. Non enim omnia, quae facta sunt, iure esse facta censenda sunt, et si ad facta etiam multa, humilitas tacuit, vel forte tacere debuit obedientia; non propterea arguitur faciendi ius et potentia: multa enim propterea tolerari debent; quia impediri aut emendari non possunt. II. Clementissimum illud mandatum, quod maiestas V. SS. edere dignata est, ne „bullae, tametsi dogmaticae, aut rescripta pontificum, citra placitum regum, promulgarentur.“ hoc, inquam, clementissimum mandatum potestati ecclesiasticae grauissimum infert vulnus. Supponit enim edi posse aliquas bullas, quibus placitum regum accedere debeat, atque adeo, quibus, denegato placito, obseruantia non debetur. Verum si potestas ecclesiastica veri nominis potestas est; quod nemo catholicorum in controuersiam vocare potest (absoluta quippe potestas ferendarum legum in superiore nisi adsit; obsequendi obligatio nulla est subditis) idem est placitum regum ad promulgationem legis ecclesiasticae requirere, ac reipsa obligandi vim e consensu regis repetere (id quod sua sponte alioquin deducitur) quo omnes sine expectato placito regio factae per bullas concessionem et personales dignitates ac quaeuis acta et facta eo ipso pro irritis censuraeque obnoxii esse reputanda declarantur. Potest igitur hoc pacto esse aliquis actus, lege ecclesiastica praeceptus vel permissus, qui tamen decreto principis sit irritus ea de causa, quod ad legem ecclesiasticam placitum non accesserit principis. Hoc profecto non aliud est, quam valorem actus, lege ecclesiastica praecepti aut permissi, in consensu principis fundare; constitutionem et obligationem legis ecclesiasticae repetere ab acceptatione principis, atque adeo potestatem quoque legislatiuam ecclesiae subordinare potestati politicae. Nosse clementer dignetur ma-

iestas V. SS. quemadmodum res ecclesiasticas in duo summa capita diuidi, in eo ni-
 mirum, quae regulam fidei continent, et in ea, quae morum disciplinam respiciunt;
 ita leges quoque ecclesiasticas, alias quidem esse dogmaticas, alias vero disciplinares.
 Ad perferendas in rebus fidei controuersis leges se nullo modo principes immittere
 possunt; quum haec sit ecclesiae Christi potestas, cui ut columnae veritatis, fidei
 Christianae praedicatio, secundum diuinorum eloquiorum auctoritatem, innititur. Vn-
 de perfidiam Arii non Constantinus, sed synodus Nicaena discussit, uti Macedonium
 et Apollinaristas concilium Constantinopoli coactum, non vero Theodosius Imperat.
 condemnauit. — Res ipsa posita hac in regibus ac principibus potestate, nec in vna
 prouincia vel regno diu erit vel fidei vnitas, vel cultus et religionis conformitas. Sin-
 guli enim principes, quod ipsis melius fore videbitur, statuent. Quo pacto ad volun-
 tatem noui regis mutationi semper erit obnoxia religio; quemadmodum in Anglia ali-
 quoties factum est. Cuius mali non alia causa est, quam quod reges in suo regno
 absoluti sint ac supremi domini; nec cum aliis regibus vnitatem fidei et religionis pro-
 fiteantur, quemadmodum episcopi in ecclesia: quin immo, posita hac in regibus
 potestate, nulla erit amplius in fideli populo veri nominis fides; quia vera fides diui-
 na est et infusa, cuius formalis ratio est, rebus, diuinitus reuelatis, assentiri; non
 propter regum aut hominum politica edicta, sed propter Deum eiusque diuinum spi-
 ritum, per vocem ecclesiae, tamquam infallibilis regulae, loquentem. Recipere au-
 tem aliquam doctrinam fidei aut cultum religionis vi decreti regii, est habere fidem
 mere humanam et acquisitam. Atqui hoc totam Christi religionem funditus euertit,
 facitque, ut religio Christiana sit iam sacro-politica, et cultus mere humanus, non
 diuina religio et cultus caelestis. — Dominus noster, Jesus Christus, regnum suum
 spirituale, sine mundani imperii subsidio, instituere firmareque Christianam religio-
 nem non per magistratus laicos, quum nec vllus tunc adesset magistratus Christianus,
 cui religio cordi esset; sed per apostolos eorumque successores propagari voluit. Ex
 quibus omnibus illud deducitur, principibus nihil iuris esse circa dogmata fidei et con-
 dendas sancendasque hac in parte leges. Idem vero de disciplinaribus, quod de do-
 gmaticis ecclesiae legibus, esse debet iudicium; scilicet neutrarum condendarum ius
 penes principes esse; propterea quod seu illae dogmaticae, seu disciplinares sint; ec-
 clesiasticae tamen esse non desinant; atque adeo a iurisdictione ecclesiastica tantum
 ferri possint. Quodsi principes propria sua auctoritate nouam quampiam legem eccle-
 siasticam ferant; manet quidem obsequendi necessitas omnes catholicos; quia, qua
 Catholici, ciues reip. esse non desinunt; quum religio neminem a debita subiectione
 eximat; haec tamen obsequendi obligatio eos non tam catholicos, sed qua ciues re-
 spicit; quum in spiritualibus, qua catholici, spirituali dumtaxat iurisdictioni subiecti
 sint. Sunt quidem plurima omnium retro seculorum exempla, quibus luculentissime
 comprobetur, religiosissimos principes leges ecclesiasticas non modo disciplinares,
 sed et ad doctrinam fidei ac morum pertinentes auctoritate quoque sua roborasse; at
 id non propterea factum est, quasi latae ab ecclesiastica potestate leges, priusquam
 auctoritate regia firmarentur, perfectam vim obligandi non habuissent, sed, ut prae-

habitaе obligationi nouum accederet vinculum, quo ad praestandam legibus obedientiam compellerentur propter gladium regis, qui ad eandem non permouerentur amore propriae salutis: in quo principes auctoritate sua subseruiebant Ecclesiae; non praecipientes, quid obseruandum esset; sed eius, quod praeceptum erat, obseruantiam adurgentes, portantes gladium (a) non ad sanciendoѕ canoneѕ, sed in vindictam iis, qui contra statutoѕ ab ecclesia sanctoѕ canoneѕ male agerent. — Iterest certe quam plurimum inter statutionem legis et eiusdem tuitionem, inter exsequutionem legis et vindicationem eiusdem violationis: quae qui non distinguunt; facile in id impingunt, vt dicant, a principibus tunc legeѕ ecclesiasticas ferri; dum eas tuentur: et tunc eas exsequutioni mandari; quum de earumdem transgressoribus iustas poenas repetunt. Jam vero si penes principeѕ nulla auctoritas residet vel eas in ecclesia legeѕ condendi, quae ad disciplinam populi Dei spectant (tanto vero minus eas, quae ad decidendas fidei controuersias pertinent) non alia, nisi adulandi specie, concedi eisdem potest, tam disciplinares, quam dogmaticas bullas inspiciendi ius, vt prius non promulgentur, nec prius obligent, quam fuerint placito regis consignatae. Qui enim absolutum ius et independentem potestatem habet legeѕ condendi; idem ius quoque independentem et absolutum habet easdem exsequutioni dandi, atque adeo promulgandi. Nam si sine placito regio legeѕ ecclesiasticae non obligant; iam earum obligandi vis non ad eum refertur, qui eas tulit; sed qui eas adplacidauit: non obligare autem ex manifestis locumtenentialem verbis patet, quibus in emanato eatenus Sacratissimaе Maiestatis Vestrae clementissimo iussu intimato omnia acta et facta pro irritis declarantur, quae vi et concessione bullarum, placito regio non signatarum, fierent. At etiam placiti regii vsus in aliis quoque florentissimis Europae prouinciis obtinet? Ita sane; sed vbiicumque obtinet: non sine graui ecclesiae vulnere obtinet: quae vulnera prouida mater ecclesia, exemplo magistri sui, patienter quidem tolerat, ne horum impatiens, maiora cogatur seu ipsa a filiis experiri, seu filiorum cernere. Sed numquid, qui patienter fert vulnera, non laeditur? An unquam etiam fuit retinendorum iurium suorum, eorum scilicet, quae aliquo modo cum statu politico connexa sunt, tam auida et tenax ecclesia, vt non vltra et sponte cesserit, in quo regum defensorum, vtpote advocatorum et nutriciorum suorum, ita obedire potuit voluntati, vt ne debuerit offendere Deum? Ac qua in re constanti animo reluctata est, in ea certe diuinum mandatum sequuta est, quo „obediendum esse Deo magis, quam hominibus“ praecipitur. Certe, quo maior est regum in terris potentia; eo maior esse debet in secundandis salutari-bus ecclesiae legibus consensus, vt, qui cum militante regnarunt in terris, cum eadem triumphante regnent. „Praeterit enim figura huius mundi“ (b). Illud hoc loco praetermittendum non est, quod etiam, in quibus prouinciis vsus placiti regii invaluit, is ad legeѕ dogmaticas nequaquam fuerit extensus. Testis est de Gallia Petrus de Marca, definitas a concilio Tridentino fidei quaestiones continuo admissas esse, lato eatenus anno 1579. edicto publico; sed decreta, inquit, quae disciplinam respiciunt, non seruan-

(a) Rom. XIII. — (b) 1. Cor. 7.

tur in Gallia; qua lege principis destituuntur. — — At „omnis bulla, omneque pontificium rescriptum relationem et influxum quempiam ad statum publicum habere potest?“ Hoc vnico ex motiuo visum est Maiestati Vestrae Sacratissimae pro quorumlibet rescriptorum Romanorum exequutione placiti sui necessitatem praescribere. Sed liceat mihi debita cum demissione proponere: etiamne tum, quum rescriptum pontificium mere dogmaticum est; aut, si disciplinare quidem sit; nullum tamen absolute ad statum politicum influxum habet; etiamne, inquam, vigore eiusdem rescripti, acta et facta hoc ipso irrita erunt, quod illud Maiestati V. SS. pro beneplacito regio exhibitum non fuerit; minime prorsus; nam in eo casu et motiuum necessitatis placiti deficit, et lex, a legitima potestate intra suos limites lata, plenum robur obtinet. Agnosco violatorem fore mandati regii; si Sacratissima Maiestas Vestra in adurgendo suo placito perseueret, qui rescriptum aliquod impetrans, illud pro impetratione placiti regii humillime non praesentaret; at, quomodo actus, per spiritualem iurisdictionem praeceptus aut permissus, quique circa rem mere spiritualem versatur, adeoque in se reipsa validus est, per alterius ordinis potestatem irritari possit, prorsus non video. Quoad rescripta pontificia satis iam cautum est a gloriosissimae memoriae augusta Maria Theresia, regina apostolica, vt nulla rescripta Romana, nisi per ordinarios locorum aut eorundem vicarios, impetrentur.“ — — III. Venio nunc ad illud mandatum C. R. quod de bulla vnigenitus emanarat. Quis fuit SS. C. R. et apostolicae, quae in Maiestate Vestra residet, dignitatis tam inattentus et irreuerens, qui religiosissimum ac haereditaria pietate apostolicum regis nostri animum ad mandati huius emanationem persuadere et adducere non exhorruit? Non alter certe, nec alii, quam qui diuturnam in apostolico Hungarico regno sacerdotii atque imperii concordiam molitionibus suis aduersari, aut iam experti, aut iuste praemetuentes, eandem omni modo turbare volunt; et vt occultiora conseruent, simul tamen patenter sua exsequantur consilia; non dubitant Sacratissimae Maiestatis Vestrae, tamquam instrumento quodam, ad id abuti auctoritate et potestate. Qua vero intentione, quoue proposito? Eo nimirum, vt de contemptis sedis apostolicae constitutionibus, de imminuta eiusdem sedis apostolicae auctoritate, de explosa vna sancta, catholica et apostolica ecclesia, de subuersa denique fide vera ac religione triumphum referant, et Jansenismi, et Quesnellismi omniumque posthac haeresum impunitatem inducant. Quae inquietorum hominum molimina non modo fundatam a Christo religionem aperta fronte impetunt; sed, cum quietis ac salutis etiam publicae discrimine, cumque ingenti sanctissimi throni regii inquietudine sunt coniuncta. Testis est (atque vtinam nunquam fuisset!) eius rei patria nostra, in qua domesticae turbae, sub praetextu alio, reipsa tamen religionis causa, aut motae, aut continuatae sunt. Triste eiusdem rei exemplum iam iteratis vicibus dedit et Bohemia et quid non ita pridem totum imperium ad diuturnas bellorum discordias concitauit, quam furens haeresis? Nimirum, quam verum est illud politicorum principium; „non posse quietum praestari statum ciuitatis, nisi homines certa quadam religione vinciantur;“ ita verius est adhuc catholico — politicorum: „eo feliciorum esse reip. statum, quo sanior in eadem puriorque religio custoditur.“ Proinde, spe-

ctata pastoralis mei muneris obligatione, qua ad errorem tacere non possum; spectato etiam Maiestatis Vestrae Sacratissimae throno regio, cui sempiternam felicitatem et nouas gloriae accessiones comprecor; his, inquam, spectatis, homagialiter declaro, bullae vnigenitus nec per me, nec per Maiestatem Vestram Sacratissimam, nec per sedem apostolicam, nec denique per ipsam Sanctam Dei Ecclesiam derogari posse. Bulla Unigenitus, a Clemente XI. sexto idus Sept. 1713. edita, doctrinalis vtique ac dogmatica est. Jam vero non esse penes principes ac reges de doctrina pronunciandi potestatem; sed ius quaestiones fidei examinandi, discutiendi, dirimendi et determinandi ad solam Christi Ecclesiam, et in hac ipsa non ad alios, quam ad solos episcopos pertinere, principium est, in quo ab origine Ecclesiae Christianae ad nostra vsque tempora omnes omnino catholici consentiunt; quam veritatem antiqui ecclesiae Patres ipsis coronatis capitibus fidenter ob oculos posuerunt. Vnus instar omnium (possent enim adduci plurimi) sit S. Ambrosius, qui, rationem reddens, cur cum Auxentio haeretico coram consistorio principis sese in disputationem immittere recusaret, in haec verba ad Valentinianum rescripsit: „Nec quisquam me contumacem iudicare debet, quum hoc asseram, quod aug. memoriae pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in causa fidei, ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Certe, si vel scripturarum diuinarum seriem, vel vetera tempora retractemus; quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis iudicare?“ Quo loco tamquam rem nulli controuersiae, nullique dubitationi obnoxiam esse supponit, quaestionum fidei pertractationem ac decisionem ad solos pertinere episcopos. Quod ipsum persuasissimum sibi habuit Basilius imp. quem vt concilio generali VIII. act. 10. refertur eiusdem concilii decretis subscribens, ait: „Laico cuiunque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi aut vniuersam ecclesiam oecumenicamque synodum oppugnandi fas esse dico; haec enim excutiendi et in vtramque partem agitandi, patriarcharum, sacerdotum et doctorum est officium, quibus a Deo ligandi et soluendi potestas est concessa. Nam laicus etsi omni pietatis et sapientiae laude praestet; tamen laicus est; et ovis, non pastor.“ Qua in re luculentissimum hac etiam nostra aetate praebuerunt facto suo exemplum Christianissimi Galliarum Reges, Ludouicus XIV. et XV. quorum prior curiae Parisiensi et Burdigalensi omnibusque iudicibus ceteris interdixit, ne quis de materiis, ad doctrinam pertinentibus, cognoscere sustineret. Condidit praeterea edictum, quo declarabat, cognoscendi et existimandi de doctrina potestatem ad antistites pertinere. Alter autem, occasione turbarum harum ipsarum, quas commouerunt Quesnelli assaelae, et defensores aduersus bullam vnigenitus, in declaratione, die 17. Oct. 1727. a se edita: „sit hoc a nobis procul, inquit, vt potestatem velimus nostram in id, quod ad doctrinam attinet, exporrigere, cuius depositum alteri potestati commissum est. Scimus; huic reseruatam esse illius cognitionem, nec illi intercedere possumus; quia iustae nos obliiceremus reprehensioni, quod vnitatem non sumus tutati, sine manifesto potestatis nostrae abusu, et ingens malum obtentu maximi boni designauerimus. „Quam

vero indubitatum est inter omnes catholicos, S. ecclesiae dogmata non imperatorum esse, sed pontificum; tam innegabile est illud, idem esse dispersae per orbem ac congregatae in vnum, cumque suo capite consentientis ecclesiae iudicium, id est, vtrouque infallibile. Ecclesiae siquidem generatim, nec non eius in synodo congregationi promisit Christus: „Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi (a). Et portae inferi non praeualebunt aduersus eum (b).“ Rursus quum Christus tamquam ethnicum et publicanum (c) habendum dixit, qui ecclesiam non audierit, „nullam diffundendae per orbem, aut in vnum congregandae ecclesiae mentionem, nedum distinctionem fecit. Jam vero vnanimis plane fuit omnium ecclesiarum particularium cum ecclesia Romana in acceptanda bulla vnigenitus consensus. Vt enim istud declarare exordiar, vbi totius huius controuersiae fons erat, origo et sedes, quam primum dicta constitutio in christianissimum Galliarum regnum perlata est; exceptis 17. aut quemadmodum Quesnelliani volunt, 19 episcopis, obsequentissime fuit a reliquis regni illius archiepiscopis et episcopis; qui numero plures, quam 100 censebantur, acceptata, et dioecesibus suis pro debita obseruantia proposita; vti ipse summus pontifex contestatur in sua ad eosdem archiepiscopos et episcopos data epistola die 20. Nou. 1716. Archiepiscopus Mechliniensis eiusque suffraganei idem testantur de Belgio; card. Bon-Compagno, archiepiscopus Bononiensis de sua prouincia; card. Fiesco, archiepiscopus Genuensis, de vniuersa eiusdem reip. ditione; patriarcha Venetus de suae patriarchatu rep. episcopus Mondoniensis de toto Pedemontio; archiepiscopus Panormitanus et archiepiscopus Messanensis de tota Sicilia; card. della Indice, archiepiscopus Montis-regalis, generalis in tota Hispania de fide quaesitor, archiepiscopi item Caesar-augustanus et Granatensis de regno Arragoniae et omnibus Hispaniae prouinciis; patriarcha Vlyssiponensis de Lusitania; episcopi Spirensis, Herbipolensis, Paderbonensis et Monasteriensis, Argentoratensis etc. archiepiscopus Coloniensis, Moguntinus, demum Salisburgensis, Germaniae primas, de Germania; archiepiscopus Pragensis, Bohemiae Primas, de Bohemia; archiepiscopus Gnesnensis, Poloniae primas, de Polonia, denique, vt reliquos praetermittam, de regno nostro apostolico archiepiscopus Strigoniensis: erat autem ser. dux de Saxonia, cuius merito et conuenientissime ipsa verba, quibus rescripsit, adtulero. Sancte is asseuerat, se se et regnum Hungariae profiteri plenam obedientiam et submissionem tum omnibus decisionibus apostolicis, tum maxime bullae vnigenitus; eamque illico citra vllam haesitationem et cunctationem, cum submissione, respectu et veneratione, quam obedientissime suscepisse, subditque his: „Nos, Hungariae episcopi, si ex nostris vnicum saltem doctorem aut theologum sciremus, qui in minimo hanc diabolicam sectam, per constitutionem damnatam, profiteretur; is profecto perpetuis carceribus poenas lueret; taceo, vt ipsi episcopi huiusmodi haereticae prauitati adhaererent.“ E quibus testimoniis illud manifesto concluditur, bullam vnigenitus in omnibus catholicis prouinciis ab omnibus episcopis, partim tacite, partim expresse consentientibus, receptam esse: vt adeo ve-

(a) Matth. 28. — (b) Marc. 16. — (c) Matth. 18.

rum sit, quod distincte et fuse recensetur in libro, qui inscribitur: Testimonium ecclesiae vniuersalis; item apud card. Byssi in instructione eius spirituali: nullum extra Gallias regnum catholicum, nullam prouinciam fuisse, vbi dicta constitutio non ea submissione fuisset recepta, vt nullus omnino eidem refrageretur. Quod ipsum affirmate pronunciauit ipse pontifex, qui certe scire et poterat, et volebat, quo successu vbique excepta fuisset vnigenitus bulla; id ipsum, inquam, asseuerat pontifex in altera sua constitutione, Pastoralis officii, anno 1718. edita, in qua eorum, qui constitutioni vnigenitus repugnauerant, audaciam his verbis exprobrat: „Constitutionem, quam vniuersa ecclesia veneratione debita complectitur, maligne carpere audent. Quae humilitas, sensum proprium communi fratrum sententiae, quin et S. Petri cathedrae iudicio obstinate praeferre? Quae obedientia, apostolicis definitionibus reluctari? Agnoscant igitur, diuini luminis irradiante fulgore, quam grauibus coram Deo et ecclesia reatibus et periculis inuoluantur. Meminerint, scriptum esse, quasi peccatum ariolandi esse, repugnare, et quasi scelus idololatriae esse, nolle acquiescere.“ (a) Quodsi vero bulla vnigenitus a toto orbe catholico recepta est, vt profecto est; idem illi ab omnibus catholicis debetur obsequium, quod aliis ab ecclesia propositis articulis fidei; quum in ea sana ecclesiae doctrina contra prurientium ingeniorum nouitates propugnetur. Certe, si eadem propositiones, quae per hanc bullam condemnatae sunt, in synodo quam generaliter condemnatae fuissent; quemadmodum condemnatae sunt propositiones Wiclefi in concilio Costantiensi; nemo sane catholicorum definitioni eiusmodi citra salutis suae discrimen refragari posset; igitur nec nunc quidem potest; quum in fidei ac morum doctrina aequae sit infallibile, seu per orbem dispersae, seu in vnum congregatae, et in vnum cum capite suo consentientis ecclesiae iudicium. — Vnde — Benedictus XIV. in suo breui, ad comitia cleri Gallicani 1756. dato, ita loquitur: „Tanta est profecto in ecclesia Dei auctoritas apostolicae constitutionis, quae incipit vnigenitus, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam vbique vindicat, vt nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga ipsam subiectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari.“ Has igitur ob causas aiunt ecclesiae Gallicanae praesides: „Agnoscamus, vti semper ad hanc vsque diem, constitutionem vnigenitus iudicium dogmaticum esse vniuersalis ecclesiae, aut, quod idem est, certissimam fidei regulam, atque debere nos illi sinceram cordis et spiritus obedientiam et submissionem. Declaramus etiam cum summo pontifice Benedicto XIV. refractarios huic decreto, indignos se reddere, qui sacramentorum ecclesiae participes sint: et, si seu iure, seu facto ipsorum pernicacia nota erit, publice etiam, haud secus ac alios peccatores publicos, ab iisdem repellendos.“ — Absit, augg. imperator, vt hanc bullam vnigenitus, a sede apostolica post longissimam grauissimamque rei discussionem datam, ab orbe vniuerso catholico miro consensu acceptatam, pro dogmatica et regula fidei a synodo Romana et Benedicto XIV. declaratam, atque vt talem ab omnibus catholicis episcopis habitam, et fideli populo

(a) I. Reg. XV. 23.

propositam; absit inquam, ut ego, aut quisquam alius hanc bullam vel in quaestionem praesumam vocare. Dudum haec causa iam superata, et quidem infallibili totius catholici orbis episcoporum iudicio superata est, et ita terminata, ut non modo ipse Rom. pontifex, sed nec tota ecclesia, seu diffusa, seu congregata, per consensum et per vota eidem quicquam contrarium vlllo unquam tempore constituere possit. — Neque enim ecclesia condendorum nouorum dogmatum potestatem habet; sed infallibilitatem tantum a Christo accepit in declarando, quidnam sit dogmatis, et privilegium inerrantiae in discernenda vera et sana a fallaci et praua doctrina. Quod proinde ab ecclesia semel determinatum est, tamquam haereticum; illud nunquam reuocari potest, tamquam orthodoxum aut catholicum. Quapropter, siqui sint adhuc bullae vniuersae refractarii; absit, ut inter catholicos quompiam pessimae suae causae patronum ac procuratorem inueniant. „Causa finita est: utinam et error tandem aliquando finiatu-“, (Aug.) Quid enim ab illis ipsa quoque resp. in rebus ac negotiis, ad se attinentibus, fidei et obedientiae expectare potest, qui reip. sanctae, nempe ecclesiae vniuersae, in re, ad solum illius iudicium spectante, atque ab ipsa rite et legitime definita, tam peruicaces se prebent? Sapientissime sane suo in edicto de illis pronunciauit Carolus M. „Nulla, inquit ille, nobis ratione persuadere possumus, eos, qui Deo fidem non seruant, nec pastoribus, quo deberent modo, se subiiciunt, nobis fideliores fore. Nec credimus vnquam eos, qui in causis, quae ad religionem — referuntur, superioribus obedire recusant, nobis nostrisque magistratibus obtemperaturos.“ — IV. Jam quod ad Maiestatis V. SS. mandatum, de bulla coenae editum, attinet; nulla quidem sunt vestigia, ex quibus appareret, hanc bullam in regno Hung. publica et solemniter aliqua forma promulgatam esse, at eo, quod episcopi ipsi non alia, quam delegata sedis apostolicae potestate, a casibus, in bulla coenae reseruat, absoluerunt, rite deducitur, hanc bullam in patria nostra receptam esse, atque obligandi vim habuisse. Jam vero, omni cum homagiali subiectione et veneratione, Maiestati V. SS. ✧ sinuo, leges Ecclesiasticas a potestate politica abrogari non posse. Exstant quidem exempla aliqua, vbi edictis ac statutis Principum prohibitum esse legitur, quod institutis ecclesiasticis legitime fuerat introductum, et diuturno tempore ac vsu roboratum. At enim aliud est actum aliquem prohibere, aliud eundem irritare. Permissus aut praescriptus lege ecclesiastica actus, postquam iam lex in vsum deducta est et per vsum firmata; non potest per edicta principum irritari. Eousque enim tenet valor actus; donec lex, quae illum permittit vel praecipit, aut per eundem, a qua lata est, aut per aequalem, aut per superiorem potestatem abrogetur, vel consuetudine lex contraria introducatur. Idcirco ne ii ipsi, qui placiti regii iura strictissime defendunt, et ad promulgationem legum ecclesiasticarum consensum imperantis requirunt, vllibi docent, ecclesiae legem ab imperatoribus tolli aut irritari posse; id nihilominus si faciant; manet necessitas obediendi propter prohibitionem: valor tamen actus non ante desinit, quam propter prohibitionem consuetudo contraria inducatur: quo etiam in casu non propterea cessat obligatio legis ecclesiasticae, quod eidem contrariam, etsi irritantem, tulerit impe-

rans; sed quod legitime contra eandem, utpote consuetudine, quae altera est lex, praescriptum sit. Quamquam de bulla coenae dignetur maiestas V. SS. omnem sollicitudinem omnino deponere; propterea quod Roma ipsa, quae hanc bullam feria V. maioris hebdomadae quot annis promulgare consueverat, atque hac sua promulgatione fideles omnes ad eiusdem observantiam stringere intendebat, iam inde a temporibus Clementis XIV. promulgationem eiusdem intermisit: quo facto, ostendit, se quemadmodum annua bullae huius promulgatione, eiusdem vigorem sustentare voluisse, ita, intermissa pluribus ab annis promulgatione, et vigori derogasse, et ab urgenda eius observantia destitisse; maxime, quum Pius VI. pontifex declaraverit, bullam coenae ab una promulgatione ad aliam tantum obligare; ut adeo censendum sit, intermissa eiusdem promulgatione, obligationem quoque eiusdem desiisse. V. Aliorum porro mandatorum intuitu, obsecro, quam possum demississime, nec obsecrare desinam maiestatem V. SS. ut dignetur ab urgenda eorum promulgatione clementissime desistere. Sunt enim eiusmodi, quae a nobis episcopis, qui et regi, et ei, per quem reges regnant, et legum conditores iusta decernunt, (a) fidelitatem nostram vovimus, in effectum deduci non possunt. Qua enim ratione fieri oosset, ut nos episcopi, id est ministri Dei et mysteriorum eius dispensatores, (b) antiquorum canonum, disciplinae ac legum ecclesiasticarum custodes, defensores ac propugnatores, leges legibus ecclesiasticis contrarias promulgemus, et agnoscamus eam potestatem in potestate politica, quam et ex divinis scripturis, et ex continua traditione soli potestati sacrae a Deo, a quo est omnis potestas, concessam esse dicimus et defendimus? Quodsi nihilominus maiestas V. SS. nobiscum mandare dignata fuerit, ut haec mandata publicemus; denique ignosci mihi iam nunc humillime supplico, oroque, ut maiestas V. pro innata sua clementia aegre non ferat, si in mandatorum horum promulgatione exemplum sequutus fuero Gregorii, pontificis sanctissimi: Quum Mauricius imp. vetuisset, ne illi, qui publicas actiones egisset, aut qui manu signatus inter milites fuisset; in monachum conuerti liceret; alienum omnino a Christiano principe arbitratus est hoc edictum in eo capite, quod monachos respicit; quum nemini via salutis praecludi debeat, impense primum rogauit imperatorem, ut legem illam inflectat; tandem eandem etiam ad XI. Italiae, Illyrici et Thraciae metropolitas, qui in Romano patriarchatu constituti erant, transmisit; sed ea cum instructione, ut partem quidem legis seruandam praescriperit, partem vero ad mores, qui ante recepti erant, reuocauerit. "Ego quidem, inquit ille, (c) iussioni subiectus, eandem legem per diuersas partes transmitti feci: et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meae paginam serenissimis dominis nunciaui: utrobique ergo quae debui, exsolvi; quia et imperatori obedientiam praebui, et pro Deo, quod sensi, minime taceui." Quamquam ego in maiestatis V. SS. innata clementia, aequanimitate ac pietate plenissime confisus, firmissime spero fore, ut maiestas V. non modo ab urgenda horum mandatorum publicatione desistat; sed nec eorum deinceps exauditura sit consi-

(a) Pro, 8. (b) I. Cor. 4. (c) Libr. 2. ep. 62.

lia, qui maiestatem V. tam ad haec decernenda perduxerunt, quam ad alia eiusmodi condenda ultra quoque perducere vellent. Deus autem optimus seruet maiestatis V. imperium florentissimum; et maiestatem V. SS. utriusque reip. saluti et ornamento quam diutissime incolumem; quod non modo meo, sed totius Cleri Hungarici nomine voueo, ac in gratiae caesareo-regiae exoratione omni cum homagiali subiectione emorior.“

270. *Comitatus Heuesiensis in merito Tolerantiae, nouitatum intermittendarum, et coronationis legalis gratia, ad Excelsum Consilium repraesentat. 1782.*

„Excelsum consilium! — dolorem et consternationem, quam caussauit in nobis lectio intimati excelsi consilii, — ad excell. D. supremum comitem nostrum transmissi, et ab eo nobiscum communicati, hodierno sub consessu nostro facta, circa A. et H. confessioni addictorum nec non Graeci ritus non vnitorum Christianam tolerantiam sonantis; dolorem, inquam et consternationem, quam exinde non sentire non potuimus, explicare verbis sufficienter non valemus. Nec abs re: Tria quippe sunt rebus in humanis adipiscendae et conservandae quietis tranquillitatisque internae non minus ac externae praecipua capita et fundamenta, in quibus videlicet, veluti totidem cardinibus, omnis et priuatorum, et societatis cuiusuis felicitas tute consistit et conquiescit; tutela nempe ac illibata legum conservatio; mutua ciuium harmonia et animorum coniunctio; tertium denique grande illud momentum, ad quod reliqua omnia diriguntur, atque in quo, veluti fine ultimo, omnis vitae huius actiones ex debito concentrantur, vt nimiram suam quilibet suorumque et vel maxime prolium aeternam beatitudinem tutam sperare possit. Excelsum consilium R. L. H. gratiose admittere dignetur, ut, legali mediatore palatino destituti, legum tamen et rationum, vti nobis quidem videtur, non contemnendarum praesidio suffulti, sensa nostra humillime, sed simul cum plena fiducia, in sinum excelsi consilii ita effundamus, ut eiusdem intermediatione apud SS. suam maiestatem, D. N. clementissimum, gratiam inueniamus et votorum nostrorum complementum. Fideles sumus subditi regis et D. N. benignissimi; et tales perpetuo esse volumus; nec in exsequendis iussis regis hactenus aliis palmam cessimus. Sed ipsa congenita nobis fidelitas exstimulat nos, vt, quod in corde et mente gerimus, humillime, sed et fideliter, hereditario regi, supremo nostro domino, patri denique benignissimo, mediante excelso consilio, velut canali a rege et lege nobis praescripto, de genu declaremus exponamusque. Censem nempe, tolerantiam praeattactam legibus nostris consentaneam haud esse; timemus, ea vnionem inter conciuces nostros turbandam potius, quam firmandam; et magis adhuc de eorum, quorum cura ad nos pertinet, et praesertim prolium aeterna salute timemus.“ Enimuero, si leges nostras memoria recolamus; duo nobis cumprimis se afferunt; primum nempe quod ab ipsis apostolici huius regni incunabulis sola religio catholica pro hereditaria sit habita; neque umquam in praeiudicium huius acatholicis quidquam concessum aut admissum sit; alterum, quod negotium religionis, praesentibus in vnum conuocatis statibus et OO.

adeoque diaetaliter tractatum sit. Excelso consilio aequae ac nobis notae sunt leges, inde a temporibus protoregis S. Stephani ad annum usque 1606. de religione sonantes, ut pote S. Stephani D. 1. c. 1. et 2. art. 4. 1495. 5. 6. 1548. 7. 1552. 7. 1557. 31. 32. 1563. ut adeo necesse non videamus, earumdem verba longius enarrare et iisdem exc. consilium onerare. Verum equidem est, quod, iniuria nonnunquam temporum, ipsis quoque acatholicis, uti art. 1. 1606. testatum redderet, liberum religionis suae exercitium admissum aut verius per eosdem extortum habeatur. Ast et eorum, non obstantibus maxime arduis eius temporis circumstantiis, orthodoxae religioni satis consultum fuit; siquidem provida apostolici regis nostri, regni statuum et OO. cura et sollicitudine effectum est, ut id non aliter, quam „absque praeiudicio catholicae Romanae religionis“ admissum habeatur. Neque porro etiam deferbuit zelus iste regnicolarum; quandoquidem id etiam, quod antea necessitas extorsit, pedetentim tollere gestiens, liberum religionis acatholicorum exercitium anno 1681. in art. 25. et 26. per art. 1687. confirmatis, „salvo nonnisi iure dominali, admisit, atque insuper ad specifica articularia loca illud restrinxit. Quid, quod praecedaneos articulos etiam 21. articulus anni 1687. clausula „ex gratia adhuc“ stabilivit? satis profecto indicavit, quod regnum extorto acatholicorum religionis exercitio ultimam subinde securim admove, inflictoque antea vulnere supremam medelam adhiberi desideraverit. Finem in hunc tenerrima in apostolicos reges suos fiducia incitatis regnicolis art. 30. anno 1715. constitutum esse voluerunt, ut, firmatis ibidem annorum 1681. 1687. praeindicatis articulis, praecedaneorum et harum in religionis negotio sancitarum legum, iuxta interventas eatenus „explanationes regias“ effectus per ipsum terrae principem procuraretur, excessusque et contraventiones acatholicorum penitus sufferantur. Quid porro praecitato ex capite augusti reges nostri, Leopoldus videlicet et Carolus VI. velut praecitatis legibus coaeui ediderunt? Quomodo legum, per se quoque latorum, atque ideo sibi optime cognitarum, effectum procurare voluerunt? Divus quidem Leopoldus in benigna resolutione sua, anno 1691 2. Apr. edita atque anno 1701. die 1. Martii, adiectis quibuspiam, confirmata; Carolus autem VI. in benignis suis patentibus, anno 1717. die 28. Apr. circulariter elargitis, sufficienter prodiderunt; quisque sit genuinus circa privata oratoria, vetitas idem ministrorum excursions, nec non articularium locorum circumscriptos limites, per se et congregatos in unum regni status et OO. latorum legum sensus et intellectus, palam et manifeste explanaverunt. His proin benignis explanationibus, velut per art. 30. anni 1715. stabilitis, atque ut effectui mancipentur, in profunda subiectione plenaque cum fiducia, summo terrae principi delatis, qualiter nam glor. mem. rex Carolus effectum earumdem legum adurserit; qualiter item intellectum ipsarum censuerit; facto satis ostendit, dum pluribus in regni comitatibus complura A. et H. confessioni addictorum oratoria ademit: liberum religionis exercitium sat numerosis in locis cassavit: eorumque iuxta genuinum legum sensum ad loca dumtaxat articularia restrinxit; ut adeo pensatis his, nullum amplius superesse possit dubium, quod religionis negotium congregatis semper in unum statibus, adeoque diaetaliter „absque Romanae catholicae religionis praeiudicio“ sit pertracta-

tum; legumque dumtaxat, eatenus latorum, effectum, ut is eo securius procuratur, augustis regibus nostris in diaeta fuisse commendatum. — Quod si istud, iustitiae ceteroquin maxime consentaneum, petatum nostrum clementer exauditum, atque etiam illis benigne, uti nobis non vane pollicemur, delatum fuerit; firma spe, certiori vero fide tenemur, fore, ut quaesita animarum unio et caritas Christiana in medio nostri robur accipiat et incrementum. Enimvero ipsa diuturniori experientia edocti, id asseuerare non erubescimus, quod cum acatholicis, in gremio nostri degentibus, huc ad usque mutuum harmoniam colentes, huic etiam tribuere debeamus, quod publica comitatuum horum negotia in amoena pace, desiderata vnione et concordia fuerint continuo pertractata. Quodsi vero acatholici, paribus ceteroquin iuribus et praerogatiuis gaudentes, iisdemque legibus circumscripti, sancitam viam legum violare, positos ibidem in religionis negotio limites transscendere, atque distincta a lege ratione tractari et regi cupuerint; quid aliud exinde promanaturum merito timere debeamus, quam vt, rupto taliter legum robore, ipsum pariter coniunctionis sincerae vinculum in fumum abeat et dissolvatur; atque per ipsos, sub fucato religionis colore, omnia in publico pariter ac privato confusionibus et ingratis disceptationibus conuoluantur. Aequa illos ac nos obligatio manet, publicas regni leges ab omni praeuaricatione tueri ac praeseruare. Quodsi igitur aliam, ac decretum generale praescribit, iurandi formulam praeeligere voluerint; maximam facto eo sui diffidentiam in animis conciuum ingenerabunt. Ipsis solum Judaeis distincta in tit. 36. P. 3. iurandi forma praescribitur; conciuibus aliis sicut una praerogatiua, ita pariter vna deponendi iuramenti formula, nisi quaesita animorum coniunctio manifesto dissolutionis periculo exponatur, vna, inquam deponendi iuramenti formula utendum erit. Tertium denique et postremum momentum, quod intima cordis nostri peruatit, illud praecipuum esse ingemiscimus, quod ex novo isthoc religionis systemate pluribus fidem catholicam profitentibus regni ciuibus; immo et miseris prolibus nostris apertum salutis discrimen imminere praevideamus. Augebitur enimvero taliter procul dubio ministrorum maior numerus: exercebitur amplius horum ad id conatus, ut catholicis, a parochiis suis praecipue remotis, speciosa media suggerendo, illos ad abiurandam fidem catholicam inducant, taliterque ab aeterna salute miserrime seducant: promiscuum illud matrimonium prolium nostrarum praeuidemus fore incautum sane allectamentum, ut non multum post tempus acatholicos nefors nepotes numerando, corda nostra acerbitate doloris rumpantur, animisque nostris concidentes, in moerore contabescere debeamus, et denique ad publica rite gerenda, hinc et inde angoribus circumdati, minus sufficientes efficiamur. „Ne proinde infausta haec et lacrimabunda omnia experiri, fundamentalium legum nostrarum ac pactorum publicorum, in quibus felicitas principum ac populorum subsistit, discrimina intueri cogamur; excelsum consilium R. L. H. iterum iterumque et fiducialiter interpellamus, dignabitur legalibus hisce momentis altiora sua generose adiungere, ac pro delata sibi per art. 102. 1723. et 17. 1741. actiuitate praecitatarum aliarumque legum nostrarum vigorem porro etiam apud dominum nostrum clementissimum et patrem benignissimum sustinere ac sollicitare. Quod

si id, uti nobis firmiter pollicemur, consequuti fuerimus; solatia illa, quae ex benigno suae majestatis SS. circulari rescripto inde ab exordio statim gloriosi regiminis sui concepimus, in effectu etiam sentiemus: certi etiam et securi, quod ad normam aliarum provinciarum hereditariarum, sensu art. 3. 1715. gubernandi non simus. Ad extremum idem exc. consilium communibus suffragiis super eo in submissione oramus et obsecramus, quod siquidem regnum istoc legitimam summi terrae principis coronationem inter praecipua homagialis sui obsequii capita legumque suarum fundamenta continuo repositam habuerit; apud aug. dominum nostrum praepotentes vices suas interponere dignetur; quo maiestas sua SS. pro ter felici ad mentem art. 2. 1715. instituenda inauguratione et coronatione sua, commitia regni indicere clementer non dedignetur; ut exspectatissimis et faustissimis sub auspiciis inter laetissimas acclamationes coronato praeiue rege nostro clementissimo, nostrum pariter omnium ardentia vota et desideria coronentur.

270. *Quid Religioni et Ecclesiae Catholicae ratione Apostatarum fauorabile constituit?*
A. 1784.

Josephus — quum saepe numero observatum sit, quod benigna illa ordinatio regia ne ministri Protestantium quempiam, a religione catholica deficere intendentem, absque sex hebdomadarum clementer praescripta instructione, et obtento desuper testimonio, ad amplectendam confessionem acatholicorum, et frequentanda eorum sacra admittere, recipere ausint; ea etiam ratione eludatur; quod complures, non obstante hac altissima ordinatione regia oratoria acatholicorum frequentent; et religionem orthodoxam deserant; ministri vero, ad dandam facti rationem constituti, id, quod eiusmodi personas non nouerint, in sui excusationem passim adferant. Quemadmodum autem istud in manifestum derogamen et elusionem praerepetitarum benignarum dispositionum regiarum tenderet; ita eatenus vltro clementer discernit SS. sua majestas: vt omnes et singuli, qui absque normali instructione „desuperque accepto et eorum ministris exhibendo testimonio, ad oratorium fine cultus religionis, vel participandae communionis accedere, seu catholici, seu protestantes proles suas iuxta benignas normales resolutiones regias, catholice educandas, vel quoscunque alios catholicos ad oratoria adducere, aut eorsum imperiose mittere, vel etiam oratoria accedere volentes, pro obligamine suo non impedire, aut quaqua demum ratione seducere praesumerint; nobiles quidem actione fisci magistratualis, poena pecuniaria, ignobiles vero, pari itidem fisci magistratualis actione, poena carcerum, immo pro ratione circumstantiarum, tam hi, quam illi gravioribus etiam poenis, ob transgressionem benignarum ordinationum regiarum, in exemplum etiam aliorum puniantur; praeterea etiam in ministros illos, quorum praetextuata ignorantia ex confrontationibus, inuestigationibus plene aut graui cum praesumptione euenerit, tanto grauius animadvertendum erit, quanto difficilius est dolosum et directe in elusionem benignarum resolutionum venientem eiusmodi simulatam ignorantiam remonstrare. Sed a

illi quoque pro demerito poenae subiiciendi erunt, qui liberum esse, a religione catholica deficere, vulgauerint, vel hac ratione quempiam ad deficiendum persuadere tentaverint, aut etiam obrusione librorum catholicos depravare, nihili duxerint. — Haec proinde clementissima, ac positiva resolutio et voluntas caesareoregia cunctis regni iurisdictionibus intimari, publicarique benigne iubetur; vna vero, vt benigna normalis resolutio regia circa apostatas edita, exacte observetur, inuigilari, atque sine singuli anni confecto brevi summario, quot in quolibet comitatu ex educatis in catholica fide acatholicorum confessionem amplexi, et quot ex acatholicis ad veram religionem conversi sint, inseri, suaeque Maiestati ab hinc repraesentare praecipitur. Die XX. Aprilis Anno 1784. — Coll. resok eccles. tomo II. pag. 419.

271. *Idem Josephus gravia sibi Latomorum conuenticula declarat. A. 1786.*

Josephus — quum nihil sine ordine certo in bene ordinata republica esse debeat; necessarium iudico, sane meam voluntatem, cui accuratissime obediatur, declarare. Sic dictae societates liberorum muratorum, quorum misteria aequae ignoro, ac eorum ludicras caerimonias, sciendi parum cupidus vnquam fui, in dies ita augentur, vt etiam iam in minimis ciuitatibus inueniantur; hi conuentus, si sibi relictis, et nulli inspectioni subiecti sint, in perniciosas sane religioni, ordini, ac moribus euagationes, praesertim apud praesides, fanatico quodam nexu, in minorem aequitatem erga eos, qui ipsis quidem subsunt, sed tamen non iisdem societatis vinculis coniunguntur, facile degenerare, aut saltem occasionem emunctionibus pecuniariis praebere possunt. Olim et in aliis terris huiusmodi societates prohibebantur, et liberi muratores puniebantur, nec non eorum conuenticula disturbabantur, ea solum de causa, quod ipsorum mysteria ignorarentur. Mihi etsi ea perinde ignorem, scire satis est ab his liberorum muratorum coetibus beneficia nonnulla in proximum, in pauperes, in educationem iuuentutis profecta esse, cur illis magis, quam vnquam in vlla regione factum sit, hocce meo constituto faveam. Nempe licet eorum leges et actiones ignorentur, vt nihilominus, quamdiu boni aliquid praestant, patrocinio et inspectione status fruuntur, adeoque expesse admittendi sint; attamen hocce constitutum meum ab illis accurate observandum est: I. In posterum in cuiusuis regionis metropoli, ubi regionis gubernium est, vnicus tantummodo eiusmodi coetus esse poterit, cui toties quoties libuerit, conuentus habere licebit. Hic coetus dies, quibus conuentum habet, magistratui, aut illi, cui politia ciuitatis concredita est, addita etiam conuentus hora, indicabit. Quod si in magna aliqua metropoli vnicus coetus omnes fratres complecti non posset, ad summum alter aut etiam tertius coetus admittendus esset; qui tamen a praeside primarii coetus omnino pendeant; et conuentuum dies ac horas pariter indicent, necesse est. II. In nulla alia ciuitate, vbi nullum gubernium est, multo minus autem ruri, aut apud privatam aliquam in eius arce, eiusmodi conuentus liberorum muratorum in posterum haberi licebit, et idem pretium in eorum, si habeantur, denunciationem, et poenam statuitur, quod in lusus fortunae constitutum est; quia nullus coe-

tus hominum diuersi ordinis sibi ipsi relinqui potest; sed publico ductui et inspectioni probatorum virorum subesse debet; et mandatum hoc violantes, ob inobedientiam etiam poenis corporis obnoxii forent. III. Praesides, aut quodcumque nomen in sua societate habeant, cuiusuis in aliqua vrbe prouinciali constituti coetus liberorum muratorum supremo regionis praefecto, verbo viri honesti, in catalogo aliquo nomina cunctorum fratrum muratorum, cuiuscunque ordinis aut dignitatis sint, tradent; qui ea huc transmittet, et omni anni quadrante decrementum, aut incrementum nouorum muratorum praesides coetuum addent; quin tamen dignitates et titulos, quos muratores in sua societate sustinent, adnotent. Quod si vero praeses coetus mutetur, recens denominatus id pariter regionis gubernio indicabit. Contra ea autem IV. Si hi coetus ita constituti fuerint, ab omni alia disquisitione aut quocunque alio curioso examine immunes erunt, ac liberi, ac sine omni coactu conuentus suos habere poterunt; et hac ratione forsitan haec fraternitas, quae ex tot mihi notis egregiis viris constat, reipsa magnam vtilitatem proximo et literis adferre potest; simul autem omnes spurii et clandestini coetus ac societates, quae pluribus mihi notis haud decoris actionibus ansam dederunt, penitus et seuerissime interdicuntur. Haud dubito, quin hocce constitutum meum omnibus egregiis et honestis muratoribus, voluptatem et securitatem adlaturum; cunctos autem reliquos a cunctis eiusmodi poena dignis clandestinis conuentibus, aut euagationibus prohibitorum sit. — Vindobonae die XVI. Dec. anno 1785. — Ibid. p. 602.

Josephi II. decretum anno 1787. II. Julii editum, quo iusserat personas etiam ecclesiasticas, grauioris excessus inculpatas, per saeculares iudices incaptiuandas, sub custodia firma tenendas et more ordinario diiudicandas, Leopoldus II. mox sub aditu regimis sui, decreto 1790. III. Julii cassauit.

272. *Leopoldus II. ad suam propositionem, a SS. et OO. in comitiis Budensi-Posoniensibus, in negotio religionis factas constitutiones, confirmat. A. 1791.*

Nos Leopoldus II. — memoriae commendamus, — quod DD. Praelati, Barones, Magnates, et nobiles, caeterique status et ordines praefati regni nostri Hung. et partium eidem adnexarum exhibuerunt et praesentarunt Maiestati nostrae sequentes articulos: Art. XXIII. Maiestas SS. vt supremus ecclesiarum patronus, Ecclesias Dei, in suis iuribus conseruabit, et fundationes cuiuscunque nominis, ad mentem fundatorum administrari faciet. — Art. XXVI. „Quum status et ordines sine stabilienda inter se perpetuae harmoniae, ac vnionis, iustum esse agnouerunt, vt negotium religionis intra ambitum regni Hungariae solum, ad statum legum anno 1608. et 1647. reponatur; ac vt per consequens probasi et fundamento in perpetuum restabiliti liberi religionis exercitii, regnicolarum euangelicorum, tam Aug. quam Helu. confessioni addictorum assumantur et renouentur, tenores pacificationis Viennensis, art. 1. a. Ch. 1608. citati, ac in legum tabulas relati; pacificationis item Lincensis, art. 5. 1647. inserti; hinc clementer annuente sua Maiestate Sacratissima (contradictionibus dominorum cleri et alicuius partis secularium catholicorum non obstantibus,

imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus) statuitur 1) Vt, non attentis posterioribus constitutionibus et articulis, vti et priuilegiis, resolutionibus et explanationibus, a modo in posterum religionis exercitium cum libero templorum, turrium, campanarum, scholarum, caemeteriorum et sepulturae vsu, tam baronibus, magnatibus, et nobilibus; quam liberis etiam ciuitatibus, vniuersisque statibus et ordinibus in suis et fisci bonis, oppidis item et villis, vbique liberum relinquatur; nec quisquam omnium, cuiuscunque status et conditionis existat, in libero eiusdem vsu ac exercitio, quouis sub praetextu, a sua Maiestate aut aliis quibusuis dominis terrestribus quouis modo turbetur aut impediatur; rustici quoque, siue sint oppidani, siue villani, in quorumcunque dominorum terrestrium et fisci bonis, propter bonum pacis, et tranquillitatem regni, in libero religionis exercitio, vsu et modo simili a sua Maiestate Sacratissima vel eiusdem ministris, aut dominis suis terrestribus quouis modo aut quouis sub praetextu, non turbentur, aut impediuntur. II. In vberiore taliter declarati liberi religionis exercitii corroborationem vltro declaratur, nullibi iam priuatum, sed vbique publicum esse, et hinc distinctione inter priuatum et publicum cessante, liberum fore evangelicis modo infra notato in posterum ad illa etiam loca, quae hactenus pro filiabilibus habita sunt, et cuncta illa, in quibus euangelici necessarium existimauerint, ministros introducere, templa cum vel sine turribus, parochiasque ac scholas, prout indistinctim in illis etiam locis, vbi exercitium habent, sine vltiori recursu erigere, aut reparare; ea nihilominus sub cautela, vt quum conseruatio contribuentis plebis, praecipuam publicae prouidentiae partem constituat; in locis illis, vbi dehinc cum introductione liberi religionis exercitii nullum quodpiam templum vel oratorium exstruendum, minister illocandus veniret, praeuie ope mixtae deputationis, per concernentem comitatum exmittendae, absque tamen influxu hominis dioecesani, necessarii sumtus et expensae viresque contribuentis plebis, numerus item siue animarum, siue familiarum, ibidem sedem fixam habentium intertenendo deinceps etiam publico religionis exercitio suppar sit, in concursu domini terrestrialis, inuestigentur, cognoscantur, et comitatu referantur: vbi, obtentis super eo testimonialibus, quod fundo sufficienti prouisi sint, adsit item congruus intertenendo religionis exercitio numerus, dominus terrestris nonnisi conuenientem fundum intrauillanum vel cespitem pro ecclesia, ministro ac schola assignare tenebitur; communitates autem catholicae ad erectionem, aut dotationem similium ecclesiarum vel scholarum sumtibus seu operis curculibus, seu manualibus concurrere nulla ratione obligantur; quod ipsum ex parte etiam dominorum terrestrium ac communitatum euangelicarum, relate ad neoerigendas ecclesias, aut parochias Romano-catholicas obseruabitur; iure nobilium aut dominorum terrestrium euangelicorum, quoad introductionem liberi religionis exercitii, erectionem item aut restaurationem templorum et parochiarum semel pro semper irrestricto et illimitato declarato. III. In sequelam liberi religionis exercitii, euangelicis competentis, seu sint hi opifices, aut alterius cuiuscunque status et conditionis homines, non attentis etiam priuilegiis cehalibus, nec ad missae sacrificium, nec ad processiones, neque ad alias ceremonias et actus, religioni suae contrarios; villo titulo, vllis-

que multis adigantur; aut ad datias cuiuscumque nominis, hoc titulo praestandas, compellantur. IV. Evangelici vtriusque confessionis in iis, quae ad religionem pertinent, vnice a religionis suae superioribus dependant; vt autem haec gradualis in re religionis superioritas suo certo ordine consistat; reseruat sibi sua Maiestas Sacratissima tam relate ad coordinationem praedictae superioritatis, quam et reliquas disciplinae partes, intacta caeteroquin religionis libertate, eum stabilire ordinem, qui communi virorum eiusdem religionis, tam saecularium, quam religionis ministrorum consensione, maxime congruus reputabitur. Hinc sua Maiestas Caesarea Regia pro suprema inspectionis, sibi competentis, potestate evangelicos vtriusque confessionis vltius audiet; atque vna curabit, vt hac in re certus, principiisque ipsorum religionis accomodatus ordo constabiliatur. Interea vero statuitur, vt canones circa religionem per synodos suarum confessionum suo modo conditi, in quorum nempe actuali vsu consistunt, et deinceps ratione, per hanc legem definita, condendi, neque per dicasterialia mandata, nec per regias resolutiones possint alterari; liberam proinde illis futuram non modo consistoriorum quorumuis celebrationem, sed et synodorum; praeuie tamen tam quoad numerum personarum, ad illas concurrerentium, quam etiam obiecta ibidem pertractanda, per suam Maiestatem Regiam Apostolicam de casu ad casum determinandam, ad locum, quem ipsi, praeuio aeternae suae Maiestatis assensu delegerint, conuocationem; ita tamen ad has superintendentiarum euangelicorum, vnus aut alterius confessionis, synodos, praeuie, vt dictum suae Maiestati insinuandas, si aeternae suae Maiestati ita visum fuerit, regium quoque hominem, sine religionis discrimine, non quidem pro directione aut praesidio, sed solum pro inspectione, admittere teneatur; canones quoque et statuta taliter condita, non nisi postquam superinspectionem regiam transierint, et approbationem obtinuerint, robur sortiantur firmitatis; salua alioquin in omnibus supremae regiae inspectionis, via legalium regni dicasteriorum exercendae potestate; saluis item reliquis iuribus regis, aeternae suae Maiestati, circa sacra euangelicae ecclesiae vtriusque confessionis, competentibus, quibus summefata sua Maiestas praerudicium aliquod inferri nullo vnquam tempore patietur. V. Scholas quoque tam triuiales, quam grammaticas, non solum quas habent, retinere, sed et nouas, vbicunque iis necesse videbitur, prout et altiores, accedente tamen praeuie quoad hasce assensu regio, erigere; ibique ludimagistros, professores, rectores, subrectores, seu curatores scholarum quarumuis, tam locales, quam superiores, ex suae confessionis hominibus eligere; rationem, normam; et ordinem docendi, atque discendi (salua aeternae suae Maiestatis, quoad scholas etiam hasce regiae supremae inspectionis, vt praemissum est, via legalium regni dicasteriorum exercendae potestate) ordinare futuris semper temporibus liceat euangelicis vtriusque confessionis; coordinatione tamen literariae institutionis erga demissam SS et OO. propositionem per suam Maiestatem determinanda, ad has perinde scholas; huc tamen haud intellectis religionis obiectis, quae cuius religioni propria manere debent, extendenda. Studiosis praeterea ipsorum non modo benefactores eorum pro recipienda stipe, et adiuuando ministerio tuto accedere, sed etiam studiorum causa peregre ad academias exterorum, sine villo

impedimento proficisci, eaque, quae sibi constituta habent, stipendia percipere, permittantur. Libros porro tam symbolicos, quam theologicos, et ad pietatis exercitium spectantes, sub inspectione peculiarium per ipsos constituendorum, ac consilio regio nominetenus referendorum censorum, suae confessionis libere typis excudi facere; ea tamen lege admittantur, vt nulla in religionem catholicam scommata, vel sarcasmi libris his inserantur, onere responsionis quoad eadem scommata vel sarcasmos imprimi admittentes, mansuro; ordinatione item regia, vt librorum nouius excusorum tria semper exemplaria, via R. L. consilii, suae Maiestati submittantur, ad hos etiam libros extensa. VI. Solutio stolae, aut lecticalis hactenus per euangelicos parochis catholicis et ludimagistris, aut aliis ecclesiae seruitoribus, seu in aere parato, seu in naturalibus, seu in laboribus praestita, in posterum ex integro cesset, et a trimestri publicationis articlorum praesentis diaetae, computando, nusquam amplius exigi valeant; nisi euangelici opera dictorum parochorum sponte vsi fuerint, quo casu pro illis actibus stolam cum catholicis aequalem deponere, tenebuntur. Quonam autem modo, catholicis parochis pro amissis hisce redditibus resarcitio praestanda sit; desuper consilium L. Regium audietur; vna vero illis significabitur, nunquam suam Maiestatem ad id accessurum, vt huius indemnisationis titulo, aut contribuenti populo, aut aerario regio camerali quidpiam oneris ad crescat. — Occasione autem erectionis aut reparationis templorum, parochiarum, aut scholarum, nec catholica plebs euangelicis, nec euangelica catholicis manuales aut currules operas dare obligetur; eatenusque initi contractus pro cassatis habeantur. VII. Ministri vtriusque confessionis euangelici aegrotos et captiuos suae confessionis, adhibitis politiae cautelis, libere semper et vbique visitare, ad mortem praeparare, ac ad supplicium condemnatis publice etiam in loco supplicii quin tamen ad concionem dicant, assistere poterunt; sacerdotibus autem Romano-catholicis, dum per aegrotos captiuos et condemnatos aduocati fuerint, accessus, adhibitis solitis politiae cautelis, nulla ratione denegetur. VIII. Quoad officia publica tam maiora, quam minora, statuitur, vt illa patriae filiis de rep. Hungarica bene meritis, ac requisitis per legem qualitates habentibus, nullo interposito religionis discrimine, conferentur. IV. Euangelici etiam a depositione iuramenti decretalis, quoad clausulam, B. Virginem Mariam, sanctos et electos Dei“ immunes declarantur. X. Fundationes euangelicorum, pro ecclesiis, eorumque ministris, scholis item cuiuscunque nominis, nosocomiis, orphanotrophiis, et quibuscumque pauperibus, vel iuuentuti Augustanae et Helueticae confessionis constitutae, aut in posterum constituendae, prout etiam elemosynae, ab iisdem nulla ratione adimantur, nec e manibus et administratione eorum vlllo sub praetextu eximantur; directio harum praeterea foundationum iis de ipsorum medio, quibus de recto ordine competit, salua et illibata relinquatur; illae vero fundationes, quae euangelicis vtriusque confessionis sub vltimo regimine nefors ademptae fuerint, iis illico restituantur; super inspectione regia, vt hae fundationes ad mentem fundatorum administrentur, ac dispensentur, ad easdem quoque extensa. XI. Vniuersae causae matrimoniales euangelicorum vtriusque confessionis propriis eorum consistoriis diudicandae relinquuntur. Sua tamen Maiestas Sacratissima pro regio suo

munere, auditis ipsis euangelicis vtriusque confessionis, congruam praeuie initura est rationem, non modo, vt ad omnigenam litigantium partium securitatem consistoria haec debite organisentur: sed et ipsa principia, iuxta quae consistoria haec suo tempore causas matrimoniales diiudicandas habebunt, sine inspectionis et confirmationis sibi exhibeantur. — Interea autem causae hae matrimoniales iudicabuntur secundum principia posterioribus his annis vigentia, per fora secularia, quippe in comitatibus, et districtibus foro proprio prouisis iudiciario; in liberis autem ac regiis, et montanis ciuitatibus coram eorundem magistratu, salua ad tabulam regiam ac pro re nata etiam ad septemuiralem appellata; eo tamen per expressum subnexo, quod diuortii sententiae, non nisi quoad effectus ciuiles, vbique pro validis habeantur; episcopos autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem, illamque ad catholicos extendendam obligare nequeant. Quantum ad dispensationes in gradibus, lege patria prohibitis, secundum principia vero euangelicorum permissis, eosdem euangelicos sua M. SS. necessitate huiusmodi dispensationum, quippe in tertio aut quarto gradu, quemadmodum iam antea, per piae memoriae Aug. Imp. et Regem, Iosephum II. fratrem suum desideratissimum, constitutum erat, apud se quaerendarum semel pro semper eximit. XII. Euangelicis vtriusque confessionis penes conditae hac ratione, ac perpetuo duraturae, legis prouisionem, circa liberum religionis suae exercitium, conseruationem item templorum, scholarum, nec non foundationum, omni ratione securis redditis, pro amplius confirmanda inter illos ac Romano-catholicos regnicolas pace et concordia, statuitur, vt quoad proprietatem dictorum templorum, scholarum parochiarum, et foundationum (salua tamen quoad foundationes Szirmaianam, Hrabovszkianam, vti et Anasianam, in quantum illam probis fulcire possent, pro euangelicis praetensione) status possessionis actualis vtrinque pro cynosura ea ratione assumatur, vt foundationes catholicorum pro catholicis, euangelicorum autem pro euangelicis deinceps conuertantur; adeoque non modo ab vltiori horum repetitione, pro futuro ab vtrinque praescindatur, verum etiam nullae vnquam deinceps quocumque sub praetextu admitti possint templorum scholarum ac parochiarum occupationes; illos autem, qui talium violentarum occupationum se reos fecerint, poena 600 florenorum Vngaricalium, articulo 14. 1647. sancita, maneat. XIII. Quum transitus a catholica religione ad alteram ex euangelicis, in sensu pacificationum receptis, catholicae religionis principiis aduersetur; ne is temere fiat; occurrentes eiusmodi casus ad Sacratissimam suam Regiam Maiestatem referendi venient; Iniungitur praeterea sub seuera poena, ne quis-cunque demum vllum catholicum ad amplectendam religionis euangelicae professionem quocumque praesumat allicere medio. XIV. Jam superius declaratum est, iura haec euangelicorum solum intra ambitum regni Hungariae suum habere vigorem; regna proinde Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae in vltiore vsu municipalium suarum legum relinquuntur; adeoque euangelici intra eorundem regnorum limites nec honorum, nec officiorum sint capaces; liberum tamen maneat euangelicis Aug. et Helu. confessionis auita sua iura possessionaria, in medio eorum etiam regnorum ordinaria iuris via reuindicare; in quae si possessionem aliquam adepti fuerint, sua Maiestas sibi

reseruat de eorum indemnisatione providere. Praeterea illae aliquot in inferiori Sclavonia possessiones, partim Aug. partim Helu. confessioni addictae, vltro etiam non modo nulla ratione molestentur, sed et in libero religionis exercitio ea, qua nunc fruuntur, ratione, vltro reliquantur. Denique commercii, aut fabricarum causa liberum maneat euangelicis vtriusque confessionis domicilium iure locationis, adeoque absque vlla seu nobilitaris, seu ciuilibus fundi proprietate, ibidem sumere. XV. Proles e mixtis matrimoniis, quae semper coram parochis catholicis ineunda erunt, quibus tamen impedimenta quaeapiam, quocumque sub praetextu, in contrarium ponere cautum esto; susceptae, aut suscipiendae, si pater catholicus fuerit, illius religionem sequantur, si vero mater fuerit catholica, tunc non nisi proles masculae patris religionem sequi possint. XVI. Causae matrimoniales tam eorum quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterutrius partis a sacris euangelicis ad sacra catholica, mixta effecta essent, quum vtrouque de veri nominis sacramento agatur, sedibus catholicorum spiritualibus deferuntur. XVII. Festiuitates catholicorum nunc vsitas, quoad forum externum, non tamen in priuato, vbi, praeter strepitosos, quibus alii labores peragi poterunt, ad euitandas publicas offensiones, Aug. et Helu. confessioni addicti obseruandas habebunt, eo addito, vt dominis terrestribus, cunctisque patribus familias, sub actione fiscali, interdictum sit, subditos ac seruitores suos, seu catholicos seu euangelicos ab obseruatione festorum, sui ritus ac deuotionis impedire. Art. XVIII. Sua Regia Apostolica Maiestas Sacratissima clementer annuere dignabatur, vt Graeci ritus non vniti regni incolae, in regno hoc iure ciuitatis donati, sublatis in contrarium sancitis legibus, in quantum hae ad Graeci ritus non vnitos se referunt, ad instar aliorum regnicolarum, acquirendorum et possidendorum honorum, gerendorum omnium officiorum capaces in regno Hung. partibusque adnexis sint — Juribus caeterum regiae Maiestatis circa negocia cleri, ecclesiae, religionis, cuius exercitium plene ipsis liberum erit, fundationum, studiorum, ac iuuentutis educationis, non minus priuilegiorum ipsorum; quae fundamentali regni constitutioni non aduersantur; prout Maiestas Sacratissima a gloriosae memoriae maioribus accepit, ita eidem atefatae Regiae Maiestati porro quoque in saluo relictis. — Datum Vienna Austriae, die XII. mensis Martii anno Domini 1791. Regnorum nostrorum primo.“ — Ex corpore Juris.

Eiusdem Leopoldi constitutiones pro Transilvania in negotio religionis. A. 1791.

Art. VI. De Transilvaniae cum Hungaria nexu, et propria M. huius principatus nullique alteri regno subiecta constitutione. XXXIV. De causis matrimonialibus coram foris saecularibus pertractatis, et legitimo prolium ex matrimonio, post diuortium, per fora saecularia adiudicatum, in iure, susceptarum statu. LIII. De aequalitate iurium ac libertatum, liberique exercitii quatuor in Transilvania receptarum religionum. Art. LXIII. Erga communem statuum et ordinum consensum, benigne annuente sua Maiestate Sacratissima determinatum est: vt proles e diuersarum religionum parentibus,

siue mixtis matrimoniis suscipiendae sexum suorum parentum sequantur; et masculi in patris, femellae vero in matris suae religione educantur ac baptizentur. Contractibus quibusvis in contrarium non valentibus. — Dat. Viennae die V. Martii 1791. Ex actis diaetaliter:

Articulorum horum, ex parte libero religionis catholicae exercitio adversorum, subscriptionem premente belli Turcici insultu necessitatam, uti et pacem Sistouiensem praecipitam per eos Evangelicos, qui ad Regem Borussiae, numero 81. subscripti recurrerant, fuisse, prodidit Historia arcana pacificationis Sistouiensis, Viennae A. 1792. — Caeterum quam aequus fuerit evangelicorum iubilis, tantos se extorsisse favores, quantis catholici, sub principibus acatholicis, nec in Britannia, Dania, Suecia, nec in Germania potuntur, ita futile fuit eorum promissum, se his iam fauoribus contentos fore, docuerant subsequa tempora.

Resolutioni, quam Leopoldus II. anno 1790. VII. Septembris, ad requisitionem Statuum et Ordinum, in religionis negotio ediderat, suam repraesentationem opposuerant omnes Episcopi, ac Praelati; ex secularibus: Magnates 18, Membra curiae Regiae 4. Ablegati comitatuum 24, Ciuitatum Regiarum 23, Absentium 15; modificandamque sunt exoperati V. in corpore Juris. Huic quoque nomine cleri Hungarici, in puncto religionis contradixit Iosephus Comes Batthyani, Cardinalis et Primas Regni Hungariae.

273. *Statuum et Ordinum regni, comitaliter congregatorum, erga proiectum constitutionis Leopoldinae, facta intercessio. 1790.*

„Sacratissima caesareo-regia et apostolica maiestas, DD. clementissime! SS. maiestas, DD. clementissime! Benigna SS. maiestatis V. propositio, sub dato 7. currentis mensis Nov. ad inclytos status et ordines regni Hungariae et partium annexarum, Posonii diaetaliter congregatos, in negotio religionis interuenta, communem animorum nostrorum dolorem prouocauerat: qui dolor tanto vehementior est, quo propius sperabamus fore, ut negotium hoc ad plenam et iustam utriusque partis satisfactionem determinetur, taliterque clementissima maiestatis V. SS. intermeditatione constabilimentum civilis illius unionis et concordiae, quae publicae felicitatis fecunda mater est, plurimum adiuuetur. Moestissimis interim oculis intuemur, talia per maiestatem V. SS. pro animorum conciliatione proponi media, quae nos, salva regiae eminentiae dignitate, salvis patriae legibus, salvis iuribus constitutionalibus Romano catholicae Religionis, saluo denique conscientiarum nostrarum dictamine, consensu nostro accedere nullatenus possumus; licet nihil magis in votis nostris esset, quam benignis his maiestatis V. SS. consiliis homagiali cum promptitudine obsequi. Sunt illa insuper praeter et vltra claros tenores ac mentem ipsarum inarticulatarum Viennensis et Lincensis pacificationum, quas maiestas V. SS. pro basi et fundamento perpetuo definiendi religionis exercitii clementer assumere dignata est. Nam I. Si vel primum eiusdem benignae propositionis paragraphum cum contextu ipsius Viennensis pacificationis, art. 5. 1647. insertae, contulerimus; ea statim semet exserit differentia, quod, inueniente Lincensi pacificatione, cuilibet liberum suae tantum religionis exercitium indulgeatur; hic autem absque essentiali hacce limitatione liber usus et religionis exer-

citium admissum esse cernitur. Quid quod clausula: absque praeiudicio Romano-catholicae religionis, quae tamen per expressum Viennensi pacificationi inserta est, hic interciderit! — Essentialis huius clausulae intermissio nouum statim in paragrapho II. alfatae benignae propositionis regiae vulnus iuribus terrestrium dominorum intulit; dum eodem obligationem excindendi fundi intrauillani aut cespitalis pro ecclesia, ministris et schola Augustanae et Helveticae confessioni addictorum, praeter et ultra tenores pacificationum subiecisset, praeiudicium autem religionis Romano-catholicae augetur insuper per hoc, quod discrimen inter priuatum et publicum religionis exercitium Aug. et Helvet. confessionis penitus sublatum sit: quod tamen inde ab exordio admissi exercitii semper praefuisse, praeter alia, testis est articulus 9. 1647. Huc accedit et illud, quod, tametsi conseruatio miserae plebis inter praecipuas publicae administrationis curas in eodem §. reponatur; reparatio tamen et nouarum turrium et scholarum erectio, ludirectoris introductio, libero eiusdem arbitrio penitus relicta sit: et quamuis absque praeuia mixtae deputationis inuestigatione et publicae comitatensis iurisdictionis consensu, ad loca, quae nunc filialia sunt, ministrum contribuens plebs introducere prohibeatur; nullae tamen eidem mixtae deputationi, minus publicae iurisdictioni directivae datae sunt regulae, in quarum conformitate inuestigationem suscipi et decisionem ferri oporteat. Magis adhuc id nos attentos tenet, quod maiestas V. SS. puncto-IV. benignae suae propositionis earundem confessionum ministros ecclesiasticorum titulo dignata sit, qui hactenus nonnisi sacerdotibus Romano-catholicis tam per leges publicas, quam per benignas resolutiones regias dabatur; Augustanae vero et Helvet. confessionis interioris seruitii homines in ipsis plane pacificationum tabulis ministrorum dumtaxat nomine compellabantur: et hoc quidem ex mente ipsius religionis etiam, quae ministris his nullam distinctam iurisdictionem, sed eam tantum, quam omnibus aliis laicis tribuit. Atque ex hac ipsa iurisdictionis aequalitate, et hierarchiae ecclesiasticae ordine, certum est, nec superintendentes, nec ministros reliquos, siue circa religionem ipsorum, siue disciplinam quidpiam statuere posse, nisi cum concursu reliquorum etiam secularium, August. et Helu. confessionem profitentium: vt adeo, dum celebrationem nationalium Synodorum eisdem clementer admittere, et quidem ea ratione, dignatur maiestas V. SS. ut statuta synodalia, nec per regias resolutiones, nec per dicasterialia mandata alterari possint; non aliud hoc esse videatur, quam statum in statu, cum summo dignitatis regiae et totius constitutionis nostrae damno ac praeiudicio, introducere; et talem quidem statum, qui legislatiuam potestatem absque concursu regio et quatuor regni statuum exercet; et cuius improprie dicti canones, quin vel per regnum aut dicasterialia mandata, nec per benignas resolutiones regias alterari possint. — Haec cuncta, quaemadmodum pacificationibus fundamentalibus minus comprehensa, quomodo cum eminentia apostolici regalis solii; quomodo cum fundamentali regni constitutione, quomodo cum salvis Romano-catholicae religionis iuribus conciliari possint; dignetur maiestas V. SS. pro sua clementia et aequitate clementissime diiudicare. Sustentari quidem videtur regiae dignitatis ius per id, quod maiestas V. SS. ad supremam inspectionis potestatem et reliqua iura omnia, vt

supremo capiti ecclesiae euangelicae vtriusque confessionis circa sacra sibi competentia, clementer reseruauerit. Verum vel hoc ipsum nobis summe dolorosum est, quod Maiestas Vestra Sacratissima gloriosissimo alioquin apostolici regis titulo conspicua, semet caput illius confessionis profiteatur, cuius membrum esse nec vult, nec potest.

V. Quod scholarum tam triuialium, quam grammaticarum erectionem attinet; nos ipsi praeuidentes vtilitatem, quae a literaria iuuentutis institutione dimanat, praeter nimium extensam introducendarum scholarum et organisandae institutionis licentiam, non aliud humillime eatenus aduertendum habemus, quamquod conseruatio miserae contribuentis plebis deponit, vt nimirum introductio ludirectoris non arbitrio contribuentis communitatis, sed erga praeuiam mixtae deputationis inuestigationem decisioni incliti comitatus reseruetur. Praeuenientur taliter omnia etiam illa obstacula, quae alias tam ratione fundorum, quam et subsistentiae vbertim occurrent. Quantum vero librorum censuram concernit; quum conciuēs hi nostri nec distinctam gentem, nec distinctum legislatiuum corpus constituent; nullam videri rationem, cur distincta censura donandi sint. Si Romano-catholici submittunt libros suos censurae, in excelso regio consilio constitutae; quare his distinctae politiae ciuilis leges aut potius exemptiones concedendae sunt? VI. Esto quidem ductu etiam art. 12. 1647. a solutione stolae et lecticalis, parochis catholicis praestandae, Aug. et Helu. confessioni addicti de pleno exempti haud sint; vt tamen vel hoc ipsum argumento sit, nos non temporaneam siue ecclesiasticorum nostrorum, siue religionis nostrae quaerere vtilitatem; non morabimur, vt solutio stolae et lecticalis, hactenus parochis Romano catholicis per Aug. et Helu. confessionis homines praestari solita, in posterum et pro futuro aboleatur; ea subnexa humillime reflexione, vt, quum elucubratio illius, quod hac ratione parochis nostris decessurum est, atque iusta deficientis congruae prouisio tempore vnus trimestris perspicui et ordinari haud possit; pro iusta et aequa termini huius extensione humillime supplicemus. Ceterum quum complures, tam ludimagistros, quam et ecclesiarum seruitores necessaria prouisione destituendos hac ratione peruideamus; de fundo etiam illorum, ex quo prouidendi venient, clementer prospicere dignetur Maiestas Vestra Sacratissima, atque vna etiam altissimo iussu regio benignos ponere ordines, vt, vsque finalem elucubrationem, et effectiuam adiustationem decessurae tam parochorum, quam et ludirectorum et ecclesiae seruitorum congruae, re integra seruata, nihil via facti ex statu moderno praestationis Aug. et Helu. confessioni addicti, subtrahere praesumant.

VII. Vt ministri vtriusque confessionis, dum per eosdem vocati fuerint, adhibitis solitis politiae cautelis, libere semper, et vbique visitare, ad mortem praeparare, ac ad supplicium condemnatis publice etiam in loco supplicii, in locis praesertim illis, vbi mixtae religionis homines sunt, assistere possint; quin tamen ad concionem dicant; ea nobis occurrit humillima reflexio, vt catholici etiam sacerdotes, penes solitas politiae cautelas, tam ad aegrotos, quam et captiuos cuiuscumque religionis libere semper admittantur, tanto quidem a fortiori, quod praecipua muneris ecclesiastici pars sit, instruere cum lenitate et mansuetudine; et alioquin in illis praecipue locis, vbi seruitores aut magistratus catholici non sunt, teste experientia, nec erga de-

siderium aegroti aut captiui, aduocarentur; taliter pia Maiestatis Vestrae Sacratissimae mens semper sine effectu et consequentia maneret. Jus denique istud ipsa religionis nostrae eminentia in apostolico hocce regno Hungariae merito deposcit. VIII. Ceterum quum eadem praerogatiua ciuiliu iurium gaudeamus; ipsa talium iurium communitio secum fert, vt ad officia tam maiora, quam minora patriae filii, de rep. bene meriti, nullo interposito religionis discrimine, admoueantur; saluis nihilominus priuilegiis nonnullarum liberarum regiarumque ciuitatum; atque adeo IX. dissimulabimus. etiam, si in decretali iuramenti formula nomen Deiparae per conciuces nostros Aug. et Helu. confessionis reticeatur; quin tamen expressa lege ab obligatione huius formulae eosdem immunitemus; tum quia nec in pacificationibus hoc factum fuisse certum est; tum quia exemplo maiorum nostrorum nihil in derogamen cultus magnae illius Hungarorum dominae et matris constituere sustineamus. X. Quemadmodum restitutio foundationum, sub vltimo regimine a conciuibus nostris Aug. et Helu. confessionis ademtarum, singularis regiae clementiae et aequitatis studium est; ita clementissime admissuram Maiestatem Vestram Sacratissimam plene confidimus, vt, quae circa §. XI. nobis ex lege, pacificationibus et principiis toties dictarum confessionum occurrunt, cum candore adducere valeamus. Tenorè paragraphi huius vniuersae causae matrimoniales Aug. et Helu. confessioni addictorum propriis, ipsorum consistoriis, iuxta suae religionis principia, diiudicandae relinquuntur. Tentarunt quidem hoc conciuces nostri occasione etiam tractatus pacis Viennensis impetrare; impetrarunt tamen minime; quia ad 7. eiusdem pacificationis articulum dissertis verbis ponitur: vt sedes spirituales maneant; spirituales has sedes Romano-catholicas fuisse, tum ex vsitata per leges nomenclatione, tum exinde etiam clarum fit, quod concipi nequeat, iam tum euangelicos sua praehabuisse publica consistoria, quibus nec publicum ante religionis exercitium in regno hocce admissum fuit. Prouocatus Viennensis pacificationis articulus rursus articulo 7. 1608. ante coronationem confirmatus exstitit, taliterque matrimonia illorum, etiam secundum antiquam legum provisionem tractabantur. Sed, quia sub pacificatione iterum Linciensi de statu sedis spiritualis utrimque tractatum et agitatum fuisset; paragrapho II. eiusdem Lincensis pacificationis conclusum tandem est, ut primis statim comitiis aliquid certi de illis statuatur: in cuius sequelam declaratum etiam est art. 15. 1647. ut evangelici in matrimonialibus in vsu consueto permaneant. Ex his certum et evidens est, spirituales sedes semper in statu quo permansisse; neque umquam ius diiudicandarum matrimonialium causarum, funestissimis licet bellorum temporibus, dimisisse. Patet item e praecallegato Linciensis pacificationis §. II. circa statum spiritualium sedium determinatum nihil fuisse; sed quaestionem hanc ad diaetam regni, seu legislativam potestatem, remissam exstitisse; ibidem autem vsum vigentem et consuetum confirmatum fuisse. Quomodo igitur, cum summo Romano — catholicae religionis praeiudicio, pro reuisione causarum suarum distinctum plane forum erigi, et illud nova et inusitata iurisdictione donari posset, quando diuortiales iuxta evangelicorum principia latas sententias a catholicis pro validis haberi, vetat dogma catholicum: quo credimus,

et credere debemus, vinculum matrimonii neque ex adulterio, neque ex sterilitate, neque ex implacabili odio et auersione aliisque pluribus, quas ad divortium pro sufficientibus causis habent euangelici, dissolvi posse? Quomodo item siue comitatus, siue aliae publicae iurisdictiones latam novi huius consistorii sententiam ad effectum dirigent, principiis Romano-catholicis saepe aduersam? Hinc ad tollenda et praecauenda diuersa illa incommoda, quae ex ratione inaequalis systemisationis fororum consistorialium, tam quoad successionem, quam et complura alia obiecta futuris temporibus indubie oritura sunt, pro iurium et conscientiarum tranquillitate non aliud super est efficacius medium, quam si matrimoniales causae omnium Christianorum posthac etiam ad spirituales sedes Romano-catholicorum, sine discussionis et decisionis, relegatae fuerint: vbi ceteroquin praecipua curarum pars eo dirigetur, vt iustitia promte et fideliter omnibus administretur; nec tale quidpiam statuatur, quod siue iura conciuum, siue liberum religionis exercitium laedat, ac inturbet. Ceterum XII. et si bonum pacis et tranquillitatem publicam plurimum per hoc promoueri peruasum habeamus, si Aug. et Helu. confessioni addicti in libero religionis suae exercitio et templorum vsu non impediuntur, nec vnquam nobis in mentem venerit, praeclaram hanc conciuum nostrorum partem, quam sincero Christianae caritatis vinculo arctius adhuc nobis coniungere exoptaremus, vilo sub praetextu turbare; poenalitatem nihilominus, art. 14. 1647. sancitam, et ad hunc §. prouocatam eo minus locum habere posse, humillime censemus, quod totus articulus contradictione praelatorum et plurium catholicorum affectus sit, ex eo, quod salua conscientia accedere non poterint ad violanda dogmata catholicae religionis, et conscientis vis inferri nequeat; multo minus, quod art. 14. 1647. prouocetur constitutio art. 8. Vladislai decr. 6. episcopos aliasque personas ecclesiasticas amissioni dignitatis et beneficii sui; ceteros vero amissioni honorum iuriumque possessionariorum ipso facto obnoxios et perpetuo regis regnique infideles ex exules reddens; siquis exequutioni semet opponeret: et alioquin, si quaequam poenalitas etiam constituenda foret; ea ad violentos tantum occupationis casus ab vtrinque ex mente legum extendi posset. In reliquo non possumus etiam, salua conscientia, saluis iuribus Romano-catholicae religionis, quae basis et fundamentum fuit modernae regni constitutionis, eandem auitam et constitutionalem religionem nostram pro aequae recepta declarare. Non possumus perinde confessiones Aug. et Helu. pro lege receptis agnoscere; quum siue pacificationes, siue tenores legum inspiciamus; nihil aliud nobis occurrat, quam quod propter bonum pacis liber earum vsus, exercitium absque praeiudicio Romano-catholicae religionis admissum et permissum sit: et hinc dolorem nostrum verbis satis exponere non valemus, quem communiter persentiscimus, dum in §. XIII. benignae propositionis regiae religionem nostram praeue ad aequalem quasi statum cum attacktis confessionibus repositam ac propterea promiscuum transitum impunem declaratum esse legimus. Religionem nostram constitutionalem, ac coaeuam esse in apostolico hoc regno regiae dignitati, iam supra innuimus. Hoc nec ipsi conciuues nostri, Aug. et Helu. confessioni addicti, hactenus inficiati sunt: ac nec inficiari sustinent. Quod ab eadem antiquis etiam temporibus desciscere

poenale fuerit, praeter alia docet §. 14. tit. 14. P. 1. quem non eo fine humillime prouocamus, vt pro modernis etiam casibus in vsum deductum esse velimus; solum, vt appareat, iam olim poenale fuisse, deserere constitutionalem atque vnice saluificam nostram religionem: et quamuis occasione Viennens. pacificationis liberum religionis exercitium cuilibet admissum fuerit; valebat tamen vnice libertas illa pro actu primae declarationis in casu dubio, qui fuit ante indultum cuiusuis religionis exercitium: sed, postquam Romano-catholicam religionem quis professus est; iuxta clarum Lincen. pacificationis contextum, dimittere nunquam poterat: vt vel inde luculenter demonstratur, praemissum transitum nec lege, nec pacificationibus admissum fuisse Romano-catholicis. Quodsi igitur defectio a fide constitutionali prohiberi et potuit et prohibita est; cur non poena etiam in transgressores legis huius, adminus arbitraria, ferri valeat, rationem non videri; tanto magis, quod summum hoc constituat Romano-catholicae religionis praeiudicium. — Huc concurrunt peculiaria illa momenta, ex principiis ipsius verae religionis nostrae deducta, quae quum Maiestati Vestrae Sacratissimae abunde perspecta esse probe sciamus; preces potius nostras homagiali cum subiectione subiungimus, dignetur Maiestas Vestra Sacratissima pro apostolico zelo, pro amore iustitiae et caritate erga subditas sibi gentes et nationes, clementer constituere, vt promiscua ad Aug. et Helu. confessionem transeundi licentia Romano-catholicis interdicta et grauiter poenalis sit. Relate ad §. XV. fateri rursus humillime cogimur, praeiudicium religioni nostrae graue infligi, dum praeter mentem et tenores pacificationum proli masculae, ex mixto matrimonio susceptae, indulgetur, vt, si mater catholica fuit, religionem patris sequi possit, contra eidentissima principia infallibilis nostrae religionis. — Atque haec sunt, clementiss. domine, quae pro decore ipsius dignitatis regiae, pro manutatione iurium saluificae religionis nostrae et conscientiarum nostrarum relevamine, in paternum Maiestatis Vestrae Sacratissimae sinum fiducia effundere praesumimus. Dignetur illa Maiestas Vestra Sacratissima clementer suscipere: dignetur causam nostram, quam non pro transitoriis humanae felicitatis bonis, sed pro aris nostris, et perenni ac felici augustae domus regimine agimus, pro sua sapientia benigne reassumere, et pro summo illo aequitatis ac pietatis suae studio clementer nos adiuuare: dignetur, more pientissimorum maiorum suorum, paterna clementia nos complecti. Equidem nihil exoptabilius esse potest ipsa animorum vnione et vera concordia: sed illa tunc saltem obtinebitur; si vtrique parti, quod iure suum est, tribuatur. Conciues nostros, Aug. et Helu. confessioni addictos, ciuiliu alioquin iurium et sanguinis communionem nobiscum eosdem, religionis suae opinione tantum a nobis differentes, vera et sincera caritate prosequimur; sed nec iura nostra religionaria dimittere possumus. Nolumus quidem eam nunc ingredi quaestionem, num prouocatae toties pacificationes, quae superiori seculo ab augustis Sacratissimae Maiestatis Vestrae maioribus procuratae, ac subinde, non obstante totius cleri et quorumuis catholicorum contradictione, publico legum codici illatae sunt, pro basi et fundamento in perpetuum restabiliti religionis exercitii assumi et constitui debeant ac possint. Quaestionis huius dilucidatione pro nunc silentio praetermissa, satis nobis est, remonstruisse,

benignam regiam propositionem menti et tenoribus pro basi assumptarum pacificationum non cohaerere. Sapientia vnice, pietas et clementia Maiestatis Vestrae Sacratissimae facere potest, vt seruatis constitutionalis religionis nostrae iuribus, conciuies etiam nostri euang. confessionis in vsu et libero religionis suae exercitio non impediantur. In reliquo altissimis gratiis caesareo-regiis et clementiae deuoti, profunda cum submissione persistimus, Posonii, die 30. Nouembris 1790. Sacratissimae Maiestatis Vestrae humillimi, perpetuique fideles capellani et subditi.“

274. *Franciscus I. Rex Hungariae, praeiudicio Religionis Catholicae, e decreti Leopoldi articulo XXVI. anno 1790. oborto cauere satagit. 1792.*

Ad Excelsum C. R. L. — Cum ex pluribus specificis casibus obseruare liceat benignas resolutiones regias circa proles e mixto matrimonio progenitas, ac ipsum etiam articulum 26. anni 1791. ea de causa effectum non raro destitui, quod nec parochi nec magistratuales educationi prolium eiusmodi satis et de tempore inuigilent, aut tempestiue refugium efflagitent, sed parochi et vicearchidiaconi plerumque tum, dum iam tales proles euangelicae religionis imbutae sunt, ac adultiores euadunt, ad episcopos, vel directe ad iurisdictiones recursum sumant; ministri vero euangelicae confessionis eiusmodi proles absque difficultate ad exercitium suae confessionis admittant; hinc, vt quemadmodum iuribus euangelicorum articulo 26. 1791. iisdem attributa, nihil decerpendum vult sua Maiestas Sacratissima, ita etiam, vt ea, quae religioni catholicae competunt, suum sortiantur debitum effectum; in ea interuenit Altissima Ordinatio regia, vt praetitulatae Dominationes Vestrae educationi sobolium mixti matrimonii, quae seu ad praescriptum articuli 26. 1791. seu iuxta reuersales, antea per parentes de se datas, quarum vigorem, cum illae hactenus abrogatae non sint, vltro conseruandum sua Maiestas Sacratissima decreuit: in fide catholica educandae sint sedulo, et accuratius inuigilari faciant; adeoque mox atque eiusmodi proles recipiendae institutionis in fide catholica capaces fuerint; seu vbi septimum aetatis annum agere coeperint, si in fide catholica non instituerentur, necessaria eatenus pro talium prolium (si id circumstantiae exigerent) etiam auctoritate magistratuali procurandam ademptionem, mox disponantur. Praeterea siquidem §. 13. A. 1791. generaliter tantum statutum sit, vt casus circa transitum occurrentes Suae Maiestatis Sacratissimae referantur; tam vero haec ipsa, quam et illa eodem §. contenta legis dispositio, ne quisquam demum vllum catholicum ad amplectendam religionis euangelicae professionem, quocumque praesumat alicere medio, per id eludi obseruetur, quod complures quidem religionem Romano-catholicam, eo quod oratoria euangelica frequentent, alii vero catholicos vel proles, in fide catholica educandas, ad ecclesias euangelicae confessionis adducant, aut eorsum imperiose mittant, ministri autem euangelicae confessionis quempiam a religione catholica deficere intendentem, absque testimonialibus super praescripta sex hebdomadarum instructione, aut proles catholice educandas, ad amplectendam confessionem euangelicam admittant, aut ad communionem accedere volen-

tes non repellunt, et ad dandam facti rationem constituti, id, quod eiusmodi personas haud nouerint, in sui exculpationem proferant: Hinc sua maiestas SS. altissime decreuit, vt omnes et singuli, qui absque obtento Altissimo indultu, aut quin institutionem per suam Maiestatem ordinatam, desuperque eorum ministris exhibenda testimonia accipiant, ad oratorium fine cultus religionarii, vel participandae communionis accedere; aut seu catholici, seu protestantes, proles suas catholice educandas, vel quoscunque catholicos alios ad oratoria adducere, aut eorsum imperiose mittere, vel etiam oratoria accedere volentes, pro obligatione sua, non impediuerit, aut quaqua demum ratione seducere praesumserit, nobiles quidem actione Fiscii magistratualis, poena pecuniaria, ignobiles vero pari itidem Fiscii magistratualis actione poena carcerum; imo pro ratione circumstantiarum, tam hi, quam illi grauioribus etiam poenis ob transgressionem legis benignarum ordinationum regiarum in exemplum etiam aliorum puniantur. Praeterea autem in ministros illos, quorum praetexta ignorantia ex confrontationibus et inuestigationibus, aut plane, aut cum praesumptione euenierit; tanto grauius animaduertendum erit, quanto difficilius est, dolosam et in elusionem altissimarum ordinationum regiarum tendentem eiusmodi simulationem ignorantiae remonstrare. Sed et illi quoque, pro demerito, qui hac ratione ad deficientium quempiam persuadere tentauerint, aut etiam obtrusione librorum catholicos deprauare, nihili duxerint. Altissimam proinde hanc resolutionem regiam consilium istud L. R. Praetitulatis Dinationibus vestris finem in eum, de benigno iusu intimandum habet, vt eandem pro omnium notitia mox suo modo publicare, effectum eiusdem, pro ut et articuli 26. 1791, procurare, atque in eius transgressores serio animaduertere nouerint. Datum 25. Sept. A. 1792. — Ex originali.

Franciscus I. R. H. ad anteuertendam inter iurisdictiones ecclesiasticam et saeculares, omnigenam collisionem decreto 10. Dec. 1799, nro ^{17181/23704}. Edixit: „Clerus Romano-Catholicus suo episcopali consistorio in casu criminali subiacebit; iurisdictione etiam militaris capellanos castrenses non nisi in actu deprehensos, aut profugii periculo, capi, ac detineri seruato debito moderamine, ne in ordinis ecclesiastici dehonestationem cedat, facere possit.“ Postquam nonnulli altissimum hoc decretum, ad disciplinaria duntaxat. et minora delicta, restringenda censuissent; ad officiosam cardinalis archiepiscopi Strigoniensis Iosephi a Battyány repraesentationem eadem regia Maiestas. 20. Jan. 1807. decretum edidit omnibus iurisdictionibus communicatum, vt excessus grauiores ecclesiasticorum semper, antequam processus contra eos incaminentur, suae Maiestati Sacratissimae notificentur; ne fors etiam tales, qui foro episcopali subsunt, ad saecularia iudicia trahantur. — Quod etiam fora ecclesiastica obseruant, et si comitatus semet mota fiscali actione inmittit, altiora fora actionem condescendere faciunt.

275. *Franciscus I. Rex Hungariae, educationi Iuuentutis patriae literariae consultura, sublatum a Iosepho II. Ordinem S. Benedicti, pie et liberaliter restituit. Anno 1802.*

Nos Franciscus II. Dei gratia Electus Imperator Romanorum semper Augustus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Rex I. Archidux, Austriae, Burgundiae et Lotharingiae, Magnus Dux Hetruriae, Magnus Princeps Transil-

voniae, Dux Medeolani, Mantuae, Parmae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quia nos pro paterna cura et sollicitudine nostra, qua promotioni cultus Diuini, et rectae iuuentutis educationi et institutioni benigne prospectum esse volumus, Ordinem Benedictinorum (cui nihil ex iis subtractum esse volumus, quae liberalitas Protoregis, Diui Stephani, pro meritis contulit) in percharo regno nostro Hungariae in integrum restituendum, adeoque praeeistentis fundi instructi, possessorium cum omni illo iure et priuilegio sicut tempore suppressionis anno 1786. praefuerunt adeoque capitales etiam summas eidem ablatas, cum pretio venditarum medio tempore realitatum, librorum item, sacrae suppellectilis, vna cum literalibus instrumentis, reponendum benigne decreuimus sequentibus sub obligationibus: vt Primo Archi Abbas velut episcopali iurisdictione, inde a primis regni incunabulis, antequam vllus alter in regno praefuisse episcopatus, in bonis gaudens idoneis animarum curatoribus, Parochias et locales capellanas in fundationibus bonis, absque vlllo fundi, sic dicti religionarii aggrauio, prouidere; quin tamen ad requisitionem cuiuscunque episcopi ad aliena bona religiosum sui ordinis exponere teneatur; etiam concernentibus Archi- et Episcopis, atque sede vacante Vicariis intimari iussimus, vt cum iurisdictione eorum cuius exercitium a tempore suppressionis Archi-Abbatiae, ad eos deuolutum est, secure iam nunc in integrum illius restitutione cesset, si quoque Benedictinos ad montem Pannoniae professos in dioecibus suis beneficio ecclesiastico haberent, inuestitos, tales ad religiosam sui ordinis remittant obedientiam. **S e c u n d o:** Vt Gymnasia Tyrnauiiae, Posenii, Sopronii, Ginsii, Jaurini, Comaromii, Strigonii, Albae-Regalis, Quinque-Ecclesiis, et Scholas Gramaticales Papae, ea, qua ratio literarii instituti deposcit, et idoneorum Professorum numero e prouentibus Archi- et Abbatialibus ita prouidere obligetur, vt ex eorum seruitio fidelis etiam populus Saponii, praesertim, spirituale capiat emolumentum. **T e r t i o:** Vt Archi Abbas successiue eum alat religiosorum numerum, qui tam cultui diuino, cum decore perficiendo in Archi- et Abbatialibus coenobiis, quam et animarum curae in propriis bonis, et gymnasiali iuuentutis institutioni, iuxta praescriptum literarii systematis sufficiat. Pro maiore autem domesticae disciplinae conseruatione, in quolibet gymnasiali loco proprias aedes et ecclesias habeant, vt sic in his pro regularis vitae ratione sub religiosa superioritate, conformiter instituti sui regulis, viuant. Et ideo **Q u a r t o:** Jaurini praeter propriam, quam habuerant, residentiam collegium insuper Jesuitarum, totum cum Ecclesia, Sopronii Ecclesiam, Tyrnauiiae, Albae-Regalis, et Quinque-Ecclesiis collegia olim Jesuitarum, cum Ecclesiis, Ginsii Collegium Piaristarum suo tempore ad aliud Gymnasium transferendorum cum Ecclesia, Papae Paulinorum Ecclesiam cum conuentu habebunt, quae omnia in statu bono, adeoque debitis reparationibus praeuie per concernentes fundi praefectos, eisdem Benedictinis successiue, prout nempe necessitatem eorum habuerint, resignabuntur; onere conseruationis postmodum aedificiorum horum ipsos Benedictinos manente. De aedificiis vero Posenii et Strigonii ad vsus Benedictinorum necessariis, Consilium nostrum R. L. Hungaricum praeuie adhuc cum Archiabbate vltiorem fouendam habebit co-

intelligentiam. Quinto: Professores, prout et Locales Directores, in concredit sibi Gymnasiis e religiosis suis Archiabbas pro arbitrio suo mutabit, et constituet. Nec alter Superioribus Directionibus in Gymnasia huiusmodi influxus conceditur, quam moderatae inspectionis, an quippe literarum institutio praescriptae normae conformis sit? Sexto: Cum autem literaria Iuuentutis institutio, praecipua religiosorum horum posthac obligatio futura est: Archi - Abbas ea ratione religiosos educandos, atque praeparandos habebit, vt sublimi huic scopo satisfacere possint: pro maiori autem religiosi huius ordinis vehiculo statuimus, vt clerici eorum completo vigesimo primo aetatis anno, religiosam emittere audeant professionem. Septimo: Praeter recensita omnia ea Benedictini ad fundum religionis annue nihil praestare tenebuntur. An et quid fortificatorio praestare debeant? Id iusto tempore pro iusto, et aequo decidemus. Octauo: Prout Archi Abbatem iam denominaueramus, et benignis collationibus literis prouideri fecimus, ita futurorum quoque Archi Abbatum nominationem Nobis, successoribusque nostris, legitimis Hungariae regibus, ea lege reseruamus, ut Conuentus montis Pannoniae, tres candidatos praeuia humillima supplicatione regiae proponere possit Maiestati. Filiales autem Abbates ad Tihany, Bakonbél et Dömölk, pro futuro etiam, dum adiuncta talium nominationem suaserint, Archi Abbas, consultis tamen semper praeuie conuentualibus, constituet, et regiae nostrae Maiestati praesentabit confirmationem, qua habita, neque secus, beneficium adire poterit. Nono: Cum Archi Abbas religiosarum habitationum reparationem absque fundi religionarii aggrauio perficere teneatur, hinc eidem 27 millia florenos per familiam comitum Csáky iuxta transactionem per nos clementer rati habitam depositos, eum in finem resignari iussimus; vt desolationem monasteriorum suorum medio tempore causatam reparare valeat: eo hic adnexo: quod cum nonnulla ad ordinem Benedictinorum pertinentia bona intermedio tempore ex altissima ordinatione nostra ad arendam locata, et concernentes arendatores sub fide publica ad possessorium arendale introducti habeantur, iidem Arendatores ante evolutionem annorum stipulatorum, donec contractuales conditiones, rite expleuerint, exturbari non possunt; praeterea, vt actiuas in bonis huius ordinis praeexistentes, et sub possessorio fundi Religionarii accumulatas restantias, fundum hunc directe concernentes, in quantum praeuia liquidandorum liquidatione seriem exigibilium ingredientur, incassare teneantur ea ratione, vt eandem cum 15. pro centuali falcidia, titulo onerosae incassationis, cessura in defigendis triennialibus ratis ad fundum religionarium inferantur. Aedificii autem ad Füredienses aciculas structura iuxta planum altissimae aprobatum, successiue continuetur, dum alia magis necessaria terminata fuerint, ac etiam omnes illi fauores, quos prioribus annis ratione distributionis fundorum ad Füred, priuatis ibidem aedificia posituris, clementer concessimus, dehinc etiam in sensu Altissimae assecurationis conseruentur. Denique pensionistae, et fundationales Missae, prout ante sublationem, ita nunc quoque huic ordini incumbant. Quapropter benigne praecipimus, et mandamus, quorum interest vel in futurum intererit, vniuersis, quatenus praesentem salutarem ordinationem nostram ad amussim obseruare nouerint, neque eidem quaqua ratione contraue-

nire praesumant. In cuius maius robur, perpetuamque rei firmitatem hocce diploma nostrum restitutionale secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae Apostolicus vtimur in pendentem, communitum extradandum esse duximus, et concedendum. Datum per manus fidelis nostri, Nobis sincere dilecti, Spectabilis ac Magnifici Comitis Caroli Pálffy ab Erdöd, perpetui in Vöröskő, Aurei Velleris, ac vna insignis ordinis S. Stephani, R. A. Magnae Crucis Equitis, Comitis Posen. et Comitatus eiusdem nominis perpetui ac supremi Comitis arcisque nostrae Regiae Posenien. haereditarii, aequae ac supremi Capitanei, Camerarii, Consilarii que Nostri Actualis Status Intimi, Curiae Nostrae Regiae per Hungariam Magistri, nec non per idem regnum Nostrum Hungaricum Aulae nostrae prout et dicti Ordinis S. Stephani, Cancellarii. In Archiducali ciuitate nostra Vienna Austriae. Die 12. mensis Martii, Anno Domini 1802. Regnorum nostrorum Romani decimo, Hungariae, Bohemiae et reliquorum vndecimo. Franciscus mp: Comes Carolus Pálffy. Josephus Herouicus. — Apud. Roman. a S. Venantio, Carmel. Supplem. p. 10—13. — Ex originali obtinere non potui!

276. *Ordinem etiam sacri ac candidi Praemonstratensium, sublatum restaurat, certisque Gymnasiis administrandis praeficit. 1802.*

Nos Franciscus Secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Rex Apostolicus, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, et Lotharingiae; Magnus Dux Hetruriae, Magnus Princeps Transyluaniae, Dux Mediolani, Mantuae, Parmae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis etc. etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit uniuersis; Quod Nos pio, ac peculiari, quem erga Sacrum Ordinem Praemonstratensium gerimus affectu, inclinati, Praepositura S. Joannis Baptistae de Jászov, per mortem, et ex hac vita decessum Honorabilis Gerardi Csák, eiusdem sacri et exempti Ordinis Canonorum Regularium Praemonstratensium Praelati, et Conuentus Ecclesiae S. Joannis Baptistae de Jászov, praepositi infulati, vel ut eiusdem loci, dum in statu, quo exstiterat, vltimi praelati, et praepositi vacante, et recentissime ad pristinum statum reposita, in locum praefati demortui fidelem Nostrum Andream Zazio, ordinis Praemonstratensium Regularem Canonicum ob merita, et virtutes, vitaeque et morum integritatem, caeterasque eximias eiusdem animi dotes, a quibus idem Nobis plurimorum fidelium Nostrorum testimonio exstitit summe commendatus, Authoritate Juris Patronatus Nostri Regii, quod generaliter, in omnibus praedicti regni nostri Hungariae Ecclesiis et beneficiis, instar diuorum condam Hungariae regum, praedecessorum videlicet nostrorum, felicitatis recordationis habere et exercere dignoscimur, clementer denominauerimus, et constituerimus, prout denominamus, et constituimus, atque iuxta eiusdem Ordinis Praemonstratensium S. Joannis Baptistae de Jászov praepositurae rursus factam restitutionem et restorationem, ac in conformitate clementer eidem elargiti de dato mensis et anni infrascripti diplomatis nostri regii, toties repetitam praeposituram, ac huic occasione interuentae,

nunc restitutionis vnitas, binas alias de Lelesz et Magno Varadino praeexistantes eiusdem ordinis praeposituras simul, cum cunctis iuribus et in attacto diplomate nostro regio clarius expressis et denotatis, reincorporatis bonis temporalibus, Castris videlicet castellis, oppidis, item possessionibus, villis, praediis, portionibus, iuribusque possessionariis, nec non terris arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis foenetis, foenilibus, syluis, nemoribus, montibus, collibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluuiis, piscibus, piscaturis, pisciumve clausuris, et aquarum decursibus, molendinis, et eorundem locis, generaliter vero cunctis vtilitatibus, obuentionibus, et emolumentis, nec non praerogatiua, et immunitate, ad eandem praeposituram reincorporataque bona, de iure, et ab antiquo spectant. et pertinere debent. Eidem Andreae Zazio, dandam, et conferendam, ita tamen, vt idem cultum diuinum, in eadem ecclesia praepositurali conseruare, muniaque et seruitia diuina, sedulo peragere, fratresque, seu conuentuales ordinis sui sufficientes, in conuentu praedicto Jaszouiensi pleno numero, quocumque necessitatis tempore intertenere, bonaque et res, ac haereditates eiusdem ordinis et conuentus nullo modo dissipare, sed abalienata potius, si quae forent, recuperare, praeterea, vt idem gymnasia, in suprafato diplomate, iam denotata, ac duo adhuc subinde denominanda, ac ex parte praepositurae huius assignanda eo, quo ratio instituti literarii deprecet, idoneorum professorum numero, e prouentibus praepositurae sufficienter prouidere debeat, et teneatur: Imo assumimus, eligimus, nominamus, praeficimus, et praesentamus, ac ipsam praeposituram, cum praetactis suis pertinentiis uniuersis, Eidem damus, et conferimus harum nostrarum vigore, et testimonio literarum. Datum in Archiducali ciuitate nostra Vienna Austriae, die duodecima mensis Martii anno Domini Millesimo octingentesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani decimo, Hungariae vero Bohemiae, ac reliquorum anno vndecimo. Franciscus. m. p. Comes Carolus Pálffy. m. p. Alexius Nevery. m. p.

Gymnasia eidem praelaturae, ac praepositurae prouidenda idoneis magistris sunt: in districtu Literario Cassouiensi: Archigymnasium Cassouiae, gymnasia Leutsouiae ac Rosnauiiae; in Districtu M. Varadinensi: Gymnasium Maius M. Varadini. Loco aliorum insuper duorum: Academia Cassouiensis.

277. *Ordinem etiam Cisterciensium restaurat: Abbatiam de Zircz cum Abbatu Pilis et Pasztó coniungit, eique quaedam Gymnasia idoneis magistris prouidendi, conuictum Albueregiae erigendi, potestatem facit. 1802—1814.*

Nos Franciscus secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus Germaniae etc. etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit uniuersis: Quod nos pro paterna, qua promotioni cultus diuini et rectae iuuentutis educationi ac institutioni benigne prospectum esse volumus, Abbatiam B. M. V. de Pilis et Pászto cum eo pertinentibus uniuersis foundationalibus, bonis, signanter bonis Pászto, Szántó, item Csákány, et quidem in bono Pászto cum appertinentiis suis oppido nimirum Pászto: Heuessiensi, et praedio Nádasd Neogradiensi

comitatibus, nec non iure pignoris possessis portionibus in praedio Tepke, possessionibus item Nagy Bârkány, Csecse et praedio Almás comitatui Neogradien. denique in possessione Hasznos Heuessiensi, Sóós Hartyán vero Neograd., ac praedio Muszla itidem Heuessiensi comitatibus ingremiatis, in bono Szántó vero, ex integris possessionibus Szántó et Apáth maróth comitatui Hontensi adiacentibus consistente, denique in bono Csákány cum appertinentiis suis possessione quippe Csákány et praedio Szent-Péter vulgo Fierth Feld appellato, comitatui Pisoniensi ingremiatis, nec non portione nauti Pisoniensis, ordinis Cisterciarum percharo regno nostro Hungariae in integrum restituendam, adeoque eam in plenum actuque praexistentis fundi instructi possessorium cum omni illo iure, et privilegio, sicut tempore suppressionis praefuerat, consequenter capitales etiam summas eidem ablatas, cum pretio venditarum medio tempore realitatum, librorum item et sacrae suppellectilis vna cum literalibus documentis reponendam benigne decreuerimus sequentibus tamen sub obligationibus: Primo vt abbas ordinis Cisterciarum de Pilis et Pászto per nos clementer denominandus huiusque successores in foundationalibus suis bonis, parochias et locales capellanas idoneis animarum curatoribus absque vlllo fundi sic dicti religionarii aggrauio prouidere teneantur. — Secundo vt ordo iste gymnasium Agriense eo, quo ratio literarii instituti deprecet, idoneorum Professorum numero e prouentibus abbatiae ita prouidere teneatur, vt ex eorum seruitio fidelis etiam populus spirituale capiat emolumentum. Tertio vt abbas eum alat religiosorum numerum, qui tam cultui diuino cum decore perficendo in ipso residentiae loco, quam et animarum curae in propriis bonis et gymnasialis iuuentutis institutioni iuxta praescriptum literarii systematis sufficiat, pro maiori autem domesticae disciplinae conseruatione in loco gymnasii proprias aedes et ecclesiam habeat, vt pro regularis vitae ratione sub religiosa superioritate conformiter instituti sui regulis vivant; et ideo Quarto aedes et ecclesia Agriae olim ad Iesuitas, posterius autem Cistercitas pertinens in statu bono adeoque debitis reparationibus praeuie per concernentem fundum perfectis iisdem cistercitis resignabitur onere conseruationis postmodum aedificiorum horum ipsos Cistercitas manente. Quinto. Professores prout et localem directorem in concredito sibi gymnasio e religiosis sui ordinis abbas pro arbitrio suo mutabit, et constituet, nec alter superiori studiorum directori in gymnasium hoc influxus conceditur, quam moderatae inspectionis, an nempe literaria institutio praescriptae Normae conformis sit? Sexto. Cum autem literaria institutio iuuentutis praecipua religiosorum horum posthac obligatio futura sit, abbas ea ratione religiosos educendos, atque praeparandos habebit, vt sublimi huic scopo satisfacere possint, pro maiori autem religiosi huius ordinis vehiculo clementer indulgemus, vt clerici eorum completo vigesimo primo aetatis anno religiosam emittere valeant professionem. Septimo. Praeter recensita onera Cistercites ad fundum religionis annue nihil praestare tenebuntur, an? et quid fortificationis, praestare debeant, suo tempore pro iusto et aequo decidemus. Octauo. Prout nunc abbatem de Pilis et Pászto denominandum benignis collationalibus literis prouidebimus, ita futurorum quoque abbatum nominationem nobis successoribusque nostris legitimus Hungariae

regibus ea lege reseruamus, vt conuentus tres candidatos praeuia humillima cum supplicatione regiae proponere possit maiestati; eo praeterea subnexo, vt cum nonnulla ad ordinem Cisterciarum pertinentia bona intermedio tempore ex altissima ordinatione nostra in arendam locata et concernentes arendatores sub fide publica in possessorium arendale introducti habeantur, iidem arendatores ante euolutionem stipulatorum annorum, donec contractuales conditiones rite expleuerint, exturbari non possint; praeterea, vt actiuas in bonis huius ordinis praeexistentes, et sub possessorio fundi religionarii accumulatas restantias fundum hunc directe concernentes in quantum preuie liquidanda liquidatione seriem exigibilium ingredientur; ea ratione incassare teneantur, vt eadem cum quindecim per centuali falcidia titulo onerosae incassationis cessura in defigendis trienalibus ratis ad fundum religionarium inferantur, denique etiam pensionistae et fundationales missae, prout ante sublationem, ita nunc quoque huic ordini incumbent. Quapropter benigne praecipimus et mandamus, quorum interest, vel in futurum intererit vniuersis, quatenus praesentem salutarem ordinationem nostram ad amussim obseruare nouerint neque eidem quaqua ratione contrauenire praesumant. In cuius maius robur perpetuamque firmitatem hocce secreto sigillo nostro, quo vt rex Hungariae apostolicus utimur impendenti communitum extradandum esse duximus et concedendum benignum diploma nostrum restitutionale. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti spectabilis, ac magnifici comitis Caroli Pálffy ab Erdöd, perpetui in Vöröskeő Aurei velleris, et vna insignis ordinis S. Stephani regis apostolici magnae crucis equitis, comitis Poseniensis et comitatus nominis eiusdem supremi ac perpetui comitis, arcisque nostrae regiae Poseniensis haereditarii aequè ac supremi capitanei, camerarii consiliariique nostri actualis status intimi, curiae nostrae regiae per Hungariam magistri, nec non per idem regnum nostrum Hungariae aulae nostrae, prout et dicti ordinis S. Stephani cancellarii, in libera regia ciuitate nostra Poseniensi die vigesima quinta mensis iunii, anno Domini millesimo octingentesimo secundo regnorum nostrorum romani decimo, Hungariae, Bohemiae ac reliquorum anno vndecimo. Franciscus mp. Comes Carolus Pálffy mp. Alexius Névery mp.

278. *Idem Franciscus penes Vniuersitalem regiam Pestanam centrale Cleri iunioris Seminarium, certis sub legibus, restituit. 1804.*

1) Alumni, iuxta primaenam institutionem, ex omnibus regni prouinciis adsumuntur, vt ex clero ingenia in religionis fundamentis, et scientiis magis excolantur, tum vero maior inter fideles procuretur charitatis vnio, clericos mittent ad hoc generale seminarium etiam Graeci ritus catholici episcopi Munkácsiensis et Magno Varadiensis; episcopus Chrysiensis, propter exiguum suorum numerum, alumnos, vt hactenus factum Zagrabiae educandos curabit. 2) Clerici, nisi eos morum, studiorum, aut valetudinis ratio grauissima citius reuocari suaderet, praescriptum theologicum cursum terminare debent; vt seu ad cathedras theologicas, seu ad munia dioecesana, cum tempore etiam publica, magis idonei patriae reddantur. Integrum erit, cum consensu

dioecesani, binos, finito cursu theologico, annos in seminario, scilicet sub eadem disciplina domestica, transigere alumnis, qui seu doctoratum theologicum accipere, seu in aliquibus scientiis politicis, praesertim vero iuridicis, sese perficere voluerint. 3) Generale seminario subordinatur primati regni, archiepiscopo Strigoniensi; hac vacante sede, inspectionem habebit senior archiepiscopus. Hic pro rectoratu seminarii tres ex actualibus diuersorum capitulorum canonicis candidatos (nulla dioecesium, sed sola dexteritatis ratione habita) item supplicantes pro theologiae professoribus, via Excelsi C. R. L. suae Maiestati Sacratissimae proponet; rector denominabit caeteros seminarii subalternos superiores, vtpote vicerectorem, praeter victum et hospitium cum 400, studiorum praefectum cum 200, et spiritualem cum 200, habita dioecesium alternatim reflexione. 4) Fundus generali seminario benigne confertur praepositura Vetero-Budensis, cum 35,000 flor. ex relicta substantia Strigoniensis quondam archiepiscopi Emerici Losi; item 8500 flor. per episcopum Vacien. Nagyfaluai, denique 15,000 flor. per episcopum Nitriensem, Joannem Telegdy, relicta, cum iure clericos certo numero ad idem mittendi. 5) Penes capitulum Strigoniense relinquitur memoratum capitale 35,000 flor. erga interusurium, generali seminario administrandum cum iure decem alumnos ad vniuersitatem mittendi; capitulum Vacienne capitale 8500 flor., capitulum Nitriense capitale 15,000, in fundum generalis seminarii inferent; illud quidem cum iure duos, hoc vero sex alumnos mittendi. Dioecesis Vesprimiensis quatuor alumnos gratis educandos mittet eo motiuo, quod bona praepositurae V. Budensis, ante benignam collationem Ferdinandeam generali seminario factam, ex benignitate regia per tres episcopos, Georgium Jakusics, Stephanum Bosnyák, et Georgium Szelepcséni, iam pro educatione alumnorum Vesprimiensium administrata olim fuerint. 6) Summa capitalium generalis seminarii efficit 58500 flor. interusurium ab his per 5 pro 100 efficit 2925 florenos, praepositura Budensis infert annue 14724 flor. 24 xros, proinde summa totius annui prouentus generalis seminarii efficit 17709 flor. 24 xros. 7) Educabuntur a proportionem reddituum in generali seminario quotannis 58. alumni; ad quod scilicet Dioecesis Strigon. 10. Nitriensis 6. Vesprimiensis 4. Vaciensis 2. reliquae autem 18. dioeceses singulae binos, in summa 36. clericos selectos mittent. Horum intertentio, 225 florenos pro singulis computando, efficit 13,050 florenos. Caeterae autem expensae pro salariis et victu officialium, item pro conuentionibus seruitorum efficiunt 4575 flor., summa summarum 17025 flor. Sed quia rector seminarii simul director facultatis theologiae futurus, hoc vltimo titulo 500 flor. ex fundo regio vniuersitatis trahet, hi quingenti a summa 17625. flor. subtrahendi, in lucrum seminarii cedent. 8) Integrum erit episcopis pro maiori dioecesium suarum emolumento, plures pro libitu clericos ad g. seminario mittere, ea tamen conditione, vt praeuie cum rectore seminarii solutionem, pro illis administrandam, concludere velint. 9) Rationes super perceptis et erogatis rector seminarii quotannis transmittet capitulo Strigoniensi, quod perennem fundi huius administrationem habebit; capitulum substernet pro suprema reuisione Excelso R. L. consilio. Hunc in finem rector ducendum a vicerectore de monstris aut trimestribus oecono-

micis expensis, protocollum accurate exiget. 10) Rector, vti superius dictum, ex actualibus canonicis legendus, praeter salarium (500 florenorum) ex fundo vniuersitatis trahendum, victum et hospitium in seminario habebit, in bonificationem amitendarum propter absentiam obuentionum canonicalium. 11) Professores Theologiae, alioquin vt membra facultatis theologiae, pro emolumento suarum dioecesium et generalis seminarii, sua maiestate clementissime aduente, ex fundo R. vniuersitatis assignanda habebunt salaria. 12) Pro hospitio generali seminarii destinatur Pestiensium quondam Paulinorum claustrum, quad iam gloriosae memoriae Imp. Josephus iisdem vsibus sacratum voluit; nunc vero, curia regia ad pristinum suum aedificium redeunte, alioquin vacuum manebit. Fine adaptandi pro seminario aedificii, item procurandae suppellectilis et bibliothecae, iam praeuie ante introductionem alumnorum, prouentus praepositurae V. Budensis a prima Maii anni currentis 1804. sequestratos, capitulum Strigoniense percipit.“ — Ex Ephem. Poson. p. 209. 218. 229.

279. *Idem omnes occultas societates reprobat, ac dandis reuersalibus cauendas praecipit.* 1801.

Franciscus — ad excelsum Cons. R. L. H. — Paterna suae Maiestatis Sacratissimae sollicitudine, eo vergente, vt pace externa, diuina Numinis prouidentia iam reulecta, fidelibus subditis suis internam quoque quietem et securitatem pro possibili procuret; si quidem experientia docuerit, praeter reliqua dissociandae mutuae inter summum terrae principem et subditum absolute necessariae fiduciae adminicula societates et confraternitates secretas, qua capitales fontes, vnde perniciosissima principia propagata, vera religio subfossa, moralitas si non prorsus vitiata, certe multum immutata, studium partialitatis quibusuis artificii, quam maxime exstimulatum, consequenterque domestica etiam quies et felicitas perturbata fuit, cuiuslibet statui publico tam parum conuenientes, quam contra periculosas esse, tanto quidem magis, quod aliquae bono ne fors etiam fine erectae saepe degenerent, dignabatur sua Maiestas Sacratissima in nexu dudum iam eatenus editorum benignorum mandatorum suorum, quod tales societates et confraternitates, quocumque illae sub nomine venirent, in ditionibus Caesareo Regiis tolerandae non sint; eo praepremis respectu ne interna quies et tranquillitas per individua, quibusuis in regiis muniis, aut ad curam animarum constituta, turbetur; quin potius ista a secretis talismodi obligationibus libera sint, quae secus etiam recte sentientein seruum in stricta muneris sui adimptione aut impediunt, aut ancipitem reddunt, clementissime praecipere, vt praeter omnes officiales regios, cuiuscunque illi sint categoriae aut gradus, ab vniuerso etiam clero cum plena praetitorum obliuione, sub conscientiae puritate eliciendae, ac iuxta hic adiacens formulare scripto exhibendae reuersales exigantur; in futurum vero, occasione nouorum clericorum ad sacerdotalia munera applicationis reuersales praepositae ab illisdem expetantur. Vt igitur benignis his suae Maiestatis Sacratissimae ordinibus quo exactius satisfiat, Excellentiam Vestram requirendam esse duxi, vt supra memoratas reuersa-

les ab vniuerso sibi subordinato archidioecesis suae clero, huc etiam intellectis, quorumuis religiosorum ordinum commembris, iuxta formulam supra adnexam conficiendas, excipi procuret; his autem habitis mihi solum reuersales, propriam suam personam respicientes, in origine, reliquas iuxta hic adiacens exemplum, tabellariter, originalibus caeteris omnibus apud se retentis, submittat. Quo demum talem ego, qualis mandata est, Suae Maiestati Sacratissimae praesenti in merito dare possim humillimam informationem. Qui in reliquo distincta cum propensione Excellentiae Vestrae addictissimus persisto. Josephus Palatinus mpr. Viennae XIV. Jun. an. 1801.

280. *Eiusdem constitutiones diuersae de matrimoniis mixtis. 1804—1818.*

Causae ex capite promissi matrimonii per personam catholicam contra Incattum euangelicae confessionis, suscitatae, ad fora spiritualia pertinebunt. Int. ddo 26. Aug. A. 1806. nro 16, 259.

Prolium e mixto matrimonio progenerarum et sacra catholica sequi obligatarum, religionariae institutioni curati, cum primis autem V. A. Diaconi solerter intendant, et si in hac procuranda sibi quaequam impedimenta ponerentur, talia episcopo, aut sede vacante, vicario capitulari referant, per hunc Excelso Consilio R. substernenda ddo 18ae Maii 1810.

Relate ad proles mixti matrimonii, quae catholice educari debent, Baptismi administratio, matrimonialis benedictio, et sepultura, parrocho catholico competit. —

Mixtae Religionis parentes, legali prolium suarum catholicae institutioni etiam per admonitionem magistratualem resistentes, actione fiscali conueniantur. Int. ddo 28. Febr. Anno 1818.

281. *Idem Rex per amplum Episcopatum Agriensem in tres, Archiepiscopatum Agriensem, Cassouiensem, et Szathmáriensem diuidit. 1804.*

„Episcopatu Agriensi in tres diuiso, ipsi quoque episcopi clementer denominati, atque penes Exc. Cancellariam R. H. Aulicam die 23. Martii publicati habentur, vt-pote archiepiscopus Agriensis, Franciscus, Lad. Fuchs, hactenus Nitriensis episcopus, vna etiam supremus comes comitatus Heuesiensis, renunciatus; episcopus Cassouiensis Andreas Szabó, generalis vicarius Strigoniensis, ac denique episcopus Szathmárnémetiensis, Stephanus L. B. Fischer, custos et capitularis vicarius Agriensis. Ceterum capitulum Agriense, pro meliori dotatione nouorum capitulorum, Cassouiensis et Szathmarensis suae Maiestati Sacratissimae obtulit e suis prouentibus annuos 2000 florenos. — Nouo archiepiscopatu Agriensi possessiones Németh Bakta, Szaruaskó, Felső Tarkanus, Demand, Nagy Talya, Maklár, Kerecsend, Kápolna, Füzes Abony Gyöngyös, Püspöki, Solymos, praedia item Csegléd, Szöllöske, Puzmánd, Dobi, Bütelek, ac denique Szikszó sunt attributa; episcopatu autem Szathmáriensi possessiones: Tisza Náma, Komló, Kis Köre, Sarád, Tisza Halasz et Zucs; item praedium

Hidvég et Magyarad sunt adiecta. Ad episcopatum denique Cassouiensem, possessiones Harsány, Kürth, Keresztes, Püspöki, Spirák, Haitze, Sz. Maria vna cum praedio Csapóköz pertinebunt. Neo erectum autem capitulum Szathmáriense, possessiones Tisza Eörs et Örvény, Cassouiense item possessiones Tisza Püspöky, Bessenszeg, cum praedio Tiszaszeg, ex hac diuisione accepit. — Ex Ephem. lat. Poson. ad h. annum.

282. *Bulla Pii VII. Papae, antiquae dioeceseos Agriensis dimembrationem ac nouae Cassouiensis erectionem concernens. 1804.*

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In vniuersa Gregis Dominici cura, ab ipso animarum Pastore Christo Domino licet immerite constituti, illud ex debito apostolicae seruitutis animaduertere satagimus, ne vbi multiplex ouium numerus in diuersis, ac inter se dissitis pabulantium ditionibus adest, vnus tantum pastor inuigilet, qui licet eis in pascendis maxima praestet experientia, vox tamen illius ob agrorum distantiam haud facile potest audiri, ob id quandoque gregem ipsum diuidendo studemus, vt illius vna et altera pars in eo, in quo pabulantur agro proprium habeat pastorem, cui fontium et herbarum qualitas, ac ferarum lustra innotescant, et quum id ipsum nonnullos quoque christianorum reges circa praesules ecclesiarum, quarum regimen nimis esse dignoscitur extensum, nobiscum vna sentire, et iam propterea prouidisse nouerimus, maxima quidem cordis nostri laetitia, quae in dictis regibus prouide ad hunc effectum disposita sunt, apostolicae sedis patrocinio benigne fouere, et exequi curamus. Cum itaque sicut dilectus filius comes de Khevenhüller charissimi in Christo filii nostri Francisci secundi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici apud nos, et sedem apostolicam administer plenipotentarius nomine eiusdem Francisci imperatoris et regis exposuit, quod in regni Hungariae comitatibus, atque districtibus longe lateque diffusa, et nimia populorum copia redundans Agriensis dioecesis reperiatur, quae sub vnus episcopi pastoralis regimine haud gubernari posse dignoscitur, ideoque praefatus Franciscus imperator et rex pro facilius exequenda spirituali administratione cum magno fidelium vtriusque ritus catholicorum commodo maxime in votis habens, nouam per binos desideratissimos gloriacae memoriae reges in praefato Hungariae regno praecessores suos iam ceptam et expeditam parochialium ecclesiarum coordinationem, ecclesia episcopali Agriensi ad praesens vacante, occasione illius vacationis huiusmodi ad felicem exitum perducere operae pretium esse duxerit, vt libera ac regia ciuitas Cassouiensis in comitatu Abaújváriensi sub dominio eiusdem Francisci imperatoris, et regis existens a praefata ecclesia, atque dioecesi Agriensi perpetuo dismembretur, ac diuidatur, ibique parochialis ecclesia S. Elisabethae filiae Andreae eo nomine secundi; dum viueret Hungariae huiusmodi regis, existens, in nouam cathedralem ecclesiam cum sua dioecesi erigatur; et ad huiusmodi effectum praefatus comes Khevenhüller nomine supradicto nobis enixe supplicauerit, vt hanc piam et laudabilem praefati Francisci imperatoris et regis dispositionem apostolicae sedis gratia, et fauore

prosequi dignemur. Cumque ex processu, a dilecto etiam filio nostro, et dictae sedis apostolicae nuncio in ciuitate Viennensi in Austria commorante, in vim facultatis, ei per decretum diei decimae mensis Martii proxime praeteriti a nobis approbatum concessae, desuper auditis omnibus interesse habentibus confecto, et ab eodem nuncio ad urbem transmissis, de necessitate simul, et vtilitate erectionis huiusmodi aequae, ac caeteroquin de praefatae Agriensis, et metropolitanae Strigoniensis respectiuae ecclesiarum, quae ad praesens respectiue vacant, modernorum respectiue capitulorum, et canonicorum approbatione et consensu constiterit, simulque acceperimus, quod stante huiusmodi necessitate si praefata ciuitas Cassouiensis vna cum praefato, aliisque infra-scriptis comitatibus, atque districtibus, parochialibus ecclesiis, capellaniis, atque cooperaturis ab ecclesia, et dioecesi Agriensi praefatis perpetuo vt infra dismembraretur, diuideretur, et separaretur, et in praefata ciuitate Cassouiensi praeuia illius in ciuitatem episcopalem decoratione vna sedes episcopalis institueretur, ac primo dicta parochialis ecclesia, quae satis ampla, et elegantis existit structurae praeuia pariter infrascripta illius tituli collatiui suppressione, et extinctione in episcopalem, et cathedralem ecclesiam etiam perpetuo vt infra erigeretur, aliaque infrascripta per nos, et sedem apostolicam praefatam etiam vt infra fierent, et ordinarentur, ex hoc quidem optimo animarum regimini, et spiritualis gubernii exercitio peropportune consulere-tur. Nos igitur qui iam hodie noua limitum circumscriptione Agriensi dioecesi praefatae iuxta ipsius Francisci imperatoris et regis insinuationem, et successiuam praefati nuncii relationem nobis desuper respectiue facta, salubriter in Domino ordinata, eandem ecclesiam Agriensem, vt praefertur vacantem, ab archiepiscopi Strigoniensis metropolitana iurisdictione, et superioritate, apostolica, auctoritate perpetuo exemimus, et liberauimus, ipsamque ecclesiam Agriensem in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo ereximus, et institui-mus, prout in aliis literis apostolicis desuper expeditis plenius continetur, omnibus mature perpensis eiusdem Francisci imperatoris et regis suorum praedecessorum pietatis, et religionis exempla mirabiliter sectantis votis, et precibus etiam hac in parte fauorabiliter annuere, et vna simul illorum populorum animarum salutis indemnitati prospicere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam parochialem ecclesiam, illiusque titulum collatiuum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collatiuae ita, quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collatiua esse desinat, et de caetero vti talis in titulum collatiuum quauis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illa quouis modo disponi amplius nequeat, etsi illam deinceps vlllo vnquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illa quouis modo disponi contigerit, collationes, prouisiones, impetrationes, aliaque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae nullae, et inualidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam ius, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, ac praedictam ciuitatem Cassouiensem in ciuitatem episcopalem Cassouiensem nuncupandam cum omnibus iuribus,

honoribus, praerogatiuis, et priuilegijs non tamen titulo oneroso aquisitis, quibus aliae ciuitates episcopali sede insignitae praesertim in dicto regno Hungariae existentes, et earum ciues fruuntur, et gaudent, ac similiter praedictam parochialem ecclesiam, vt praefertur suppressam, et exstinctam in cathedralem ecclesiam Cassouiensem nuncupandam futuro, ac pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi suffraganeam, eique metropolitano iure subiectam sub eadem sanctae Elisabethae inuocatione, quae etiam parochialis, vt antea esse debeat, et in ea sedem, et dignitatem episcopalem pro vno deinceps episcopo Cassouiensi nuncupando, qui eidem ecclesiae Cassouiensi, illiusque ciuitati, et dioecesi, vt infra assignandae praesit, synodum conuocet, ac omnia, et singula iura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus, et pontificalibus insignijs, iuribus, iurisdictionibus, praecementiis, praerogatiuis, priuilegijs, honoribus, fauoribus, gratijs, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae in eisdem Hungariae, et Bohemiae regnis existentes cathedrales ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso, aut ex indultu, vel priuilegio particulari vtuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent. In dicta vero cathedrali ecclesia vt infra erigenda vnam praeposituram, quae post pontificalem maior cum uno canonicatu, et vna praebenda cum vno canonico praeposito, qui capituli caput existat, iisque gaudeat praecementiis, quae sibi de iure competere debent; ac vnum lectoratum, qui secunda cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda cum vno canonico lectore; ac vnum cantorem, qui tertia cum alio itidem canonicatu, et alia praebenda pro vno canonico cantore, ac vnam custodiam, qui quarta respectiue dignitates in dicta cathedrali ecclesia Cassouiensi vt infra erigenda existant, cum alio similiter canonicatu, et alia praebenda eisdem dignitatibus respectiue inuicem perpetuo vnitis existentibus, pro vno canonico custode respectiue nuncupandam; ac reliquos duos canonicatus, totidemque praebendas pro duobus alijs futuris mere canonicis. Nec non duas perpetuas capellanas capitulares nuncupandas, pro duobus pariter futuris in ea capellanis capitularibus similiter nuncupandis, qui eidem ecclesiae Cassouiensi vt infra erigendae vna cum clericis inseruire teneantur; qui quidem dignitates, et canonici, et capellani capitulum dictae cathedralis ecclesiae Cassouiensis vt infra erigendae constituent, cum suis pariter choro, mensa, capitulari arca, bursa, et sigillo communibus, quique in eadem cathedrali ecclesia Cassouiensi vt infra erigenda chori seruitium, et diuina officia, aliasque ecclesiasticas functiones laudabiliter persoluere teneantur, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus, et instituimus; cum hoc tamen, quod futurus episcopus Cassouiensis in dicta cathedrali ecclesia per nos vt praefertur erecta theologalem, et penitentiariam praebendas per praescriptum concilii Tridentini erigere debeat, et interim inter futuros in dicta cathedrali ecclesia Cassouiensi per nos vt praefertur erecta primum instituendos canonicos, eos pro nunc, quos aetate, scientia, et pietate ad theologi, et poenitentiarum respectiue munera obeunda idoneos iudicauerit, destinari curet, quodque in eadem cathedrali ecclesia Cassouiensi per nos vt praefertur erecta, quae etiam parochialis vt antea esse debebit, vt praefertur illius animarum dilectorum etiam filiorum parochia-

norum cura per vnum parochum cum suis cooperatibus, qui eidem parochi in exercitio curae animarum huiusmodi auxilium praestare debet, exerceatur, et insuper vtvt praefatae cathedrali ecclesiae Cassouiensi per nos vt praefertur erectae clerus et populus constitui valeat a praefata Agriensi ecclesia, in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam pariter vt praefertur erecta, praefatam ciuitatem Cassouiensem episcopalis ciuitatis titulo vt praefertur decoratam, et supra dictum comitatum Abauváriensem, et districtum Cassouiensem, et in eo supradictam Cassouiensem, vt praefertur suppressam, et extinctam, ac aliam Béla, ac aliam Enyitzke, ac aliam Kenyhétz, ac aliam Mindszent, ac aliam Oltsvár, ac aliam Regete-Ruszka, ac aliam Széplak, et reliquam Tökés respectiue Possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam Bárca, ac aliam Kassa-ujfalu, ac aliam Lengyelfalua, et reliquam Mislóka respectiue nuncupatas locales capellanas, ac septem cooperaturas Cassouiae respectiue contentas; ac itidem districtum Szepiensensem, et in eo vnam Szepsi, et aliam Alsó-Mettzenzöf, respectiue oppidorum, ac aliam Arany-Idka, ac aliam Buzitha, ac aliam Hilyó, ac aliam Jászó-ujfalu, ac aliam Nagyida, ac aliam Perény, ac aliam Satza, et reliquam Somodi respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam Cséts, et aliam Jánok, et aliam Opáka, et aliam Pány, et aliam Petri, et reliquam Pólyi respectiue locales capellanas nuncupatas, ac duas Szepsi, et alias duas Alsó-Mettzenzöf, et reliquam Hilyó respectiue cooperaturas nuncupatas, respectiue quoque contentas; et similiter districtum Forróiensensem, et in eo pariter vnam oppidi Forró, ac aliam Alsó-Novaj, ac aliam Ents, ac aliam Felső-Gagy, ac aliam Felső-Vadász, ac aliam Hernád-Kérts, ac aliam Léh, ac aliam Szikszó, et reliquam Vajda respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam Detek, ac aliam Fáj, ac aliam Inánts, et reliquam Nyesta respectiue locales capellanas nuncupatas, ac vnam cooperaturam possessionis, siue terre Forró respectiue etiam existentes; ac vltterius districtum Göncziensem, et in eo pariter vnam, et aliam Alsó-Mislye, et aliam Bodókövárallya, et aliam Füzér, et aliam Nádasd, ac aliam Szántó, et reliquam Héjeze respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac itidem vnam Göncz-Ruszka, ac aliam Visoly, et reliquam Radvány respectiue locales capellanas nuncupatas, et similiter vnam Héjeze, et alteram Göncz respectiue cooperaturas nuncupatas, et respectiue etiam existentes; — ac vltterius comitatum Sárosiensensem, districtum Eperjesiensensem, et in eo pariter vnam ciuitatis Eperjes, ac aliam oppidi Nagy-Sáros, ac aliam Bajor, ac aliam Kapi, ac aliam Radáts, ac aliam Sebes, ac aliam Szent-György, ac aliam Szedlitz, ac aliam Ternye, ac reliquam Töltszék respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac itidem vnam Finta, et alteram Kende respectiue locales capellanas nuncupatas, nec non etiam duas Eperjes, ac alias duas Nagy-Sáros respectiue nuncupatas cooperaturas, respectiue quoque existentes; et insuper districtum Sóváriensem, et in eo pariter vnam oppidi Sóvár, ac aliam Boroszló, ac aliam Böki, ac aliam Ketzer-Peklin, ac aliam Nagy-Ladna, ac aliam Somos, ac aliam Szent-Istvány, ac aliam Szent-Péter, et reliquam Téhány respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam itidem

Harságh, ac aliam Kavetsán, ac aliam Lapispatak, et reliquam Vörös-Vágás locales capellanas respectiue nuncupatas, ac etiam vnam Soovár, ac alteram Keczer-Peklin respectiue cooperaturas nuncupatas, respectiue quoque existentes, ac itidem districtum Cibiniensem, et in eo pariter vnam ciuitatis Cibinii, ac aliam Alsó-Szalók, ac aliam Berzevicze, ac aliam Darócz, ac aliam Dobó, ac aliam Héthárs, ac aliam Krivány, ac aliam Gubotin, ac aliam Palotsa, ac aliam Péchujfalu, ac aliam Plavnitz, ac aliam Roskovány, ac aliam Járkő, et reliquam Tárca- respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam Hamburg, et alteram Schenviz locales capellanas respectiue nuncupatas, ac vnam pariter Cibinii, et alteram Péchujfalu respectiue cooperaturas nuncupatas, respectiue quoque consistentes; nec non etiam districtum Sirokaiensem, et in eo signanter unam Siroka, et aliam Frits, et aliam Hermány, et aliam Jernye, et aliam Lipótz, et aliam Nyársardó, et aliam Szent-Kereszt, et aliam Szent-Mihály, et aliam Szinye, et reliquam Bertóth, respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, et vnam quoque zsebfalu, et alteram Szinyeujfalu locales capellanas respectiue nuncupatas, et vnam cooperaturam Siroka nuncupatam respectiue etiam consistentes, ac districtum Bártphensem, et in eo vnam similiter ciuitatis Bártpha, ac aliam Gáboltó, ac aliam Lénártó, ac aliam Lófalua, ac aliam Raszlavitz, ac aliam Richvald, et reliquam Oszikó respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam pariter Felső-Volya, ac aliam Hertnek, et reliquam Sárpataka locales capellanas respectiue nuncupatas, ac vnam etiam cooperaturam Bártpha nuncupatam, respectiue quoque consistentes; — ac itidem districtum Zboroviensem, et in eo similiter vnam Zboró, et aliam Hanusfalua respectiue oppidorum, et aliam Duplin, et aliam Hajzslin, et aliam Kaproncza, et aliam Karácsony-Mező, et aliam Kurima, et reliquam Radoma, respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, et vnam pariter Hankócz, et aliam Hrabócz, et aliam Mesztiszka, et aliam Nyirjes, et reliquam Pósfalua possessionum seu terrarum locales capellanas, et vnam cooperaturam Zboro nuncupatam, respectiue etiam consistentes; — et insuper comitatum Zempliniensem, et districtum Ujhelyiensem, et in eo similiter vnam oppidi Ujhely, et aliam Barants, et aliam Czáke, et aliam Lasztócz, et aliam Imreg, et reliquam Nagy-Kázmér respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, et vnam localem capellaniam Trauczonfalua, et duas cooperaturas Ujhely respectiue nuncupatas, respectiue quoque consistentes; ac itidem districtum submontanum, et in eo pariter vnam Liszka, et alteram Keresztur, ac aliam Mád, ac aliam Tállya, ac aliam Tarczall, ac aliam Tokaj, ac aliam Erdő-Bénye, ac aliam Erdő-Horváth, ac aliam Girints, ac aliam Hernád-Némethi, ac aliam Monok, ac aliam Szerents, et reliquam Tóltsva respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, et vnam pariter Liszka, et aliam Mád, ac aliam Tállya, ac aliam Tarczall, ac aliam Toltsva, et reliquam Tokaj cooperaturas respectiue nuncupatas, etiam respectiue consistentes, ac itidem districtum Homonnensem, et in eo pariter vnam oppidi Homanna, et aliam Czirókahoszumező, et aliam Göröginye, et aliam Leszkocz, et aliam Gubisse, et aliam Nagy-Mihály, et aliam Örmező, et aliam Alpina, ac aliam

Szinna, ac aliam Sztára, et reliquam Udva respective possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam quoque Felső-Körtvélyes, et aliam Petétse, et aliam Izbugyahosszmező, et reliquam Nátafalva respective locales capellanas nuncupatas, ac itidem duas Homonnae, et reliquas cooperaturas Lyubisse respectiue nuncupatas, etiam respectiue consistentes, nec non districtum Insulanum, et in eo pariter vnam oppidi Sáros-Patak, et aliam Bottyán, et aliam Királyhelmetz, ac aliam Czéke, ac aliam Nagy-Kövesd, ac aliam Nagy-Tárkány, ac aliam Rad, ac aliam Zétény, ac reliquam Lelesz respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac duas cooperaturas Sáros-Patak respectiue nuncupatas, etiam respectiue consistentes; ac districtum Gálszétsiemsem, et in eo pariter vnam Gálszét, et aliam Butka, respectiue oppidorum, ac aliam Nagy-Azar, et aliam Parnó, et aliam Pelejte, et aliam Szilvás-Ujfalu, et aliam Töke-Terebes, et reliquam Vásárhely, respectiue possessionum seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vnam etiam Hegyi, ac aliam Mátza, ac aliam Nagy-Csebb, et reliquam etiam Vehétz locales capellanas respectiue nuncupatas, ac vnam cooperaturam Terebes nuncupatam, respectiue quoque consistentem; ac demum districtum Sztropkoviensem, et in eo pariter vnam Sztropko, et aliam Varannó, respectiue oppidorum, ac etiam Dobra, ac aliam Jankócz, ac aliam Körtvélyes, ac aliam Matyasócz, ac aliam Nagy-Domasa, et aliam Mogyoróska, et reliquam Sókut respectiue possessionum, seu terrarum respectiue parochiales ecclesias, ac vna etiam Hrubó, et aliam Turány, et aliam Zsalobina, et reliquas locales capellanas respectiue nuncupatas, ac itidem vnam Varannó, et alteram Sztropkó cooperaturas respectiue nuncupatas, etiam respectiue consistentes, apostolica autoritate praefata etiam perpetuo dismembramus, diuidimus, et separamus, nec non in eisdem comitatibus, districtibus, ac parochialibus ecclesiis, sicut praefertur dismembratis, diuisis, et separatis, respectiue etiam consistentes, et consistentia ecclesias, monasteria-praeposituras, conuentus, ac alia quaecunque, et qualiacumque saecularia, et quorumuis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, omnesque pariter, et singulos, vtriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laycos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos, non tamen exemptos, cuiuscunque status, gradus, ordinis et conditionis existant, ab ordinaria futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Agriensis respectiue iurisdictione, potestate, et superioritate illius consensu attento, quod praefata ecclesia Agriensis in metropolitanam vt praefertur erecta ad praesens vt praefertur vacat, apostolica autoritate praedicta applicando, eadem apostolica autoritate, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus itidem perpetuo eximimus, et liberamus, nec non eandem ciuitatem Cassouiensem, omnesque et singulos superius expressos comitatus, districtus, parochiales ecclesias, oppida, possessiones, locales capellanas, et cooperaturas huiusmodi, sicut praefertur dismembratos, diuisos, et separatos, nec non ecclesias, monasteria, Praeposituras, conuentus, ac saecularia et regularia beneficia huiusmodi, omnesque et singulas personas, habitatores et incolas etiam vt praefertur respectiue exemptos nouae ecclesiae cathedrali Cassouiensi per nos vt praefertur erectae, eiusque futuro praesuli, pro suis ciuitate, territorio, et dioecesi, in qua ipse

semper residere debet, ac clero, et populo eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et assignamus, ac ordinarie futuri, et pro tempore existentis episcopi Cassouiensis iurisdictioni, potestati, et superioritati itidem perpetuo supponimus, et subiicimus; mensae autem episcopali Cassouiensi sicut praefertur erectae pro eius dote, et ad hoc, vt futurus, et pro tempore existens episcopus Cassouiensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, omnes et singulos redditus in bonis stabilibus consistentes, et ex decimis regiis prouenientes annuatim vsque ad summam viginti millium circiter florenorum monetae illarum partium, eidem cathedrali ecclesiae Cassouiensi per nos vt praefertur erectae a praefato Francisco imperatore et rege perpetuis temporibus iam assignatos, dicta apostolica auctoritate perpetuo pariter tribuimus, atque assignamus, ipsique futuro, ac pro tempore existenti episcopo Cassouiensi pro sui decenti habitatione domum congruam, ac sufficienter instructam munificentia praefati Francisci imperatoris et regis in praefata ciuitate Cassouiensi haud longe ab ipsa cathedrali ecclesia Cassouiensi per nos vt praefertur erecta distantem comparatam apostolica auctoritate praefata perpetuo quoque addicimus, atque concedimus. Ac praeterea vt dignitates, ac canonicatus, et praebendae et capellaniae per nos vt praefertur erecti, et erectae de congrua pariter dotatione prouideantur, illosque et illas pro tempore respectiue obtinentes onera eis respectiue incumbentia supportare valeant, vnicique videlicet ex dictis sex canonicatibus, et praebendis, vt praefertur erectis summam mille florenorum dictae monetae, vnicique vero ex dictis quatuor dignitatibus, etiam vt praefertur erectis, vltra dictam summam, praepositurae videlicet aliam quingentorum, ac lectoratui aliam trecentorum, et cantoratui aliam ducentorum, et custodiae denique praefatis aliam respectiue summas iam in partibus constitutas centum florenorum monetae huiusmodi, cuilibet vero ex dictis duobus capellanis pariter vt praefertur erectis annuam summam trecentorum florenorum eiusdem monetae etiam in partibus constitutam dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, constituimus, et assignamus, et insuper eisdem futuris, et pro tempore existentibus praeposito, lectori, cantori, custodi, canonicis, et capellanis dictae cathedralis ecclesiae Cassouiensis per nos vt praefertur erectae, vt ipsi eorum officiales, et ministri, res, bona, et proprietates omnibus et singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentis, praerogatiuis, antelationibus, concessionibus, indultis, fauoribus, et gratis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae in praefato regno hungariae existentes cathedrales ecclesiae, earumque capitula, canonici, ac dignitates, et beneficia in eis obtinentes, et ministri, et illorum bona, res, et proprietates de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, non tamen ex indulto, vel priuilegio particulari fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac vti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum; similiter, et pariformiter et absque vlla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in vsu, et non reuocata, nec sub aliqua reuocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinibus apostolicis non repugnent, vti, frui, potiri, et gaudere possint, et

valeant eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et impertimur, ac futuris dignitatibus et canonicis praefatis, vt ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae Cassouiensis vt praefertur erectae, illiusque dignitatum, et singulorum canonicorum, et capellanorum mensae, capitularis sacrarii; illorumque omnium rerum, et honorum tam spiritualium quam temporalium prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis respectiue incumbentium supportatione, diuinorum officiorum, processionum funeralium, anniuersariorum, aliorumque suffragiorum, celebrationum, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcunque exactione, perceptione, diuisione, poenarum per absentes, et diuinis officiis non interessentes, seu onera et munia eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursum, singulorum praesentis, et absentis notandis, caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Cassouiensi vt praefertur erecta, illiusque choro, capitulo, et processionibus, et aliis dotibus praefatis seruandis officialibus et ministris dictae cathedralis ecclesiae Cassouiensis per nos vt praefertur erectae, necessariis deputandis et amouendis seruitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis, et stipendiis assignandis, et quibusuis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecunque statuta, ordinationes, capitula et decreta licita, tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini praefati decretis, ac praefatis constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum episcopum Cassouiensem prius examinanda, et approbanda edere, et edita praeuia approbatione praefati futuri episcopi Cassouiensis declarari, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de nouo ex integro, ac vt praefertur eisdem sacris canonibus, et concilii Tridentini huiusmodi decretis, et constitutionibus apostolicis praefatis minime aduersantia, ac vt praefertur examinanda, et approbanda, et ab eis, quos pro tempore spectabit, sub poenis in controuentientes statuendis obseruanda, et adimplenda condere, et postquam condita fuerint toties quoties pro rerum et temporum conditione, et qualitate, vel alias expediens videbitur, illa in toto, vel parte corrigere, alterare, immutare, vel in melius reformare, aliaque etiam ex integro de nouo de simili eiusdem futuri episcopi Cassouiensis approbatione condere libere, ac licite possint, et valeant, dummodo tamen correctio, alteratio, immutatio, reformatio, et de nouo condenda statuta huiusmodi eisdem sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis praefatis, et concilii Tridentini huiusmodi decretis contraria vt praefertur non sint, eadem apostolica auctoritate licentiam et facultatem concedimus, et impertimur, ipsi autem Francisco imperatori, et Regi, eiusque successoribus ius nominandi, seu praesentandi infra tempus a iure praefixum nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad praefatam cathedralem ecclesiam Cassouiensem per nos vt praefertur erectam, et a primaeua illius erectione huiusmodi vacantem in episcopum per nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praefatum praeficiendam, tam hac prima vice, quam in futuris illius vacationibus, quomodolibet, non tamen apud sedem apostolicam contingentibus, eoque prorsus modo, quo alii episcopi ecclesiarum in regno Hungariae praefato existentium

ad nominationem eandem praefici consueuerunt, nec non aliud ius quoque nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates, et canonicatus, et praebendas, et capellanias, per nos vt praefertur erectos, et erectas huiusmodi, tam pariter hac prima vice a primaeva illorum, et illarum erectione, et institutione huiusmodi vacantes, quam etiam deinceps quouis modo vacaturos, et vacaturas personas itidem idoneas, apostolica auctoritate praefata similiter perpetuo reseruamus, concedimus, et assignamus, decernentes praesentes nostras literas apostolicas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et sic ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter, et inuiolabiliter obseruari debere, ac nullo vnquam tempore, ex quocunque capite, vel qualibet causa quantumuis iuridica, et legitima, etiam ex eo, quod causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et iustificatae non fuerint, de subreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumuis magno, et substantiali substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem et indiuiduam mentionem, et expressionem requirente defectu seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo, solennitates, et quaeuis alia seruanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocunque alio capite, de iure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocunque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa, etiam quantumuis iusta, rationabili, iuridica, pia, priuilegiata etiam tali, ad effectum validitatis praemissorum uecessario exprimenda forent, aut quod de voluntate nostra, et aliud superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, inuolidari, in ius, vel controuersiam vocari, aut ad viam, et terminos iuris reduci, aut aliud quodcunque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso, et impetrato quempiam vti, seu se iuuari in iudicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusuis similium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascunque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocunque, etiam in crastinum assumptionis nostrae, et successorum nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem motu, et scientia similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscunque verborum expressionibus, et cum quibusuis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore specialis mentio fiat, editas, et in posterum edendas comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie redintegratas fore, et esse, sicque, et non alias per quoscunque iudices ordinarios, vel delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sacrae Romanae ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque sedis nuncios, et quosuis alios, quauis facultate, potestate, praerogatiua, et priuilegio fungentes, ac honore, et praereminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et

auctoritate iudicare, et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus, quatenus opus sit nostra, et cancellariae praefatae regula, de iure quaestio non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus, prouincialibus, generalibus, vniuersalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusuis superioribus, et personis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, et irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, et scientia similibus pro tempore concessis, et concedendis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus speciali, specifica, expressa, vel indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaeuis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorumque omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus misso, et forma in illis tradita obseruare exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice duntaxat, harum quoque serie, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Per praesentes autem praefatum nostrum, et sedis apostolicae praefatae nuncium in dicta ciuitate Viennensi in Austria commorantem in executorem earundem praesentium nostrarum literarum apostolicarum, quoad illarum executionem tantum constituimus, et deputamus, eidemque nuncio facultatem, vt ipse quamcunque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in executione praefata subdelegare libere, et licite valeat, et tam ipsi, quam personae ab eo subdelegandae huiusmodi facultatem quoque, ut ipsi, et eorum cuilibet super quacunque oppositione in actu executionis huiusmodi aduersus praemissa quomodolibet oritura, seruatis tamen, quae fuerint de iure seruanda, etiam definitiue pronuntiare libere, et licite possint, et possit, apostolica auctoritate praefato concedimus, et impertimur. Volumus autem quod praefata cathedralis ecclesia Cassouiensis per nos vt praefertur erecta, iuxta redditus illius mensae episcopali vt praefertur assignatos ex gratia tamen speciali ad mille florenos auri de more taxari, et huiusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat. — Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, dismembrationis, diuisionis, separationis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, suppositionis, subiectionis, applicationis, indulti prioris, et posterioris, licentiae, et facultatis, impertitionis, reservationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romae apud Sanctam Mariam maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto. Quinto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

253. *Foundationales Episcopatus Cassouiensis. 1844.*

Nos Franciscus secundus Divina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Galliciae, Lodomeriae, Ramae, Seruiae, Cumaniae et Bulgariae, Rex Apostolicus, Archidux Austriacae, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Styriae, Carnioliae, Magnus Dux Hetruriae, Magnus Princeps Transilvaniae, Marchio Moraviae, Dux Brabantiae, Limburgi, Lucemburgi et Geldriae, Vürtembergae, superioris et inferioris Silesiae, Mediolani, Mantuae, Parmae, Placentiae, et Guastallae et Zatoriae, Calabriae, Barri, Montisferrati et Teschinae, Princeps Sueviae Carolopolis, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Hannoniae, Kiburgi, Goricae et Gradiscae Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, superioris et inferioris Lusatae, Mussoponti, et Nomenei, Comes Namurci, Prouinciae Valdemontis, Albimontis, Zutphaniae, Saruerdae, Salmae et Falkensteinii, Dominus Marchiae Slauonicae et Mechliniae.

Damus pro memoria Nostro, Successorumque Nostrorum nomine significantes: quod Nos in prouehenda et firmanda felicitate Regnorum, quae a Majoribus Nostris iure haereditario accepimus, inter caetera subsidia illud efficacissimum esse comperimus, quod totius rei christianae firmitas, religionis orthodoxae propagatio hincque consequens animarum salus secundum Deum a sublimi episcoporum munere, vigilantia, sollicitudine, doctrina, verbo et exemplo potissimum dependeat, neque proinde vllum dubium supersit, quin quo plures e specula intendant animarum saluti vigilaturi pastorum oculi, eo magis res christiana summat incrementum, mores populorum ad humanitatis leges amplius excolantur, vita plebis innocentior reddatur, per consequens diuinis non secus ac humanis legibus maior etiam reuerentia exhibeatur. Reipublicae denique salus et tranquillitas solidioribus fundamentis fulciatur. Cum autem amplitudo dioecesis Agriensis, huiusque longe lateque diffusi limites, ac exinde enata congruae in spiritualibus administrationis difficultas, quae vnus praesulis viribus et industria omnino insupportabilis foret, illam a Nostra prouidentia exegerit congruam medelam, vt in remotioribus ab ordinaria sede episcopi Agriensis comitatibus et districtibus magis vicini pastores constituentur, qui dioeceses suas arctioribus limitibus constrictas frequentius visitent, cleri disciplinam vrgeant, excessibus quibusuis qui promotioni orthodoxae fidei obstando esse possent, propius solerter inuigilent, ac denique procurandae animarum salutis magis et facilius intenti esse possint. Hinc exemplis etiam praecessorum Diuorum condam Hungariae Regum gloriosae memoriae impulsus pro summo illo iure Patronatus, quod qua Apostolicus Rex Hungariae in conferendis, et pro ratione necessitatis ac utilitatis publicae ordinandis dioecesibus optimo iure habere et exercere dignoscimur, pro solita item, qua ad maiorem diuini cultus promotionem et orthodoxae fidei propagationem ferimur, cura et sollicitudine nostra praeeffectum episcopatum diuidendum et e limitibus eiusdem in remotioribus quippe Comitatus et Districtibus praeter alium nouum episcopatum Szathmáiensis, Cassouiensem quoque a Libera Regiaque Ciuitate Nostra Cassouiensi denominationem suam habiturum ea ratione benigne erigendum esse duximus: ut nominis huius ordinarius dioecesanus episcopus residentiam suam cum ecclesia cathedrali et Capitulo e sex indiuiduis, prae-

posito quippe, lectore, et custode, binis item ultimis Canonis consistente in praefata ciuitate Cassouiensi habeat; limites vero dioecesis huius Cassouiensis tres comitatus utpote: Abaújváriensem, Sárosiensensem et Zempliniensem ambitu suo complectatur; quoad iuniorum clerum eam respectu diaecesis huius fecimus benignam provisionem; ut numerus eiusdem cleri in seminario et lyceo proprio educandi a proportionem cleri in cura animarum constituti sufficiens defigatur. Pro condecenti demum episcopi subsistentia neoerecto huic episcopatu Cassouiensi possessiones: Hétze in comitatu Abaújváriensi, Harsány, Szirák cum praedio Egres, Tisza-kürt, Keresztes Püspöki, praesidium Csapókör in comitatu Borsodiensi, demum possessionem Szent-Mária in comitatu Zempléniensi sita, hactenus per episcopatum Agriensem possessa, dehinc in qualitate dotis pro episcopatu hocce Cassouiensi assignatae consideranda una cum decimis, quas idem episcopatus Agriensis in comitatibus Zempléniensi et Sárosiensensi, ciuitate item Eperjesiensi percipiebat, simul cum cunctis appertinentiis, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, Agris, Pratis, Pascuis, campis, foenetis, hortis, pomariis, syluis, nemoribus, dumetis, virgultis, extirpaturis, montibus, collibus, vallibus, vineis, et earum promontoriis, fluuiis, aquis, Piscinis, piscaturis, pisciumve clausuris et aquarum decursibus, Molendinis et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet vtilitatum, obuentionum, reddituum et pertinentiarum suarum integritatibus quouis nominis vocabulo vocitatis sub suis veris metis et antiquis limitibus existentibus ad praefata bona de Jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus vbicunque sub sacra praerepetiti Regni nostri Hungariae Corona existentibus et habitis, caeterisque Priuilegiis, Juribus, et Jurisdictionibus de lege Regni et passim accepta consuetudine Clero qua Domino terrestri legitime competentibus Donationis ac pie foundationis titulo pleno iure Domini Regio et perennali (saluo tamen iure aliorum, si quod praeattactis bonis inesse legitime comprobatum fuerit) benigne conferenda esse duximus, imo conferimus, donamus et fundamus perpetuo et irreuocabiliter tenenda, possidenda, habenda pariter et vsuanda. Volumus nihilominus vt obligationem in fundationibus Belae quarti Regis Hungariae Praedecessoris Nostri super Episcopatu Agriensi anno 1261. editis quoad quartum Principem, si quo tempore Reges Hungariae quatuor filios habuerint, custodiendum expressam quae antea Episcopo Agriensi incumberebat, tam modernus Episcopus Cassouiensis, quam et eiusdem in praefato Episcopatu successores coniunctim cum Archi-Episcopo Agriensi et Episcopo Szathmáriensi emergente casu ad amussim explere teneantur, reseruantes caeteroquin nobis et successoribus nostris Hungariae regibus omnia in Capitulo Beneficia Ecclesiastica et Canonicatus Jus conferendi admissa duntaxat ipsi Episcopo in casu singulae vacantiae pro tali supplenda idoneorum subiectorum candidatura et nobis demissa praesentatione, citra tamen potestatis nostrae in hoc vel illo subiecto denominando restrictionem. Quae omnia dum mente animoque deliberato et ex plenitudine potestatis nostrae Regiae hisce clementer statuimus, fundamus ac ordinamus, vna non ambigimus: quod, quemadmodum hic per Nos clementer neoerectus et fundatus Episcopatus vnice ad incrementum religionis orthodoxae, per idque magis ac melius

prompuendam animarum salutem directus est, eique ad suam consistentiam perdu-
cendo Nos omni cura et sollicitudine intenti fuimus, ita Nostri quoque successores
non minori sollicitudinis studio salutare hoc et pientissimum Institutum Nostrum ad
omnem aetatem firmiter manutenturi, subsequenter totum id, quod ad neoerectum
et fundatum huncce Episcopatum praeuia ratione per Nos clementer destinatum ha-
bitur, tanquam pro perpetuo stipulatam et pactatam foundationalem dotem absque di-
minutione in sua integritate conseruaturi et pro ratione circumstantiarum nouis etiam
gratiis et fauoribus adaucturi sint. Quapropter omnibus et singulis, quorum interest,
benigne praecipimus et mandamus: quatenus praesentem salutarem pientissimamque
foundationem et ordinationem nostram quibusue euenire queuntibus in casibus ad a-
mussim obseruare nouerint, neque eidem sub incursu indignationis Nostrae Regiae
quaqua ratione contrauenire praesumant. In quorum maius robur perpetuamque fir-
mitatem hasce secreto maiori Sigillo Nostro, quo vt Rex Hungariae Apostolicus vti-
mur, in pendentem communitas extradandas esse duximus et concedendas literas fun-
dationales. Datum per manus fidelis nostri, nobis sincere dilecti Spectabilis ac Ma-
gnici Comitis Josephi Erdödy de Monyorókerék Montis Claudii et Comitatus Varasdi-
nensis perpetui Comitis prout et Arcis Ciuitatisque eiusdem nominis haereditarii Capi-
tanei Camerarii Nostri, et actualis intimi status Consiliarii, per Regnum Nostrum
Hungariae Janitorum Regalium Magistri, Comitatus Nitriensis supremi Comitis ac
Procancellarii nostri Regii Hungarico-Aulici in Archi-Ducali Ciuitate nostra Vienna
Austriae die 23. Mensis Martii Anno Domini 1804. Regnorum nostrorum, Romani
duodecimo, Hungariae vero, Bohemiae et reliquorum anno decimo tertio. Francis-
cus mp. Comes Josephus Erdödy mp. — Josephus Herovics mp. — Protocoll. in
Libro Regio 1-ae Classis, quod testatum redditur per Secretarium Aulicum et Archi-
ui Directorem Ludouicum de Jászvitz mp.

284. *Collationales primi Episcopi Cassouiensis Andreae Szabó. A. 1804.*

Nos Franciscus secundus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Au-
gustus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Rex Ap-
postolicus, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae et Lotharingiae, magnus Dux He-
truriae, magnus Princeps Transyluaniae, Dux Mediolani, Mantuae, Parmae, Co-
mes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis etc. Memoriae commendamus tenore praesenti-
um significantes, quibus expedit, vniuersis: quod Nos pro ea, qua in constituendis
Ecclesiarum Dei Pastoribus tenemur cura et sollicitudine benignam habentes reflexio-
nem ad praeclaras virtutes, laudatosque et acceptabiles mores, singularemque Doctri-
nam et eruditionem, omnibusque gratam et acceptam exemplaris vitae conuersatio-
nem ac caeteras excellentes animi dotes et qualitates fidelis nostri nobis dilecti Reue-
rendi Andreae Szabó electi Episcopi Nouiensis, Abbatis S. Jacobi de Silisio, Prae-
positi S. Stephani de Castro Strigoniensi, Praepositi item S. Joannis de Buda, Ca-
thedralis Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonici, nec non vacante sede Ar-

chi-Episcopali per Districtum Strigoniensem in spiritualibus Vicarii et Causarum Auditoris Generalis, quibus ipsum Dei altissimi munere insignitum et ornatum esse tam aliorum fidelium nostrorum fidedigno testimonio, cum etiam propria experientia nostra henigne cognouimus; eundem itaque Andream Szabó tanquam personam idoneam ac de Ecclesia Dei, sacraque dicti nostri Hungariae Regni corona ac Maiestate quoque nostra bene meritam, nobisque gratam et acceptam ad neoerectum et suis limitibus circumscriptum Episcopatum Cassouiensem autoritate iuris Patronatus nostri regni, quod generaliter in conferendis omnibus praedicti regni nostri Hungariae et partium eidem adnexarum ecclesiis, earumque beneficiis instar diuorum quondam Hungariae regum praedecessorum videlicet nostrorum gloriosae reminiscentiae optimo iure habere, et exercere dignoscimur, eligendum et nominandum, ipsumque ad praefatum Episcopatum Cassouiensem promouentes, sequentia bona: nominanter Possessiones Hétze in Comitatu Aabaújváriensi, Harsán, Szirák cum praedio Egres, Tiszakürt, Keresztes Püspöki praedium Csapóköz in Comitatu Borsodiensi; demum Possessionem Szentk Mária in Comitatu Zempléniensi sita et hactenus per Episcopatum Agriensem possessa dehinc in qualitate Dotis pro Episcopatu Cassouiensi assignatae consideranda vna cum decimis, quas saepofatus Episcopatus Agriensis in Comitatibus Zempléniensi, et Sárossiensi, Ciuitate item Eperjesiensi percipiebat, simul cum cunctis appertinentiis, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, Agris, Pratis, Pascuis, Campis, Foenetis, Hortis, Pomariis, Syluis, Nemoribus, Dumetis, Virgultis, Extirpaturis, Montibus, Collibus, Vallibus, Vineis et earum promontoriis, Fluiuis, Aquis, Piscinis, Piscaturis, Pisciumue clausuris et aquarum decursibus, molendinis, et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet vtilitatum, obuentionum reddituum et pertinentiarum suarum integritatibus quouis nominis vocabulo vocitatis sub suis veris metis et antiquis limitibus existentibus ad praefata bona de iure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus vbicunque sub sacra praerepetiti regni nostri Hungariae corona existentibus et habitis prouti nempe per antelatum Episcopatum Agriensem possessa fuerunt, danda duximus et conferenda, prout praesentium per vigorem nominamus, eligimus, et promouemus, damusque et conferimus; eundemque ab obligatione dependendae iuxta benignam nostram Resolutionem normalem viginti procentualis quottae ad personam eo potissimum ex motiuo clementer eximimus: vt ferendis grauioribus expensis, quae sub initium potissimum occurrant, tanto magis sufficere possit, volumus nihilominus vt idem nominatus Episcopus Cassouiensis obligationem in Fundamentalibus Belae IV. Regis Hungariae praedecessoris nostri super Episcopatu Agriensi anno 1261. editis quoad quartum Principem Regium, si quo tempore reges Hungariae quatuor filios habuerint, custodiendum iunctim cum Archiepiscopo Agriensi et Episcopo Szathmáriensi pro emersuro casu ad amussim explere, praeterea administrationem Dioecesis suae concomitantia et huic seu in Spiritualibus siue temporalibus titulo etiam iuris Patronatus incumbentia onera supportare et explere teneatur; reseruantes caeteroquin nobis et successoribus nostris Hungariae regibus omnia in Capitulo beneficia Ecclesiastica et Canonatus ius conferendi admissa

duntaxat antelato Episcopo in casu supplendae vacantiae pro tali supplenda idoneorum subiectorum nobis demissa candidatione, absque tamen nostri, nostrorumque successorum ad hanc candidationem restrictione. Quocirca vobis fidelibus nostris honorabilibus Praeposito, Lectori, Cantori, Custodi, caeterisque Canonicis et beneficiatis harum serie firmiter praecipientes committimus, et mandamus: quatenus a modo in posterum praememoratum Andream Szabó pro vestro vero, legitimo et indubitato Episcopo et Praelato habere, tenere et recognoscere, eidemque debitam reverentiam, honorem et obedientiam, prout bonos et pios Ecclesiae Ministros decet, praestare et exhibere, in omnibus denique licitis et consuetis rebus Jurisdictioni illius parere et obtemperare debeatis et teneamini, secus non facturi. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Josephi Erdódy de Monyorókerék, Montis Claudii, in Comitatus Varasdiensis perpetui Comitis prout et arcis, Ciuitatisque eiusdem nominis haereditarii Capitanei, Camerarii, Consiliarii que nostri, Actualis Intimi Status, per Regnum nostrum Hungariae Janitorum Regalium Magistri, ac Comitatus Nitriensis supremi Comitis nec non Pro-cancellarii nostri regii Hungarico-Aulici in Archi-Ducali Ciuitate nostra Vienna Austriae die secunda mensis Junii anno Domini 1804. Regnorum nostrorum Romani duodecimo, Hungariae vero, Bohemiae ac reliquorum anno decimo tertio. Franciscus mp. — Comes Josephus Erdódy mp. Adamus Kelcz mp. — Protocollatum in libro regio 2-ae Classis quod testatum redditur per Secretarium Aulicum et Archiui Directorem Ludovicum de Jászvitz m. p.

Penes praesentes benignas suae sacratissimae Caesareo-Regiae Apostolicae Maiestatis Domini Domini Clementissimi collationales Illustrissimus Dominus Andreas Szabó, Electus Episcopus Noviensis, Abbas S. Jacobi de Silisio, Praepositus S. Stephani de Castro Strigoniensi, Praepositus item S. Joannis Baptistae de Buda, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonicus et SS. Theologiae Doctor, nec non vacante sede Archi-Episcopi per Districtum Strigoniensem in Spiritualibus vicarius et Causarum Auditor generalis ad neoerectum suisque limitibus circumscriptum Episcopatum Cassouiensem, eiusdem bona ac iura temporalia in qualitate dotis attacto Episcopatu assignata per Illustrissimum Dominum Comitem Joannem Baptistam Hadik de Futak Sacrae Caes. Reg. Apostolicae Maiestatis Camerarium et Camerae huius Regiae Hungarico Aulicae Consiliarium vigore benigni idcirco ad Camerae hanc Regiam Hungarico Aulicam sub 2-a Junii anni currentis nro 4241. emanati introductorii et installatorii mandati regii Cameraliter deputatum in praesentia ad hunc actum specialiter convocatarum tam ecclesiasticarum, quam secularium personarum sub clausulis, conditionibus et obligationibus introsertis, ac in benignis etiam collationalibus pro Episcopatu hocce Cassouiensi sub 2-a Junii a. c. nro 4241. elargitis diserte expressis, salvis caeteroquin quibusvis fisci regii Juribus solenniter installatus et introductus est. Budae die 4-a Julii anno 1804. Ex Consilio Camerae Regiae Hungarico-Aulicae. Loco die et anno vt supra Josephus Névery m. p. — Introsertum libro benignarum collationalium Regiarum in officio Regestraturae Cameralis pag. 134.

Idem Franciscus Clericis Scholarum Piarum bona Custodiatu Albaregalensis gratiose confert. Anno 1807.

Nos Franciscus primus Diuina fauente Clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slaunoniae, Galliciae et Lodomeriae Rex Apostolicus, Archidux Austriae, Dux Lotharingiae, Salisburgi, Virceburgi, et in Franconia, magnus Dux Cracouiae, magnus Princeps Transyluaniae, Dux Styriae, Carinthiae, et Carnioliae, superioris, et inferioris Silesiae, Princeps Berchtoldsgadenae, et Mergenthemii, Comes Habsburgi etc. etc. — Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod nos pro paterna nostra sollicitudine, qua rectae iuuentutis educationi, ac institutioni benigne prospectum esse volumus, Ordinis Scholarum Piarum Prouinciae Hungaricae, vt graui, et salutari vocationi suae quoad institutionem, ac educationem iuuentutis eo magis respondere possit, clementer subuenire cupientes custodiatum ecclesiae Albensis per mortem, et ex hac vita decessum fidelis nostri nobis sincere dilecti Reuerendissimi in Christo Patris, nec non Spectabilis, ac Magnifici Comitis Rudolphi Edling Archi-Episcopi Goritziensis eiusdem custodiatu Albensis vltimi veri, et legitime possessoris de iure, et de facto vacantem authoritate iuris Patronatus nostri Regii, quod generaliter in conferendis omnibus antelati regni nostri Hungariae, et Partium eidem adnexarum ecclesiis, earumque beneficiis instar diuorum quondam Hungariae regum praedecessorum videlicet nostrorum gloriosae Reminiscendae optimo iure habere, et exercere dignoscimur, simul cum vniuersis illius bonis, et iuribus temporalibus Castris nimirum, Castellis, Oppidis, Possessionibus, Villis, ac Praediis, vbiuis sub sacra praedicti regni nostri Hungariae Corona habitis et reperibilibus ad dictum custodiatum Albensem de iure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, eorumque prouentibus, obuentionibus, et emolumentis praenuncupato Ordini Scholarum Piarum Prouinciae Hungaricae pro sustentatione eiusdem ordinis, sed eousque dumtaxat, donec ordo hicce obligationem circa institutionem, et educationem iuuentutis sibi incumbentem expleuerit, ac ea ratione dandum, et conferendum esse duximus, vt idem custodiatu Albensis pro toto Ordine Scholarum Piarum Prouinciae Hungaricae commune beneficium constituat, Administrationem autem eiusdem custodiatu semper pro tempore constitutus Prouincialis, adhibitis tribus sui ordinis indiuiduis per Capitulum Ordinis eligendis dirigat, ac prouentus cum praescitu, et consensu praedictorum ipsi adlateratorum religiosorum inter concernentia prouinciae suae collegia, et residentias pro ratione necessitatis, et quantum circumstantiae admittunt singulo anno diuidere, dein vero super administratione, prout et perceptis prouentibus, eorumque subdiuisione capitulo dicti ordinis, dum congregatum fuerit, rationes reddere teneatur. Volumus attamen, vt praedictus Ordo Scholarum Piarum ad Cassam Parochorum Mille quadringentos nonaginta duos florenos, quadraginta duos cruciferos, et alios Mille quadringentos nonaginta duos florenos, quadraginta duos cruciferos titulo subsidii Ecclesiastici pro Fortificatorio destinati, ad Cameram nostram

regiam Hungarico Aulicam quotannis dependere teneatur. Si demum fors successiuis temporibus praefatus Ordo Scholarum Piarum obligationi suae, institutioni quippe, et educationi iuuentutis debite haud incumberet, ac exspectationi non satisfaceret, aut quacunq̄ue demum ex ratione dissolueretur, aut aboleretur, eorum praementionatus custodiatus Albensis immediate ad Collationem nostram Regiam deuoluatur. Prouti damus, et conferimus harum nostrarum vigore, et Testimonio litterarum mediante. Datum in Archiducali Ciuitate Nostra Vienna Austriae die decima Mensis Iulii Anno Domini Millesimo octingentesimo septimo. Regnorum Nostrorum Hungariae, Bohemiae, et reliquorum Anno Decimo sexto. Franciscus m. p. Comes Iosephus Erdödy m. p. Iosephus Babos m. p.

285. *Idem Rex Carolum Ambrosium A. Ducem Austriae C. R. Ecclesiae Strigoniensi Archiepiscopum ac Primatem praeficit. Anno 1808.*

Fuit Carolus Ambrosius in prouincia Mediolanensi a Ferdinando A. A. Mariae Theresiae filio, Lombardiae Gubernatore, ac Beatrice Attestina principe genitus; anno aetatis 20. minoribus ordinibus initiatus. mox Sacerdos, Vaciensi Diaecesi administrator datus. Colocensium Archipraesule modestissime deprecante, infulam Strigoniensem nactus. Anno 1808. — Ex oratione Funebri. Anno 1809. II-a Septembris ex neruosa febri aetatis XXIV. Tatae defuncti. Ephem. Poson. 621. 630. ad 3. annum.

Idem Rex Capitulum Csanadiense peculiari signo seu honore condecorat. Anno 1810.

Nos Franciscus primus, diuina fauente clementia Austriae Imperator, Hierosolimaë, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae, Galliciae et Lodomeriae Rex Apostolicus; Archidux Austriae; Dux Lotharingiae, Salisburgi, Virceburgi, et in Franconia, magnus Princeps Transilvaniae; Dux Styriae, Carinthiae et Carnioliae, superioris et inferioris Silesiae; Princeps Berchtoldsgadenae et Mergenthemii; Comes Habsburgi etc. etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Qualiter nos benigno et grato animo reuoluentes, quam salutare atque decorum sit, quantumue stabillendis et firmandis regnorum nostrarum Imperiis expediat, in augendum atque ampliandum orthodoxae religionis bonum promptissima quaeque conferre studia, quo et posteritas laudabilia praedecessorum suorum vestigia conspiciendo, ad parem virtutum prosecutionem erecta, gloriam hanc, quasi simulacrum prae oculis habere possit; quo circa nihil vnquam antiquius, nihilque magis in votis habuimus, quam cultum diuinum quaqua ratione promouere, et eos, qui in Ecclesiis Deo iugiter famulantur, pro maiori fidelis populi aedificatione, distinctis honoribus, et ornamentis exornare, condecorareque, quod ipsum Maiestatem nostram eo induxit, vt capitulum cathedralis ecclesiae Csanádiensis et reflexione meritorum, quae idem capitulum Csanádiense sub continuis homagialibus obsequiis pro exigentia circumstantiarum omni occasione sibi comparauerat, considerato etiam eo, quod antelatum capitulum cathedralis ecclesiae Csanádiensis anti-

quitate et egregiis factis conspicuum, ac reliquis per regnum nostrum Hungariae a Sancto Stephano rege nostro Apostolico fundatis capitulis haud impar sit, peculiari quoque signo, seu honore exornemus; quo autem deuotus in ecclesiam Dei, propensusque in earum ministros animus noster eo magis eluceat, et hac ratione alii quoque ad propagandum cultum diuinum exstimulentur, ex plenitudine potestatis nostrae, quam, vt Rex Hungariae apostolicus exercemus, eidem capitulo Csanádiensi erga humillimum fidelis nostri nobis sincere dilecti Reuerendi Ladislai Kőszeghy Episcopi Csanádiensis, et Consilarii nostri actualis Status intimi recursum, id clementer indulgendum, annuendum, et concedendum esse duximus, vt actuales eiusdem capituli Canonici moderni, et successores signum, effigiem quippe Sancti Gerardi primi Episcopi Csanádiensis, ab infra vberius circumscriptam, de collo pendens palam publiceque a modo imposterum futuris, et perpetuis semper temporibus gestare possint ac valeant; signum videlicet seu Crucem octoangularem ad formam melitensis, superioribus suis partibus incisam, infuso miniato colore conspicuam, auro reductam, ac latiori margine viridi colore encaustam; cuius centrum coelestini coloris, oualem figuram repraesentans, rectis inter brachia Crucis fasciatim eminentibus radiis ornatum in antica quidem parte S. Gerardum Episcopum, in Pede montis sic dicti Gerardi ad Budam in genua prouolutum, facieque in coelum versa martyrium subeuntem, quippe ab vno eidem adstantium trium impiorum hasta per pectus transfixum, ab aliis duobus vero hinc et illinc lapidatum, infula in viridi solo locata, exhibet, superinducta inter binos aureos circulos centrum ambientes inscriptione: S. Gerardus Martyr primus Episcopus Csanádiensis. In postica vero candida Crucis parte, primae, seu initiales nominis nostri, et dilectissimae coniugis nostrae inter se complexae literae F. P. M. L. B. cernuntur, praeterea inter duos circulos aureos centrum ambientes Epigraphe: „sub Ladislao III. Episcopo Csanádiensi“ inserta legitur; ipsum vero signum siue Crux praeuia ratione circumscriptas figuras repraesentans, e ligula miniati coloris, et huic implexa Corona Regni Nostri Hungariae pendet. Quemadmodum haec omnia in Principio, seu capite praesentium literarum nostrarum, pictoris edocta manu, propriisque et genuinis suis coloribus clarius depicta, lucidius ob oculos intuentium posita esse conspiciuntur; imo memorati capituli cathedralis ecclesiae Csanádiensis actualibus canonicis praedescriptum signum distinctionum de collo pendens ex benigno indulto nostro regio, et speciali gratia, clementiaque nostra Caes. Regia perpetuo publice gestandum benigne indulgemus, annuimus, et concedimus, impertimurque ac conferimus, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae Apostolicus utimur, in pendentem communitarum vigore et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Josephi Erdődy de Monyorókerék, aurei Velleris, ac vna Insignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equitis, Montis Claudii, et Comitatus Varadiensis perpetui Comitatis, prout et arcis, ciuitatisque eiusdem nominis haereditarii Capitanei, Camerarii Consilarii que nostri actualis Status intimi, Dapiferorum nostrorum regalium per Hungariam Magistri, Comitatus Nitriensis supremi Comitatis, nec non per idem Regnum

Nostrum Hungariae Aulae Nostrae, prout et dicti Ordinis S. Stephani Cancellarii, in Archiducali Ciuitate Nostra Vienna Austriae, die vigesima octaua mensis Septembris, Anno Domini millesimo octingentesimo decimo; Regnorum Nostrorum Hungariae, Bohemiae, et reliquorum Anno decimo nono. Franciscus mp. Comes Josephus Erdődy mp. Sigismundus Ránffy mp.

Collationales Abbatiarum Pilis et Pásztó Antonio Dréta. Anno 1812.

Nos Franciscus primus diuina fauente clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slaunoniae, Galliciae, Lodomeriae Rex Apostolicus; memoriae commendamus, tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod nos benigne confisi in praeclaris virtutibus, singulari item doctrina et eruditione, nec non omnibus grata exemplaris vitae conuersatione, caeterisque eximiis animi dotibus et qualitatibus fidelis nostri religiosi Antonii Dréta sacri, et exempti Ordinis Cisterciensium Conuentus Abbatiae B. M. V. de Sircz actualis prioris, quibus ipsum insignitum et fidedigna nonnullorum fidelium nostrorum relatione, et commendatione benigne cognouimus, in clementissimam praeterea summentes reflexionem singularem eius fidem, integritatem, zelum prudentiam, et actiuitatem in restituenda religiosa disciplina, adimplendisque altissimis Jussis nostris per totum gesti prioratus muneris sui tempus luculentis argumentis per eundem testatum; eidem Antonio Dréta velut personae idoneae, et de Ecclesia Dei, ac publico benemeritae, nobisque ea de causa gratae, et acceptae, quem in Administratorem antelatae Abbatiae B. M. V. de Sircz, tam in spiritualibus, quam temporalibus clementer denominauimus, vna titulum Abbatiae B. M. V. de Pilis et Pásztó, in Archi-Dioecesi sitae, adeoque sub iurisdictione sacrae memorati Regni nostri Hungariae Coronae existentis per mortem et ex hac vita decessum venerabilis, ac religiosi Teophili quondam Schuman vacantis, autoritate iuris Patronatus nostri Regii, quod generaliter in conferendis omnibus praelibati Regni nostri Hungariae, partiumue ei adnexarum Ecclesiis, et beneficiis instar diuorum quondam Hungariae Regum, praedecessorum videlicet nostrorum gloriosae reminiscentiae optimo iure habere, et exercere dignoscimur dandum, et conferendum ipsumque ei, cuius interest, pro more praesentandum esse duximus; imo nominamus, et eligimus, damusque, et conferimus, praesentamusque harum nostrarum vigore, et testimonio literarum mediante. Datum in Archiducali Ciuitate nostra Vienna Austriae die quarta mensis Septembris, Anno Domini millesimo octingentesimo duodecimo. Regnorum nostrorum, Hungariae, Bohemiae et reliquorum Anno vigesimo primo. Franciscus m. p. Comes Franciscus Koháry m. p. Josephus Nándory m. p. — Protocoll. in Lib. R. Ass. 2-a quod testatum redditur per Registraturae et Archiui Directorem. Matth. Sztankovits m. p. Coll. Administratoratus Abbatiae B. M. V. de Sircz pro Antonio Dréta.

Collationales Abbatiarum Zircz Pilis et Pásztó Antonio Dréta. 1814.

Nos Franciscua I. diuina fauente clementia Austriae imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Galliciae et Lodomeriae rex apostolicus; memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod Nos benigne perpensis praeclaris virtutibus, laudatisque et acceptis moribus, singulari item doctrina et eruditione, nec non omnibus grata exemplaris vitae conuersatione, caeterisque eximiis animi dotibus et qualitatibus fidelis nostri venerabilis ac religiosi Antonii Dréta, sacri et exempti Ordinis Cisterciensis monasterii de Pilis et Pásztó titularis abbatis, nec non abbatae B. M. V. de Zircz administratoris, quibus ipsum insignitum et ornatum esse ex fide digna nonnullorum fidelium nostrorum relatione, et commendatione benigne cegnouimus. Cum igitur ob id, tum vero in clementissimam summentes reflexionem fidelia, ac vtilia eiusdem seruitia tam in spiritualibus, quam et publicis singulari zelo, peculiarique sui cum commendatione praestita, exindeque sibi comparata merita; eundem Antonium Dréta velut personam idoneam, et de ecclesiae Dei ac publico benemeritam, nobisque de hac causa gratam et acceptam ad abbatiam B. M. V. de Zircz dioecesi Veszprimiensi ingremiatam, adeoque sub iurisdictione sacrae praelibati regni nostri Hungariae coronae existentem, nunc per mortem et ex hac vita decessum venerabilis ac religiosi Constantini Gloger abolitae abbatae conuentus aequae Cistercitarum Henrichoviensis in Silesia Borussica abbatis, qui memoratae etiam abbatae Zirzeensis, antea titulo Pignoris, adeoque iure temporaneo possessae; abbatis titulum hactenus retinebat, effectiue, et legitime vacantem vigore benigni diplomatis nostri sub hodierno aequae dato elargiti, cum abbata B. M. V. de Pilis et Pásztó in archidioecesi agriensi existente, et per obitum venerabilis ac religiosi theophili Schumann, eiusdem abbatae vltimi veri, ac legitimi possessoris de iure et de facto pariter vacante pro maiori et religionis, et rei literariae incremento in vnum corpus conflata, autoritate iuris patronatus nostri regii, quod generaliter in conferendis omnibus antelati regni nostri Hungariae, et partium ei adnexarum ecclesiis et earum beneficiis instar diuorum quondam Hungariae regum nostrorum videlicet gloriosae reminiscentiae praedecessorum optimo iure habere, et exercere dignoscimur, eligendum, et nominandam, ipsique memoratas vnitae abbatias B. M. V. de Zircz nec non Pilis et Pásztó simul cum vniuersis earundem bonis et iuribus temporalibus castris nimirum, castellis, oppidis, possessionibus, villis ac praediis, vbiuis sub sacra praerepetiti regni nostri Hungariae corona reperibilibus ac ad praefatas abbatias B. M. V. de Zircz Pilis et Pásztó, de iure et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, eorumque prouentibus, obuentionibus et emolumentis ea ratione dandas et conferendas ipsumque ei, cuius interest, pro consequenda canonica benedictione praesentandum esse duximus, vt abbata Zirczensis cum abbata B. M. V. de Pilis et Pásztó in vnum corpus conflata, denominationem a principali conuentu Zirzensi sortiatur, vtue idem abbas obligationes in praeprovocato vnionis diplomate expressas ad amussim explere, et dependenda dependere teneatur, sitque obstrictus. Imo modalitate praemissa, et cum praenotatis obligationibus eligimus, nominamus, damusque

et conferimus, ac praesentamus harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in imperiali vrbe nostra Vienna Austriae, die decimanona mensis Augusti anno Domini millesimo octingentesimo decimo quarto. Regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae et reliquorum anno vigesimo tertio. Franciscus m. p. Comes Franciscus Koháry m. p. Josephus Nándory m. p. Protocoll. in libro regio classis 2ae quo testatum redditur per registraturae, et archiui directorem Mathiam Sztankovits m. p. Collatio vnitarum abbatiarum B. M. V. de Zirhz nec non Pilis et Pásztó pro Antonio Dreta.

Idem Rex Abbatibus Zircz, Pilis et Pásztó vnitis, vnum commune sigillum priuilegialiter elargitur 1814.

Nos Franciscus Primus diuina fauente clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, et Lodmeriae Rex Apostolicus, Archidux Austriae, Dux Lotharingiae; Salisburgi, Virceburgi, et in Franconia; Magnus Dux Cracouiae; Magnus Princeps Transyluaniae, Dux Styriae, Carinthiae, et Carnioliae; superioris et inferioris Silesiae; Princeps Berchtoldsgadenae et Mergenthemii; Comes Habsburgi etc. etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod Nobis benigno reuoluentibus animo, qualiter principes in publico regimine constituti non solum populos sibi subiectos ad conseruandum internum tranquillae permansionis eorundem statum, in legum obseruantia, mutuaeque concordiae cultu continere, verum priuilegiorum quoque indultis, et specialibus praerogatiuis, imprimis vero sigillorum authenticorum (sub quorum munimine contractus solennes, nec non emptiones, ac venditiones, aliaeque publicae negotiationes, et expeditiones firmiores, ac fidedigniores reddi possint) concessionibus ad perpetuam rei memoriam, et rectarum actionum normam vt plurimum facientibus eosdem condecorare, illustrareque soleant; vnde siquidem velut ex limpido aliquo fonte tam bene ordinatae reipublicae viti incapax rectitudo, quam etiam quorumuis literalium instrumentorum ex processibus etiam causarum emergentium indisputabilis veritas, perpetuumque robur regulariter procedere consueuerunt. Hinc nos quoque, qui diuina concedente clementia fasces, et habenas tot regnorum, et prouinciarum moderamur, nihil vnquam antiquius, magisque in votis habuimus, quam vt populos nobis diuinitus concreditos et subiectos Caesareo Regiae clementiae nostrae publica declaratione foueremus, taliterque eosdem ad iugiter contestandam erga legitimos suos reges, et dominos deuotionem, singulareque complacendi studium excitaremus. Cum igitur ob id, tum vero ad demissam instantiam fidelis nostri venerabilis ac religiosi Antonii Dreta neo-nominati abbatis duarum abbatiarum sacri ordinis Cisterciensis, vtpote B. M. V. de Zircz, nec non Pilis et Pásztó vigore benigni diplomatis nostri sub hodierno aequo dato elargiti, in vnum corpus conflatarum, modo fatae vnitae abbatiae B. M. V. de Zircz, Pilis et Pásztó vnionem quoque sigillorum, quibus eadem abbatiae hactenus separatim utebantur, ex speciali caesareo regia gratia nostra, deque

potestatis nostrae plenitudine benigne indulgendam, taliterque vni sigilli vsum a modo in posterum memoratis in vnum corpus conflatis abbatibus in omnibus suis priuatis expeditionibus rubra cera signandis clementer concedendum esse duximus, ac consequenter arma seu insignia in hunc, vti sequitur modum, posthac insculpenda, habenda, et deferenda, scutum videlicet sigillare sphaericum, seu rotundum coelestini coloris, exhibens candidam crucem quadratam cum distributis literis Romanis M. O. R. S. locum originis sacri ordinis Cisterciensis Morimundum vtpote lingua gallica Mors nuncupatum indicantibus, velut sigillum, quo hactenus abbatia B. M. V. de Pilis et Pászto vtebatur; in hoc porro scuto aliud pectorale scutum ovale rubri coloris cum grue, pede dextro in signum vigilantiae lapidem seruante, hucadusque per abbatiam B. M. V. de Zircz pro sigillo vsuatum conspicitur. Circumferentia demum totius vni scuti candida, interne auro, externe vero viridi ser̄to, et auro recincta inscriptionem atris literis Romanis: Sigillum Abbatiae B. M. V. de Zircz, Pilis et Pászto vnitae in se complectitur. Quemadmodum haec omnia in principio, seu capite praesentium literarum nostrarum pictoris edocta manu, et artificio propriis, et genuinis suis coloribus clarius depicta, et ob oculos intuentium lucidius posita esse conspiciuntur, benigne indulsumus, et impertiti sumus, annuentes, et ex certa nostra scientia, animoque deliberato concedentes, vt eadem vnita abbatia Beatae Mariae Virginis de Zircz Pilis et Pászto a modo in posterum eodem sigillo, ceraque rubra in quauis priuata sua literali expeditione ex benigno indulto, et gratia nostra speciali, clementique annuentia vti semper possit, ac valeat; imo indulgemus, annuimus, et concedimus, impertimurque, et conferimus praesentium per vigorem, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt rex Hungariae apostolicus vtimur, in pendenti communitarum vigore, et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Josephi Erdödy de Monyorókerék, Aurei Velleris, ac vna Insignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equitis, Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetui Comitis, prout et arcis, ciuitatisque eiusdem nominis haereditarii capitanei, camerarii, consiliarii que nostri actualis status intimi, dapiferorum nostrorum regalium per regnum nostrum Hungariae magistri, comitatus Nitriensis supremi comitis, nec non per idem regnum nostrum Hungariae Aulae nostrae prout et dicti insignis ordinis Sancti Stephani regis apostolici cancellarii, in imperiali vrbe nostra Viennae Austriae die decima nona mensis Augusti, anno Domini millesimo octingentesimo decimo quarto. Regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae item, et reliquorum anno vigesimo tertio. Franciscus m. p. Comes Josephus Erdödy m. p. Comes Nicolaus Szécsen m. p.

Copiae benignorum diplomatum a sua Sacratissima Caesareo Regia Apostolica Maiestate Reuerendissimo ac Amplissimo Domino Domino Antonio Dréta Abbati B. M. V. de Zircz, Pilis et Pászto, collatorum mense Augusto anno Domini 1814.

Nos Franciscus primus Diuina Fauente Clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Galliciae et Lodome-

riae Rex Apostolicus; Archidux Austriae, Dux Lotharingiae, Salisburgi, Virceburgi, et in Franconia; Magnus Dux Cracouiae; Magnus Princeps Transyluaniae; Dux Styriae, Carinthiae, et Carnioliae, superioris et inferioris Silesiae; Princeps Berchtoldsgadenae et Mergenthemii; Comes Habsburgi etc. etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit uniuersis: Quod nos pro solita nostra in Deum pietate, maiorique et religionis, et rei literariae incremento, iureque nostro apostolico, beneficia ecclesiastica tum saecularia, tum regularia, necessitate, aut utilitate reipublicae exposcente, vniendi, aut dismembrandi abbatiam B. M. V. de Pilis et Pászto, ad sacrum, et exemptum ordinem Cisterciensem spectantem, et in Archidioecesi Agriensi, adeoque sub iurisdictione sacrae regni nostri Hungariae coronae existentem. Cum eiusdem sacri ordinis abbatia B. M. V. de Zircz dioecesi Veszprimiensi ingremiata, quam a multis retroactis annis ordinis aequae Cisterciensis abbates Henrichovienses in Silesia Borussica titulo pignoris, adeoque iure duntaxat temporaneo tenuerunt; ac tum ideo, cum etiam ex eo, quod abbatia Henrichouiensi per regimen Borussicum subinde sublata, ac ipso etiam abbate Henrichouiensi Constantino Gloger, qui abbatibus titulum abbatiae quoque Zirczensis hactenus retinebat, fatis functo, iam eo ipso omnis conuentus Zirczensis a memorata Henrichouiensi abbatia dependentia, et cum illa nexus et communicatio cessauerit, modalitate inferius vberius expressa ita vniendam, et coniungendam clementer decreuimus, vt duo hi Zirczensis nempe et Agriensis conuentus, licet hactenus ab inuicem independentes in vnam eandemque familiam iunctis viribus plus emolumenti allaturam, sub vno eodemque abbate coalescant: Spectatis praeterea eximiis animi dotibus, et qualitatibus fidelis nostri venerabilis, ac religiosi Antonii Dréta, sacri et exempti ordinis Cisterciensis monasterii de Pilis et Pászto titularis abbatis, nec non abbatiae B. M. V. de Zircz administratoris, memoratas binas abbatias B. M. V. de Zircz, nec non Pilis et Pászto, velut effectiue vacantes autoritate iuris patronatus nostri regii, quod generaliter in conferendis omnibus antelati regni nostri Hungariae et partium ei adnexarum ecclesiis, et earum beneficiis, instar diuorum quondam Hungariae regum, nostrorum videlicet gloriosae reminiscentiae praedecessorum optimo iure habere et exercere dignoscimur, Eidem Antonio Dréta cum cunctis dictarum abbatiarum bonis ac iuribus temporalibus, ad ipsas de iure, et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, vigore benignarum collationum nostrarum literarum sub hodierno aequae dato emanatarum, ea ratione clementer contulerimus, vt abbatia Zirczensis cum abbatia B. M. V. de Pilis et Pászto in vnum corpus conflata, denominationem a principali conuentu Zirczensi sortiatur, vtue abbas B. M. V. de Zircz, Pilis et Pászto obligationes in praesenti abbatiarum vniionis diplomate contentas ad amussim explere, et dependenda dependere teneatur, sitque obstrictus, eo ceteroquin suapte intellecto, quod is e commassatis vtriusque conuentus redditibus competenti in victu vestitu, suppellectili, et seruitio provisioni suae tantum, quantum religiosa modestia admiserit, et necessitas exegerit, consciis pro more, et disciplina sacri ordinis religiosis, applicare possit; ceterum praeter obligationes, quae abbati ex instituto sacri ordinis incumbunt, tenebitur is etiam pe-

culiariter inuigilare, qualiter directores, at professores, exhortatores, et catechetæ scholarum gymnasialium, in quibus coniunctarum antelatarum abbatiarum religiosi scholas tradituri sunt, officiis suis in educanda, et formanda iuuentute satisfaciant, defectibus, si quos aduerterit, actutum occurrere, iis, quos haud satis idoneos compererit, a cathedra semotis, alios aptiores substituere, conuentus, et familias horum religiosorum ubi scholas tradituri sunt, frequentius visitare, ac, vt nullibi a sacra disciplina deflectatur, zelose, seduloque curare, prout et ad illorum etiam, qui in bonis conuentus Zirczensis curae animarum expositi sunt, mores, et conversationem iuncta cum dioecesana superioritate opera, vigilantiam suam extendere. Et siquidem vtraque antelatarum abbatiarum separatas obligationes sibi impositas habeat, et quidem Zirczensis: a) Scholam capitalem nationalem Veszprimiensem administrandi, duo gymnasia, signanter Albense, ac Quinqueecclesiense, vigore alterius benignæ resolutionis nostræ regiae curæ, et institutioni eiusdem conuentus attributa idoneis doctentibus, et directoribus prouidendi, b) Titulo fortificatorii quotannis mille septingentos sexaginta nouem florenos, triginta sex crucigeros soluendi; c) Pauschalem Quottam annue fundo religionis in octodécim mille ducentis triginta florenis viginti quatuor crucigeris pendendi — Pilis-Pásztóuiensis vero regularem conuentum Agriæ formandi, ecclesiam omni illo, quod sub patribus abolitæ societatis Jesu viguit, diuino seruitio prouidendi, scholas denique gymnasiales Agriæ gratuito docendi; hinc obligationibus his porro quoque eousque, donec circa easdem, nominatim circa summas ad fundum fortificatorii æque, ac ad fundum religionis annue inferendas nobis aliud benigne disponere visum fuerit, in suo vigore relictis, abbas curæ sibi habebit, vt eadem ad amussim expleantur. Ordinariam porro abbatis residentiam in conuentu Zirczensi, velut potiori, et numerosioribus religiosis intertenendis propter bonorum viciniam commodiori clementer defigimus ea ratione, vt tam conuentum Agriensem, quam etiam alias, ubi religiosi vnitorum conuentuum horum scholas gymnasiales tradituri sunt, residentias frequentius visitare sit obligatus: Quoad susceptionem porro iuuenum ad sacrum hunc ordinem Cisterciensem, prouidæ abbatis dispositioni relictum esse volumus, vt aptiores iuuenes, prae minus idoneis, siue illi districtuum partium Tibiscanarum, siue Danubianarum sint, ibi, ubi se adolescentes insinuauerint, seu per ipsum, seu per alios, quibus negotium suscipiendorum candidatorum commiserit, adoptentur. Locum vero pro nouitiatu Zirczium ubi et maior religiosorum horum numerus, et commodior plures intertenendi modus est, et novitii coram oculis, et sub vigilantia abbatis sui magis etiam in bonos, et exemplares religiosos formari possunt, benigne destinamus, et siquidem antelatae duæ abbatiae ita vniendæ sint, ut sub vno abbate, unam, eandemque familiam religiosam constituent, hinc religiosi huius ordinis professionem non ad distinctum conuentum, sed ad vnâ eandemque coniunctam abbatiam B. M. V. de Zircz, Pilis et Pásztó dicendam, et huius vnitæ abbatiae abbati obedientiam vouendam habebunt ita, vt ad iussa, et vocem abbatis, ad quemcunque conuentum missi fuerint, ire obligentur, et vicissim ipsos, dum consenescentes amissis viribus, morbisque afflicti nulla seruitia præstare potuerint, quiscunque conuen-

tus, prout nempe abbas disposuerit, intertenere teneatur, eo ceteroquin ex ipsa indole vnionis harum vtriusque ordinis abbatiarum prout et professionis religiosae esto ante vnionem elicitaе suapte profluente: Quod religiosi iam professi, qui legitimo suo abbati, siue Zirczii, siue Agriae obedientiam vouerunt, vtraque abbatia in vnam nunc conflata legitimo vtriusque successori in omnibus parere, et quam quisque eorum destinationem nutu abbatis siue Zirczii, siue Agriae, siue Albae, aut Quinqueecclesiis acceperint, incunctanter conformare obligentur. Ita etiam benigne annuimus, vt memorata coniuncta abbatia Zirczii propria studia habeat; abbas nihilominus tenebitur duos ad minus sui ordinis clericos in seminario generali Pestienſi, tres vero in collegio Páz-mániano Viennensi suo sumptu constanter intertenere, qui successu temporis absoluto in Caesareo Regiis vniuersitatibus theologiae cursu, susceptisque gradibus domum reuersi, theologicas disciplinas in lycaeo monastico profiteantur. Quemadmodum porro praecipuum horum conuentuum in vnam abbatiam iam conflandorum officium deinceps futurum est, iuuentutem in gymnasiis ipsis assignandis instituere, ita clementer praecipimus, vt finitis studiis philosophicis et theologicis illi, quos abbas scholis tradendis prae caeteris magis idoneos iudicauerit, vno ad minus anno grammaticales, et humaniores classes sub magisterio vnus emeriti, et insigniter instructi professoris repetant, quo hac ratione bene formati semper adsint, qui subinde scholis docendis iuxta dispositionem abbatis, cui occasione cuiusuis mutationis professorum mutua eatenus cum supremo districtus literarii directore fouenda erit cointelligentia, admoueri valeant. Praeterea in id quoque admitendum erit, vt in quouis loco, vbi saepefatae binae coniunctae abbatiae scholas gymnasiales tradendas nanciscentur, in quantum possibile fuerit, distincti sint a priore, vel superiore directores, nullo alio, quam directoralis officii munere occupandi, vtue Agiae iidem religiosi etiam scholas normales sub eodem tecto cum gymnasialibus doceant, ea quidem lege, vt id, quod nunc ciuitas Agriensis duobus saecularibus professoribus scholarum normalium pendit, conuentui cedat. Munus praeterea exhortatoris ibidem distinctum a professoribus indiuiduum gerat, pro catecheta normalium scholarum vero quopiam e professoribus deputari queunte. Ad promouendum porro cultum diuinum sacri instituti benigne volumus, vt hic cum praescripto pro iuuentute scholastica ordine omni possibili ratione concilietur, et diebus dominicis, ac festis conciones hungaricae, et germanicae tam Zirczii, quam etiam Agriae ad populum dicantur, et chorus Zirczii exacte seruetur. Cum autem obligatio haec quoad chorum pro hic et nunc in conuentu Agriensi, velut paucioribus indiuiduis, iisque doctone scholarum potiori parte occupatis expleri vix possit, hinc zelo, et prouidentiae abbatis relictum sit, vt etiam Agriae, esto non quotidie, ad minus certis solennioribus anni diebus, cum primis si ibidem successu temporis religiosorum numerus increuerit, officium diuinum choraliter decantari procuretur; curabit praeterea abbas, vt cura animarum per conuentum Zirczensem in quatuordecim locis dominio suo terrestri subiectis exercita, relate ad praefatas quatuordecim parochias porro etiam administretur. Ceterum, vt ambo conuentus Zirczensis quippe et Agriensis obligationibus suis ex instituto, et disciplina rite satisfacere possint, nume-

rum religiosorum in conuentu Zirczensi habitantium inclusis etiam illis, qui in duobus gymnasiis, Albaregalensi nempe, et Quinqueecclesiensi scholas tredituri sunt, nec non nouitiis, studentibus, ac repetentibus, demptis tamen quatuordecim indiuiduis curae animarum expositis, et alioquin suis parochialibus redbitus prouisis in quinquaginta. — Conuentus Agriensis uero in quindecim indiuiduis clementer defigimus ea ratione, ut his quoque ita, prout Zirczensibus administratio oeconomiae in bonis ipsis extra claustrum interdicta sit per saeculares oeconomicos officiales in bonis utriusque conuentus cum maiori fructu, et conseruatione disciplinae religiosae tranctanda, adeoque in locum trium indiuiduorum ad conuentum Agriensem spectantium hactenus in administratione bonorum accomodatorum; duo professores normalium scholarum, ac vnus p. prouisor pro adiutorio abbatis in regimine bonorum, prioris uero in administranda oeconomia domestica substituantur. Directionem demum utriusque unitae abbatiae iurium, et bonorum abbati praeposito modo per nos clementer nominato benigne delatam habere volumus ita, ut is in utroque conuentu pro adiutorio suo p. prouisorem ad nutum et iussa eiusdem abbatis, dum et quando necessum esse iudicauerit, tam ad bona excursurum, quam etiam localibus prioribus in regenda domestica oeconomia operam nauaturum habeat. Et quemadmodum Cistercitae Agrienses, et Zirczenses per coniunctionem antelatarum duarum abbatiarum vnā familiam religiosam constituent, ita suapte sequitur etiam prouentus utriusque abbatiae sub directione, et administratione vnus eiusdemque abbatis constitutae commassandos, et ex his utriusque abbatiae necessitatibus prouidendum, ac tam prouentuum perceptionem et erogationum dispensationem a prudenti coeteroquin abbatis directione, et prouida oeconomiae manipulatione pendente, necessitatibus conuentuum accomodandam, quam etiam rationcinia bonorum, ac domestica iuxta sacri ordinis regulas, et praeeisentes benignas resolutiones ducenda, tractandaque esse. Imo abbatiam B. M. V. de Pilis et Pászó cum abbatia B. M. V. de Zircz praemissa modalitate vigore praesentis benigni diplomatis nostri benigne vnimus, et coniungimus, ac tenorem eiusdem per eos, quorum interest, aut intererit, ad amussim obseruari clementer praecipimus, et mandamus. In cuius maius robur, perpetuamque firmitatem isthoc benignum vnionis antelatarum abbatiarum diploma secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariae apostolicus utimur in pendenti communitum extradandum esse duximus, et concedendum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti spectabilis, ac magnifici comitis Josephi Erdödy de Monyorókerék, aurei Velleris ac vna insignis ordinis Sancti Stephani regis apostolici magnae crucis equitis, montis Claudii, et comitatus Varasdinensis perpetui comitis, prout et arcis, ciuitatisque eiusdem nominis haereditarii capitanei, camerarii, consiliarique nostri actualis status intimi, Dapiferorum nostrorum regalium per Hungariam magistri, comitatus Nitriensis supremi comitis, nec non per idem regnum nostrum Hungariae aulae nostrae, prout et dicti ordinis S. Stephani cancellarii, in imperiali vrbe nostra Vienna Austriae die decima nona mensis August, anno Domini millesimo octingentesimo decimo quarto, regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae et reliquorum an. vigesimo tertio. Franciscus mp. C. Josephus Erdödy mp. C. Nicolaus Szécsen mp.

286. Idem Rex Franciscus e veteri, et perampla Dioecesi Munkácsiensi districtum Eperiesiensem vigore benignae resolutionis regiae de dato 6. Februarii 1816. numero 3518. excorporat, in episcopatumque erigit; Pius VII Papa 22. Septembris Anno 1822. canonisat, per modum Stauropigiae Metropolitanæ Strigoniensi subordinat, Gregorio Tarkovics die 11. Julii 1817. electo, et 26. Septembris 1818. confirmato, ac 17. Junii 1821. consecrato Episcopo. “ E Schematismo Cleri Eperiesiensis anno 1846.

287. *Idem Rex Apostolicus, Alexandro Rudnay, Archiepiscopo Strigoniensi, Regni Hungariae Primati, facultatem Posonii synodum celebrandi largitur. A. 1821.*

Princeps Alexander de Rudna, et Divék-Ujfalú, Dei, et Apostolicae Sedis gratia, Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Archi-Episcopus, Ins. Ordinis S. Stephani, R. A. Praelatus, et Magnae Crucis Eques, Sacrae Sedis Apostolicae Legatus Natus, Inclyti Regni Hungariae-Primas, Summus et Secretarius Cancellarius, I. Comitatus Strigoniensis Perpetuus, ac Supremus Comes, S. C. et R. A. M, Actualis Intimus Status, et ad Exc. Consilium R. L. H. Consiliarius, Ecclesiasticae Commissionis Praeses, ac ad Exc. Tabulam Septemviralem Co Judex. — Excellentissimis, Illustrissimis, Reuerendissimis, Venerabilibus, Honorabilibus, Dominis Archi-Episcopis, Episcopis, Vicariis Capitularibus, Abbatibus, Praepositis, Metropolitanarum item, Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum Capitulis, Religiosarum familiarum Praepositis — Prioribus — ac Ministris — Prouincialibus, ad Sacram Regni Hungariae Coronam pertinentibus, omnibus denique, ad quos praesentes Nostrae specialiter pertigerint, qui vtpote, iure Primatiae, ac Legationis Sanctae Sedis Apostolicae per Nos, ad Synodum Nationalem, conuocari possunt, ac debent, Fratribus, filiisque, in Christo dilectissimis, salutem, et omnigenam, a Patre Luminum Benedictionem!

Ad principem Ecclesiae Hungaricae Cathedram, non Nostris meritis, sed sola dignatione Dei miserentis subuecti, ea praecipua sollicitudine tenebamur, quam potissimum ratione, malis, quibus Ciuitatem hanc, supra montem positam, vexari dudum perspeximus, occurreremus? Dumque coelestem, ad hoc, opem, humilibus, iugibusque precibus, imploramus, opportunaque vulneribus nostris curandis remedia, quibus passim inualescenti morum corruptelae obuiaretur, mala, ex irreligionis, et impietatis contagione, latius serpente, in vtrunque Rempublicam redundantia, a ceruicibus nostris depellerentur, prisca disciplina, apud Clerum, et populum, ipsamque adeo studiosam iuuentutem reueheretur, e benigna quoque voluntate Regis Apostolici, tacita mente expendimus, sacro quodam, eoque vehementi, impulsu Nos agi, imo adigi persensimus, vt veneranda Patrum nostrorum, et gloriosae memoriae Antecessorum vestigia, nobis quoque premenda, firmiter apud animum statueremus, qui Synodorum iam Dioecesanarum, iam Prouincialium, iam Nationalium, pro re nata celebratarum, praesidio, olim, siue nutantem disciplinam firmabant, siue collapsam erigebant, peregrinos, atque a sanctissimis institutis deuios mores, si qui in

gregem dominicum, aut in ipsos gregis parietes irrepserant, propulsabant, vigorem, sanctitatem, publicam existimationem Ordini ecclesiastico conciliabant, et, ne quid Respublica sacra deinceps detrimenti caperet, collatis in medium salutaribus consiliis, editisque sapientissimis constitutionibus, praeceuebant. Nec mora Sacratissimam Caesareo-Regiam Apostolicam Maiestatem, homagiali cum deuotione, interpellauius, vt, pro admirabili sua, a diuis Maioribus haereditate accepta, in Deum pietate, in sanctissimam Religionem prouehendam zelo, et tot argumentis testato, in comoda Ecclesiae Hungaricae prouehenda, studio, omnium ad sacram Regni Hungariae Coronam spectantium Archi, et Episcoporum, caeterorumque Praelatorum, ac omnium, quorum interest, Posonium conuocandorum, celebrandique, sub praesidio nostro Concilii Nationalis, nobis faceret potestatem. Benigne votis annuit Clementissimus Dominus, et cum nonnullae, interea, quaestiones, quoad Commissarii Regii interuentum, emersissent, nostraque opera fuissent dissipatae, extraneum testem, ab hoc sacro conuentu, remouendum, pari benignitate decreuit; non vulgari sane, eoque publico Augustae fiduciae, in Praelatis Hungariae locatae, argumento. Imo, vt paternae suae, erga Ecclesiam Hungaricam, sollicitudinis luculentius ederet documentum, pro iure Regis Apostolici, pari prorsus ratione, qua benignas Propositiones Regias, generalibus Regni Comitibus, pandere consuevit, ea quoque obiecta, quae in hoc generali Praelatorum conuentu, discutienda, defigendaque clementer cuperet, benigno Rescripto Regio, ad me dato, complexus est; cuius quidem tenores, isthic, ad publicam omnium notitiam subiungimus:

Franciscus primus, diuina fauente clementia, Austriae Imperator, Hungariae, Bohemiae, Galliciae, et Lodomeriae, Rex Apostolicus, Archi-Dux Austriae etc. Reuerendissime in Christo Pater, et Illustrissime Princeps, cognate nobis sincere dilecte! Clementer accepimus demissam Dilectionis, et fidelitatis Vestrae opinionem, in ordine ad inualescentem, in dies magis, apud populum, morum corruptelam, et irreligionem, collapsam item, in Clero quoque saeculari non minus, ac regulari morum probitatem, et disciplinam ecclesiasticam, ad mandatum Nostrum depromptam, mediante qua celebrationem Synodi nationalis, in Regno nostro Hungariae, quam ad depellenda mala haec, restaurandamque priscam fidem, pietatem, morumque disciplinam, maxime opportunum remedium esse iudicat, et diui etiam praedecessores nostri, saluberrimo cum successu, adhibuerunt, admitti supplicat. Nos itaque expensis, pro rei grauitate, omnibus meriti huius circumstantiis, ad exemplum praedecessorum nostrorum, gloriosae memoriae Apostolicorum Regum, saluti fidelium populorum nostrorum, paterna sollicitudine semper intenti, b. annuimus, et admittimus, imo potestatem damus, quo dilectio, et fidelitas Vestra, praeuium in finem, Synodum Nationalem, sub praesidio suo, Posonii celebrandam, indicere, et ad eam omnes, ad sacram Regni nostri Hungariae Coronam pertinentes Episcopos, Praepositos item Capitulares, nec non Praepositos antistites, in Regno Hungariae, eidemque adnexis partibus existentium religiosarum familiarum, omnes denique, quos, in generali hoc Ecclesiae Hungaricae Praelatorum conuentu, interesse de iure oportet, con-

uocare valeat; quibus in vnum congregatis negotium, in causas, fontesque inualescentis morum corruptelae inuestigandi, et de modo, quo efficax, malis his, medela afferatur, deliberandi, incumbat; cumque, praeter hoc, praecipuum restaurandae disciplinae religionis caput, alia quoque negotia reperiantur, quae mutuis Episcoporum consiliis facillime discuti, ac tutissime superari possint: volumus, vt generatim in eadem nationali Synodo, sequentia in pertractationem assumantur:

1-mo. De mediis reuehendae collapsae moralitatis, signanter de disciplina Cleri ri saecularis, et regularis, ipsiusque studiosae iuuentutis, restauranda.

2-do. De doctrinae non secus, ac methodi uniformitate, in Lyceis Episcopali- bus, vbique introducenda.

3-tio. De litibus, inter Professores Theologiae, in Regia Vniuersitate, vigenti- bus, componendis.

4 to. De statutis religiosorum Ordinum, ad praesentem Ecclesiae statum accom- modandis.

5-to. De noua Bibliorum Hungaricorum, versionis Káldianae, optima quaque ratione, adornanda editione.

6-to. De ampliori fundo Instituti Viennensis, sublimioris Presbyterorum educa- tionis, ad rationem decem Hungarorum Presbyterorum, conflando.

7-mo De Missarum olim, penes abolitos religiosos Ordines fundatarum, cum ingenti Fundi Religionis, iniquitate temporum exhausti non secus, ac curati Cleri, o- nere coniunctarum, reductione.

8-vo. De Sedium spiritualium, ac iudiciorum ecclesiasticorum, vniformi, et ad finem magis exacta, saluis caeteroquin, eatenus latis patriae legibus, coordinatione.

Quae tamen omnia, postquam debite discussa, et communibus suffragiis supera- ta, ac conclusa fuerint, praeuic altissimo obtuti nostro, pro obtinenda b. ratihabitio- ne Regia, substernenda erunt.

Caeterum, pollicemur nobis, dilectionem et fidelitatem Vestram, omnem cona- tum adhibituram, eoque sedulo collaboraturam, vt praeindicata obiecta, quae in hac Synodo Nationali assumenda sunt, pro eorum grauitate, omni cum diligentia, elu- cubrentur, ponderentur, et in vere salutare vtriusque reipublicae incrementum su- perentur, ipsa Synodus autem, quo ocius fieri potuerit, concludatur. Cui de reliquo gratia et clementia nostra Caesareo-Regia benigne, iugiterque propensi manemus. Da- tum Labaci die 23. mensis Martii, anno Domini 1821.

Franciscus m. p. Princeps Franciscus Koháry m. p. Josephus Nándory m. p.

Nihil equidem nobis accidere potuisset iucundius, quam generalem hunc Regni Hungariae, Partiumque adnexarum, Praelatorum, conuentum, e vestigio indicere, ac praeterlapso adhuc anno 1821. maximo Ecclesiae emolumento, prout in Domino confidimus, celebrare, nisi rerum, in Synodo hac agendarum, grauitas, ac varietas, ipsaque Synodi Nationalis indoles, longiorem, hac in re, moram postulassent. Id tamen, quod in nostra tum fuit potestate, praestare cupientes, Venerabiles Fra- tres nostros, Archi, et Episcopos, vacantiumque Sedium Vicarios Capitulares, de

serio nostro proposito, Synodum Nationalem, Posenii, mense Majo, anni labentis, celebrandi, fecimus certiores, eosque, penes communicationem benigni Rescripti Regii, maiorem in modum hortabamur: vt obiecta futurarum consultationum nostrarum, praecipue vero illud, quod reuehendam vniuersim morum integritatem, ecclesiasticam disciplinam, ac studiosae iuuentutis educationem respicit, collatis, cum sacro suo Senatu, senioreque Clero consiliis, pro singulari sua sapientia, zeloque pastorali expendere, Synodum Dioecesanam, hoc fine, quam primum celebrare, eiusque conclusa, ante exitum anni superioris, nobiscum communicare non grauarentur. Factum est a compluribus Antistitibus, ac Vicariis Capitularibus, quod fraterne petebamus; atque e Synodalibus conclusiis, nobis transmissis, non sine intimo solatio, intelleximus, in plerisque Regni Hungariae Dioecesibus, Synodos Dioecesananas in hoc argumento, egregio pastorali zelo non minus, ac prudentia fuisse celebratas. Sed cum similium conclusorum, a nonnullis Dioecesibus exspectatione, mensis Maius efflueret, aliaque ex aliis, medio tempore, salutari nostro proposito obiecta fuissent impedimenta: fieri prorsus non potuit, vt fidem, de indicenda, celebrandaque Synodo, datam, eo tempore exoluereamus.

At vero nunc, postquam, Deo propitio, ita res nostras comparatas agnoscimus, vt omnem vltiorem moram, non modo inutilem, sed vehementer noxiam reputare debeamus: inuocato Dei omnipotentis, qui est fortitudo nostra, auxilio, firmissime omnino decreuimus, Concilio huic Nationali, a quo Augustissimus Imperator, et Rex noster Apostolicus, vniuersaque patria vberimos fructus expectat, in libera Regiaque Ciuitate Poseniensi, et quidem in Ecclesia SS. Saluatoris, curiae nostrae Primatiali vicina, Dominica 15. post Pentecosten, in diem 8. mensis Septembris, anni labentis, incidente, qua festum natiuitatis Beatissimae Virginis Mariae celebrabimus, initium facere, in certam spem erecti: Dominum nostrum Jesum Christum, auctorem, et consummatorem fidei, in cuius nomine congregabimur, quemadmodum promisit, in medio nostrum adfuturum, omniaque aduersarii molimina spiritu oris sui dissipaturum.

Quapropter Vos omnes Venerabiles Fratres, filique, in Christo dilectissimi, qui intra fines sacrae Regni Coronae, id vero est, Primatiae, et legationis nostrae, Archi-Episcopali, Episcopali, aut, Sede vacante; Vicariali, Abbatiali, Praepositurali, Capitulari dignitate, aut superiorum, in creditis vobis, regularibus prouinciis, munere fungimini, per viscera misericordiae Dei nostri, obtestamur, imo autoritate Primatis, et Sanctae Sedis Apostolicae Legati Nati, firmiter in Domino vobis praecipimus: vt ante diem octauum Septembris, anni labentis, triduo, Posenium, ad designanda interea, per requisitum, eatenus, a nobis Magistratum L. R. Ciuitatis huius, opportuna hospitia, personaliter comparere, Synodo Nationali, sub praesidio nostro, celebrandae, interesse, Nostraque, ad Ecclesiam Hungaricam ornandam, studia, suffragiis Vestris adiuuare, quemcunque vero, legali impedimento, ab aditu Synodi prohiberi contigerit, alteri personae, in dignitate ecclesiastica constitutae, rationem absentiae efficacem, in Synodo, redditurae, vices suas, in hoc, deferre, te-

neamini. Interea vero etiam, Vos, Venerabiles Fratres, filiique, in Christo dilectissimi, in Domino, a quo bona cuncta procedunt, quantum possumus, hortamur: vt quemadmodum nos ipsi, oblata quotidie immaculata hostia, indictisque precibus publicis, ac iniunctis, saeculari, ac regulari Clero, ieiuniis, singulis diebus Sabbati, ab hodierna die, vsque felicem Synodi conclusionem, obseruandis, misericordiam Dei implorare, gratiamque S. Spiritus, qui mentes nostras illuminet, et inducat in omnem, sicut Dominus promisit, veritatem, impetrare aditemur: ita Vos, quisque intra limites spiritualis suae iurisdictionis, hoc ipsum facere satagatis. Volumus autem praesentis Indictionis Synodi Nationalis exemplum, pro recepto more, valuis Ecclesiae, vrbs nostrae Archi-Episcopalis, nunc vicem Metropolitanae subeuntis, tum Ecclesiae Collegiatae Poseniensis, ad S. Martinum, Ecclesiae item SS. Saluatoris ibidem, denique Ecclesiae S. Nicolai Tyrnauiensis, affigi, et, vt tanto certius, ad omnium quorum interest, notitiam perueniat, singulis Vestrum transmitti. Gratia Domini Nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen. Datum Budae in via Regia, in aedibus Nostris Primatialibus, die 1. Junii 1822. Archi-Episcopus Nostri anno tertio.

290. *Constitutio Pii VIII. Papae de matrimoniis mixtis. A. 1830.*

Pius P. P. Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam benedictionem. Litteris altero ab hinc anno ad Leonem XII. glor. mem. Praedecessorem nostrum datis diligenter, Fratres Venerabiles, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen, propterea quod ciuili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, vt in matrimoniis mixtis liberi vtriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis, vllam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsonem et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias, quas eae literae plenius explicabant. Sed grauiori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati nostrae inscrutabili Dei iudicio reseruatum est, ea Vobis responsa reddere, quae Praedecessor noster praebere, morte praeventus, non potuit. Si quidem Sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis Regionibus ad eius legis executionem postulari, significastis. Verum duo sunt, quae haud parum nos recreant, videlicet Vestrum pariter et Sacerdotum, qui sub Vobis sunt, pro doctrina Ecclesiae tuenda, seruandisque illius regulis, studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII literis demonstrastis, ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, vt pariter inuistis, ipse auctor quodammodo Vobis fuit, vt Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus Vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus, non modo Vos, rescriptis hisce nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Majestatem Vobis non succensuram. Si eidem in rebus ciuilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non ciuiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt

matrimonii eiusdem sanctitatem et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras Religionis Catholicae regulas custodiat. Itaque ad rem propius venientes haud nobis opus est, ut Fratritates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quae nam aduersus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes, religiose custodirentur. Quod Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inueniuntur; id profecto graues ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiacere consueuerunt conditionem expressam de praemitendis matrimonio oportunitate cautionibus, non modo, ut coniux catholicus ab acatholico peruertere non posset, quin potius ille teneri se sciret, ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles vtriusque sexus, ex eodem matrimonio procreanda, in catholicae Religionis Sanctitate omnino educeretur. Nostis autem Venerabiles Fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales diuinaeque leges sartae tectae habeantur. Quando quidem exploratum est, catholicas personas, seu viros seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo peruersionis temere committant, non modo Canonicas violare sanctiones, sed directe etiam grauissimeque in naturalem ac diuinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, nos quoque grauissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas, illa a vobis aut a parochis Vestrarum Dioecesium fieri despertiremur, per quae si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare nos summo opere commendantes zelum illum vestrum, quo catholicos vestrae curae commissos a connubiis mixtis auertere hactenus adlaborastis, enixe Vos in Domino exhortamur, ut post hac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni potentia et doctrina: horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Iuxta haec igitur quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a Parocho edocenda erit, quae circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de graui scelere, quo apud Deum rea fit, si eos violare praesumat: et maxime opportunum erit, eandem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae religionis dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo saluus esse possit, proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo exspectat, iam nunc crudeissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salutaria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iterando eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiratur, vtrum alia sint, quae illis obstarent, impedimenta canonica. Quod si nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a Catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur et grauiora rei catholicae mala obuenciant;

sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debet non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quouis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa cum rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui, ad grauiora rei catholicae incommoda auertenda, praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogentur, patiantur quidem eas ipsis praesentibus confici, (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed cauerent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis villo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab Ecclesiastico quouis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita nobis censumus statuendum, ut auertantur, quoad fieri potest, scandala, quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis, itemque, ut Catholici illi, qui coniunctione viuunt eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrimis expiandum, denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Jam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic vsque ad praesens tempus sine parochi praesentia inita sunt, nos breui delegabimus fraternitatibus vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis, magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per nostras has literas volumus, et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25. Martii A. 1830.) in vestris Dioecesibus contrahi contingat, non seruata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eis nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur, pro ut nos Autoritate nostra Apostolica matrimonia ea vera et rata fore declaramus, atque decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Quo circa catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum ac ratum coniugium iniuisse. Insuper pastorum officium erit, Catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas, nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in charitate Dei et patientia Christi, ut de graui patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, et praesertim, qua erga suos filios tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem, pro viribus seduloque curandam. Post haec superuacaneum ducimus, Venerabiles Fratres, vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicae religioni creetur inuidia, quandoquidem Fraternitates Vestras id probe nosse, compertum nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas seruent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae ciuilibus sunt ordinis, regias leges non propter seruilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod vos ab

his, in quibus estis angustiis, penitus eximere non potuerimus. Sed nolite deficere animo. Ipse serenissimus Rex, qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit, factoque ipso aliis occasionibus comprobauit, non patietur (vt plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa vestra officia directe afficit, vos diutius exagitari; sed anxietatibus vestris pro sua clementia commotus, et nostris pariter votis obsecundans. Vobis remittet, vt religionis catholicae regulas hac etiam in re seruare ac exequi libere valeatis. Quod vt feliciter eueniat, a Deo, in cuius manibus corda sunt Regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus nos facimus, et vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea praecipuae, qua vos complectimur, charitatis testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam fraternitatibus vestris, nec non omni Clero ac fideli populo vestris curis concredito, peramanter impertimur. Datum Romae apud St. Petrum die vigesima quinta Martii 1830. Pontificatus Nostri anno primo.

291. *Instructio ratione praemissae constitutionis. A. 1830.*

Summus Dominus noster Pius, diuina prouidentia Papa VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem atque Episcopos Treuirenses, Paderbornensem et Monasteriensem rescribens per literas datas die 25. Martii 1830. eis significauit, quam magno moerore affectus ipse sit ob graues angustias, in quibus illos versari cognouerat, propterea quod ciuilis lex in eorum regionibus anno 1830. lata statuerat, vt proles vtriusque sexus ex matrimoniis mixtis orta, in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia huiusmodi contracturis, vllam exigant super religiosa futurae proles educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas sua ullo modo declinare a constanti illo studio, quo sedes apostolica semper vigilauit, vt sacri canones, qui mixtas huiusmodi nuptias deformitatis et spiritualis periculi plenas prohibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a sanctissimo illo sedis eiusdem instituto, per quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet et graues interdum ob causas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueuerant conditionem expressam de promittendis matrimonio opportunis conditionibus, non modo vt coniux catholicus ab acatholico peruerti non posset, quin potius ille teneri se sciret, ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam vt proles vtriusque sexus, ex eo coniugio procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac diuina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se, aut futuram sobolem periculo peruersionis temere committat; exinde sane manifestum est, memoratas omnes cautiones idcirco adhiberi, vt naturalis diuinaque lex, sarta tectaue habeatur. Quare Sanctitas sua debitis prosequens laudibus praedictos antistites, pro pastoralis zelo, quo catholicos suae curae concreditos auertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, vt posthac quoque idipsum sedulo prudenterque adlaborent; simul vero

et nonnulla iisdem litteris praescripsit, quae Episcoporum eorundem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catholicos in illicita illa connubia prolabentes ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. Atque vna declarauit, magnam se erigi in spem, non modo Episcopos pontificiis illis rescriptis religiose obsequituros, sed ipsum quoque Serenissimum regem pro sua aequitate et erga catholicos sibi subditos indulgentia haud aegre laturum, si animarum Pastores Maiestati suae, in ciuilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem, et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis catholicae regulas obseruent. Quam vtramque spem nunc etiam magnopere fouet summus Pontifex, dum in hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eandem rem indulgentia aut toleranda decreuit.

Et primo quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor dioecesibus, Coloniensi, Treuirensi, Paderbornensi et Monasteriensi hucusque inita sunt, praeter formam a Concilio Tridentino praescriptam, iam Sanctissimus Dominus noster suis illis ad Episcopos litteris indicauit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, vt possint malis inde ortis magna sane ex parte mederi. Nimirum summus Pontifex memor Vicarium se esse Christi, qui venit quaerere et saluum facere, quod perierat, ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viuentes coram Deo et Ecclesia irriti, sed coram ciuilibus loci legibus valido, in magna redeundi ad bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus ipsis apostolice decreuit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archiepiscopo Coloniensi et Episcopis Treuirensi, Paderbornensi, et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi vnusquisque illorum tanquam delegatus apostolicae sedis possit in sua dioecesi confirmare, atque etiam in radice sanare nuptias vsque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter vnam partem catholicam et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sint, quod in iis contrahendis seruata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta; ideo Sanctissimus Dominus noster plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tanquam sedis apostolicae Delegatus ab impedimentis illis in sua Dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus apostolica sedes ob graues causas dispensare iam solet, et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta, ibidem vsque at praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de eorum virtute opinionem fouet, planeque confidit, ipsos potestate tam ampla prudentissime usuarios. Et praeterea summus Pontifex declarat, episcopos eosdem illa omni potestate vti posse etiam per alios idoneos Ecclesiasticos, viros a se specialiter delegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis vsum spectantia, de quibus Sanctitas sua Episcopos, eorumque subdelegatos admoneri mandauit. Primo scilicet, vt in singulis casibus

prospiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat noua per vtramque partem consensus significatione, ea scilicet significatione, quae debito modo fiat, et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a sede apostolica exigi consueuerunt. Et hanc quidem consensus renouationem tunc ipsi procurent, quando omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum grauioris mali periculum fore consuerint in ea re postulanda et perficienda; contra vero si grauia ea mala iuste metueuda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, vt quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanant in radice, admone-re omnino teneantur catholicam partem de grauitate sceleris, ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque imprimis adhortari illam in Domino, vt suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim, quod catholicam filiorum vtriusque sexus educationem respicit. Tertio, vt Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter eonfirmandis, quae coram ciuili lege breui dissoluendae praeuideantur per sententiam magistratus diuortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem Sanctissimus Dominus noster indulgentia decreuit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens vsque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis felicius reuocandos. Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint; quando quidem ex ipsa facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccatum. Caeterum Sanctitas sua in litteris ad eosdem Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declarauit, matrimonia mixta praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25. Martii) ineunda vera et rata matrimonia fore, quamuis praeter formam contrahantur a Concilio Tridentino praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Nouit equidem summus Pontifex molestias illas grauissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidam insano amore turpiter dementati nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis et sacerdotes vexant eisdem ea in re conuiuere abnuentes. Adhuc tamen Sanctitas sua Antistites ipsos in Domino adhortatur, vt illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam apponant, quin imo et eosdem ad saniora satagant consilia reuocare. Quod si aliquo in casu paternis hisce sacrorum pastorum studiis in irritum cadentibus catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi remoueri non possit, et impedimentum, cuius relaxatio postulatur, pro nuptiis valide contrahendis pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum siue consanguinitatis, siue affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta, quae inter levatum et leuantem intercedit) vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam, tum Episcopum ipsum considerare oportebit, vtrum iusta atque vrgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, vt non priuatorum duntaxat hominum, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque vna aportebit illud implorare feruidis precibus lumen spiritus sancti, vt deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domi-

no expedire censuerit. Jam vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis eadem illius causae grauitate permotus ab aliquo praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus neque ab alio quouis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensauerit, hoc sane Summus Pontifex nullo vnquam suo actu probaturus est, tolerabit tamen inuito quidem, sed patiente animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque seruatis, quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo, cum facultates aliae, quas Sedes apostolica Episcopis iisdem delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquennii tempus definitae sunt, declarat Sanctitas sua, praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1830. inchoandum duraturam, et ita quidem, vt quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedantur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censi valeat, nisi ipsa quoque nouo actu, verbisque expressis fuerit repetita. Insuper secundo decreuit Sanctissimus Dominus Noster, quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur a gradibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat, nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne ac sedulo adhortatus fuerit, ad eosdem religiose custodiendos, monueritque imprimis de grauissimo scelere, quo apud Deum rea fiat, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis vtriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. Tertio atque, si aliquo in casu (quod Deus auertat) contigerit, vt Episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit, ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamuis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interueniat, statuit Sanctitas sua, vt tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum, seu per litteras catholicae eidem parti tradendas, vbi perspicuis verbis denunciatur, impedimentum, quod nuptiis obstaret, idcirco tantum eo in casu relaxari, ne grauiora scandala eueniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam grauissime catholicam partem, quia illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro cum deinde eadem nuptiae illicita hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quouis ritu nuptiis ipsis admiscendo, sed etiam a quocunque alio actu, quo sacerdos approbare illas videatur; quemadmodum in supra dictis Sanctitatis suae litteris praescriptum est.

Posthac Sanctitas sua ad Crucifixi pedes prouoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea duntaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne grauiora religioni catholicae incommoda obuenant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit, quod implorato S. Spiritus lumine, censuerit in Domino expedire, et cetera omnia, quae dicta sunt, religiose seruauerit. Postremo Sanctitas sua Episcopos monet, enixeque in Domino obtestatur, vt videant etiam atque etiam, ne huiusmodi ipsorum ratione erga homines mixta connubia illicita

contracturos contingat, vt in catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia illa detestantium, et constantissimi studii, quo s. mater ecclesia filios suos auertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit flagrantiore in posterum zelo in id incumbere, vt in catholicis eorum curae commissis, tam privatim quam publice instruendis, doctrinam et legem ecclesiae ad connubia eadem pertinentes prudenter simul et sedulo commemorent, eorumque custodiam inculcent. — Romae die 27. Martii anni Domini 1830. Signatum J. Card. Albanus.

292. *Gregorii XVI. Papae ratione eorundem matrimoniorum mixtorum constitutio anno 1832.*

Venerabiles Fratres! Salutem et Apostolicam Benedictionem. Summo iugiter studio aduigilauit apostolica sedes, vt ecclesiae canones, qui nuptias catholicorum cum haereticis seure prohibent, religiose custodirentur. Et quamuis ad grauiora euitanda scandala quandoque in aliquibus locis necesse fuerit, illicita huiusmodi Matrimonia tollerare; non tamen praetermiserunt Romani pontifices omni, qua possent, ratione providere, vt tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiae illae praeseferant quantique propterea sceleris reus sit catholicus vir aut mulier, qui canonicas ea de re sanctiones violare praesumerit. Quod si interdum Romani ipsi pontifices sanctissimum idem canonicum interdictum relaxarunt in peculiaribus casibus, id sane graues ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus consueuerunt adicere conditionem expressam de praemittendis matrimonio debitis cautionibus, non modo vt coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam vt proles vtriusque sexus in sanctitate religionis catholicae omnino educaretur. Itaque nos, qui licet immerentes supremam Petri cathedram, Deo ita disponente, tenemus, prae oculis habentes rationem illam a praedecessoribus nostris sanctissime initam, non potuimus, Venerabiles Fratres, non contristari vehenter ob allatos e vestris Dioecesibus (vti ex aliis diuersis locis) plures certosque nuncios, ex quibus intelleximus, inueniri isthic nonnullos, qui apud populum curis vestris creditum, fouere omni opera nituntur, omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque ad eam facilius promouendam, opiniones disseminant catholicae veritati contrarias. Scilicet ipsi, vt accepimus, affirmare audent, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere, non modo non impetrata ecclesiae dispensatione (quae iuxta notas regulas in singulis casibus ab hac apostolica sede imploranda est) sed praetermissis etiam debitis, quas supra memorauimus, cautelis, illa praesertim, quae est de prole vniuersa catholice educanda: quin imo eo res deuenit, vt iidem mixta illa connubia tunc quoque probanda esse contendant, cum haeretica pars habeat priorem alium coniugem adhuc viuentem, a quo diortio discesserit: ad haec et graues poenarum minas adhiberi curarunt, quibus inducantur animarum pastores, vt mixtas nuptias

in ecclesia coram catholico populo proclament, et postea assistant actui, quo illae contrahantur, vel saltem contracturis dimissoriales, quemadmodum appellant, literas concedant; denique nec desunt ex ipsorum illorum numero, qui sibi, aliisque persuadere conantur, non in catholica solum religione saluari hominem, sed eos quoque, qui haeretici sint, atque in haeresi moriantur, ad aeternam vitam posse pertingere. Nonnulla tamen sunt, Venerabiles Fratres, quae moerorem leuant a nobis conceptum: constantia videlicet maximae partis Bauarici populi in retinenda puritate catholicae fidei, atque in sincero erga ecclesiasticam auctoritatem obsequio; itemque firmitas istius Cleri fere vniuersi in sui ministerii partibus ad canonum normam obeundis; praesertim vero eximium pastoralis muneris implendi studium, quo Vos, Venerabiles Fratres, animari nouimus, vt quamuis circa rationem in hoc mixtarum nuptiarum negocio, seu in quibusdam eiusdem rei capitibus tenendam non eadem Vestrum sententia sit, cunctis tamen deliberatum fixumque est obseruare apostolicam hanc sedem, eiusque ductu custodire concreditos Vobis greges, nec reformidare pericula, si quae pro salute ouium adeunda fuerint. Adsumus itaque nostris hisce literis, Venerabiles Fratres, ad confirmandas pro munere apostolici nostri ministerii Fratrnitates Vestras, vt in re, de qua agitur, irreformabiles praedicare doctrinas fidei, et tueri custodiam canonum maiori vsque alacritate pergatis, atque vt Nostra Vobis patefata sententia perfectior deinde inter Vos omnes et cum sancta hac sede consensio sit. Sed antea abstinere non possumus, quin communicemus vobiscum praconceptam Nobis spem, vt carissimus in Christo filius noster, Ludouicus Bauariae rex illustris, intelligens ex concordi nostra, vestrumque omnium voce veram praesentis causae indolem, pro auito, quod cum sanguine hausit, catholicae religionis studio adesse nobis, vobisque velit praeualido patrocinio suo, vt mala, quae ex ipsa illa causa rei catholicae imminet, auerruncentur, atque adeo sanctissima nostra religio in toto Bauariae regno sarta tectaue habeatur, catholicique antistites, ac sacrorum ministri in suis gerendis muneribus plena libertate fruuntur, quemadmodum et in conuentione cum hac sede apostolica anno 1817. inita cautum est. Porro ad rem venientes, initium, vt par est, facimus ab iis, quae fidem spectant, sine qua impossibile est placere Deo (ad Hebr. XI. 6.), et quam, vt supra monuimus, nonnulli in discrimen adducere conantur, ad libertatem matrimonii mixti latius inducendam. Ignotum vobis non est, Venerabiles Fratres, quam impenso, constantique studio, maiores nostri inculcauerint cum ipsum, quem illi negare audent, fidei articulum, qui est de catholicae fidei atque vnitatis necessitate ad consequendam salutem. Quo spectant illa verba celeberrimi apostolorum discipuli. S. Ignatii Martyris in epistola ad Philadelphicos: „Non erretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur“ (Tomo I. bibliothecae veterum a Gallandis editae pag. 276.). S. Augustinus autem, aliique Africani episcopi in Zertensi concilio anno 412. congregati id ipsum fusius explicabant: „Quisquis ab hac catholica ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter viuere se existimet, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Inter epistolas S. Augustini nro 141. edit. Maurim.). Et praetermissis aliis, quae prope innumera sunt, antiquorum

patrum locis, laudabimus gloriosum illum praedecessorem nostrum, S. Gregorium magnum, qui expresse testatur, eam ipsam esse catholicae ecclesiae doctrinam: ait enim: „Sancta vniuersalis ecclesia praedicat, Deum veraciter nisi intra se coli non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime saluabuntur.“ (Moralium, siue Exposit. in lib. Job. 14. cap. 5.) Exstant praeterea solennes ipsius ecclesiae actus, quibus dogma idem annunciatum est. Ita in decreto fidei, quod edidit noster item praedecessor Innocentius III. cum oecumenica synodo Lateranensi IV. haec habentur: „vna vero est fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.“ (Cap. firmiter de summa Trinitate et fide catholica). Denique idem etiam dogma expresse indicatum habetur in fidei professionibus ab apostolica sede propositis, tum in illa videlicet, qua omnes ecclesiae latinae vtuntur (vid. dict. professionem 6. Hanc veram) tum in aliis duabus, quarum altera a Graecis, altera a ceteris orientalibus catholicis adhibetur (vid. Gregorii XIII. constitut. Sanctissimus Dominus Tomi IV. part. 312. Bullarii Romani edit. Mainardi; et Benedictum XIV. constitutione: Nuper ad nos 78. §. 5. Versu. Hanc fidem“ in Bullario eiusdem pontificis Tom. I.). Haec ex pluribus selecta testimonia non eo recensuimus animo, Venerabiles Fratres, vt vos quasi eum fidei articulum ignorantibus edoceremus. Absit a nobis, vt tam absurdam et contumeliosam de fraternitatibus vestris suspicionem habeamus. Sed tanta nos sollicitudo tenet, ob grauissimum iuxta ac exploratissimum dogma tam insigni a quibusdam audacia impugnatum, vt continere calamum non potuimus a veritate illius pluribus inculcanda. Eia igitur, Venerabiles Fratres, assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei, totisque animorum viribus gliscentem errorem eradicare contendite. Sic agite, sicque agant ductu vestro ceteri, qui sub vobis sunt, animarum curatores, vt fidelis Bauariae populus excitetur ad catholicam fidem, atque unitatem tanquam ad vnicam salutis viam, ardentiori vsque studio custodiendam; atque adeo ad omne illius desiderandae periculum vitandum. Quae quidem catholicae vnitatis tenendae necessitas vbi fuerit impressa in cunctis Bauarorum fidelium animis, atque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita, atque adhortationes, quibus ipsos auertere conabimini a nuptiarum foedere cum haereticis coniungendo; aut si aliqua interdum grauis causa interueniat, quae mixtas huiusmodi nuptias suadere videatur, vt illas non aliter contrahant, nisi impetrata ecclesiae dispensatione, et conditionibus, quae, vt supra diximus, praescribi ab illa solent, religiose seruat. Vestrum scilicet officium est, vt fideles mixta illa connubia inire cupientes (vti et eorum genitores, aliiue, sub quorum cura sunt) edoceantur sedulo, quanam circa eam rem canonum sententia sit, grauiusque moneantur, ne eos in perniciem animarum suarum perfringere audeant. Quare si res ita postulet, reuocare in illorum memoriam oportebit notissimum illud naturalis, diuinaeque legis praeceptum, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia, vitare iubemur: vti et praeceptum aliud eiusdem legis, quo parentibus iniungitur filios educare in disciplina et correptione Domini (ad Ephes. VI. 4.) ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui vnicuique in catholica religione est. Hinc adhortabini fideles illos, vt serio perpendant, quantam supremo numini injuriam

faciant, et quam crudeliter erga se, futuroque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se, filiosque ipsos peruersionis periculo committant. Atque vt grauitas periculi eiusmodi luculentius appareat, commemorabitis iisdem saluberrima illa apostolorum, patrum, canonumque monita, quae sunt de periculosa cum haeticis familiari conuersatione euitanda. At vero si nonnunquam contigerit (quod Deus auertat) vt monita et adhortationes huiusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis mulierue recedere nolit a peruerso suo consilio ineundi mixtas nuptias non petita, seu non impetrata ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus, seu earum aliqua praetermissa, tunc sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus, atque a dimissorialibus literis concedendis. Vestrum est autem, Venerabiles Fratres, admonere parochos, ac rite ab iisdem exigere, vt ab omni huiusmodi actu se abstineant. Enimvero animarum curator, qui se aliter gereret, in praesentibus praesertim Bauariae adiunctis, approbare quodammodo illicitas illas nuptias facto suo videretur, et illorum libertatem animarum saluti, imo et fidei causae perniciosam, sua ipse opera foueret. Post haec vix est, vt aliqua addamus, de aliis illis longe grauissimis matrimonii inter catholicos et haeticos contrahendi, in quibus pars catholica habeat adhuc viuentem priorem coniugem, a quo diuortio seiuncta fuerit. Nostis, Venerabiles Fratres, quanta ex diuino iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nuptiae, quas haetica pars diuortio dissolutas autumat, irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum seruanda erunt omnia, quae supra dicta sunt, sed cauendum insuper, vt nouum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haetica parte iam antea initi, cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae vobis circa rem, de qua agitur, significanda, censuimus. Interea non desistimus Deum O. M. feruidis precibus sollicitare, vt Vos et inclytum omnem Bauariae clerum virtute induat ex alto, atque vna cum fidelibus isto populo dextera sua tegat, et brachio sancto suo defendat. Maximae autem, qua Fratritates Vestras in Domino prosequimur, caritatis pignus sit apostolica benedictio, quam memoratis quoque Vestrarum dioecesium clericis, laicisque fidelibus dispertiendam Vobis perenniter impertimur. Gregorius PP. XVI. Datum Romae apud S. Petrum die 27. Maii A. 1832. Pontificatus nostri anno secundo.“

293. *Eiusdem Gregorii eodem in merito declaratio. A. 1838.*

Venerabiles Fratres! Dum intima conficeremur amaritudine ob afflictas passim, ac pene prostratas Catholicae Ecclesiae res, atque eo loco positi, quo plorare non sufficit, curas cogitationesque omnes intenderemus, ad contritiones Israel pro tradi-

ta diuinitus nobis potestate sanandas; noua repente accessit doloris causa, quam sane profiteremur eo nobis acerbiorem, accidisse, quo minus exspectandam existimabamus. Nec vero latere vos potest, Venerabiles Fratres, quorsum ista referantur, et vnde animum nostrum subierit sollicitudo, coetus vestri huc proutinus aduocandi. De re namque agitur minime obscura, neque ex priuatis tantummodo nuntiis accepta, immo satis iam per publicas literas euulgata. Grauissimam querimus iniuriam, illatam nuper Venerabili Fratri Clementi Augusto Archiepiscopo Coloniensi, qui regio iussu omni pastoralis iurisdictionis vsu prohibitus, e sua sede per vim magnoque armorum apparatu eiectus, atque alio relegatus est. Inde autem tanta illi calamitas obtigit, quod constanter quidem paratus reddere Caesari quae Caesaris sunt, at memor officii sui de Ecclesiae doctrina et disciplina religiose seruanda, non aliam sibi in mixtarum nuptiarum negotio proposuerit regulam, praeter eam, quae Apostolicis literis ad Archiepiscopum et Episcopos in parte occidentali Borussici regni datis die 25. Martii anni 1830. ab fel. mem. Pio VIII. Praedecessore Nostro fuerat declarata. At qui tamen per eiusmodi litteras Sancta haec Sedes suam eousque protulerat indulgentiam, vt ipsa verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit. Cui profecto benignitatis rationi, exploratissimum vobis est, commemoratum Decessorem nostrum aegre admodum inhaesisse, non aliunde quidem adductum, quam necessitate praecauendi funestiora mala Ecclesiae et catholico illarum regionum Clero ex intentatis minis certissime obuentura. Quis porro futurum putaret, vt Pontificia isthaec declaratio, indulgentissima licet, et semel atque iterum per regium in vrbe oratorem accepta, eo sensu adhiberetur, qui inconcussa catholicae Ecclesiae principia peruerteret, et huius Apostolicae Sedis menti penitus repugnaret? Verum quod nemo vnus fingere aut excogitare posset, quodque vel leuiter suspicari crimen fuisset, id artificioso secularis potestatis impulsu factum est. Vix rem non sine maxima animi molestia nouimus, nihil distulimus, quin expostulationes nostras iis, ad quos pertinebat, deferendas committeremus vna simul declarantes, quanta nos ex Apostolico munere teneret necessitas, fideles opportune monendi, ne illud a sancta hac sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane adhorreret. Cumque ita nobis fuisset responsum, veluti nullo querelae nostrae inniterentur fundamento; epistola accessit alterius ex praedictae regionis praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno Judici rationem villicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab Episcopis vrgente ciuili Gubernio; accurate significabat, damna grauissima exinde Ecclesiae oritura, laesosque illius canones, diuinae gratiae lumine inspicientem, errorem, cui subscripserat, libera mente, motuque proprio retractare. In curam proin statim incubuimus vt, perlato ad Serenissimum Regem germano istius apographi exemplo, magis magisque innotesceret, nos initam a memoratis Episcopis rationem interpretandi Apostolicas praedecessoris nostri litteras, vtpote Ecclesiae principiis ac legibus aduersantem, omnino reprobare. Ex his primum est vobis intelligere, Venerabiles Fratres, nullam in eiusmodi negotio officii partem per nos fuisse praetermissam. Attamen (moerentes dicimus penitusque dolore

perculsi) nobis plane insciis, et aequum ad has nostras expostulatione declarationesque responsum adhuc praestolantibus, indictum Archiepiscopo Coloniensi est, vt vel interpretationem illam per nos improbatam, circa mixtas nuptias sectaretur, vel episcopale munus dimitteret, patefacta, si secus faceret, Gubernii sententia, de pastoralis iurisdictione ei prorsus interdicenda. Nec mora: vti par erat, reluctantem, res ita contigerunt, quemadmodum initio perhorrescentes exponebamus. Atque hic adhibitam nobiscum rationem attendite: non nisi enim prima die vertentis mensis hodiernus Borussici Regni negotiorum Gestor nuntiauit, vti proxime euenturum, vel eo ipso temporis momento perficiendum, quod iam a die vicesima prima superioris mensis factum, consummatumque fuerat. Quae cum ita sint; illud, Venerabiles Fratres, Deo, Ecclesiae, ac ministerio, quo fungimur, nos debere sentimus, vt apostolicam vocem attolentes, ecclesiasticam immunitatem violatam, episcopalem dignitatem despectam, sacram iurisdictionem vsurpatam, Catholicae Ecclesiae sanctaeque huius sedis iura pessumdata, palam in coetu vestro reclamemus. Id autem dum facimus, viro omnigena virtute praestanti Coloniensi Antistiti, redditam vna pariter volumus meritissimam laudem, ob religionis causam, ab ipso tanto cum sui discrimine inuicte propugnata. Hanc vero nacti opportunitatem, quod priuatim hucusque praestare non destitimus, publice nunc solemniterque denunciamus, nos scilicet inductam perperam in Borussiae regno quamlibet praxim circa mixta connubia contra genuinum sensum declarationis ab decessore nostro editae, penitus reprobare. Caeterum, malis aduersus immaculati agni sponam quotidie magis ingruentibus, non possumus, quin vos procurationis nostrae participes pro eximia vestra religione ac pietate vehementer excitemus, ad feruidas nobiscum preces Patri misericordiarum humiliter offerendas, vt respiciat propitius de excelso coelorum habitaculo super vineam, quam plantauit dextera ipsius, diurnamque ab ea tempestatem clamentissime propulset." Romae Anno 1838. Mense Januario.

293. *Fundatio Academiae Quinqueecclesiensis Ignatii Szepesy 1835.*

Nos Ferdinandus Primus Diuina Fauente Clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae, Galiciae et Lodomeriae Rex Apostolicus; Archidux Austriae, Dux Lotharingiae, Salisburgi, Virceburgi et in Franconia, Magnus Dux Cracouiae, Magnus Princeps Transyluaniae, Dux Styriae, Carinthiae et Carnioliae, superioris et inferioris Silesiae, Princeps Bertholdsgadenae et Mergenthemii, Comes Habsburgi etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod Maiestati Nostrae demisse exhibitae sint et praesentatae certae per Fidelem Nostrum Nobis sincere Dilectum Reuerendum ac Magnificum Liberum Baronem Ignatium Szepessy de Négyes episcopum Quinqueecclesiensem. J. Ord. S. Stephani Regis Apost. Commendatorem et Act. Int. Status Consiliarium Nostrum Quinqueecclesiis octaua Augusti anni millesimi octingentesimi trigesimi quinti latino idiomate concinnatae, propriaeque manus subscriptione ac sigillo

roboratae literae fundationales, quibus mediantibus praenuncupatus episcopus eximio in promouendam rei literariae, bonarumque artium incremento, publicam patriae prosperitatem zelo ductus, sine induendarum in liberam regiamque ciuitatem nostram Quinqueecclesiensem, sub nomenclatione lycei episcopalis, scientiarum ad iuridicam et philosophicam facultatem spectantium non solum amplas ordinis condam S. Pauli Eremitae aedes cum templo area et vicino allodio, in praefata libera regiaque ciuitate existentes propriis sumptibus comparasse, necessariaque suppellectili instruxisse, sed et nouam decoram, in fundo per praedictam liberam regiamque ciuitatem nostram literis sacro, domum nomenclatione publicae episcopalis bibliothecae insignitam erexisse, insuper autem in stabilem lycei huius dotationem singulari prorsus munificentia, summam centum mille et quingentorum florenorum conu. monetae erga annum censum, sex pro centum numerandum iam effectiue foenori securis locis locatam, modis, formis et conditionibus in praerecensitis fundationalibus literis vberius et speciatim denotatis ac expressis, pro memorato neofundato lyceo sacrasse dignoscebatur, tenoris infrascripti, supplicatum itaque exstitit Maiestati nostrae per antelatum episcopum debita cum instantia humillime, quatenus nos praeattactas literas fundationales, modo praeuio emanatas, omniaque et singula in iisdem contenta ratas, gratas, et accepta habentes, literisque nostris priuilegialibus inseri et inscribi facientes, benigne acceptare, roborare, ratificare, praefatamque fundationem pro inducendo in praeattactam liberam regiamque ciuitatem nostram Quinqueecclesiensem lyceo episcopi factam, in perpetuum valituram, authoritate nostra caesareo regia confirmare dignaremur. Quorum quidem literarum fundationalium tenor sequitur in hunc modum: Ignatius liber baro Szepessy de Négyes Miseratione Diuina et apostolicae sedis gratia episcopus Quinqueecclesiensis, S. C. et R. aplice Maiestatis Act. Int. Status Consiliarius, philosophiae et SS. theologiae doctor ac Ins. Ord. S. Stephani regis commendator. — Memoriae commendo tenore praesentium et significo, quibus haec nota reddi oportet, vniuersis desiderium illud, vt scientiae ad iuridicam et philosophicam facultatem pertinentes Quinqueecclesiis iterum publice doceantur, auxiliante Deo et caesarea regia apostolica Maiestate clementissime approbante expleri sequentibus scilicet:

1. Amplae aedes cum templo area, cella vinaria et vicino allodio primum ord. S. Pauli Eremitae, deinde fundi religionis, postea comitatus Baranya, tandem ab eiusdem prouinciae vniuersitate episcopali sumptu emtae, restauratae, necessaria suppellectili instructae, et per magistratum liberae regiaeque ciuitatis Quinqueecclesiensis, prout semper fuerant, omnis ciuici oneris immunitate donatae, nomenclationem episcopalis lycei habiturae in perpetuum scholis addicuntur ita vt in templo quidem scholastica iuuentus diuino cultui vacet, — in aedificio quod olim monasterium memorati ordinis fuerat, porro quoque sint auditoria, — duo iuridicae, duo philosophicae facultatis, oecus pro publicis tentaminibus, — musaeum physicum, schola experimentalis, scholae praeparandorum ludirectorum, graphidis et musicae, quinque ecclesiasticorum, et quatuor ordinis Cisterciensis professorum gratuita hospicia, item plura cubilia famuli incolere queant; cella vinaria locetur, et census in sarta tecta aedium im-

pendatur; — in alodio typographia pro emolumento lycei secundum benignum priuilegium, quod sua Maiestas Sacratissima largiri dignata est, expensis e prouentu episcopatum bonorum suppeditandis aperiatur. 2. Eidem instituto adiungitur noua decora domus in fundo, quem libera regia ciuitas Quinqueecclesiensis tributo immunem literis sacrauit, e redditibus Quinqueecclesiensis episcopatus erecta nomenclatione publicae bibliothecae episcopalis insignita, in qua publica bibliotheca, musaeum lectionis, conclauae diuersarum collectionum, duo auditoria theologorum, quatuor theologiae professorum (quorum iunior semper praefectus bibliothecae futurus) gratuita hospitia et alia famulis destinata cubilia sunt et maneant. 3. Necessaria physica et mathematica instrumenta comparata, item cathedris plura recentioris literaturae opera emta sunt; quorum prout et in posterum addendorum adcuratam consignationem prodirector lycei conseruabit, quottannis singula diligenter inspecturus, ac quoties nouo professori tradenda fuerint, adfuturus: ut defectus nefors emersurus expensis illius, cuius culpa accidit, sarciatur. 4. Duo iuniores philosophiae professores sacratissimae caesareo regiae apostolicae Maiestatis benigno Decreto stabilitam e redditibus bonorum Quinqueecclesiensis seminarii annuam remunerationem accipiunt, et quidem conuenienter statuto canonicae visitationis in cathedrali ecclesia Quinqueecclesiensi anno millesimo octingentesimo vigesimo nono peractae, singillatim Rhen. florenos ducentos monetae conuenientialis, item victum, seruitium, hibernam calefactionem, candelas omnia gratuita. 5. Titulo stabilis foundationis huic lyceo donantur centum mille, et quingenti Rhenenses floreni monetae conuenientialis e prouentu Quinqueecclesiensis episcopatus; e qua summa quinquaginta mille et quingenti liberae regiae Quinqueecclesiensi ciuitati, quinquaginta autem mille Rhenenses floreni principi Paulo Eszterházy de Galantha erga annuum censum sex pro centum numerandum foenori dati, cui etiam pro erogationibus ad Diuinum cultum in templo lycei requisitis Andreas Miskölczy praepositus maior, et canonicus cathedralis ecclesiae Quinqueecclesiensis in regni comitiis 1827 promissos Rhen. florenos mille monetae conuenientis mutuos dedit, e quorum annuo censu, scilicet sex mille nonaginta Rhenensium florenorum monetae conuenientialis summa obueniunt. a) Prodirectori floreni ducenti. b) Seniori iuridicae facultatis, qui semper scientiarum politicarum professor et ecclesiasticus erit floreni septingenti. c) Proseniori eiusdem facultatis floreni sexcenti. d) Aliis duobus iuridicae facultatis professoribus simul floreni mille. e) Seniori philosophiae professori floreni sexcenti. f) Proseniori philosophiae professori floreni quingenti quinquaginta. g) Junioribus philosophiae professoribus alteri quidem munus actuarii gesturo floreni centum quinquaginta, alteri vero munditiei et supellectilis curam habituro pariter floreni centum quinquaginta. h) Professore doctrinae religionis et exhortatori floreni quadringenti. i) Professore linguae et literaturae vngaricae atque graecae, nec non supplenti impeditorum iuridicae et philosophicae facultatis professorum floreni quadringenti. k) Curatori scholarum floreni centum quinquaginta. l) Mediastinis quatuor simul floreni quadringenti. m) Famulo, qui in templo sub Diuino cultu obsequia praestabit floreni quinquaginta. n) Ad fiscum templi, quod scholastica iuuentus frequentat, pro

cereis et ceteris floreni quinquaginta. o) Pro erogationibus, quas ligna calefaciendis fornacibus necessaria, physica experimenta, charta, creta, scopae ac his similia postulant, floreni centum quinquaginta. p) Ad rationem sartorum tectorum floreni tercenti quadraginta. q) Perceptorum rationes reddituro floreni ducenti, omnes praemissae summae soluentur in moneta conuentionali.

6. Quia mihi integrum est relinquendarum facultatum (subductis praeiis legatis, aliisque subtrahendis) tertiam partem, cui placet, addicere, huius portionis haereditatem instituo Quinqueecclesiense episcopale lyceum ita, ut e censu pecuniae foenori dandae, subinde emeriti professores pensionem percipiant, aut aedes reparentur. 7) Quatuor professores philosophiae item professores scientiarum politicarum semper e clero Quinqueecclesiensis dioecesis, pariter professorem iuris patrii et viris saecularibus episcopus Quinqueecclesiensis, professores vero statisticae et iuris naturae, item exhortatorem una doctrinae religionis professorem nec non linguae ac literaturae Ungaricae et Graecae professorem ex ordine Cisterciensi abbas unitarum abbatiarum B. M. V. de Zircz Pilis et Pászty idoneos nominabit. Vacante sede episcopali quidem capitularis generalis vicarius, abbatiali vero superior dictarum abbatiarum hoc iure utetur. Quod si memoratus abbas huic iuri renunciaret, tunc etiam ceteros professores e clero ecclesiastico huius dioecesis episcopus, vel capitularis vicarius Quinqueecclesiensis constituet, famulos semper prodirectorum conducet et dimittet. 8. Prodirectoris officio fungetur, sicut haecenus mos erat, canonicus e capitulo Quinqueecclesiensi, per episcopum aut capitularem generalem vicarium nominandus, qui etiam aedibus inuigilabit, de summis sub n. c. p. memoratis, documentis fultas, rationes quotannis reddet, et uniuersam fundationem administrabit sub inspectione ac directione Quinqueecclesiensis episcopi, aut capitularis generalis vicarii, quod obsequium abs dubio non recusabitur. 9) Norma Sacrorum, studiorum et scholasticae disciplinae in Quinqueecclesiensi lyceo exactissime obseruabitur eadem, quae in regia academia Jaurinensi viget et superiori directori studiorum Jaurinensi hoc lyceum suberit. 10. Quoties annuae prodirectoris et perceptoris rationes causa absolutionis in trutinam vocandae, pecuniae lycei erga censum mutue dandae, aut praeter minores quotidianas aliae notabiles expensae faciendae fuerint, semper episcopus vel capitularis generalis vicarius laudatum abbatem, lycei prodirectorem, seniores utriusque facultatis, iudicem et consulem Quinqueecclesiensis liberae regiae ciuitatis et actuarium lycei ad consultationem inuitabit; quod communi consensu statutum, ad effectum deducetur, conclusa horum consensuum peculiari libro inserentur, atque per praesentes signabuntur, librum vero prodirector custodiet. — Eapropter de genu reuerendissime supplico sacratissimae caesareae regiae apostolicae Maiestati, ut his fundationis tabulis, benigno priuilegio altissimam approbationem clementissime impertiri dignetur. Omnia ad maiorem Dei gloriam! Quinqueecclesiensis octaua Augusti, anno Christi millesimo, octingentesimo trigesimo quinto. Baro Ignatius Szepessy episcopus Quinqueecclesiensis (L. S.)

Nos itaque pro solita, atque paterna, qua erga pias fundationes ferimur cura et sollicitudine, humillima supplicatione nostrae modo quo supra facta Maiestati regia be-

nignitate exaudita clementer et admissa, praecursorum saepius fati episcopi Quinqueecclesiensis Ignatii liberi baronis Szepessy de Négyes munificas fundationales literas Maiestati nostrae vt praemissum est, in specie exhibitas, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris priuilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aequali insertas et inscriptas, quoad omnes earumdem continentias et clausulas, conditionesque et articulos ratas, gratas, et acceptas habentes, praedeclarata auctoritate nostra caesareo regia benigne acceptauimus, roborauimus, approbauimus, ratificauimus, ac pro crebrius fato lyceo Quinqueecclesiensi, modo praeuie fundato, in perpetuum valitura clementer confirmauimus, ac benignum etiam regium superinde consensum nostrum praebuimus (saluo tamen supremo, quod relate ad quarumvis fundationum administrationem Maiestati nostrae competit, inspectionis iure, prout et alieno, saluis item et praeeistentibus, et quas in futurum defigere nobis visum foret, in re literaria altissimis dispositionibus nostris) harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt rex Hungariae apostolicus vtimur in pendentem communitarum vigore et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti spectabilis ac magnifici comitis Adami Reviczky de Revisnye, Insignium ordinum S. Stephani regis apostolici magnae crucis, Leopoldi vero imperatoris Equitis, et Reo Sardinici S. Mauritii et Lazari magnae crucis in adamantibus Equitis, camerarii, et actualis intimi status consilarii nostri, curiae nostrae regiae per Hungariam magistri, comitatus Borsodiensis supremi comitis, nec non per idem R. Nrum Hungariae Aulae nostrae prout et insignis ordinis S. Stephani regis apostolici cancellarii, in imperiali vrbe nostra Vienna Austriae die vicesima septima mensis Augusti, anno Domini millesimo, octingentesimo trigesimo quinto, Regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae et reliquorum anno 1. Ferdinandus mp. Comes Adamus Reviczky mp. Franciscus Duschek mp. L. S. pendentis.

294. *Ferdinandi V. Regis Hungariae, ratione eorum, qui in religione catholica educandi, debite educati non sunt, prouisio. A. 1838.*

— Sua Maiestas Sacratissima ad praecauendam in obiectis religionis, cumprimis, ad quaestionem illam; in quam religione proles e matrimoniis mixtis educandae veniant? Benignarum resolutionem regiarum difformitatem, auertendasque, quae inde aduersus dispositiones cum legibus, hi-que superstructis iuribus praetensiuè minus cohaerentes, enasci quirent, quasuis querimonias, medio benignarum ddo 18. Julii a. c. manualium in decidendis huius indolis quaestionibus, normae instar praescribere dignata est, vt personae decimum octauum annum superantes, quae in vna ex euangelicis confessionibus educatae, hanc etiam continuo profitebantur, quaestioni religionariae in illo duntaxat casu subiiciantur, ac iuxta normales pro casibus defectionis a religione R. Catholica praeuigentes tractentur, si harum parentes R. Catholicae religioni addicti, non item etiam si vnam ex confessionibus euangelicis, quamuis illicite, se-

cuti fuisset. Quae altissima ordinatio praetitulatis dominationibus vestris pro congrua in occurrentibus casibus directione, hisce nota redditur, sine adprocurandae eorum medio respectiuorum animarum curatorum, ad parochialia protocolla insertionis, ac debitae obseruantiae, communicatur excelsi Consilii R. L. H. ddo 4. Aug. An. 1838. Nro 26,822.

Quod si vero proles eiusmodi catholice educandae lares paternos deserere contingeret: Curati in vocationem earum serio indagent, et episcopo perscribant, congruas apud respectiuos parochos dispositiones facturo, sibi que, si proles tales periculo seductionis obnoxias ad se receperint, de adiutorio quodam prouisuro.“ Circ. 1839. de dato 20-ae Martii.

Curati illos, qui a fide catholica ad aliquam e lege receptis Euangelicorum confessionibus transire volentes, in sensu §§. 6. et 7. art. 3. Anni 1844. cum requisitis testibus coram ipsis comparuerint, ad malaciam composito animo, excipiant; cum mansuetudine ad grauissimas intentionis suae sequelas serio expendendas eosdem reflectant, ac si post tres hebdomas proposito insistant, extradandas ipsis testimoniales, iuxta communicatam secum formulam concinent, de dato 30-ae Ianuarii 1845.

295. *Provisiones eius aliae, de prolibus e mixto matrimonio ortis, et de iis, qui deficerent a fide. A. 1839.*

Matrimonia mixta, dum sponsus catholicus est, sequaciter iuxta art. 26. 1791. proles omnes in Catholica Religione educandae veniunt; vel si sponsus quidem non sit catholicus, sed sponsa catholica, prolium suarum educationem catholicam cautione eatenus per sponsum sponte ac libere praestita certam reddidit: per Parochos more solito benedicenda erunt; quare, si sponsi repudiato ipsorum ministerio, Euangelicorum ministrum scopo ineundi matrimonii accedere vellent, eosdem ab hoc suo proposito monitis, et obtestationibus dehortari satagent. Illis vero mixtis matrimoniis, vbi sponsa catholica quoad educationem nasciturarum prolium indifferenter se gerit, aut sponsus euangelicus catholicam omnium prolium educationem cautione sponte et libere praestanda securam non reddit: Parochi passiuè solum assistent; nisi forte tales ab acceptanda passiuè assistentia prorsus alieni forent, et ad hanc declinandam, non obstantibus Parochi monitis et hortamentis ministerium Euangelicum, sine contrahendi coram ipso matrimonii adire nollent; quo in casu concedendae ipsis testimoniales literae, id solum enunciantes, quod peractis tribus denunciationibus (quae iuxta communicatam penes Circ. ddo 8-ae Dec. 1841. formulam fieri debent) nullum tale impedimentum detectum sit, ob quod matrimonium inter hos desponsos contrahi non posset. Caeterum Curatores animarum negocium istud magna cum circumspectione, et insigni prudentia pastoralis tractabunt, ac editis hoc in merito sub 2-ae Julii 1840. normalibus ordinibus semet stricte accomodabunt. Quod si vero in grauioribus difficultatibus offenderent, pro iniuatione ad officium dioecesanum recurrent.“ Circ. de ddo 30. Jan. 1845. ddo 2-ae Julii 1840. et ddo 8-ae Dec. 1841.

296. *Provisiones eiusdem aliae ex necessitate legis. Anno 1844—1845.*

Qui vsque 18. aetatis annum in euangelica religione educati sunt; personae vero alterius sexus post sui emaritationem, etiamsi aetatem hanc necdum attigissent, nec ipsae, nec eorum posteri quaestioni religionariae amplius subiicientur.“ Art. 3. 1844. §. 1.

Ab huius legis promulgatione ineunda matrimonia mixta, etiam coram ministro euangelico contracta legitima erunt. Art. 3. 1844. §. 2.

Ad praepediendas a fide catholica defectiones, animarum curatores exemplari vita, miti agendi modo, et veritatum fidei catholicae sedula annunciatione, illarumque tam succrescenti publi per catecheticas institutiones, quam populo ipsi per sacros sermones assidua inculcatione cooperatur, de ddo 30. Jan. 1845.

Tabellae ad fidem catholicam conuersorum, vel ab eadem deficientium, sicut etiam dies, annus, et circumstantiae conuersionis vel defectus officio dioecesano semestraliter, seu cum fine mensis Aprilis et Octobris cuiusuis anni accurate exhibeantur. Ddo 10. Julii 1845.

297. *Capituli Tirnauiensis sub Alexandro Rudnay Cardinali inchoata, et a Celsissimo Principe A. Episcopo Strigonien. Jos. Kopácsi perfecta fundatio. A. 1843.*

Nos Ferdinandus primus, diuina fauente clementia Austriae Imperator, Hungariae, Bohemiae, huius nominis quintus, Dalmatiae, Croatiae, Slaunoniae, Galliciae, Lodomeriae, Ramae, Seruiae, Cumaniae, et Bulgariae Rex Apostolicus, Rex Lombardiae, Venetiarum, et Illyriae, Rex Hierosolimae, etc. Archidux Austriae, magnus Dux Hetruriae, Dux Lotharingiae, Salisburgiae, Styriae, Carinthiae et Carnioliae, magnus Princeps Transilvaniae, Marchio Morauiae, Dux superioris et inferioris Silesiae, Mutinae, Parmae, Placentiae, et Guastallae, Osueciniae, et Zatoriae, Technae, Forojulii, Ragusae et Jaderae, etc. Comes Habsburgi, Tyrolis, Kiburgi, Goritiae, et Gradiscae, Princeps Tridenti, et Brixinae, etc. Marchio superioris et inferioris Lusatae, et Istriae, Comes Altae-Amisiae, Valcirci, Brigantiae, Sonnenbergae, etc. Dominus Tergesti, Cattari, Marchiae Schlaunoniae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: quod nos pro constanti, qua erga Religionem, et cultum diuinum, ac foundationes pias, ferimur cura, et sollicitudine, benigne reuoluentes animo, Metropolitano Strigoniensi Capitulo, ad effectum sancitarum eatenus legum, benignarumque immortalis memoriae Augustissimi Imperatoris, ac Hungariae Regis Francisci I. genitoris quippe nostri desideratissimi intentionum ad auitas sedes Strigonienses reuerso, non tantum liberae pariter, ac regiae Ciuitati nostrae Tyrnauiensis, in qua illud, natali suo solo tyrannide Turcarum olim depulsum, trium prope saeculorum decursu, domicilio gaudebat, non mediocre vulnus, inflictum, sed imprimis altaria, seu altaristica beneficia ad collationem eiusdem Ciuitatis, velut patronum spectantia, eidem Metropolitano Capitulo in

vsus fructumque priscis temporibus cessa, magnam ab sui origine mutationem subiisse, piasque has fundationes in discrimen adductas esse, ac idcirco tam piæ fundatorum menti, et piarum fundationum stabilitati, securitatiq̄ue, quam et Maiestati cultus diuini, cui Ciuitas Tyrnauiensis iam a saeculis asueuerat, imo commodis quoque Ciuitatis ipsius optimo quo licet modo, benigne consulere, vna vero occasione, qua viris Ecclesiasticis praeclare de catholica Ecclesia, et Statu publico meritis, condigna obtingere possint praemia, fauere cupientes, explorata desuper Reuerendissimi in Christo Patris, Illustrissimi Principis Regni nostri Hungariae Primatis Josephi Kópácsy, Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis Archi-Episcopi mente, compertoque intentionem fundatorum ope Collegii Presbyterorum, in praefata Ciuitate nostra Tyrnauensi erigendi, maiori, ac hactenus fiebat exactitudine adimpletum iri: constaret praeterea certa nobis Scientia, domos olim altaristicas, accomodo incolatui subseruientes iam praeesistere; ex hinc proin etiam benignam voluntatem nostram multum obsecundari: expedientes demum, quam salutare, atque decorum sit, quantum stabilendis, et firmandis Regnorum Imperiis expediat in ampliandum Religionis Catholicae bonum prona conferre studia; horum omnium ex obtutu Collegiatum, ac respectiue Curatum Capitulum in eadem Libera Regiaque Ciuitate nostra Tyrnauensi, ad normam aliorum eiusdem cathogoræ in Regno nostro Hungariae, et partibus eidem adnexis, iam praeesistentium Capitulorum Collegiatorum, ea ratione constituendum, et fundandum benigne decreuimus, vt illud ex sex indiuiduis in specie: Praeposito, Lectore, Cantore, Custode, Canonico item seniore, ac iuniore coalescat, pro spiritualibus praeterea seruitiis obeundis duo praebendati Ecclesiastici, duo item Cleri adiutores seculares, prouisionem suam qua tales e communi capituli fundo habituri accedant. Erigendi porro Capituli huiusmodi intuitu, ea est benigna mens, et intentio nostra: vt Capitulares his, praeter quotidianam, atque sedulam diuini officii, seu Canoniarum horarum, sacrique conuentualis, more in aliis Capitulis vsitato persolutionem, sub sacris fundationalibus Moysis olim Buslay, siue per Parochum, siue per Capitulares in vicibus suis absoluendis, preces, et cantillenas pias persoluere, prout et in celebrandis, Missae sacrificiis, altariae S. Crucis inhaerentibus, in quantum propria cuiusque altaristica obligatio, conscientiose caeteroquin adimplenda admittet, adiutorio esse; non secus in peragendis functionibus parochialibus, dum id necessitas, vel conuenientiae ratio postulauerit, vel a Parocho requisiti fuerint, huic prompte auxiliari, intercalari autem vacantis Parochiae tempore, munia alias Parocho incumbentia ingrauatim obire; insuper duodecim vicibus per annum solennioribus quippe festiuis, et dominicis diebus, nisi legitime impedirentur, verbum Dei pro concione annunciare, reliquis autem anni temporibus, medio Praebendatorum suorum Parochum, et Curatos Capellanos in eodem pie annunciandi verbi diuini opere adiuuare, porro excipiendis Sacramentalibus fidelium Confessionibus, item ministerio poenitentiarum stabilis, ex eorum gremio per ordinarium designandi efficacem partem capere, denique ad augendam Dei omnipotentis gloriam, promouendamque animarum salutem, congruis quibusue modis assidue collaborare, et supremum numen pro

nostra quoque, et totius Augustae Domus nostrae prosperitate, assiduis iisdem precibus exorare sint obstricti. Quoad dotationem Capituli eo per expressum praedeclarato, quod fundationem Parochiae per Moysem olim Buslay positam, in sua integritate pro dote Parochi porro conseruare cupiamus, neque huic aliud, ac aequissimum illud ac in se exiguum onus, vt Parochus e fundatione hac suis de Capitulo sociis futuris, et ad explendam religiose fundationis mentem cooperaturis remunerationem, vt infra nro tertio attingetur, in praestimoniorum vicem, quae adusque extraordinariis concionatoribus, dehinc haud necessariis impendebantur, largiatur, superinducere velimus, dotationem eandem subsequis stabilimus. 1-o. In perpetuam proprietatem Capitulo huic transcribimus summam Capitalementem ad centum quinque, et quod excedit millium florenorum bonae ligae monetae, in finem hanc ex emolumentis altariesticorum fundorum, prouentibus item Parochiae vltro congruam eius prouisionem intermedio hoc tempore redundantibus, peculiari industria collectam, nobisque per praememoratum Archi-Episcopum remonstratam, ac interusura annua ad sex mille tercentos florenos mon. conv. et quod superat importantem. 2-o. Addicimus redditus decimae Rosindoliensis per Metropolitanum Capitulum Strigoniense, fide exhibiti nobis documenti Capitulo huic collegiato, supputato viginti florenorum mon. conv. arendali censu cessos, florenos quingentos mon. conv. efferentes. 3-o. Ex Fundatione Parochiae obtutu offerum, eidem hactenus etiam incumbentium, et deinceps per Canonicos modo subsidiario supportandorum, cuilibet e quinque Canonicis singillatitas sedecim metretas Poseniensis tritici in natura, valorem viginti quatuor flonorum mon. conv. exaequant, ac insuper in parata pecunia quinquaginta sex mon. conv. seu vniuersim octuaginta florenos bonae ligae monetae per Parochum annue dependendos, deputamus, seu insimul florenos quadringentos, non secus ex eadem ad peculium Ecclesiae vltra praehabita onera, ob indigentias Ecclesiae respectu exactius adimplendae fundationis amplius adaugendas, adhuc ducentos florenorum mon. conv. annue inferendos decernimus. 4-o. In vltiorem dotationis fundum attribuimus prouentus e Fundis politico fundationalibus superstitem quinque altariarum ad flnos centum quadraginta duos mon. conv. resultantes. 5-o. Demum emolumenta altariae S. Blasii annuos tercentos quinquaginta octo mon. conv. constituentia: seu iunctim beneficia vt praerecensentur, summam septem mille septingentorum flnorum mon. conv. in annuis prouentibus efferentia; eidem Capitulo serio iniungendo, vt praeattactarum proprietatum strenuam, ne diminutioni cuiquam vnquam exponatur, efficacem curam gerere adnitatur. Cum nihilominus onera eidem collegiato Capitulo etiam inhaesura sint, ac haec e praeuiis redditibus supportanda veniant, quo omnem horum etiam emersurarum incertitudinem benigne praeueniamus, eadem ipsa sequentibus determinamus: Primo: In victum, accomodationem, et salaria succentoris, ac praebendarii flnos quingentos mon. conv. Secundo: Pro Ecclesiae adauctis necessitatibus florenos tercentos. Tertio: Pro duobus secularibus Cleri adiutoribus, singillatios centum flnos, iunctim flnos ducentos. Quarto: Pro assecuratione quinque aediam canonicalium, aut aliis analogis titulis florenos centum, demum Quinto: Pro communibus

Capituli necessitatibus flos sexcentos, seu insimul mille septingentos flos deputamus, hisque a priori annuorum prouentuum calculo supputatis, resultantem cunctarum obventionum summam, pro annua quinque Capitularium dotatione suapte subseruituram, ea ratione partiendam decernimus: vt cum Canonicus Parochus fundationalibus Parochiae suae beneficiis, demptis praeattactis praestimoniis plene perfruiturus, nec quidquam ex dotatione Capitularium percepturus sit, nisi Parochus vnum aliquod e primis quatuor, sic dictis columnalibus Stallis, vt infra dicitur, teneret, omnis haec dotatione, quantumcumque demum industria nefors locupletanda, quinque aliis obueniat, illaque participationis norma obseruetur, vt vniuersi annui reditus, in sex aequales ratas subdiuidantur, ac singillatiuae aequales quinque ratae, singulis quinque Canonicis addicantur, sexta vero rata ea ratione inter quatuor dignitarios, seu columnas Capituli dispescetur, vt duas quartas Praepositus, vnam quartam Lector, residuae quartae duas tertias Cantor, et vnam tertiam denique Canonicus Custos sortiatur; et si Parochum vnum e dignitariis Capituli esse contingeret, huic vltra reditus Parochiae rata respectiuae columnali dignitati cohaerens, etiam obtingat. Quorum caetera Canonicorum seu Praepositi, Lectoris, Cantoris, Custodis, et duorum Canonicorum benignam nominationem nobis, successoribusque nostris legitimis Hungariae regibus pro perpetuo reseruamus; pro competente nihilominus liberae, Regiaeque Ciuitati nostrae Tyrnauensi Patronatus in Parochia iure, vnum ex his in Parochum suum deligendi, et Praelato suo Dioecetano praesentandi saluum semper, et integrum relinquimus, eoque vna benigne admissio, vt in extraordinario casu illo, quo nullus praesistentium Canonicorum iudicio etiam Praelati Dioecetani vacanti Parochiae admoueri valeret, antelata Ciuitas aliud indiuiduum per exceptionem extra gremium Capituli in Parochum deligere, ac huius vna in Canonicum Benignam nominationem a nobis expetere possit, cuiusmodi petitioni, nisi fundatae in obuersum occurrant reflexiones benigne etiam deferetur, quorum in nexu patronatus saepe dictae Ciuitatis, etiam quoad quinque superstites, et Capitulo coadunatas altarias modo, qui olim vixit, futuris Tyrnauensis Capituli Canonicis conferendas in saluo relinquitur. Nos itaque collegiatum, ac respectiue Curatum Capitulum hoc praemisso modo erigendum, constituendum, et fundandum clementer decernentes, imo erigimus, constituimus, et fundamus autoritate Juris Patronatus nostri Regii, quod generaliter in vniuersis praelibati Regni nostri Hungariae, partiumque eidem adnexarum Ecclesiis, et earum beneficiis instar diuorum quondam Hungariae Regum, praedecessorum videlicet nostrorum gloriosae reminiscentiae optimo iure habere, et exercere dignoscimur, nihil ambigentes, quin nostri quoque in regimine successores piam hanc ordinationem nostram non modo protecturi, quin potius eandem pro ratione circumstantiarum nouis etiam gratiis, et fauoribus augmentando, omnimode sint adiuturi, — quapropter benigne praecipimus, et mandamus, quorum interest, vel in futurum intererit vniuersis, quatenus praesentem fundationem, et ordinationem nostram, in quibusuis euenire queuntibus casibus ad amissim obseruare nouerint, neque eidem quaqua ratione contrauenire praesumant. — In quorum maius robur, perpetuamque firmitatem

hasce secreto Sigillo maiori nostro, quo vt Rex Hungariae Apostolicus vtimur, in pendentibus communitas, extradandas esse duximus, et concedendas litteras fundationales. Datum per manus fidelis nostri, nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Antonii Comitis Majláth de Székhely, Insignis Ordinis S. Stephani Regis Apostolici magnae Crucis Equitis, Camerarii, et Actualis Intimi Status Nostri Consiliarii, per Regnum nostrum Hungariae Dapiferorum Regalium Magistri, Comitatus Zempliniensis supremi Comitis, nec non per idem Regnum nostrum Hungariae aulae nostrae Regiae, prout et Insignis S. Stephani Regis Apostolici Cancellarii. In Imperiali vrbe nostra Vienna Austriae die decima sexta mensis Februarii, anno domini, Milesimo octingentesimo quadragesimo Tertio, Regnorum nostrorum, Hungariae, Bohemiae, et reliquorum anno octauo. — Reuerendissimis Illustrissimis, Reuerendis item, ac venerabilibus in Christo Patribus: Príncipe Josepho Kopácsy Strigoniensis, Petro Klobusiczky de Eadem Colocensis et Bacsensis canonice vnitarum, Joanne Ladislao Pyrker de Felső-Eőr Agriensis, Metropolitanae Ecclesiae Archi-Episcopis, — Comite Francisco de Paula de Nádasd Perp. Terrae Fogaras Vacienti; Josepho Bélik Scepusiensi; Andrea Bóle Sabariensi; Nicolao Kovács de Tusnád Transilvaniensi; Joanne Hám Szatmáriensi; Joanne Scitovszky de Nagy-Kér Quinque-Ecclesiensi, Emerico Palugyay de Eadem et Bodafalua Nitriensi, Emerico Ossegovich de Barlabassevecz Segniensi et Modrusiensi, seu Korbauensi; Gabriele Smicsigláz Graeci ritus Cath. Crisiensi, Josepho Lonovics Csanadiensi, Josepho Kukovich Bosniensi seu Diákováriensi, et Sirmiensi; L. B. Ladislao Barkoczy de Szala Alba-Regalensi, Basilio Popovich Graeci ritus Cath. Munkácsiensi; Georgio Haulik Zagrabieniensi; Joanne Bapt. Sztankovics Jaurinensi, Antonio Ocskay de Eadem Cassouiensi; Comite Dominico Zichi de Eadem, et Vasonykeő Veszprimiensi; Basilio Erdélyi Graeci ritus Cath. Magno-Varadiensi, Josepho Gaganecz Graeci ritus Cath. Eperjesiensi, L. B. Ladislao Bémer de Bezdéd et Kis-Báka Magno-Varadiensi L. ritus (Episcopatibus Rosnauieniensi, et Neosoliensi vacantibus) Josepho Schrott consecrato Belgradiensi, et Semendriensi, canonice vnitarum, Martino Miskolczy consecrato Tininiensi, Stephano Kollár Electo Tribunicensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Serenissimo item Archi-Duce Austriae Domino Josepho Regni nostri Palatino, et Locumtenente nostro Regio, Spectabilibus item ac Magnificis Georgio Majláth de Székhely Iudice Curiae Nostrae Regiae, Francisco Comite Haller de Hallerkeő, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slauoniae Bano, Comite Gabriele Keglevics de Buzin Tauernicor., Comite Michaele de Nádasd Perp. Terrae Fogaras Cubicularior., Comite Adamo Reviczky de Revisnye Curiae Nostrae Regiae, Comite Francisco Zichy de Vasonykeő Janitor., Comite Emerico de Batthyány Perp. in Németh-Ujvár Agazonum, antelato Comite Antonio Majláth de Székhely Dapiferorum, Comite Joanne Nep. Keglevics de Buzin Pincernar. Regalium Nostrorum per Hungariam Magistris, Comite Augustino Vécsey de Hajnacskeő Nobilis Turmae Praetorianae Hungariae Capitaneo, Comite Carolo Pálffy ab Erdőd Comite Poseniensi, caeterisque quam plurimis saepe fati regni Nostri Hungaricos Comitatus tenentibus, et Honores. Ferdinan-

dus m. p. Antonius Comes Majláth m. p. Ludovicus Szegedy m. p. (L. S.) — Ad effectum praesentis clementissimae, pienssimaeque foundationis erga benignas sacratissimae suae Caesareo-Regiae Apostolicae Maiestatis Ferdinandi regis, hoc nomine quinti collationales literas, pro praeposito, lectore, cantore, custode, caeterisque canonicis emanatas nos archiepiscopus Strigoniensis die 1. Januarii 1844. inuocato prius diuino numine ante solemniam ssmi missae sacrificii in ecclesia Tyrnauiensis parochiali S. Nicolai episcopi, et confessoris, dehinc simul collegiata futura, primo quidem in beneficium, et dignitatem praepositi, ac vna canonici collegiatae ecclesiae nostrae Tyrnauiensis Reuerendissimum Dominum Georgium Schnell hactenus canonicum Poseniensem, et interimalem parochiae Tyrnauiensis administratorem introduximus, et installauimus, tum autem medio huius, qua iam praepositi in stallum lectoris A. R. D. Josephum Trajesik vice archidiaconum, et porochum Radosnensem, in stallum cantoris A. R. D. Carolum Kesselborn parochum Komeatensem, et districtus Érsekújváriensis vice-archidiaconum; demum medio huius, qua cantoris, in stallum custodis A. R. D. Franciscum Pribelyi in lyceo nostro archiepiscopali Tyrnauiensis, linguarum orientalium et scripturae sacrae professorem, in stallum magistri canonici senioris Reuerendum Dominum Josephum Nedeczky de eadem parochum Naszvadiensem, demum in stallum magistri canonici iunioris A. R. D. Stephanum Nemeckay parochum Gerencséreensem, et districtus Tyrnauiensis vice-archidiaconum introduci, ac installari fecimus, hacque ratione idem capitulum collegiatae ecclesiae nostrae Tyrnauiensis constabiliuimus, quod felix, faustumque sit, cedatque ad maiorem Dei gloriam! Signatum Tyrnauiae die 2. Januarii 1844. Josephus archiepiscopus Strigoniensis m. p.

298. RR. *Francisci Lajtsák Episcopi Varadinensis instructio Pastoralis, circa eos, qui matrimonium mixtum ineuntes, proles suas in catholica religione educare abnuunt. A. 1839.*

Reuerendissime! etc. In sequelam relationis RRmae Domina. Vrae in merito Sponsorum N. N. R. Catholicae, Parochianae M. Varad. ddo hesterno mihi praestitae, Rmam D. Vram hisce inuiandam habeo: Ut, siquidem catholica ecclesia a mixtis matrimoniis, vtpote quae non parum deformitatis et periculi praeseferunt, semper aliena fuerit, taliaque iuxta dissertas summorum pontificum constitutiones nonnisi sub conditione catholice vtriusque sexus prolium exinde generandarum educationes, in facie ecclesiae celebrari ac benedici admittat: Hinc Rma D. Vra ante omnia sponsam catholicam in principiis religionis rite instituat, eidemque obligationem vi principiorum religionis catholicae sibi, qua matri, incumbentem, ob oculos ponat, eandemque de eo, quodsi obligationis huius incuria in aliam, quam catholicam prolium suarum educationem consentiendo, nascituram sobolem suam salutis aeternae discrimini exponere nihili duxerit, facto hoc fidem neget, et qua talis ad suscipiendum sacramentum matrimonii, quod qua sacramentum vivorum nonnisi in statu gratiae suscipi potest, incapax, atque benedictionis matrimonialis in facie ecclesiae recipiendae indigna sit, capacitet, taliterque capacitatam ad sponsum suum in catholicam prolium educationem

medio reuersalium stipulandam, permouendum exhortetur. Porro et ipsum sponsum ad id praestandum, et hac ratione conscientiae sponsae catholicae, citra laesionem vtiq; propriae conscientiae et principiorum suae confessionis subueniendum, in conformitate circularium meorum ordinum ddo 27. Octob. 1833. editorum disponere contendat. — Si vero conatus Rmae D. Vrae vltro in irritum reciderent, et aut sponsus in catholicam prolium educationem consentire pertinaciter renuerit, aut sponsa conscientia obligationis suae haud tangeretur: eotum Rma D. Vra ab administrando Sacramento Matrimonii ob indispositionem partis catholicae, et huius ad recipiendam benedictionem matris ecclesiae indignitatem, hoc magis absteineat: quanto certius est, tali in casu ministrum religionis catholicae iuxta principia eiusdem religionis, citra laesionem propriae conscientiae, matrimoniali copulationi per sacramentalem benedictionem cooperari haud posse.

In quantum autem ex dispositione legis Patriae parte ex vna mixta matrimonia impedire haud licet, parte vero ex altera haec coram parochio catholico ineunda venirent: hinc, ne in obuersum legis eatur: RRma D. Vra sponsae catholicae declaret, quod si ipsa proposito suo, dicto N. N. Helueticae confessioni addicto, citra praehibitam de catholica prolium, Deo dante, suscipiendarum, educatione securitatem, nubendi inhaerere vltro cupit, matrimonium eius per RR. D. Vram haud impediatur; ac tum praemissis more consueto promulgationibus, et tertia promulgatione absoluta, sponso opportuno tempore coram duobus solitis ad mentem SS. Concilii Tridentini requisitis testibus ad parochiam vocet, et illic (non autem in ecclesia) coram se, qua solum teste, qualificato et authorisabili constituat, eorumque mutuum in hoc matrimonium consensum solita iuramenti Hungarici: Isten engem' ugy segillyen, formula per illos confirmandum audiat; assistentia mere passiva et materiali, quin vlla ratione cooperetur: et ideo nec Rochetum, nec Stolum adhibeat, aut aliquas preces sacras, aut quemuis ritum ecclesiasticum admisceat. Denique audito sponso consensu, actum hunc valide gestum iisdem declaret, et mox in librum distinctum matriculariter inferat. In reliquo etc. Franciscus Lajcsák mp. Episcopus M. Varadinensis.

299. *Instructio eodem in casu officii Vicarialis Archiepiscop. Strigon. 1840.*

Vt circularibus episcopalibus in obiecto mixtorum matrimoniorum sub dato 2. Julii 1840. per dioecesim dimissis optatus respondeat effectus, necesse est, illas vna inuiationibus quibusdam ex officio dioecesano suppeditatis, comitari. Quare imprimis aduertendum est, in matrimoniis mixtis, dum de sponsae in catholica religione perseverantia, et prolium omnium in hac instituenda educatione securitas requisita adest, eundem in copulandis coniugibus modum, qui hactenus vixit, adeoque cum precibus, et benedictione adhibendum esse. Si autem, huiusmodi securitas non praebetur, cum in casu hoc magnopere intersit, vt vniformis in procedendo modus, isque actiuam sacerdotis cooperationem, quantum possibile est, excludens, obseruetur. Scopo hoc sequentes praestituuntur regulae:

1. Matrimonio tali promulgationes trinae consueto modo, in sensu instructionis ad episcopos Bauariae, auctoritate summi pontificis datae, praemittantur; intra promulgandum tamen religionis, cui partes addictae sunt, mentio non fiat. 2. Tam ante, quam praeprimis intermedio promulgationum tempore, institutio omni cum discretione impendenda, parti catholicae non solum non subtrahatur, quin potius illi, qua licet diligentia, insistatur. 3. Matrimonium tale non quidem in loco sacro, loco tamen honesto, in aedibus v. g. parochialibus ineatur, et parochus, vel cum eius licentia alius sacerdos, nullis quidem sacris vestibus, adeoque non stola, non rochetto, habitu tamen ecclesiastico indutus, et ad modestam grauitatem compositus citra faciendum libri ritualis, vel precum sacrarum, aut ritus sacri vsum, coram duobus, aut tribus testibus declarationem mutui consensus excipiat. 4. Vt haec mutui consensus declaratio nulli exceptioni obnoxia sit, eam vir his verbis exprimet: Ego N. N. in coniugem accipio N. N. honestam personam; non ipsam deseram, vsque meam et illius mortem in quacunque vicissitudine. Sic me Deus adiuuet. Én N. N. magamhoz veszem házastársul N. N. ezen tisztességes személyt; el nem hagyom őtet holtamiglam, holtáiglan semmi nemü vizontagságában. Isten engem úgy segéllyen. Dein consensum suum sponsa catholica sic enunciabit: Ego N. N. in maritum accipio N. N. honestum iuuenem, vel virum, non ipsum deseram vsque meam et illius mortem, in quacunque vicissitudine. Sic me Deus adiuuet, B. Virgo et omnes Sancti. Én N. N. ezen N. N. jámbor férfiuhoz hozzá megyek házastársul, el nem hagyom őtet holtamiglan, holtáiglan, semmi nemü vizontagságában. Isten engem úgy segéllyen, boldogságos asszony és Istennek minden Szeitei. 5. Postquam haec peracta sunt, parochus matrimonium hoc eadem, qua in aliis matrimoniis inserendis vti oportet exactitudine libro copulatorum inserat. 6. Moneat coniuges, quod matrimonio valido, et rato coniuncti sint, cuius indissolubilitas, alique legitimi effectus non secus, ac in aliis matrimoniis, extra omne dubium positi sunt. 7. Casus difficiliores sine accipiendae congruae inuentionis ad officium Vicariale referendi erunt. Datum Strigonii, die 2. Iulii 1840.

300. *Celsissimi Principis, RRmi D. A. Episcopi Strigoniensis Institutiones Pastorales.* A. 1840.

Princeps Iosephus Kopácsy, miseratione Diuina, Metropolitanae ecclesiae Strigoniensis Archiepiscopus, Episcopatus Vesprimiensis administrator, S. Sedis Apostolicae Legatus Natus. Inclyti Regni Hungariae Primas, Summus et Secretarius Cancellarius, I. ordinis S. Stephani R. Apostolici Praelatus, et Magnae Crucis eques, S. C. et R. A. Maiestatis actualis intimus Status, et ad Excelsum Consilium R. L. H. Consiliarius, Ecclesiasticae Commissionis Praeses, I. Comitatus Strigoniensis perpetuus et supremus Comes, ac ad Excelsam Tabulam Septemuiralem Coiudex. Reuerendissimis, Admodum Rndis, Rdis, item Honorabilibus, Abbatibus, Praepositis, Archidiaconis, ViceArchidiaconis, Parochis, Parochiarum Administratoribus atque Capellanis, Venerabilibus in Christo Fratribus, et dilectis Filiis, Salutem et Paternam Be-

nedictionem! Vt in Ecclesia Dei, et animarum cura ex ordine omnia peragi valeant; necesse est adminicula, quae scopo huic subseruiunt, diligenter in vsum conuertere. Cum itaque caetera inter eo pertineant districtuales SS. curionum congregationes, prouida peculii ecclesiarum cura et librariae parochiarum suppellectilis conseruatio, quae de his nunc disponenda videbantur, ad vos Venerabiles Fratres, et dilecti in Christo Filij, pro obseruantia, directioneque vestra sequentibus perferimus: Ad partes ministerii sacri rite explendas, ipsumque rerum diuinarum zelum in curatis excitandum, plurimum momenti habent Congregationes districtuales. De earum utilitate, vsque adeo fuit omnibus persuasum, vt illae domi, forisque in dioecesibus recte ordinatis, passim inducerentur. — Inductae, frequentataeque fuerunt illae etiam in hac dioecesi nostra Strigoniensi, sed quod dolentes experimur, collapsae iam sunt adeo, vt raro tantum, et ex arbitrio magis, quam certa lege, celebrentur. Ne igitur hac institutione dioecesis nostra, quam aliarum exemplar esse conuenit, vltius destituatur; praesentium vigore omnibus curionibus sacris, parochis quippe, parochiarum, administratoribus, capellanis et cooperatōribus in virtute sanctae et salutaris obedientiae iniungimus, vt districtuales has congregationes ad locum, qui accomodus videbitur, bis per annum, mensibus quippe Maio et Octobri, aut initio mensium Junii et Nouemb. a districtuali Vice-Archidiacono indicendas, absque omni tergiuersatione adeant; coronae fratrum modeste et grauitate intersint; agendis in ea occurrentibus pro sua, aliorumque spiritali aedificatione sedulo sint intenti; nec ante finem ab inde recedant. Occupationes porro, quibus in congregationibus his vacare oportebit, sequentes erunt: a) Currentales vltimo semestri, quod congregationem praecessit, a nobis vel officio nostro dioecesano ad S. Curiones dimissae releguntur; tum pro vberiori notitia, tum vt si cui in illis aliqua minus essent perspicua, mutuis fratrum obseruationibus dilucidentur. b) Abusus, naeui, errores, in scholae magistris, promagistris, aut fidelibus hic illic obseruati referuntur; et remedia, quae altioris potestatis interuentum non requirunt, fraterne, ac vnice gloriam Dei et animarum salutem promouendi studio suggerentur. Non secus dubia fratribus in studio vitae pastoralis fortasse oborta, sine obtinendae congruae inuentionis, D. Districtuali Vice-Archidiacono et fratrum coronae animo docili, atque ad admittenda salubria consilia composito substernentur. c) Si quis condistrictualium ad communem fratrum notitiam in vno, vel alio genere grauius excederet, et a Vice-Archidiacono fraterne iam monitus non resipisset, quo is, dum adhuc tempus est, ad rectum tramitem reuocabitur, et scandala ac forte subsumtio totius status praecauebitur; salutaris ipsi admonitio et correptio cum moderamine quidem, et charitate, neruose nihilominus, et intrepide impendetur. d) Media ad progressum in sacris et vtilibus disciplinis conducentia, inuicem communicabuntur, quo sub obtutu optandum etiam esset, vt pro comparandis ac per summum legendis periodicis operibus, vocationi sacerdotali, et moderno catholicorum situ congruentibus, consociationes inter districtuales fratres ineantur. e) Pro autumnali congregatione simul elenchos mixtorum matrimoniorum et prolium, ex his progenitarum, cum conuersorum ad catholicam fidem, vel ab ea deficientium, conscriptionem item

adcuratam, omnium totius parochiae catholicorum in genere ac rursus in specie scholarium adolescentum, iuxta numerum, quo scholas frequentant; demum rationes ecclesiarum, praescripta norma, ac in duplici exemplari confectas, secum adferent; et ut ad officium dioecesanum promoueri possint, D. V. A. Diacono districtuali resignabunt. Modus porro et norma districtuales has congregationes celebrandi sequens praestituitur: a) Curabunt omnes, ut in congregationis loco habitu clericali, modeste, decedenterque vestiti, hora nona matutina adsint; ubi simul omnes sacro lecto, in ecclesia parochiali, per vnum e congregandis fratribus celebrando intererunt; et ad Deum pro excitanda gratia, per manuum impositionem accepta, auxiliouae ad digne, fructuoseque obeundum sacrum ministerium necessario, feruentes preces fundent. b) Post sacrum ad aedes parochiales reuersi, implorato praeuie Spiritus S. adiutorio, praescriptis occupationibus se accingent; initium a lectione vnius et alterius capitum e S. Pauli epistolis ad Titum vel Timotheum, aut alio accomodo libro, de munere pastoralis, prout D. V. Archidiaconus disposuerit, faciendo. c) Omnibus, quae superius attackta sunt, expeditis, frugali prandio se reficient, quo terminato, nisi aliquid agendum superesset, demum quisque in pace et charitate discedent. d) Antequam nihilominus diuellantur, protocollum congregationis scripto per notarium districtualem exarari, simulque per eum ac D. V. A. Diaconum subscribi oportebit; medio huius ad officium nostrum dioecesanum intra quindecim a seruata congregatione dies, transponendum. Quo ex incidenti mox in prima cuiusuis districtus congregatione notarius districtualis per fratres eligendus erit; qui cum hoc notarii districtualis axiomate schematismum dioecesanum ingredietur. In hoc autem protocollo praeter diem et annum seruatae congregationis, recensionemque tam praesentium, quam absentium fratrum, quaeuis in congregatione pertractata obiecta succincte et adaequate consignanda venient. e) Curae habebunt condistrictuales fratres, ut hospiti domus, apud quem coronam habituri sunt; foeni vel auenae requisitione graues non accidant; et prandii ipsius impensas (nisi hospiti fratres excipienti aliter videretur) iusta quapiam et apud omnes obseruanda mensura compensent. — Ecclesiarum peculia et fontes, ex quibus pecuniarius neruus in haec influit, non exiguam sacrorum curionum attentionem requirunt: in his enim adminicula illa praesto sunt, quorum ope quotidianis et quandoque extraordinariis etiam necessitatibus promte subueniri, domus Dei ad decentiam et nitorem, augustis mysteriis, quae in illa peraguntur conuenientem instrui; cultus diuinus denique totus ad modum excitandae, fouendaeque pietati idoneum componi possit. Omnia igitur magnopere suadent, ut sacri curiones, qua prouentuum horum natiui curatores, locatae in se fiduciae, omnimode respondeant, seque fideles dispensatores esse comprobent. Quare sollicita cura eis sit de rite obseruandis omnibus tam dioecesanis, signanter 14. Julii 1826. 29. Febr. 1828. 7. Ianuarii 1838. circulariter dimissis ordinibus, quam altioribus illis constitutionibus, quae syndicos designari, clauas ad ecclesiae poenum duas, quarum vna absque alia aditum non praebet, adhiberi; fundos et tenuta ecclesiarum mediante licitatione elocari, casuque in omni, quam fructuosissime administrari; pecunias ecclesiarum per parochos nec contrahendi mutui titulo quidem atre-

tari; elocatas autem legalibus modis in plenam securitatem asseri; rationes in concursu syndici, patroni, vel hominis per hunc constituti, ac pro re nata, primorum communitatis, in praesentia districtualis vice-archidiaconi, adcurate confici, tempestiveque in duobus exemplaribus, ad officium dioecesanum transponi; erogationes 50 fl. V. V. maiores, cum indultu tantum officii Dioecesani, respectiuique patroni, annu fieri, identidem inculcant. Neque enim haec omnia alio tendunt, quam vt in procurandis pecuniis Ecclesiarum, respectiueque piis foundationibus nihil eorum, quae prouida et conscientiosa rei alienae cura, a fideli dispensatore requirit, praetermittatur. Absit ergo in his quaeuis clancularia, et notitia eorum, quorum interest, semet subducere gestiens, manipulatio; absit omnis vel neglectus, vel positua a praescriptis regulis deuiatio, ad nihil vtique aliud valitura, quam vt diffidentiam in fidelibus generet, id indubitanter effecturam, vt qui secus ad piam beneficentiam proni fuerant, suas ab Ecclesia ac ipsis foundationibus sacris largitiones retrahant. — Experientia docet, non exiguum Parochis, et Parochiis inferri exinde praecudicium, quod libraria supellex, quae piis plurium Antecessorum impendiis saepe notabilior collecta est, neglecta, incuriaque successorum non raro multum mutiletur, attenuetur, ac dispareat. Ne id in posterum fiat, constituimus, vt in quolibet parochorum obitus vel mutationis casu, quemadmodum reuideri, conscribique debet fundus instructus, si quis forte adest, et acta ad archiuum Parochiale pertinentia, ita libri quoque Parochiae, cum designatione formati, editionis loci, ac anni, tomorum denique vel voluminum, adcurate conscribantur et conscriptionis duo exemplaria, tum per resignantem parochum, vel V. A. Diaconum, tum per recipientem, successorem subsignentur; ex illisque vno penes parochiam remanente, aliud ad officium Dioecesanum ea ipsa occasione, qua successor administrationis vel inuestitionis decretum excepturus est, inomisse perferatur; in subsequis casibus vsui illi subseruiturum, vt eius medio defectus ex neglectu nefors conseruantis Parochi emergens detegi, et ex substantia illius redintegrari queat. Quia vero quiuus ad parochiam aliquam accomodatus, velut in sacris ordinibus constitutus proprio breuiario alioquin prouisus esse debet; breuiaria mortui cuiusuis parochi integra Strigonium pro vsu presbiterii per Districtualem V. A. Diaconum submittenda erunt. Quois ad excitandam vigilantiam, assiduitatemque vestram adhibitis, auspiciem diuini praesidii, paternam benedictionem nostram vobis Venerabiles fratres, et dilecti in Christo filii, peramanter impertimur. Datum Strigonii 16. Augusti, anno 1840. Josephus A. Episcopus m. pr.

301. *Academia Temesváriensis. A. 1840.*

Illustris, plurimum Reuerende amice Illustrissime ac Reuerendissime Domine Episcope nobis obseruandissime! Suam Maiestatem Sacratissimam medio altissimae Resolutionis ddo 6. Junii a. c. editae clementer annuere dignatam esse: vt in L. R. Ciuitate Temesuariensi Lyceum pro nunc tantum ad studia philosophica exporrigendum iuxta propositionem Praetitulatae Dominationis Vestrae, cui vna ob insique bonum

commune, remue literariam promouendi studium altissima vna complacentia significari iubetur — per Regium hoc Locumtenentiale Consilium succolatam erigatur, proiectata structura mox suscipiatur, et quam primum aedificatio Lycei coeperit, e prouentibus Banaticorum Cameralium dominiorum summa 10,000 fl. M. C. ex parte vero honorum politico fundationalium peraeque banaticorum subsidium 400 fl. M. C. semel pro semper exoluatur, demum oblata per L. R. Ciuitatem Temesvariensem, priuilegiatum Districtum Kikindensem, oppidumque Vinga subsidia realisentur, Praetitulatae Dominationi Vestrae ad iteratas eiusdem hoc in puncto factas remonstraciones, penes significationem altissimae complacentiae Regiae pro grato notitiae statu cum eo notum redditur: quod sua Maiestas Sacratissima illi proiecto, vt Pro-Director Lycei ex gremio Capituli Csanádiensis, Facultatis Philosophicae Professores vero e Dioecetano Clero deligantur, ea lege clementer deferre dignata sit: vt tam Pro-Director, quam Professores praeuie pro altissima Confirmatione praesentari debeant, et vt de habilitate professorum plena suppetat certitudo, ii praeter gradum Doctoris Philosophiae, insuper e scientia quam tradituri sunt, priusquam Cathedras adeant, coram Regia scientiarum Vniuersitate examen approbatorium subire teneantur, quaestione nominationis Professorum Facultatis Iuridicae penes idem Lyceum, cui deferendae ad tempus illud dilata, dum fundus pro inducendis studiis quoque Iuridicis adfuerit, quod item praeuia b. Resolutio sine procurandae oblatorum subsidiorum realisationis Camerae R. H. A., Comitatu Temesiensi, Ciuico item Magistratui Temesvariensi sub hodierno intimata, et circa exassignandos erga Quietantiam penes R. filialem Cassam P. F. Temesvariensem e prouentibus honorum P. Fundationalium banaticorum semel pro semper 400 fl. M. C. Generali solutorio officio P. F. congrua inuiatio data habeatur. Datum ex Consilio R. Locumtenentiale Hungarico Budae die vigesima quinta Augusti anno millesimo octingentesimo quadragésimo celebrato. Praetitulatae Dominationi Vestrae ad officia paratus paratissimi B. Ignatius Eötvös m. p. Andreas Lovász m. p. Alexius Kmosko m. p.

302. *Idem Ferdinandus Rex liberi transitus facultatem etiam ad Graeci ritus non unitos extendit. A. 1844.*

Ő császári királyi Felsége a' görög nem egyesült egyházi rendnek kérelmére folyó évi Februárius 21-ről kelt legfelsőbb határozata által legkegyelmesebben megengedni méltóztatott: hogy mind az, mi a' romai katolica vallásból az evangelika vallások bár mellyikére leendő átmenet eseteit illetőleg, az utolsó országgyűlési 1844-dik évi III-dik t. cz. 5-dik §-ától kezdve bezárólag a 11-ik §-ig megállapítatott, a' görög nem egyesült vallásúakra is alkalmaztassék.

303. *Idem Rex facultatis huius ultra quam fas extensionem, per Archiepiscopum Carloviczensem factam, reprobat. A. 1846.*

Ő császári kir. 's a' t. kegyesen tudatandó. Ő császári kir. Felsége legkegyelm.

urunk hiteles kútfőből 's egyszersmind a' legnagyobb visszatetszéssel értvén azt, hogy az 1844. 3. törv. czik. rendeletének, a' görög nem egyesült szertartásuakra és kegyeslett kiterjesztése iránt f. é. február 21-én kiadott azomban a' Karloviczi Metropolita által a' nélkül, hogy erre felhatalmaztatott volna, nem kevésbé idő előtt, mint kétes és széles értelmű magyarázatokkal kihirdetett k. k. elhatározata valódi értelmétől eltérő különbféle hibás és a' legfelsőbb k. k. szándéklattal épen ellenkező merész vélemények hintettek a' görög nem egyesült pap és népség részétül 's táplálatnak még talán jelenleg is. Ezeknél fogva Ó cs. királyi Felsége folyó év 's hó 4-kén kelt kegyes rendelete által a' fenérintett 's ugyan ezen eszt. február 21-én kiadott legfelsőbb határozatában foglalt akaratát, ambar annak világos tartalmához semmi kétség sem férhetne, következőképen nyilváníttatni, 's ezt mind az Ország Herczeg Primásának az esztergami Érseknek, 's mind két szertartásu katolikus püspököknek, mind pedig a' görög nem egyesültek Karloviczi Metropolitája 's püspökeinek, valamint az illető Törvényhatóságoknak is, e' m. kir. Helytartótanács által haladék nélkül tudtokul adadni kegyesen megparancsolni méltóztatott t. i. Ó császári 's apost. kir. Felsége midőn a' fenérintett k. elhatározatát az 1844. 3. tör. czikkelre ügyelve kiadni méltóztatott olly távol volt attól, hogy a' szent egyesülésnek terjedését gátolni, vagy épen eltílatni szándéka lett volna, hogy sőt inkább semmit sem ohajt jobban, minthogy a' szent egyesülés eszméje 's eredménye mennyiben ez a' katolikus elvekbeni oktatás, 's ebből eredő lelkiismereti tiszta meggyőződés követése által fejlik ki, semmiképen se akadályoztasék; más részről azonban, Ó cs. kir. Felségének gondjai egyszersmind oda is irányozvák: hogy alattvaló mindegyikének lelkiismereti szabadsága bár minémü kényszerítéstől menten és biztossan tartassék fenn, 's ezen királyi szándékától vezéreltetve méltóztatott Ó cs. kir. Felsége az 1791. 27-ik tör. czik. erejénél fogva a' fenebbi határozata által addig is, még ez a' hozandó törvény szentségére emelkedni fog, k. elrendelni: hogy mind az, mi a' katolikusoknak, az evangelika vallás valamelyikérei átmenésére nézve az 1844. 3. törv. czik. által megtartatni parancsoltatik, a' görög nem egyesült szertartásuakra is, és ugyanazon katolikus egyénekre is alkalmaztassék, kik elhatározott szándék 's lelki meggyőződésből a' görög nem egyesült szertartás követhetése végett lelkiismeretök szabadságára hivatkoznak, azon esethen tehát, ha valamely községben a' katolikus lakosok egyszerre számosabban, vagy egész görög egyesült községek a' nem egyesült szertartásra átmenni készülnének, és e' végre az 1844. 3-ik törv. czikhez képest az illető helyeken magokat jelentenék, minthogy többeknek illy módon öszvesített akaratja azon valószínű véleményt vonná maga után, hogy annak valami külső oka van, mellynek valamint minden ilyen ösztönözésnek eredete iránya 's a' kedélyekrei hatása nem csak a' hit 's lélek ismérői szabadság, hanem közállományi szempontból és előlegesen és figyelmesen megvizsgálandó 's kitudandó, Ó cs. kir. Felsége k. megparancsolni méltóztatott: hogy az illető törvényhatóságok értesülvén a' felől, miként számos katolikus, a' görög nem egyesült szertartásra átmenni igyekeznek, és ebbéli szándékukat az, annyiszor idézett törv. czik. értelmében kijelentetik, illy e. etekről alapos isméretet szerezzenek magoknak, és ezekről mind a' m. kir. Hely-

tartótanácsnak, mind pedig legfelsőbb helyre jelentést tegyenek, és az illy sereges átmenések ügyében a' legfelsőbb királyi választ annál ovatosabban várják be, minél gondosabb figyelem fordítandó illyféle számos átmenésekkor arra, nehogy a' templomok parochialis és iskolai épületek erőszakkal elfoglaltassanak, czivódások, zavarok, és veszekedések történjenek, és hasonló merényekkel a' közbékesség és nyugalom felháborításáék, ezeknek folytában Ő cs. kir. Felsége az átmenés iránt tett mind azon lépéseket, mellyek a' sokszor említett 21. februáriusi k. elhatározatának rendes kihirdetése előtt a' görög nem egyesült Metropolita f.é. február 21-ik körlevelének következtében, a' görög egyesültek részéről tettek, törvényteleneknek, érvényteleneknek k. nyilvánítani, es olyanokul vétetni parancsolja, egyszersmind e' m. kir. Helytartótanácsnak k. meghagyja: miszerint legfőbb nevében az illető törvényhatóságoknak köteleességökké tegye: hogy azon görög nem egyesült papokat, kik az ezen szertartásu egyesült népet vagy egyéneket általában tiltott módokon az átmenésre csabítani merészelnék az 1791. 26 ik t. cz. 13. §. értelmében szigoruan fenyítsék meg, nem különben a' rágalmazásokat, és minden a' görög egyesült szertartásra nézve botrányos méltatlanságokat, mind a' közbéke 's nyugalom felháborításait az efféle kihágásoknak főkövetőiben kellőkép büntessék meg; kegyes akaratja továbbá Ő cs. kir. Felsége e' m. kir. Helytartótanács által, Bihar, Szabolcs, Bács, Arad, Temes, Krassó, Torontál, Békes, Csanád, Csongrád és Maramáros, ugy Körös, Varasd, Verőcze, Posega és Szerém Vármegyék Főispányainak, illetőleg főispáni helytartóknak meghagyatni: hogy a' f. é. február 21. kelt k. elhatározat folytában, szélllel bocsátandó intézmény szerint, annak jelen valódi értelméről, a' népet tapasztalt ügyes és buzgó hivatalkodásu férfiakból szerkesztendő kiküldöttségek által kellőkép felvilágosítani, a' görög nem egyesült szertartásu papságot pedig, hogy a' katolikusokat a' tiltott utakon és módokon, a' görög nem egyesült szertartásra csabítgatni semmi ürügy alatt se merészeljek, az efféle csabítgatás fő szerzőjére szabandó kemény büntetések terhe alatt komolyan megintetni rendeljék. Melly kegyelmes királyi elhatározatról e' m. kir. Helytartótanács azzal: hogy erről a' cs. kir. Udvari főhaditanács kellő alkalmazás, és a' katonai végvidékekben is ezen k. elhatározathoz képesti rendelések tétele végett megkerestetett, tudósíttatik. Kelt Bécsben Szent-Iván hó 12-én 1846. Gróf Apponyi György m. k. Czillich Károly m. k. Ő cs. 's a' többi kegyes parancsára. Báro Névery Károly m. k.

In merito Academiae Temesváriensis. A. 1845.

Nagytekintetű Igentsztelendő Nagyméltóságú Méltóságos 's Főtisztelendő Püspök kedves barátom különös tekintetre méltó Úr! Nagyméltóságodnak a' közjó előmozdítására, 's jelesen a' közoktatás virágoztatására irányzot, 's f. é. Augustus 21. 1302. sz. a. ide tett felírásában nyilvánított azon ohajtása, melly szerint a' bőkezűsége 's üdvös hatású intézkedései szülte kedvező körülmények következtében a' Temesvári Lyceumban a' jogtanulmányi folyamatot is életbe léptetni kívánja, itt köztetszessel, 's érdemszerinti méltánnyal fogadtatván, e' királyi kormányzék mit sem késett Nagy-

méltóságodnak érintett felírását Ő cs. kir. Felségének legkegyelmesb színe elibe azon alázatos kérelemmel terjeszteni, miszerint nagyméltóságodnak innen egész terjedelmében párujt javaslatára nézve kegyelmes legfelsőbb jóváhagyó határozatát kibotsátani méltóztatnék. Miről Nagyméltóságodat e' királyi Helytartó-Tanács addig is, míg a' mély hódolatban kikért k. k. határozat bekövetkezend oly megjegyzéssel kívánta értesíteni: miszerint, miután e' királyi kormányshék Nagyméltóságod tervezetének legfelsőbb helyeni kegyelmes jóváhagyását biztosan reményli, ha Nagyméltóságodnak a' köz ügy iránti fáradhatlan buzgalmú szándokában volna a' Temesvári Lyceumban az első évi jogtanulmányi folyamatot már a' közelgő tanodai évben megindítani, Nagyméltóságodnak e' részben teendő czélszerű intézkedéseiben e' királyi Helytartó-Tanács tökéletesen megnyugodván azoknak legfelsőbb helyeni jóváhagyandásáról mit sem kételkedik. Kelt Budán a' magyar királyi Helytartó-Tanács ezer nyolczszáz negyvenötödik évi sz. Mihályhó tizenhatodikáú tartott üléséből Nagytekintetű, Igentisztelendő, Nagyméltóságú, Méltóságos s Főtisztelétű Uraságodnak hivatalra kész, teljes készségűi G. Keglevics Gábor s. k. Sorsich József s. k. Markovics Antal s. k.

304. *Idem Rex ad demissam Primatis supplicationem, de admittendis nonnullis clericis, Romae educandis, benigne resoluit. A. 1846.*

Ő cs. 's a' t. kegy. tudatandó: A' Herczeg Primás Esztergomi Érseknek abbéli kérelmének: miszerint 8 vagy 10 magyar pap-nevendékeket a' hittani tanulmányok' kiképeztetése végett az Apollinárféle Romában létező magyar-német főiskolához küldeni való szabadság neki kegyesen engedtessek meg, Ő csász. kir. apost. Felsége f. é. Junius 13-án kelt kegyelmes elhatározatánál fogva kegyelmesen oly feltétel alatt helyt adni méltóztatott, hogy az 1782. évi 7692. 8473. udv. számok alatti rendszabályok nyomán az érintett papnevendékek kijelélése legfelsőbb kinevezés végett terjesztessék fel, továbbá hogy az érintett főiskolában kiképezendő papnevendékeknek élelmezési költségei a köz alapoknak terhére ne essenek. — Kelt Bécsben, Sz. István hó 25-én 1846.

In Negocio Academiae Temesuariensis. A. 1846.

Nagytekintetű Igentisztelendő, Nagyméltóságú Méltóságos s Főtisztelendő Püspök, Kedves Barátom, különös tiszteletre méltó Úr; — Ő császári királyi Felsége legközelebb kibocsátott kegyelmes határozatánál fogva azt, hogy Nagyméltóságod az általa felállított Temesvári lyceumban a már létező bölcsészeti osztályokhoz a mult évi augustus 21-én 1302. sz. a. ide tett és innen legfelsőbb helyre terjesztett feliratában nyilvánított ajánlata szerint jogtanodákat is kapcsolhassa, oly nyilvános hozzátétellel kegyelmesen megengedni méltóztatván: mikép ezen a már helyben létező bölcsészeti osztályokkal együtt véve „temesvári lyceum“ névvel felruházandó intézet az illető kerületi Főigazgatóság alatt álljon, s a kegyelmesen megállapított s jövendőre megállapítandó rendszerhez magát szorosán alkalmazni tartozzék, annak a helybeli székesegy-

házi kanonokokból rendelendő aligazgatója, és nem csak egyházi — mint a jogtanulmányokban kevésbé gyakorlott — hanem világi egyénekből is oly módon mint ez az Egri lyceumban divatozik alkalmazandó tanárai pedig, kiknek kinevezési joga Nagyméltóságodat mint alapítót s a püspökségbeni utódait vagy széküresedés esetében a káptalanbeli helyetteseket illetend; legfelsőbb megerősítéstől függének, s az imént említett tanárok ezen felül a fennálló kegy. szabályrendeletek értelmében a jogtudori diszen kívül az illető tanulmányokból a királyi egyetemnél tanképességi vizsgát kiállani kötelesek legyenek; erről Nagyméltóságod kellő tudomás és ahoztartásul azon felszólítás mellett értesítetik, hogy az ezen intézet iránt adandó s annak alapértékét s illetőleg pénzüszvegét részletesben s kötelező erővel kimutatandó alapító levelet majdan ide felküldeni sziveskedjék. Kelt Budán a magyar királyi helytartó Tanács ezer nyolczszáz negyvenhatodik évben, Böjtmáshó tizedikén tartott üléséből. Nagytekintetű Igentisztelendő, Nagyméltóságú Méltóságos s Főtisztelendő Uraságnak hivatalra kész teljes készségűi Gr. Keglevich Gábor m. k. Sorsich József m. k, Pap Gábor m. k.

305. *Gregorius XVI. PP. constitutionem de mixtis matrimoniis ad Archiepiscopum Friburgensem reiterat. A. 1846.*

Venerabili Fratri Hermano Archiepiscopo Friburgensi, Gregorius PP. XVI. Venerabilis Frater salutem et apostolicam benedictionem. Non sine graui animi nostri moerore iam nosebamus, Venerabilis Frater, quae tuis literis die quarta proximi mensis Martii ad nos datis, dolenter significas, de deploranda in vestris regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque ciuilibus potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos, seu viros, seu mulieres, qui mixtis matrimoniis temere contrahendis se ac prolem inde suscipiendam in peruersionis periculum iniiciunt, contra naturalem diuinamque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit ecclesia, et haec apostolica sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas iure subexigit, cum ob graues aliquas causas, ea coniugia aegre admodum sinit, vt scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico peruerti non possit, quin potius ille teneri se sciat, ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam vt proles vtriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino debeat educari. Quam ob rem venerabilis frater, meritis Te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod pro episcopalis tui ministerii officio in tanti momenti rem curas, cogitationesque merito conuerteris, ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam, ius, libertatemque tueri, vindicare volueris, ac pastorali robore et constantia exortos abusus, de medio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, mandare, non destitisti, vt in huiusmodi nuptiis ecclesiae regulas a nobis et praedecessoribus nostris tanto studio inculcatas, religiosissime seruent. Et quidem, quod ad benedictionem attinet: eam, velut optime nostis, haec apostolica sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos ineuntur, impetrata

quidem sedis venia, atque adhibitis cautionibus in illis praescriptis. Atque et si deinde tolerari potuerit, vt mos in nonnullis regionibus inductus seruaretur benedicendi, matrimonii mixtis initis cum ecclesiae venia et praedictis cautionibus, nunquam toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus nulla accedente ecclesiae venia, nec praeiis necessariis cautionibus, manifestum idemque grauissimum admittitur crimen, in ipso matrimonii foedere ineundo. Numquam enim tolerari debet, vt sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent, et praedicant. Atque id probe sentiunt aduersarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione non laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo sancta mater ecclesia filios suos auertere consuevit ab iisdem coniugiis, in eorum, futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, vt catholicae potissimum foeminae aut licita, aut non tam grauiter illicita existimarent ea coniugia, quae sacris ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae siue in nostris, siue in decessoris nostri Pii VIII. ad diuersos archiepiscopos et episcopos literis siue instructionibus, aut eius, aut nostro iussu editis, consignata fuisse, cognoscis Venerabilis Frater. Nec vero refert si ad nonnullos tantum Antistites, qui hanc apostolicam sedem consuluerunt, illae instructiones datae sunt. Enim vero non agitur de aliqua noua lege, a nostro praedecessore, aut a nobis inducta, quum vterque nostrum eo potius spectauerit, vt pro locorum adiunctis emolliremus, quoad fieri posset, disciplinae seueritatem, et ea simul inculcaremus, quae praeiis vsibus tollendis, sanae doctrinae deposito custodiendo, ac matrimonii sanctitati, catholicae religionis incolumitati, et animarum saluti tuendae, necessaria iudicauimus. Itaque etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid noui indulgent aut tolerant; ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus in commutabilem annunciant ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et prauos qui alicubi inualescebant, vsus proscribunt: Atque huc pertinent, quae hac de re a nobis indicata fuerint in pluribus allocutionibus, ad venerabiles Fratres nostros, S. R. E. cardinales in consistorio IV. Idus Decembris 1837, Idibus Septembris 1838. et postridie nonas Iulii 1839. habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus. Haec tuis commemoratis literis rescribenda censuimus Venerabilis Frater, vt alacriori vsque studio et firmitate omnes boni pastoris partes implere, atque in tanti momenti negotio ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum reliquas, quod ad tui gregis salutem procurandam pertinere posse, cognoueris. Nos quidem pro officii nostri munere, quantum cum Domino poterimus, haud omitemus omnem operam adhibere, vt sacrae istae res, Deo bene iuuante, in meliorem conditionem adducantur. Interim vero dum Tibi de pastoralis Tuae sollicitudine vehementer gratulamur, nostrae in Te praecipuae beneuolentiae testem, ac coelestium omnium munerum auspiciem

apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam, tibi ipsi, Venerabilis Frater et omnibus tuae ecclesiae clericis, laicisque fidelibus, peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum, die 22. Maii anno 1846. Pontificatus nostri anno decimo sexto.“

306. *Pii PP. IX. encyclicae Ordinum Religiosorum reformationem concernentes.*

Dilecti Filii Religiosi Viri, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ubi primum arcano diuinae providentiae consilio ad totius Ecclesiae regimen evecti fuimus, inter praecipuas Apostolici Nostri ministerii curas et sollicitudines nihil Nobis potius fuit, quam Religiosas vestras Familias singulari paternae Nostrae caritatis affectu complecti, omnibusque studiis prosequi, tueri, defendere, ac maiori earum bono ac splendore totis viribus consulere atque prospicere. Ipsae enim, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem procurandam a sanctissimis viris diuino afflante spiritu institutae, atque ab hac Apostolica Sede confirmatae, multiplici earum forma pulcherrimam illam varietatem efficiunt, quae mirifice circumdat Ecclesiam, ac lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quae maximo tum christianae, tum civili reipublicae usui, ornamento atque praesidio semper fuerunt. Siquidem earum alumni singulari Dei beneficio ad euangelicae sapientiae consilia profitenda vocati, atque omnia detrimentum esse existimantes propter eminentem scientiam Christi Jesu, animo excelso et inuicto terrestria cuncta despicientes, et coelestia vni-
ce spectantes, iis egregiis operibus insistere, gloriosisque laboribus perfungi semper nisi sunt, quibus de Catholica Ecclesia, deque civili societate optime meruerunt. Nemo certe ignorat, vel ignorare potest, Religiosas Familias vel a prima earum institutione innumeris paene claruisse viris, qui omnigenae doctrinae, atque eruditionis copia insignes, omnium virtutum ornatu, et sanctitatis gloria fulgentes, amplissimis quoque Dignitatibus illustres, atque ardenti in Deum et homines amore flagrant, et spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus, nihil aliud in deliciis habuere, quam omni cura, studio, contentione in diuinarum rerum meditatione dies, noctesque haerere, mortificationem Jesu in suo corpore circumferre, catholicam fidem ac doctrinam a solis ortu usque ad occasum propagare, ac pro ea fortiter pugnare, et cuiusvis generis acerbitates, tormenta, supplicia alacriter perpeti, ac vitam ipsam profundere, rudes, barbarosque populos ab errorum tenebris, morum feritate, vitiorum coeno ad euangelicae veritatis lucem, omnemque virtutis, et civilis societatis cultum traducere, litteras, disciplinas, artes excolere, tueri atque ab interitu vindicare, teneras iuuenum mentes et cerea corda ad pietatem ac honestatem mature fingere, sanisque doctrinis imbui, errantes ad salutis tramitem reuocare. Neque id satis; namque induti viscera misericordiae, nullum est heroicae caritatis genus, quod cum propriae etiam vitae discrimine ipsi non exercuerint, ut captiuis, carcere inclusis, aegrotantibus, morientibus, cunctisque miseris, egenis, calamitosis opportuna quaeque christianae beneficentiae, et providentiae subsidia, amanter praebere, eorumque dolorem lenire, lacrimas detegere, ac necessitatibus omni ope et opera consulere possent.

Hinc porro evenit, vt *Ecclēsiæ Patres*, ac *Doctores merito atque optimo iure euangelicæ perfectionis cultores summis laudibus exornarint*, et contra illorum oppugnatores acerrime decertarint, qui sacra hæc *Instituta*, tamquam inutilia et societati exitialia esse temere denunciant. *Romani vero Pontifices Decessores Nostri ipsos Regulares Ordines beneuolo semper affectu prosequentes*, Apostolicæ auctoritatis patrocinio illos tegere, tutari, atque amplioribus priuilegiis, honoribus decorare numquam omiserunt; probe noscentes, quæ, quantaque bona et commoda ex ipsis Ordinibus in vniuersam christianam rempublicam omni tempore redundarint. Atque iisdem *Praedecessores Nostri de hac potiore Dominici agri parte tantopere solliciti fuere*, vt, vix nouerunt inimicum hominem clanculum superseminare zizania in medio tritici, vulpesque paruulas demoliri florentes palmites, nulla interposita mora curam omnem contulerint ad radicibus euellendum destruendumque, quidquid vberimos ac laetissimos iacti boni seminis fructus posset impedire. Hac sane de causa rec. me. *Clemens praesertim VIII.*, *Vrbanus pariter VIII.*, *Innocentius X.*, *Alexander VII.*, *Clemens IX.*, *Innocentius XI.*, itemque *Innocentius XII.*, *Clemens XI.*, *Pius VII.*, *Leo XII.*, *Decessores Nostri tum saluberrimis initis consiliis, tum sapientissimis editis Decretis et Constitutionibus, omnes Pontificiæ vigilantiae et prouidentiae neruos intendere haud intermiserunt ad mala penitus amouenda, quæ tristissimis rerum ac temporum vicibus in Religiosas Familias irreperant, atque ad regularem in illis disciplinam vel tuendam vel instaurandam.*

Nos itaque pro summa, qua *Ordines ipsos caritate prosequimur*, illustria *Decessorum Nostrorum exempla aemulantes*, ac *Sapientissimis Tridentinorum praesertim Patrum sanctionibus inhaerentes*, (*Sess. XXV. de Regular. et Monial.*), pro supremi *Nostri Apostolatus officio, curas, cogitationesque Nostras toto cordis affectu ad vestras Religiosas Familias eo sane consilio conuertere constituimus, vt si quid in ipsis infirmum sit, consolidemus, si quid aegrotum, sanemus, si quid confractum, alligemus, si quid perditum, reducamus, si quid abiectum, erigamus: quo morum integritas, vitae sanctitas, regularis disciplinae obseruantia, litterae, scientiae praesertim sacrae, ac propriae cuiusque Ordinis leges vbique reuiuiscant, ac magis in dies vigeant et floreant. Etsi enim vehementer in Domino laetamur, multos Sacrarum Familiarum existere Alumnos, qui sanctissimæ vocationis memores, ac virtutum omnium exemplo et doctrinarum copia praestantes, illustria Patrum suorum vestigia persequi, in ministerio salutis laborare, bonumque Christi odorem vndique diffundere summopere student: tamen dolemus nonnullos reperiri, qui eorum professionis ac dignitatis obliti, a suscepto instituto ita declinarunt, vt, non sine maximo ipsorum Ordinum et Fidelium damno, speciem tantum habitumque pietatis praeferant, ac professi instituti sanctitatem, nomen, vestemque vita et moribus refellant.*

Has igitur ad Vos, *Dilecti Filii, qui eorum Ordinum Moderatores estis*, litteras damus, studiosissimæ Nostræ erga Vos, vestrosque religiosos Ordines voluntatis nuncias, quibus consilium a Nobis de regulari disciplina instauranda susceptum significamus. Quod quidem consilium eo omnino contendit, vt, Deo bene iuuante, illa omnia

statuere, et perficere valeamus, quae ad cuiusque Religiosae Familiae incolumitatem, prosperitatemque tuendam, comparandam, ad populorum vtilitatem procurandam, atque ad diuinum cultum amplificandum, Deique gloriam promouendam magis magisque possint conducere. Etenim in vestrorum Ordinum disciplina instauranda eo potissimum Nostra studia et desideria spectant, vt ex ipsis Ordinibus nauos atque industrios operarios, pietate non minus quam sapientia pollentes, hominesque Dei perfectos, et ad omne opus bonum instructis habere possimus; quorum operam in vinea Domini excolenda, in catholica fide penes infideles praesertim populos propaganda, in grauissimis Ecclesiae et huius Apostolicae sedis negotiis pertractandis adhibere valeamus. Ut autem tanti momenti negotium religioni, atque ipsis Regularibus Ordinibus, quod est maxime in votis, prospere feliciterque eueniat, atque optatum exitum obtineat, vestigiis Praedecessorum Nostrorum insistentes, peculiarem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituímus, quam de Statu Regularium Ordinum nominauimus, quo ipsi VV. FF. Nostri pro singulari eorum sapientia, prudentia, consilio, rerumque gerendarum vsu et peritia adiutricem Nobis manum in tanto opere praebeant.

At Vos quoque dilecti Filii, in eiusdem operis consortium aduocamus, ac vehementer in Domino monemus, hortamur, obsecramus, vt Nostris hisce curis studiisque omni alacritate adlaborare velitis, quo vester Ordo pristina dignitate et splendore refulgeat. Itaque pro loco, quem tenetis, pro munere, quo insigniti estis, nihil intentatum relinquite, vt Religiosi Viri Vobis subiecti serio meditantes vocationem, qua vocati sunt, digne ambulent in ea, et vota, quae Deo semel vouerunt, religiosissime semper reddere studeant. Omni vero vigilantia prospicite, vt ipsi insignia Maiorum suorum vestigia sectantes, sanctamque disciplinam custodientes, mundique illecebris, spectaculis, negotiis, quibus se abdicarunt, omnino aduersantes, sine intermissione precationi, rerum coelestium commentationi, doctrinae, lectioni instent, in animarum salutem ex proprii Ordinis instituto incumbant, vt mortificati carne, viuicati autem spiritu, seipsos populo Dei exhibeant modestos, humiles, sobrios, benignos, patientes, iustos, integritate, castitate irreprehensibiles, caritate feruentes, sapientia honorabiles; ne cuiquam sint offensionis, sed omnibus praebeant exemplum honorum operum: vt qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de ipsis. Etenim probe noscitis, qua vitae sanctitate, et virtutum omnium ornatu ii praelucere omnino debeant, qui omnibus rerum humararum biandimentis, voluptatibus, fallaciis, vanitatibus, penitus abiectis, vni se Deo Deique cultui adhaerere polliciti ac professi sunt, vt christiana plebs in eos tamquam in nitidissimum speculum intuens, ea pietatis, religionis, et cuiusque virtutis documenta ab ipsis excipiat, quibus feliciore pede percurrat semitas Domini.

Cum autem ex diligenti tironum admissione atque optima illorum institutione totius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, Vos summopere hortamur, vt eorum, qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores, antea accurate exploretis, ac sedulo inuestigetis, quo consilio, quo spi-

ritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noueritis illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare, nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura, industria incumbite, vt tirocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie, sancteque ab optimis Magistris educentur, et ad omnem virtutem, atque ad initum regularis vitae institutum quam optime informentur. Et quoniam praecipua atque illustris Regularium Ordinum laus semper fuit litterarum studia excolere, fouere, ac tot eruditissimis, doctis, laboriosisque operibus humanarum, diuinarumque rerum scientiam illustrare, ideo Vos summopere excitamus, monemus, vt iuxta Vestri Ordinis leges maxima cura, sollertia rectam studiorum rationem promouere, et omnino conari velitis, vt religiosi vestri Alumni in humaniores litteras ac seueriores disciplinas, praesertim sacras, addiscendas constanter incumbant, quo ipsi optimis, sanisque doctrinis apprime exculti, et proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose, sapienterque obire valeant. Jam vero cum summopere optemus, vt omnes, qui militant in castris Domini, vnanimes, vno ore honorificent Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ac perfecti in eodem sensu atque sententia, solliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, a Vobis etiam atque etiam efflagitamus, vt arctissimo concordiae et caritatis foedere, summaque animorum consensione VV. FF. Episcopis et saeculari Clero coniuncti, nihil antiquius habeatis, quam in opus ministerii in aedificationem Corporis Christi, consociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper charismata meliora. Cum enim vna sit Regularium et Saecularium Praeceptorum, et Subditorum, exemptorum et non exemptorum vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, quorum omnium vnus est Dominus, vna Fides, et vnum Baptisma; decet, vt omnes qui eiusdem sunt corporis, vnus etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad inuicem vinculo caritatis sint adstricti. (Clem. vnic. de exces. Praelat.)

Haec sunt, Dilecti Filii, quae Vobis significanda et monenda censuimus hac Nostra Epistola, vt plane intelligatis, quanta Vos, vestrasque Religiosas Familias beneuolentia prosequamur, quantoque studio earundem familiarum rationibus, utilitatibus, dignitati et splendori providere velimus. Non dubitamus autem, quin Vos proproximia vestra religione, pietate, virtute, prudentia, ac summo vestri Ordinis amore Nostris desideriis, curis, consiliis cumulatissime respondere gloriemini. Hac igitur fiducia et spe freti, propensissimae Nostrae in Vos, cunctosque vestros Religiosos Sodales voluntatis et caritatis testem, ac coelestium omnium munerum auspiciem Apostolicam Benedictionem, ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Dilecti Filii Religiosi Viri, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, die XVII. Junii An. MDCCCXLVII.
Pontificatus Nostri Anno Primo.





SUPPLEMENTA.

1. *Valentinus Török de Enying, regni capitaneus, decimas monasterii S. Montis Pannoniae, in Comitatu Simigiensi occupatas vsurpat. Anno 1534.*

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. Rex Semper Augustus, Infans Hispaniarum Archi Dux Austriae etc. Fideli nostro Magnifico Valentino Terek de Enying, capitaneo nostro, salutem et gratiam. Expositum nobis est in personis venerabilis et religiosorum Fratrum Abbatis et Conventus Ecclesiae S. Martini, Sacri montis Pannoniae: quod licet decimas ipsius Ecclesiae anni praeteriti, in comitatu Simigiensi existentes, pro te exigere feceris; illis tamen minime contentus, instantibus quoque decimis priuare eos velles; Supplicantes nobis, dignemur, ipsos, in eorum iuribus et redditibus manutenerere; Cum itaque ad nostrum officium pertineat, vt ea quae Dei omnipotentis mandato sunt instituta reddi iubeamus; Fidelitati Tuae mandamus firmiter, ut de ablatis eosdem contentos reddere, deinceps vero manus tuas, et tuorum ab eorum decimis et redditibus, continere omnino debeas, secus ne feceris. Praesentibus perlectis exhibenti restituti. Datum Pragae prima die Junii Anno Domini millesimo, quingentesimo tricesimo quarto. Ferdinandus. L. S. Vylaky. — Ex Archivo Camerali.

Bonorum ac proventuum Ecclesiasticorum appetitu fuerant Magnates, Magistratus, ac ciues nostrates ad Lutheranismum, occupationem eorum non indulgentem modo sed et praecipientem (nro. 17.) potentissime tracti. Certe eorundem vsurpatores violenti, Petrus Perenyus etc, facti sunt primarii Lutheri fautores et asseclae: Saxones Cibinii bonis Praepositurae, quae Sigismundus in 12. Stalla diviserat, Abbatiae item de Kerz, alias Candelis, possessionibus, bolis his solidis, sunt inescati; quae hodie dum retinent. Civitates etiam liberae ac Regiae, quo magis abundabant foundationibus piis, eo promtius amplexi sunt novitia dogmata tuitique pertinacius: Bartfa, Cassouia, Poson. et Sopronium. Bonorum Ecclesiasticorum depeculatio et rapina artium bonarum, et Scientiarum detrimento non minori cessit: hae a Mathiae Corvini epocha virere coepit suis Stipendiis, ludis, palaestris, magistris ac Fautoribus orbatae marcescere, pessumire; in ludicras polemicas velitationes desciscere; (nro 23.); interiturae nisi exanimis Religionis scientiarumque subsidiaria Societas Jesu Vienna a Nicolao Olaho Archi episcopo in Hungariam anno 1561; ex Polonia anno 1579. per Stephanum Bathorium in Transilvaniam evocata seruasset colendasque suscepisset. Causis his Rex Ferdinandus omnia etiam S. Mauriti de Babonybel monasterii bona confirmavit Anno 1558. MSS. Kaprinay sub B. tomo XXXVII. nro 28. pag. 137. — Adversissima habuit fata Abbatia S. Aniani de Tihany a Ludovici II. tempore: primum Commendatariis collata mox Capitaneis Andreae Csoron de Dewecser anno 1539. tum Gabrieli Majlath certis sub conditionibus concessa; denique Monasterium in castrum conuersum. Collationales vetustas absumsit:

2. *Ferdinandus I. Rex Hungariae Archi episcopis Stigon. ius duplicis et authentici Sigilli Regii habendi et consignandi restituit. A. 1542.*

Nos Ferdinandus, Divina favente Clementia, Romanorum Hungariae, Bohemiae etc. Rex Semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archi Dux Austriae etc. Memoriae

commendamus per praesentes, quod cum Superioribus nobis annis perspecta integritate, fide singulari, et rerum gerendarum experientia, solertia ac prudentia Reverendissimi in Christo Patris, Domini Pauli de Warda Archi Episcopi Ecclesiae Strigoniensis, Primatis Hungariae, Legati nati, Summi et Secretarii Cancellarii nostri fidelis sincere dilecti, sigillum duplex nostrum et authenticum, cuius vsum per certum tempus intermissum fuisse tempore Praedecessoris nostri, quondam Serenissimi Principis Domini Ladislai Regis Hungariae etc. intellexeramus, Eidem Domino Strigoniensi faciendum et de more alias consueto utendum concessimus. Orta fuit quaedam contentio coram Nobis, qualesnam litterae sub ipso duplici sigillo et alterno, quod secretum vocamus, temporibus priorum Regum confici solitae fuissent, Consiliariis nostris tunc ex utroque Ordine, tam scilicet Praelatorum quam Baronum, eorum quibus res ista nota erat, nobiscum existentibus, comperimus una cum ipsis Consiliariis nostris, omnes ferme literas confirmationis armorum, et creationis Comitum perpetuorum semper sub praedicto sigillo duplici emanata fuisse; id quod e litteris antiquis nostrorum Praedecessorum verum fuisse didicimus. Volentes itaque praefatum Dominum Paulum Archiepiscopum in antiquis iuribus et privilegiis suis conservare decrevimus et constituimus, ut idem tanquam Summus Secretarius ac Cancellarius noster literas omnes praedictas confirmationis (collationis?) armorum ac creationis Comitum perpetuorum, et nemo alter conficere et expedire debeat. Idcirco Vobis, Fidelibus Nostris, qui praedictum aliud Sigillum nostrum secretum habent, et habuerint, Cancellarii videlicet Curiae nostrae eorundemque Vices gerentes, harum serie firmiter committimus et mandamus, ut a modo in posterum literas confirmationis armorum, et creationis Comitum perpetuorum nullo unquam tempore confectas alicui dare audeatis. Sed praefato Domino Archiepiscopo, eiusque successoribus Sigillum praefatum duplex haberi. conficiendi. relinquere debeatis. Secus ne feceritis. Praesentibus perlectis exhibenti restituti. Datum Viennae die vigesimo sexto, mensis Decembris, anno Domini Millesimo Quingentesimo quadragesimo Secundo“.

Ex originali Archiepisc. Strigoniensis. — Idem Rex mox anno 1543. Nicolao A. Episcopo Strigoniensi. ius etiam Patronatus suum in Ecclesiam Strigoniensem contulit. MSS. Kaprinay sub B. tomo LIX. nro 66. pag. 190.

3. *Transilvani bonis Episcopatus ablati faciunt exulare Religionem Catholicam. A. 1550.*

Alba est diu iam obsessa, tormenta regiae Maiestatis ex Cibinio in dies, ad quatiendos muros illius expectantur. Hic fui obsessus iam a tribus fere mensibus absque bombardis tamen, hactenus. Nunc exspecto illas quoque: quia omnino me perdere, quidam auctores factionis statuerunt. Totum Episcopatum pro filio Regis, Joanne, Petrovics decreto Zazsebesiensi occupavit. Solus hic ego sum cum quibusdam bonis Nobilibus ex Hungaria inclusus, ultimam horam exspectans. Maiestas Regia miserat me in hoc regnum, non ut castellanum Arcium episcopatus, sed ut episcopum. Si non velit me hic cum bonis Nobilibus Hungaris ad unum omnes dira morte interfici, revo-

cet me ex tanto periculo cum meis; quia nihil Suae Maiestati hic iam inseruire potero. Regnum hoc a Sua Maiestate prorsus defecit, in quo nullum iam imperium habet; nec in vnica quidem villa. Eisdem feliciter valere optamus. Dat. ex arce nostra Gyalu 15. Martii 1556. Episcopus Transilvaniensis, sine dioecesi et proventibus. Paulus Bornemisza⁶⁶ E Prayi epist. Procer. parte III. nro. 19. Transilvania per Oláhos vastata, Transilvanis tanquam bobus mactatis, efugit Eperjesinum: Ibid: nro 27.

Sed factum non est, quod humanitus eventurum videbatur: quidam Nobiles Hungari ac Siculi religionis Catholicae semen conservarunt; a Stephano Báthori Principe alitum, operaque virorum Societatis Jesu conservatum multiplicatumque. — Ferdinandus Rex annuit, vt Georgius Thury Abbatiae Zirch possessiones, donec a Turcis recuperatae fuerint, possideat. Dat. Viennae 1563. MSS. Kaprinay Sub B. Tomo XXVIII. nro. 209. pag. 309. Praeposituram vero de Jászo Andreae Dudyth, Sbardellato, Episcopo Quinqueecclesiensi, contulit. Anno 1564. Ibid. nro 246. pag. 322.

4. *Ferdinandus R. H. ad tuendam religionem Catholicam, Collegium Jesuitarum Tirnaviae fundat ac dotat A. 1561.*

Nos Ferdinandus, diuina favente clementia electus Rom. Imperator etc. Omnibus Xti fidelibus, praesentibus et futuris, salutem in omnium Salvatore. Considerantibus nobis, quibus potissimum adminiculis fides et religio xtiana, a tot retro annorum seculis ad haec vsque tempora inter genus humanum non solum propagata, simul et conservata exstiterit, verum etiam per vniuersa orbis xtiani regna tam altas radices figendo, in tantum et tam late patentem sui splendorem, atque potentiam exeruerit. Inter alia diuinae providentiae subsidia advertimus, Principes pios, ipsius Religionis christianae studiosos et amantes, praecipue autem eos, penes quos nonnunquam summa quoque rerum orbis potestas stare solebat, in ea cum dilata et impensius ornata tum vero defensa et ad nostram vsque aetatem transmissa plurimum semper momenti attulisse: nam si sacras veterum evoluimus historias, pietatem in Deum, quae ex sola vera fidei cognitione pervenit, honorum semper et piorum Principum tempore flourisse, regnorum vero gubernaculis ad impios delatis, innumeris persecutionibus saepissime fuisse obnoxiam, comperimus. Et cum tandem continua quadam Christianorum et piorum Principum successione factum sit, vt eas sibi vires, etiam potentiam pararet, quibus, vt cernere licet, vniuersum pene orbem suis subiecerit legibus. Inter alia plurima orbis ipsius xtiani regna Hungaricum quoque (Deo O. M. gentis illius quoque saluti prospicere volente) svauissimo ipsius fidei christianae iugo collum praebuit. Quo facto cum a divis quondam Hungariae Regibus, nostris praedecessoribus piae memoriae non minorem in augmentanda et ornanda quam conservanda religione ipsa factam esse videamus diligentiam, eorum vestigiis nos quoque insistere volentes: cum videamus plurimis haeresibus infestissimo, perditissimoque hoc seculo honesta liberalium disciplinarum studia, ad extirpandas haereses ipsas, ex impii illius Caesaris Juliani Apostatae Xtianorum liberos a frequentandis artium liberalium studiis publico edicto prohibentis, testimonio plurimum conducere; vt eam in regno quoque nostro Hungariae florere

vberesque cum pietatis tum etiam cultiorum morum fructus edere possint; ad gloriam imprimis Dei Omnipotentis, deinde verae Catholicaeque fidei profectum, regnique nostri Hungariae commodum, collegium Societatis Jesu, quae nostris temporibus in erudienda iuventute, cum circa religionem veram et catholicam, tum etiam honesta literarum media summam dinoscitur facere diligentiam, in civitate nostra Tirnaviensi tradita rei huius perficiendi cura RRmo in Xto Patri Domino Nicolao Olaho, A Episcopo Ecclesiae Strigoniensis, Regni nostri Hungariae Primati, Legato nato, Summo ac Secretario Cancellario, et Consiliario nostro, cuius scilicet hoc tempore in curanda conseruandaque in regno nostro Hungariae vera Religione singularis et praecipua exstat sollicitudo, atque diligentia, instituendum fundandumque duximus. Quapropter vt collegio et fratribus in eo iugiter Deo famulantibus, ac erudiendae iuventuti continuam operam dantibus, de vitae aliarumque rerum necessitatibus prospectum esse possit; Abbatiam de Széplak in Abaujvariën. et Praeposituram de Been in Strigon. Comitatus adiacentes, quarum vtraque distractis earum per superiorum annorum disturbia, quibus hoc regnum nostrum Hungariae diu nimis agitatum fuit, Ecclesiis Abbate et Praeposito, consequenterque cultu diuino hactenus vacarunt, et in manibus secularibus diutius habitae variis modis hinc inde destructae fuerunt, simul cum vniversis earumdem bonis temporalibus, vtpote villis etc. memorato collegio Jesuitarum, in civitate nostra Tirnaviensi noviter opera et cura praefati Dni Strigoniën. fundato, accedente ad id Sacrae sedis Apostolicae dispensatione applicavimus; eidemque in perpetuum dedimus; ita et tali conditione, vt sufficientes societatis illius viri religiosi in collegio illo continue resideant, et ea quae ad peragendum cultum diuinum erudiendamque in pietate et honestis literis, pubem pertinent, fideliter, diligenter et sollicite, obeant; imo applicamus, damus, donamus, et conferimus, iure perpetuo, et irreuocabiliter harum nostrarum, quibus duplex et authenticum Sigillum nostrum quo vt Rex Hungariae vtimur, est appensum vigore et testimonio literarum. Datum Viennae, die I. Januarii Anno Domini 1561. Ferdinandus mpr. — Ex originali.

5. Maximilianus Rex Hungariae translationem capituli Strigoniensis, a Ferdinando Tyrnaviam factam, donec Strigonium a Turcis revindicatum non fuerit, confirmat. Datum Viennae XXI. Jan. Anno Domino 1564. — Kaprinay sub B. tomo XXVIII. pag. 293. — Eodem anno confirmavit etiam privilegia Ecclesiae Sancti Benedicti de iuxta Gron. Ibidem.
6. *Idem Maximilianus R. H. Pio V. PP. Antonium Verantium Episcopum Agriensem pro vacante Metropolitana Sede Strigoniensi iure suo patronatus praesentat, eique pallii submittendi taxam relaxari orat. 1570.*

Beatissime in Christo Pater, Domine reverendissime! post officiorum commendationem filialis observantiae continuum incrementum. Arbitramur Sanctitati Vestrae iam antea innotuisse, Metropolitanam in Regno nostro Hungariae Ecclesiam Strigo-

niensem sublato e vivis abhinc fere biennio, eiusdem ultimo Archiepiscopo Nicolao Olaho, mansisse hucusque legitimo gubernatore destitutam. Non itaque diutius differendum arbitrati, quin pro ea, qua erga religionem, ipsamque Dei Ecclesiam et eius profectum quovis tempore libenter sumus cura et observantia, quam primum de idonea cogitaremus persona, quam ad hoc munus pastorale, quod inter alia dicto in regno nostro primum est, et praecipuum, digne nominemus. Inter alios quidem eiusdem Regni nostri Praelatos, virosque Ecclesiasticos, praecipuus se nobis obtulit episcopus Agriensis, de cuius non vulgari eruditione et doctrina morum item et vitae integritate magnaue in Deum et religionem pietate sufficienter edocti, ab Ecclesia sua Agriensi, cui haecenus praefuit, ad dictam metropolitanam Strigoniensem solita et vetusta Juris Patronatus nostri auctoritate, quam in conferendis omnibus eiusdem regni nostri Praelaturis, instar praedecessorum nostrorum, diuorum quondam Hungariae Regum, habemus, transferendum ipsumque Archiepiscopum Strigoniensem pleno iure creandum duximus. Quod quidem cum a nobis ita factum sit, eum Sanctitati Vestrae de more praesentamus, ab eadem obsequiose petentes, velit ipsum in dicta Ecclesia sua Strigoniensi benigne confirmare ac etiam pallium, quo sui antecessores semper vsi sunt, cum aliis solitis archiepiscopatus insigniis ei, vti moris est, concedere. Et quoniam eadem Ecclesia ab annis iam non paucis prouti Sanctitatem Vestram non ignorare scimus, in illa universali fere totius regni nostri clade in totis proventibus suis temporalibus cum ipsa sede archiepiscopali a iugo et tyrannide Turcica partim occupata partim vero in residua sui parte in dies gravissime habetur afflicta, et oppressa; ea sane ipsi archiepiscopo incumbunt onera, sumtus et impensae, in illa quae adhuc ab infidelium Turcarum immanitate reliqua est, ecclesiae suae parte tuenda, militibusque in hunc usum cum arce finitima, non parvo numero continuo alendis, vt ad sustentandum statum et dignitatem archiepiscopalem vix et difficulter, quid ei supersit. Vnde praeterire non possumus, quin Sanctitatem Vestram diligenter rogemus, vt cum Archiepiscopus ipse non ignoret, qua solutione annatae Sanctae huic sedi pro accepta confirmatione ipsoque pallio, de more debeat, idque haud gravatim si vires et facultates suppetarent, etiam praestare cuperet, velit Sanctitas Vestra pro Sua pietate, qua oppressarum ab infidelibus paganis Ecclesiarum rationem habere, earumque misereri consuevit, petitam confirmationem et pallium gratis et absque alicuius annatae solutione, eidem Archiepiscopo benigne impertiri, et concedere, quo sumtus illos suos graves, hac clementi Sanctitatis Vestrae relaxatione sentiat sibi aliquanto tolerabiliores, eoque alacrius non minus curandae gubernandaeque, omni quo potest diligentiori studio, atque solitudine Ecclesiae ipsi suae, quam tutandis pauculis Archiepiscopatus reliquiis incumbat. Qua quidem in re Sanctitas vestra nobis quoque gratiam faciet omni erga eandem filiali observantia nostra promerendam: cui nos reverenter offerimus et obsequiose commendamus. Datum in arce nostra Regia Pragae 12. Januarii 1570. Pray. Epist. Procer. P. III. nro 64.

Qui confessionem Augustanam, et Calvinianam sub regimine Maximiliani propagatam obvertunt, causas neququam adverterunt: Lutheri asseclae se non aliam doctrinam propugnatos, promoturosque obtendebant, quam Confessionem Augustanam; in qua nro 84. continetur: Se nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire; tantum paucos abusus dimittant: qui novi sunt, et contra voluntatem canonum, vicio temporis, recepti. — Fucio hoc: paucorum ab usum, multos in errorem seduxerunt. Causa altera fuit: vilipensio omnis auctoritatis ecclesiasticae et civilis, in qua despecta facienda collaboratum a coriphaeis fuit: Melancthon quippe Lutheri vestigia premens, ursit: „Si quid, inquit, Magistratus praecipit contra ius divinum; ne obtemperes; Sed pertinaciter repugnes; uti cum praecipit bellum suscipi adversus Turcas“. Ad cap. III. epist. ad Romanos. Idpropter nec mandatis Regis, nec decretis regni obeditum ab eis fuit; bellatum contra Turcas inuite, contra Regem promptissime. — Calvinus autem doctrinam suam, concessa licentia maxima, commendavit: conscientiam statuens omni humana lege liberam, hanc coram Deo non obligantem; cui proin fas sit absque peccato obsequium detrectare; quin et absque offensa Dei resistere. Libro de refor. Ecclesiae necessitate. Confessione vero Helvetica palam et expresse professi sunt: se sententiis quatuor primarum Synodorum Nicaenae Constantinopolitanae, Ephesinae, et Calcedonensi adhaerere“. — En denuo fucum ac perfidiam ad plebem facile credulam dementandam! — Hanc simulationem dolumque delaruarunt Evangelicis Jesuitae: ideo vae! illis V- Disputationem Kaprinay sub B. tomo. XII. nro 22.

7. *Maximilianus Rex bonis ac iuribus decimalibus Episcopatus Transilvani ad rationem oppidi sui Zathmár occupandis cauet. A. 1566.*

Maximilianus Secundus, Diuina favente clementia, Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rex etc. Egregii, Fideles Nobis dilecti. Accepimus quidem e litteris Vestris ex oppido Wngwar die octava iam elapsi Martii datis, deliberationem Vestram, assentiente Generali Capitaneo nostro Lazaro Swendio de commissionis ad Zathmár vobis demandatae progressu et quae fuerit deliberatio vestra super decimis nonnullis Episcopatus Transilvano adnexis, ac bonis eiusdem episcopatus Tasnád scilicet et Zilach ad oppidum nostrum Zathmár applicandis, ac a Melchiore Balassa auellendis; tamen quia intelligimus Serenissimum Principem, Fratrem nostrum amantissimum Carolum Archiducem Austriae etc. quo ad institutum commissionis progressum nuper respondisse, eumque approbasse et rem saltem decimariam ad nos pro decisione rejecisse. Nos sane haud consultum ducimus memoratae decimarum honorumque applicationis, hac praesertim turbulenta rerum facie mentionem aliquam in praesenti nostra commissione fieri multo minus illam iam institui debere. Imo nec ex vsu fore esse censemus, vt Episcopus Transilvaniensis praefatum Balassam de illis in ius Ecclesiasticum hoc praecipue rerum statu tam turbato vocare debeat, sed satius esse censemus, hac applicatione et actione Iuridica penitus iam supersedere, donec alia affulserint tempora, vbi consilia pro re nata capere licebit. Proinde mandamus vobis benigne, ut praelibato vniuerso decimario tractatu in praesentiarum penitus abstineatis, ne res nostrae difficultatibus implicentur. Nihilominus tamen volumus, vobisque praecipimus, vt decimas et bona episcopatus illius Transilvaniensis, colore eo, cuius mentionem facitis adhibito, resciat et in elen-

chum clare redacta, nobis deinde cognoscenda mittatis. Qua quidem in re benignam et expressam nostram exequimini voluntatem, Datae in Civitate nostra et Imperii Augustae Vindelicorum ipsis kalendis Aprilis, anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Sexto Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungariae tertio, et Bohemiae decimo octavo“ LS.

Ex archivo Camerali. — Eadem cautione per Episcopum Wesprimiensem interposita, sunt bona Archi abbatiae Montis S. Martini ab alienatione vindicata: Anno 1561. XXVI Aprilis. Ex originali Archivi Cameralis. Annuentia vero eiusdem Maximiliani, Gregorius Bornemisza, Episcopus M. Varadiensis Praeposituram Mislensem aere suo redemit. MSS. Kaprinay sub B. tomo. XXVIII. nro 353. pag. 231.

8. Idem Maximilianus proventuum penuria, bellicae ac pacis necessitatibus pressus Abbatiam Borsmonstra Viduae quondam Thomae Nadasdi inscribit. Datum Vienna XXIV. Januarii. Anno Domini 1568. Regnorum nostrorum Romani Sexto, Hungariae quinto. Bohemiae vero nono“ Ibid. p. 340—344. — Eiusmodi inscriptiones honorum Ecclesiasticorum, levatis pecuniarum summis, fecit innumeras.

Idem Rex Gregorio Bornemisza, Episcopo Varad. vt praeposituram a se impignoratam redimere queat, annuit: Dat. Vienna XX. die mensis Decembris. Anno Domini 1573. Ibid. nro CCXXXVI. pag. 353—355.

Idem Rex RR. Dominum Stephanum Radetium Agriensem Episcopum alias Camerae Suae Hungariae Praefectum et Consiliarium suum in absentia sua locumtenentem, durante bene placito, certis sub conditionibus praeficit. Datum Vienna prima die mensis Septembris Anno 1574. Ibid. nro CCXXX. pag. 251—253. E.

9. Rudolphus Rex Hungariae (Status Ecclesiae Hungaricae sub eo desolatus) Datum per manus fidelis nostri nobis dilecti, Rndi Petri Heressinczy, electi Episcopi Jaurinensis Consilarii et aulae nostrae summi Cancellarii, in arce nostra Poson. Secunda die mensis Decembris. Anno Dni 1587. Regnorum nostrorum Romani XIII. Hungariae et aliorum XVI. Bohemiae vero anno similiter XIII. Ven. in Xto Patribus DD. Caspare. Ztankovachky, electo Zagrab. Martino Pethe de Hetes, electo Varad. Joanne Kutassy electo. Quinque-Ecclesien. Francisco Forgách de Ghymes electo Weszprim. eodem Petro Heressinczy, electo Jaurin. Stephano Mathysi electo Vacienti, Paulo Zegedino electo Chanad. Stephano Fejérköwy, electo Nitriensi, Fratrem Stephano Tarnovio electo Sirmien. et Fr. Bonaventura de Aquila Segnien. nec non Administratore Modrus. Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Strigonien. item Colocen. et Bachien. Ecclesiarum Canonice vntarum Metropolitanarum nec non Agrien. Transiluan. Tinninien. et Boznen. Cathedralibus Sedibus vacantibus“ etc. Kaprinay tomo XXVIII. nro. LXXXIX. pag. 255—258.

10. Rudolphus R. H. Baziniensibus dat facultatem, vt depositis 140,000 Imperialium se in libertatem ciuitatis regiae reponere atque e manibus Stephani Illésházy erueri possint. Anno 1598. MSS. Kaprinay sub B. tomo LIX. nro 76. p. 235. Superioribus etiam vrbibus complures largitus est fauores, eadem in collectione; nihilomi-

nus sparso libello infamatus: quod e ditionibus suis Austriacis et Hungaricis omnes A catholicos velit extirpare: vt infra. Adeo proprium erat A catholicis calumniari et criminari Rudolfum ideo pure: quia Societatem Jesu in Hungariam reintroduxit et praepositura Thurocensi dotavit. A. 1586. Ibid. nro. 81. pag. 256.

11. Stephanus Bocskai, Capitaneus Magno Varadiensis, motuum in Transilvania caedisque illorum, qui contra conventionem publicam Sigismundum Báthorium neutiquam revocandum censuerant incusatus. Datum Claudiopoli die 12. Sept. 1604. Sacratissimae Maiestatis Regiae humillimus Servitor Melchior Bogáti, — Epist. Proc. Parte VII. nro 89.

Idem Bocskaius, ab Andrea Báthory, Transilvaniae Principe, Cardinali, cuius frater inter caesos fuit, in causam vocatus, non comparens, proscriptus, bonisque exutus in Hungariam fugit. Eodem Andrea Báthory per Valachiae Waiuodam victo, atque postquam per Moldaviam in Poloniam elabi voluerat, a Siculis caeso, Principatum Transilvaniae ex pactis conventis ad coronam regni Hungariae redire debentis, datis ad Gabrielem Bethlen et Turcarum Temesvarini Praefectum literis, aucupatus est. Proditus, simulationem mox posuit. Vt heterodoxos in suas traheret partes: sparsis per regnum literis Rudolfum, inducta in Hungariam militia Germanica nihil aliud meditari, quam omnes qui religionem Catholicam deseruissent, extirpare, iactavit. Fuco hoc, partim autem pollicitationibus apud Hajdones, militum e praedis viventium colluuiem, tum apud cives Cassovienses, templo, quod vsurpauerant, catholico per Praefectum eiatem Comitum a Belgioso priuatos, inuenit; quos vrbes superioris Hungariae e vestigio secutae. His viribus, Turcarum insuper subsidiis auctus hostilia per patriam arma circumtulit. Blasio Németh Hajdonum duce ad Strigonium per Bastam Generalem Caesarem caeso, Eperjesinique, quo se abdidit, capto, post enormia supplicia quadrifariam secto, haesit non nihil Bocskaius; ab A catholicorum Primoribus Sigismundo Rákóczy, Stephano Illésházy, Stephano Bathory, Valentino Homonnay, Paulo Nyáry, sufflaminatus, adiutusque; acceptis a Vezirio in subsidium Turcis, non in Hungariam modo, sed Morauiam quoque, ac Silesiam vicinam grassatus est. Sed redux ab eodem Basta caesus, castris exutus fugatusque eorundem A catholicorum ope et opera popularitatem recuperavit: hi quippe communi Baronum et Nobilium Regni nomine libellum auctore Leopoldo Beck (Camerae Poseniensis Secretario) in vulgus emisierant, in quo nec veritatis, nec reverentiae Regibus debitae habita ratione, Rudolfum crimini datum, quod stipendia ab Imperialibus in subsidium belli data, ad comparandas gemmas et vniones converterit; Pragae haerens neglecta rei publicae cura studium omne affligendis iis, et opprimendis, qui confessionibus a religione catholica alienis dediti essent, impenderet. Valuit vulgari idiomate vulgatus Pasquillus ad phanatismum succendendum: tantus denuo ad Bocskaii signa male contentorum confluxus, quantus nec contra Tartaros nec aduersus Turcas unquam: pugnatum contra Catholicos; templa adempta; captivi Turcis et Tartaris venundati: Testibus Istvánffio, lib. 34. Zadvodszky diario l. c. Manifesto Bocskaii etc.

12. *Stephani Bocskai proterva insolentia A. 1605.*

Ego Rex Hungariae Princeps Transilvaniae Stephanus Bocskay, te ante omnia laudo, et gratitudine humillima nomen tuum diuinum et maiestuosum extollo-

Porro dum nutu diuino et vniuersali Primatum Transilvaniae consensu, Germanis renunciasset, fidelitatisque potentissimi Imperatoris, Sultan Amed applicando nos resolute deuouisset vna cum Magnatibus praefati Regni, et Primoribus regni Hungariae pro contestanda omnium nostrum deuotione ad castra suae potentiae, ad campos Rákos nos recepimus, vbi excellentissimo cum honore a Magno Vezirio et Generali primario, non solum excepti, imo omnia requisita ab eadem potentia honorifice nobis missa, in conspectu orbis solenniter sunt administrata; quae ponderosa suae potentiae gratia, ad seruitia eiusdem fidelia nos vsque ad halitum adstrinxit vltimum; interim sicut anno priore elapso, favore diuino contra hostes victoriam nacti; in specimen sinceritatis nostrae insigniores captivos, vexilla regia, aliaque instrumenta speciosa per magnum nostrum legatum Stephanum Karláth in fulgida porta praesentauimus; ita et pro vltiori fidelitate nostra contestanda arces omnes, quas in primordio antecedentis belli rebellis Sigismundus Báthory Princeps, Georgium Borbely expediens apprehenderat, nominanter in circulo Temesiensi: Jenő, Lippam et reliquas arces et Castela circumiacentia, statim postquam hinc Cassouia Varadinum peruenimus, non inde versus Transiluaniam nos mouebimus, donec omnia ea, quae iam sunt promissa, assignabimus dilecto Fratri nostro Begtes Bassae; qui postquam manutenebit omnia, vna cum nostro solennem missurus est legatum, per quem optata patebit fidelitas nostra. In cuius rei firmitatem Sigillo nostro secretiori et propria subscriptione roboratas Excellentissimo Fratri praedicto Vezirio Magno porreximus literas. Datum in castris suae potentiae in Rákos. Anno 1605. Mense Junio Hungariae Rex, Princeps Transilvaniae, Stephanus Bocskay“. Ex epist. Proc. l. c. nro 90.

Boeskaus indicto Szerencsinum conventu, evocatis etiam Transiluanis et Siculis, ac factiosis frequenti numero comparentibus, praeterito Stephano Bathorio, est Princeps Transilvaniae XX. Augusti anno 1605. declaratus, atque Claudiopoli confirmatus; a Sultano vero clava et vexillo, clientelae Turcicae tesseris ornatus. Mox Budam a Basa excitus ad campum Rákos venit; ob hoc laudatus, lignea aureis lamellis vestita corona donatus. Hinc fumus Hungariae Regis! Turcis gratificaturus, praeterquam quod arces Lippam Jenő etc. iisdem depactus sit, sociatis sibi Turcarum ac Tartarorum copiis Austriam, Styriam Tyrolim, Morauiam igne, ferro, caedibus et rapinis depopulatur. Insolentis animum ad pacem flectere, iam sub obsidione Eperiesiensi Demetrius Napragi et Sigismundus Forgách Patriae nomine tentarunt, ast incassum: quod non Caesaris nomine venerint; Rudolphus igitur pacis conciliandae negotium fratri suo Mathiae Archiduci concedidit; qui foeciales Sigismundum Forgách et Benedictum Pongrátz ablegavit; alterationi in publico diutinae priuatum cum Bocskayo colloquium modum prosuit: principatus eidem in Transilvania confirmatus, atque patri monii augmentum addictum; mox agenda ad Mathiam Viennam referenda Stephano Illésházi, et Petro Mladosovics commissa. Istvánfy, Závodszyky vt supra.

Stephanus Bocskay, Princeps Transilvaniae, mandat Patribus Societatis Jesu Claudio-politanis, vt bona et haereditates ad societatem pertinentes, spontanee ac bono modo resignent. Dat. Cassouiae 7. Iulii 1605. Kaprinay sub B. tomo XX. nro 16. pag. 243.

11. *Sigismundus Rákóczy pro Principatu Transilvaniae castra Jenö et Lippa venundat. Anno 1607.*

Fusioribus Excellentissimum supremum Vezirium grauare noluimus literis, compendiose imo certioramus. Serenissimus Princeps Bocskaius, inimicorum dolositate, defunctus, et si quidem Valentinum Homonnay in Principem testatus est Transilvaniae, regnicolae tamen extraneum admisere minime in congregatione eorum vniuersali, vnanimiter nos Albae Juliae in principem sibi elegerunt; vbi secundum ritum Transiluanicum, de et super fidelitate Portae Fulgidae, Transiluanis fidem dedimus nostram. Quod materiam Jenö et Lippa attinet, Dominus et Princeps meus Serenissimus, Stephanus Bocskay, Cassouia mihi rescripserat, qualinam modo per Illustrissimum Mehmed Bassam, de assignatione earundem suas praeuisset literas, iuramentales, Excellentissimo Vezirio Magno; sic et mea haec est resolutio; si Porta fulgida, de et super Principatu Transilvaniae me iam electum seruabit, et nec alium, nominanter nunquam admittet Homonnayum, secundum pacta et commissa Serenissimi Principis Bocskay, omnes eas arces et castella circumiacentia, cum apparatus omnibus Portae fulgidae assignabimus, nec promissionem hanc mutabimus. Deus diutissime vestram conseruet Excellentiam. Datum Albae Juliae 1607. Prae caeteris Vestrae Excellentiae Seruitor Sigismundus Rákóczy. — Epist. Procer. nro 92.

12. *Gabriel Báthory, Princeps Transilvaniae seditionem Bocskaiam speciosis, titulis iustificat. A. 1609.*

Gabriel Báthory, Princeps Transilvaniae — Quod cum annis superioribus a Praefectis capitaneis, aliisque officialibus Sacrae Caesareae Maiestatis, Regnum Hungariae, in antiquis suis legibus et praerogativis nobilitaribus, multis modis offensum et quod grauius, molestiusque fuit, in recepta et consueta euangelicae orthodoxaeque Religionis libertate Magnates, Proceres et Nobiles, ac vniuersi incolae, eiusdem graues passi persecutiones, offensas; post multas querelas et supplicationes, non exauditi; ac tandem post publicas etiam regni protestationes, nullo remedio adiuti, ex parua scintilla primum deinde occasione se commode offerente, contra infensos Suae Maiestatis Caesareae exercitus, pro vindicanda legum suarum libertate coactiue arma necessaria, authore et Duce Serenissimo quondam Stephano, Dei gratia, Hungariae, Transilvaniaeque Principe, Domino et affine nobis obseruandissimo, pie memoriae, desideratissimo, ac deinde post varias militum excursions, praeliorumque ac bellorum euentus, a Serenissimo Domino Mathia secundo — de restituenda religionis et praeattactarum Regni Hungariae legum immunitate — idem Dominus Stephanus Princeps, vna cum regnicolis admonitus; illico arma infesta deponere et in gremium suae Caesareae Maiestatis clementiae, se se inclinare non solum parati fuerunt, verum simul et semel, cum Turcis et Sua Caesarea Maiestate, ac Regno Hungariae, toti orbi proficuum et salu-

tarem confoederationem, optatamque, quam ad praesens utimur, sanxerunt pacem (Hajdones liberaliter donat) Datum Waradini. XIII. Septembris. Anno Domini 1609.

En speciosos titulos, quibus homagialis Fides a heterodoxis fracta fuerat: praetensum ius: quod tamen erat nullum, ciuitatem quampiam ad nouitiam religionem recipiendam vi et armis cogendi: praetensa fuit libertas: cum tamen regno, seu Principi, tam parum fas sit haeresim libertate, sicut ebrietatem vel blasphemiam aut aliud peccatum: tolerare potest necessitatus, non item libertate. Praetensa etiam fuit lex quae tamen pro haeresi fouenda nulla, contra eam multiplex: in Parte 1. Tripat. tit. 14. et alibi. Gubernii autem defectus sarcindi, corrigendique media legalia sunt, non arma, sed comitia, ordinariae. Haereses sunt tolerandae, non licientandae, aut fouendae, si non possunt immutari.

13. Mathias Rex Hungariae mandat Ciuitati Szokolczensi, vt concionatorem per Bocskaianos intrusum e ciuitate sua exigant; nec haeresim disseminari sinant. Dat. Viennae XXVIII. April. 1609. — MSS, Kaprinay sub B. tomo. 19. nro 15. pag. 93.

14. *Mathias Rex bona et iura Episcopatus Magno Varadiensis sarta et tecta conseruari praecipit. A. 1615.*

Mathias, Dei gratia, electus Romanorum Imperator Semp-er Augustus; ac Germaniae Hungariae ac Bohemiae etc. Rex etc. Magnifici, Egregii Fideles nostri, nobis dilecti. Fidelitati Vestrae praesentibus suggerendum voluimus, Nos informari de Episcopatus Waradiensis bonis, Gabrielis Bettlemi et Transiluanorum partes multum praeiudiciosa suscipere praetendereque, per nuperum tractatum Tyrnauensem tacite quippiam iuris in iisdem concessum: Cum tamen nos recordemur, nihil penitus actum tractatum vel conclusum fuisse, cum nec quidem mentionem superinde factam esse sciamus; praeterquam quod pro authoritate Juris Patronatus nostri Regii Ecclesiarum immunitates, bonaque et iura quaeuis accisa esse, haud quaquam permittere velimus. Proinde vobis harum serie benigne et firmiter committimus mandantes: Vt iuxta instructionem informationemque vobis datam a praedicto tractatu Tyrnauensi nullo modo recedere debeatis sed in omnibus partibus ipsi adhaerentes praetensas qualescunque et intra quoscunque factas transactiones veteres, quas nunc primum in publicum reuocare incipiunt, admittere nolitis, sed de actis duntaxat in tractatu Tyrnauensi habitis procedere, sicque sarta et tecta iura Episcopatus Waradiensis conseruare modis omnibus teneamini, sitisque obstricti. Nec secus feceritis. Quibus nos in reliquo gratia nostra caesarea atque Regia benigne propensi manemus. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, die vigesima mensis Octobris, Anno Domini Millesimo Sexingentesimo decimo quinto. LS.

Ex Archiyo Camerali.

15. *Gabriel Bethlen per Athname Turcicum Princeps Transilvaniae declaratus fortalitia Hungariae Turcis dedit 1614.*

Potentissime Imperator, Domine mihi clementissime, vt Deus vnum quemque vestrae potentiae diem, in millenos extendat, eosque felicissimos reddat, faciebus ad pedes Caesareos versis, eundem Deum oro. Ex primatibus Transilvaniae et servis potentiae vestrae humillimum Franciscum Balassa, praesentium et humillarum exhibitorem ea ratione ad fulgidam portam vestrae potentiae expedivi, vt negocia per me in conspectu imperatoris promissa, tergiversatione tamen inimicorum hucusque impedita, effectuarentur, nimirum vero Lippa, Somlyos, Tóthvaradgya, Vepres, Facsad, Macrina, Arad, Szepenes et Monostor, ex fortaliis iam pridem pollicitis, Maiestati potentissimae assignarentur. — — Hac de re fusius Excellentissimo Vezirio Kaimakan, vestrae potentiae sincere insinuavimus; ab eodem clementer patebunt omnia. Absit, Deusque avertat, vt in minimo contra vestram impingere ausim potentiam. Hinc Diuinae commendo directioni eiusdem potentiam 1614. Obsequentissimus marchio Servus Gabriel Bethlen“. Epist. Proc. nro 97.

16. *Protestatio vniuersorum Statuum et Ordinum Catholicorum contra novas Augustanae, et Helveticae confessionis hominum praetensiones, in diaeta Posoniensi factus. Anno 1618.*

Nos Comes Sigismundus Forgách de Ghymes, Iudex Curiae, memoriae commendamus, quibus expedit vniuersis, quod vniuersi Status et Ordines Catholici Romanae Ecclesiae Domini videlicet Praelati Barones, Magnates, eorumque et Comitatum ac liberarum civitatum nuncii et legati, die datarum praesentium coram nobis in praesentia vniuersorum statuum et ordinum regni, personaliter constituti, per modum solemnis protestationis nobis significare et detegere curarunt hunc in modum: Quod quamvis vniuersi Status et Ordines, Domini Augustanae ac Helvetiae Confessionis diu, multumque in eo laborarunt, vt articulis Viennensis Pacificationis, et an. 1608. de negotio religionis editis novas quasdam clausulas nominatim vero particulam (cum templis) adderent; per quod iuri patronatus Dominorum Praelatorum, Baronum caeterorumque Statuum Catholicorum manifestum praeiudicium generabatur colonisque (qui iuxta statuta regni, nullam in terris proprietatem, solum mercedem laboris habent) in templa ius inusitatum tribuebatur. Idcirco vniuersus Status Dominorum Praelatorum Baronum et Catholicorum assentiri huic ipsorum praetensioni nullo modo potuit; posteaquam vero multis vltro citroque habitis hac de re tractatibus, Domini Augustanae et Helveticae Confessionis praetensionem Suam de particula illa (ac templis) assecurationi Serenissimi D. Ferdinandi Regis Bohemiae ac postmodum articulis inferenda, penitus deposuissent, ac nihilominus protestationes quasdam coram nobis instituissent vniuersi quoque Status et Ordines Catholici, hac ipsorum protestatione audita vicissim palam et aperte praesentibus etiam Dominis Augustanae et Helveticae confessionis protestati sunt in hunc modum: Primo quidem, quod licet articuli de libertate

Religionis in Viennensi Pacificatione ac anno 1608. editi, non ad Status Catholici instantiam, quippe qui nova libertate non indiguit. Sed ad DD. Augustanae et Helveticae Confessionis postulationem concessi fuerint; nihilominus ipsi sint, qui novis semper additionibus, circumscriptionibus et mutationibus eos ipsos articulos convelunt, suoque facto et exemplo statibus catholicis praeunt ad eorum articulorum mutationem. Secundo: quod in negotio templorum nullum Status et Ordines Catholici in suis dominiis ac terris praeiudicium Patronatus, ac caeterorum iurium, quae Domini fundi, pati velint; non obstantibus quibuscunque subtilitatibus, vsus ac consuetudinis praetensionibus, diplomatibus aut quaesitis articulorum explicationibus, quae in contrarium quoquo modo adferri possent, nullae enim per SS. et Ordines catholicos declarationes et oblationes factae sunt, quae praeiudicium hisce praedeclaratis iuribus adferre ullo vnquam tempore possint. Etiam si quid forte ex sinistra et a mente ipsorum aliena intelligentia in contrarium protestari aliquid attentaverint. Tertio quod in omnibus tam antea factis, quam in futurum faciendis constitutionibus de negotio religionis clausulam illam articulis Viennen. insertam velint, intelligi Status et Ordines Catholici, et vniuersa omnia absque praeiudicio Catholicae Religionis, et consequenter Status Ecclesiastici, praemissa intelligantur. Alias enim in omnibus punctis, et clausulis huiusmodi praeiudicium adferentibus vniuersi SS. et OO. Catholici contradicentes reclamarunt, eaque tamquam inualida non acceptarunt. Quarto: Vniuersus Status Ecclesiasticus eas ipsas protestationes et contradictiones, quae a tempore motus Bocskaiiani factae fuerint, nunc quoque in suo vigore permanere, ac futuris quoque temporibus permansuras esse solemniter protestatur. Et si quando praeteritis temporibus contigisset, vel in posterum contingeret, vt in publicis tractatibus inter cetera negotia politiam concernentia, de Religionis negotio aliquid in fauorem aduersantium insereretur, id totum praeter et contra mentem ac voluntatem et consensum Status Ecclesiastici insertum esse, solenniter protestati sunt. Et quia consuetudo regni hoc requirit, vt quoties publica regni negotia apud Maiestatem Suam SS. nomine regnicolarum proponuntur et tractantur, ex statu quoque Ecclesiastico interesse debeant: idcirco cum solenni protestatione vniuersus Status se declarat, nec fuisse nec successivis vnquam temporibus futuram esse eam ipsorum mentem, vt cum caetera politica negotia proponunt, ac tractant, praemissam quoque religionis aduersantium libertatem, vsus et exercitium vlllo modo promoveri, vel admittere postulauerint, aut postulaturi sint; sed in aliis duntaxat rebus mere politicis, suam operam et studium collocare intendent. De quo ipsi quoque ceteri Status Catholici cum Statu Ecclesiastico protestati sunt publice et manifeste, super qua quidem solenni protestatione per vniuersos Status et Ordines Catholicos modo praemissa facta, literas sibi dari etc. Datum Posonii sub eiusdem. Diaetae termino, Sabbatho proximo ante Dominicam Jubilate. Anno Domini 1618. Comes Sigismundus Forgách mpr.

17. *Argumenta A catholicorum pro eo, quod ad liberum Oppidanorum ac villanorum religionis exercitium etiam templa pertineant. A. 1618.*

1) Vbi liberum Religionis exercitium permittitur, ibi illud etiam permitti necessum est, sine quo liberum esse nequit; Sed liberum exercitium Religionis sine templis fieri nequit; ergo templa etiam permissa sunt. 2) Vsus Religionis omnibus concessus est; vsus autem sine templis libere fieri nequit; ergo etiam templa concessa sunt. 3) Quidquid contrarietate aliqua non tollitur, stabile est; diploma autem Suae Maiestatis nulla contrarietate sublatum est; diploma illud, per consequens explicatio de templis, stabili fundamento nititur. 4) Quidquid vtrunque vsu corroboratum est, sine turbatione vsus infringi non potest: sed templorum possessio vsu vtrunque observato nititur, vti hactenus experientia docuit; ergo sine turbatione vsus adimi templa non possunt“.

17. *Rationes Catholicorum pro eo, quod templa suis Patronis, non villanis, iure competant. A. 1618.*

1) Az Articulusokban nec mentio quidem templorum: tehát ha megengedett is a' libera Religio; sed non et templa 2) A diploma, mellyben mentio Templorum vagyon, invigorosum est: mert nem Koronás Király diplomája és expirált is immár. 3) A' földes uraknak, kik iure Regni patroni sunt Ecclesiarum, nagy praeiudicium volna ha község akaratójából ministri verbi Dei inducerentur in Ecclesias suas és a' mellett a' paraszt embernek ok is adatnék hogy ura ellen is támadna. 4) A' koronázat előtt való articulusban az vagyon: liberis ciuitatibus oppidanis etc. ha azért beiratnék az Conditiókba: et templa: Posony városban több vagyon, a' ki evangelicae, mint Romano Catholicae Religionis; et per hoc elvehetnék a' Szentegyházot a' Catholicusoktól. 5) Az elvégzett articulosokhoz valamit áddálni, azaz: valami novitást, et per hanc nouitatem destruálni akarják az előbbi artikulusokat“. — Ex actis Diaetailbus.

18. *Idem Bethlen obligat se Ferdinando II. R. H. contra perduelles Bohemos supplicias laturum A. 1619.*

Sacratissima Maiestas etc. Ex obedientia, et debito Fidelitatis, non potui praetermittere, omnia ea M. Vrae proponere ac recensere, quae mihi Bethlen ex Transilvania per Michaelem Károlyi nunciauit. — Offert se ad requisitionem Maiestatis vestrae sine mora, in propria persona affuturum, M. Vrae auxilium adlaturum. — Exercitium Bohemorum vna cum Generali M. Vestrae se aggressurum spondet, eoque caeso ac deleto, Bohemiam passim ferro, et flammis deuastaturum, ad obedientiam reducturum. Etc. Ex Zathmarino die 14. Iulii 1619. Eiusdem Sacratissimae Maiestatis humillimus seruus Andreas Doczy“ Ind. nro 99.

19. *Idem pro suo vafro et perfido ingenio mox se exercitum suum cum perduellibus Bohemis sociaturum, addicit. 1619.*

Illustres, Generosique Domini perdilecti Amici penes imperia nostra promptissima officia. — Cum ex vestris sub dato XIV. Augusti ad nos ablegatis literis vestrum erga nos beneuolum affectum, perceperimus, et a Constantinopoli quoque, sub dato XVII. eiusdem mensis, praeter omnem Spem et Expectationem nostram, Turcicas inducias impetrauerimus: idcirco nos Domus Austriacae, Romani Pontificis, eiusdemque asseclarum magnam autoritatem et existimationem parum curamus; vicit Zelus pro diuino honore, — cogitque nos in Dei optimi Maximi nomine, absque vlla mora nostrum exercitum itineri committere, quod mense Septembri ad Moraviae fines pervenire velimus. Interea vero Illustrissimas Domationes Vestras per amice rogatas volumus, ne fortasse vllam interim tractationem cum hoste ineatis, sed etc. Dabantur Albae Juliae XVIII. Augusti 1619. Illmarum DD. Vestrarum fidelis et studiosissimus Gabriel Princeps Transilvaniae.

Quantum curauerit Bethlenius negocium religionis, cuius tamen specie ambitionem tlexerat, patet ex sequentibus: cum XVIII. millibus movens, Cassouia proditione suorum obtenta, Andrea Doczy, loci praefecto, quem simulata amicitia fefellerat, captivato, et in Transilvaniam misso, ad montanas vrbes progressus, per iterque confluyente acatholicorum turba, copiisque Turcicis, auctus, quacunq; ibat, rapinis, bonorum ecclesiasticorum direptione, profanatis templis, caesis Sacerdotibus, ac viris primariis, qui fidem Regi obstrictam violare renuebant, in exilium actis, horrorem late circumferens, Palatino neutiq; obsistente, ad Morauiam properabat, ac Turriano perduellium Duci suppetias misit. Ambitionem suam Posonio potitus, corona obtenta, post fusas auxiliares Germanorum copias, in Austriam omnem Neostadium vsque, Viennaeque suburbia euagatus, et incendio, caedibus depopulatus, spoliis diues, absque vllō religionis libertati allato remedio, in Transilvaniam rediit. Kevenhüller Tom. IX. ad 4. annum. Gegründeter Bericht, was nach absterben Mathias — gehandelt worden. Linz 1619.

20. *Fastus Bethlehemi vesanus epistola a Sendurem Bassam scripta. A. 1619.*

Spectabilis, ac Magnifice Bassa, bonis omnibus cumulet Deus Magnificentiam Vestram; quam sincere et fraterne, quam grato, beneuolique affectu conatus fuerim vestrae Magnificentiae Seruire, summus Deus mihi sit testis. — Certo credat Magnificentia Vestra, quod et ego existimo me talem esse seruitorem Caesaris, mei clementissimi Domini, qualis est vestra Magnificentia. Seruiui, sed et nunc seruo potentiae suae cum omni iustitia, quod nunc vel maxime testatum feci. Totam siquidem Hungaricam nationem, eodem prorsus modo, quo Transilvaniam ad pedes potentissimi Domini perduxī (Comitatus Transdanubianos neutiq; cis danubianos illosque potiori parte coacte). Istae iam suae potentiae vna mecum fidelissimi erunt. Maneo nunc Posonii, in regia Hungariae; corona in manibus meis est. Deo gratiae; post decem dies Hungari sibi regem eligent. Conuenerat omnis exercitus Ferdinandi; erant vltra

Sexaginta millia; ante pontes Viennenses confliximus, et magnus Deus potentissimi Imperatoris auspiciis, victoriam largitus est: profligauimus inimicum, vltra Danubium pepulimus, Viennam conclusimus (coniuncto licet cum Turriano exercitu, vim sibi oppositam periclitari nolens, sine pugna, cum spoliis Ponium se retraxit). Nunc exercitus nostros traicimus, vt illos iterum inuadamus, et si Deus fauerit, Vienna quoque paucos intra dies in potestate mea erit. (factum horum nihil) Totum regnum Bohemiae, regnum Moraviae et Silesiae potentissimo Imperatori fidum et beneuolum effecimus; eorum exercitus omnes penes me habeo; ex omnibus regnis legati cum muneribus destinantur ad lucidam portam. Taliter ego inseruio potentissimo Domino; vestra autem Magnificencia clamculum vult meos subditos a me auellere, ad rebelandum inducere; ob quod certo nunquam ei inseruiam. Deus sit cum Vestra Magnificencia. Poonii XXIV. Novemb. 1619. Indidem. nro 101.

Eadem scripsit etiam Constantinopolim: ad Bohemos vero legatos misit, qui de conditionibus foederis ineundi agerent, ac sumtus belli causa factos; quingenta Thalerorum millia postularent. Bohemorum suasu comitia, ad quae etiam ipsi suos missuri essent, vi admota Palatinum ad XI. Novembris Ponium cogenda compulit. Ex catholicis, quod rex grauissime conuentum interdixerit, pauci iique metu amittendorum honorum adfuerunt; Australes, Bohemi, per legatos, Begus Gyulensis in persona, interfuit, auxilia large pollicitus. A criminationibus Ferdinandi, qui electus libere non sit, qui regni vulneribus remedium non attulerit, qui ad extinguendam dissentientium religionem tendat, etc. altereationes coeptae ac Palatino prolixo scripto exhibitae; mox per delectos XXX. Legatos Regi Vienna substratae. Hic ad eas reuidendas per legatos se responsurum ait. Interim Legati Bohemorum aduenere, vt Hungari Conditionibus Prageni ex conuentu allatis subscriberent; consociationem inter se, ac Turcas, saluis iuribus suis conficerent. Regressis Bohemis adfuerant Ferdinandi legati favorabilibus cum propositionibus: Inducias, quas Sui repetitis in regem querelis aspernati sunt, vsque festum Michaelis duraturas, futuri providus, amplexus est, sub conditionibus: quarum praecipuae erant: vt Homonnaius, qui Rakotzium in superioribus partibus profligauerat, copias dimitteret; Rex Comitia ad pridie Calendas Junias Neosolium indiceret, in his Palatinus quidquid dissidiorum hactenus fuit, communi iudicio et consensu tolleret. Conditiones vtrinque sigillis XXVII. Jan. 1520 firmatae, promulgataeque sunt. Sed Bethlenium induciarum mox poenituit: Poonio enim Cassouiam digressus, statuta, quae partium illarum Proceres interim condiderant, forma qua Reges vti solent verborum XVIII. Februarii rata habuit: quorum praecipua sunt: Qui legitime ad comitia Neosolium vocati non venerint, publicatis bonis in exilium agantur; religionis exercitium toto Regno liberum sit; et illibatum; qui id impediunt, eorum bona Fisco addicantur; templa ni sponte fuerint reddita, nemini fraudi sit, si vi recuperentur. Jesuitarum nemo sinatur in regno, et prouinciis adnexis morari; qui clam foverit ipsos, nota infidelitatis notetur. — Inter confoedoratos denique mutua stipulatione firmatum: Se libertatem ac religionem sanguinis etiam profusione tuituros. Legati eum in finem in partes omnes destinati. Kewenhüller l. c.

21. *Ordines Imperii Germanici Mülhusii congregati Hungaros, ne Ferdinandum II. Regem suum deserant, hortantur. 1620.*

Reverendissimi etc. Quamvis in regno Bohemiae per eiusdem Ordines factam reiectionem sui a Deo ipsis Praepositi summi capitis, et electionem alterius Regis,

subsecuta innocentissimi sanguinis profusio, et in hodiernam horam vsque adhuc durans pernicioſa prouinciarum deuastatio, atque desolatio, omnibus et singulis adeo nota, cognitaque sit; vt non immerito omnia regna et prouinciae, quasi in speculo scriptas intueri, et exinde discere debeant, quod praestita iuramenta seruanda et non contra legitimum suum magistratum insurgendum sit. Nos etiam indubia spe freti confidimus, vos Bohemicis istis motibus atque confusionibus, minime operam Vestram addicturos, neque rebellionì isti, in summum vestrum damnum atque perniciem subscripturos, sed multo magis Romano Caesareae, Regiaeque Maiestati, tamquam regi et domino vestro vosmet submissuros, eiusdemque regna et prouincias ceu fideles obsequentesque Ordines, atque subditos decet; vna cum ipso sartas, tectasque seruatos esse. Verum enim vero, cum in Hungaria res non ita pridem summum quidem imminens periculum intentaverint, et si perniciosis istis consiliariis, priuatum suum commodum emolumentumque publicae saluti, atque tranquillitati praeferebantibus obtemperetur coniunctae vetustissimum laudatissimum hoc regnum quemadmodum et Bohemiae, eidemque coniunctae prouintiae, facillime in totalem desolationem incidere, et eiusdem Ordines inexstinguibilem obiectionem exinde in se se deriuare possent, quod nimirum ù fuerint, quorum impulsu vnicum illud christianitatis propugnaculum, ad cuius conseruationem. S. R. Imperium tam infinitos sumtus, vna cum multa sanguinis effusione impendisset, haereditario christiani nominis hostitradissent; eo ipso modo commemorato hosti aditum in imperium aperuissent, quo melius tandem diu ante praemeditatam suam tyrannidem atque crudelitatem ipso facto exequeretur, christianam fidem opprimeret, et omnia Turcico sub iugo subiiceret; id quod vobis neutiquam confidimus, neque etiam vouemus. Quamobrem intermittere non potuimus, nec volumus, praesertim, quod a fide dignissimis cognouimus, Caesarem S. Maiestatem decreuisse, quin breui in regno suo Hungariae comitia prouincialia celebrentur, et minime etiam dubitemus, in iisdem non paucos reperiendos esse, qui sub vario praetextu. quaesitoque colore regni Ordines, Bohemiae isti intemperiei immiscere, et a debito Caesareae Maiestati obsequio alienare possent, quin praecoccupando hanc nostram intentionem et admonitionem, vobis omnibus et singulis fidelissime communicaremus. Ne igitur per irrequieta, minus pacifica, nimis callida atque praecipitata consilia laudatissimum hocce regnum in summum S. Romani Imperii praepudicium, damnum et extremam calamitatem praecipitetur, sed in suo statu pace, atque quiete, penes illibata sua priuilegia conseruetur, et metuendae innocentissimi sanguinis profusiones praecaveantur: Itaque intermittere noluimus, quin ex benevolentissima intentione vobis significaremus; et simul vos omnes et singulos rogaemus, vt instantibus istis in comitiis regni salutem prosperitatemque probe perpendere, nihil quod iam vel in futurum ad illius periculum incommoditatemque spectare videatur, approbare, vel concludere; Sed iuxta laudatissimum Maiorum vestrorum exemplum, respectum Caesareae Maiestatis, Regis atque Domini Vestri, a Deo vobis praepositi, conseruare velitis, neque ab eo per vllum hominem, quisquis ille sit, per vllam dissimilem quamdam informationem, vos abalienari patiamini. Per hoc absque

omni dubio laudatissimi vetustissimique istius regni, omniumque eidem incorporatarum prouinciarum Ordinum atque subditorum incrementum, salus atque prosperitas promovebuntur, oculis quasi obseruantes, innocentissimi sanguinis profusionem, prouinciarum deuastationes, praecauebuntur, et optima rerum pax constanter conseruabitur, quae omnia vobis immortalem gloriam, vtilitatem, commoditatemque paritura sunt, nos vero omnibus et singulis benevolentiam nostram denuo pollicemur, Dabuntur Müllhusii 23. D. Martii 1620. Electoralis et Principalis Conuentus Müllhusiensis. "Epist Proc. tomo III. nro 102.

Erant hae, vt vidimus, ad Bethlenianos, horumque confoederatos ad fidem reuocandos irritae; ast multum valuerunt ad Catholicos in fidelitate debita confirmandos. Hi, nequid fidei in regem aut saluti reipublicae aduersum incommodumque adprobare, aut concludere cogentur, Praelati praecipue, ad Comitia Neosolium non venerunt. Legati etiam Caesarei Paulus David Episcopus Tinniniensis, et Georgius Teufel, querelis contra Regem ac clerum Catholicum feruentibus primum X. Julii aduenere, partes in diversa studia scissas, conciliare nequeunt. A catholicis praeualentibus decreta contra clerum, quae Petrus Pazmán Archiepiscopus resumsit, et confutauit nro 118. in litteris relata, ac CLXV. Sigillis, nominumque subscriptione firmata sunt. Re compta Rex Ferdinandus actis, per Colaltum, legatum suum intercessit; foederi cum Bohemis perduellibus icto nuncium mitti, ac quae aduersus clerum Ecclesiasticum constituerent irritari iussit. Vtrumque Regi negantibus, Colaltus cum collegis Viennam reuersus est: peruicaces A catholici, Palatino haud assentiente, Emerico Thurzone Duce Bethlenium regem, exteris etiam potentis reprobantibus, Mensis Augusti XXV. elegerunt. Bethlenius Caesari inducias his conditionibus offerebat: vt is, quando ipse caeteroquin iam Rex Hungariae esset declaratus, regnum deinceps gubernandum sibi relinqueret, ex quo CCCC florenorum millia tributi nomine eidem solueret. Intolerabili hominis fastu victoria decretoria, qua Fridericus Bohemiae vsurpator VIII. Novembris prope Pragam in monte Albo, caesus fugatusque est, modum posuit, Bethleniumque spoliis onustum in Transiluaniam reuerti coegit. Ferdinandus vero, Praga recepta edictum vulgavit, quo Bethlenii electionem irritauit, eis, qui rebellis consortium reliquissent, amnistiam obtulit. renocatisque ad fidem plurimis, Bethlenium ad inducias quaerendas compulsi. Kevenhüller l. c. Vindiciae Petri Pazmán. Literae Bethlenii ad Fridericum Electorem item Bohemos ac Tureas. Item: Jus Ferdinandi in Bohemiam anno 1620.

22. *Idem Bethlenius non minori insolentia Chanum Tatarorum in subsidium evocat, opimarum praedarum ac mancipiorum pollicitatione. Anno 1621.*

Gabriel diuina clementia electus Hungarorum Rex, Princeps Transilvaniae Comes Siculorum etc. Illustrissime Princeps, amice coniunctissime, et frater dilectissime! Ad statum nostrum quod attinet: Celsitudini vestrae notum facimus, quod licet intra 22 mensium spatium, cum multis potentissimis hostibus (ab illo enim tempore non duntaxat cum Romanorum Imperatoris, verum etiam Hispanorum Regis, et Romani Pontificis auxiliariis militaribus copiis bellandum nobis fuit) bellum gesserimus; nihilominus tamen, Deo sit laus et gloria, ab iisdem semper palmam victoriamque reportauimus. Quoties autem cum hostibus nostris dimicauerimus, minime pro comperto habemus; omni tamen asseueratione testari possumus, nos intra 22 istos menses, vltra 30,000 hostium necasse. Ad Pragam sane, Bohemiae Regis

(Friderici) exercitui fortuna aliquo modo tergum obvertit; ea propter hostis vires suas aliquanto latius contra nos vertit. Ante 18. Septimanas cum castris nostris hosti in conspectum venimus; iam circa pacificationis media occupati sumus. Hactenus eosdem nostros hostes bonis verbis lactauimus, vsque dum potentissimi Turcarum Imperatoris viribus potiamur, vt hac ratione hostium regna atque prouincias eo commodius occupemus. Et sane Celsitudo vëstra nobis immensum exhiberet beneficium, si nobis adhuc decem delectorum millia transmitteret, iisdemque praestantem quemdam, clarumque belliducem praeficeret; quibus hostem nostrum eo certius, citiusque debellare, et deuincere possemus. Si autem celsitudo vestra nos in persona inuiseret, id eo maius, acceptiusque nobis esset gaudium, in quo Celsitudo Vestra potentissimo Turcarum Imperatori summopere gratificaretur, et maiora commoda, gloriam et honorem, quam Polonorum victoria, inde reportaret. Quo circa personam vestram propriam exspectabimus; et eandem per ditissima regna atque prouincias, quae in Tatarica natione celsitudo vestra nunquam conspexit, cuius milites diuitiis atque mancipiis sese vbertim ditabunt, si modo Celsitudo vestra viginti millia militum penes se habuerit. — Nos iam in castris et cum hoste occupati, Celsitudinem Vestram exspectaturi. — Dabantur in nostra Ciuitate Regia Tyrnauia, nostri Calendarii 1. die Aprilis anno Christi 1621. — Ex Londorpü opere de bello hoc Sexennali, Francofur. 1623. fol. 401.

Postquam in Friderico Electore, dignitate priuato, ac Bohemorum foedere nihil vltra spei affulgeret, Morauia et Austria igne ac ferro vastatis, inducias, quas eo quod titulum Regis electi sibi tribuerit, abrumpi oportuit, resumpsit: confectae illae Nicolburgi ea sub conditione praecipue: vt coronam Posonio instar praedae ablatam, cum reliquo apparatu illibatam redderet, nullam vltra aduersus ditiones Austriacas hostilitatem moueret; minimo cum religionis, cuius praetextu bellum civile mouerat, emolumento: septem enim comitatibus eis vltraque Tibiscum, cum vrbe Cassouia, arcibus item Munkács, Tokay et Zatzmár censis, negocium illius ad futura comitia dilatum est. Kevenhüller l. c. Londorp P. IV. cap. 19. 40. 41. et 103. Acta pacificat. Nicolsburgen 31. Dec. Acta de Corona relata Pray. P. II. pag. 191. Quam parum ei Religio cordi fuerit, patuit etiam dum induciis anno 1624. ea conditione renouatis, ne regis titulo et sigillo vteretur, neque rebus Hungariae, non rogatus se ingereret, neque Turcas et Tataros contra eam concitaret, etc. Caesaris filiam anno 1625 eo nomine procatus est: quod si voto protiretur, non solum liberum Religionis exercitium Catholicis indulturus, Ecclesias et monasteria restauraturus sed etiam ipse relictis Caluini placitis, ad Catholicorum Sacra transiturus sit. Princeps perfidus, periurisque fide haud obtenta Catharinam Electoris Brandenburgici scrorem sibi desponsauit. Acta Contr. Matrim. Litterae Bethlenii ad Petrum Pazmanum etc. Poloniae, tum Daciae regionum spe. Princeps nullius fidei, induciarum, pacisque temerator, deiectus non minus, perniciosos eius conatus Moscouitas et Turcas in confoederationem contra Ferdinandum trahendi. ingra escens hydrops interceptit: Anno 1629. — XV. Nov. — Pazmani Litterae ad Caesarem 1526 et 1627. Relatio Joannis Kéry nuncii ad Principem Transilvaniae. Epist. Procer. 118. 189. 120.

23. *Georgii Rakoczi, Principis Transilvaniae, subdolum ac mutabile ingenium 1633.*

Ferdinandus II. etc. Non sine graui admiratione ac sensu intelleximus ex literis fidelitatum Vestrarum, die 14. huius mensis exaratis, quo pacto Princeps Tran-

silvaniae, rursus nova postulata, praetensiones et conditiones nescimus quas, congerere ac diplomati nostro, rebusque iam semel conclusis, annectere non dubitet. Illud vero indignius adhuc nobis videtur quod ille idem audeat Maiestatem nostram sugillare, quasi nos tractatus publicos pro bono christianitatis initos et conclusos eisdem Christianitatis hostibus, Turcis communicauerimus, aut communicare velimus; cum id nec in mentem quidem nobis vnquam venerit: Quod vero ad postulata haec attinet, ea partim diploma nostrum directe subruere videntur partim vero res iam sopitas continent, nonnulla etiam in iis nouum tractatum, ac consultationem exigunt ac denique pleraque illorum non sunt nostri ambitrii, sed ad alios spectant, quos cogere nos nec debemus, nec volumus. Quae cum ita sint, fidelitatibus vestris benignam voluntatem nostram aperte, et vltimate declaramus, quod si diploma transmissum restituta imprimis autoritate Maiestatis nostrae, et sepositis omniibus difficultatibus, ac aliis quibuscunque iuxta concordata acceptare, ac permutare Princeps voluerit, bene quidem, permittetis; sin minus, sciatis nos nec novum diploma duros, nec in nouos tractatus in infinitum ingesturos, cum videamus, Principem occasionem quaerere nunquam faciendae tractationis. Ceterum omnino speramus; quod Deus optimus, maxime vindex erit, et ipse Princeps hanc suam variam et mutabilem dilationem vehementer dolebit aliquando. Itaque fidelitates vestrae hanc vltimam et absolutam voluntatem nostram ablegatis Principis aperte declarent; et si persistent in eodem, vt hactenus fecerunt, actutum nos certiores reddite, vt dissolutionem tractatus et reditum vestrum imperare possimus. Gratia vobis etc. Dat. Viennae 25. Septemb. anno 1633. epist. Proc. nro 129.

Vt primum Rex a bello, quod a Suecis ipsi incubuit, respirauit, ne coniuuentia eius Hungariae in Transiluaniam ius obsolesceret, cum Georgio Rakotzio, qui viduae ac Fratri Gabrielis Bethlen apud Sultanum insimulatis, quod partium Ferdinandi essent, Principatum eripuerat, per Palatinum Regni tractari iussit: vt conuentiones a praedecessoribus ipsius hactenus initas ac iuramento firmatas, ratas habeat. Promisit hoc quidem, ast ad Turcarum Suecorumque fortunas respectans, adimplere distulit. Clade Luzena anno 1633. subsecuta, tractatum resumpsit. Ad inducias concludendas Rex Stephanum Sennyei, Episcorum Jaurinensem et Nicolaum Forgách Eperiesinum ablegavit. Torstenonio res Suecias restaurante, nouis et nouis postulatis septem menses tractatum distraxit; Ferdinandus moras non tulit vltra; Rakotzius domesticis motibus coactus pacificationes Viennensem, Nicolburgensem ac Poseniensem ratas habuit ac confirmauit: V. Acta Judiciorum Eperies. XXVIII. Sept. 1633. Ast ei fidus nunquam, iniurias quoque: Ferdinando III. regimen auspicato, in Comitibus anni 1637. alterationes Aatholicorum, Status Evangelici nomine compelli se postulantium, templa restituenda praetendentium sub comitiis anni 1637 sufflaminauit, occasionem, quam operiebatur, 359. millibus thalerorum stipendio Gallis et Suecis venumdatum, contra induciarum fidem ad arma foederatis iungenda prorupit: vt copias in promptu haberet infami commento vsus: Caesarem in Regno Hungariae, ac prouinciis suis Germanicis omnes non catholicos extirpatum ire, aliisque cleri calumniis refertum XVIII. Februarii anno 1644. evulgauit, igneque, ac ferro Morauiam vsque saeuit. Vide Manifestum eius item epistolas l. c. nro 133.

25. *Idem motus A catholicorum in Hungaria sufflammat et ad Portam Ottomanicam perscribit 1644.*

In Hungaria Comitibus Pestini celebratis, a Proceribus coronae Hungariae subiectis Papistis, partes Germanorum tuentibus, in iisdem comitiis, illud propositum est, vt in imperio, et regno Caesaris Germanorum indifferenter vbique Papistae habitent; alios ne patiantur. Quod postulatum eorum, vt eo magis stabilire possint, proprium filium Caesar Germanicus, Ferdinandum regem Hungariae personaliter misit ad eadem Comitibus; contra hoc negocium legati Hungariae diuersorum Comitatum magna perseuerantia repugnarunt, et dum super hoc negotio inter se se altercarentur, superuenit rumor cladis Germanorum apud Heidelbergam; qui etiam huius causae disceptationem interceptit, et hoc praetextu dispersi sunt, re infecta. Datum Tokay (circa finem mensis April. 1644. — Georgius Rákóczy“. Epist. Proc. l. c. nro 133.

Vt A catholici Hungariae in comitiis Posonium XI. cal. Octobris anni 1637. indictis Status Evangelici nomine compellari postularent, quasi a caeteris separatam regni membrum constituerent, vetustas querelas suas de templis etc. refricarent, altereatioque super his mensem vsque Martium anni 1638. protraheretur, subornante Georgio Rákotzio factum est. Qui etiam ab iisdem confoederatis Principibus — Gallorum accessione auctis, 350. millium Thalerorum stipendio in societatem belli conductus, vt contra induciarum fidem bellum bona Sultani venia suscipere possit, infami contra Caesarem commento vsus est; hinc, vt subsidiarias in promptu haberet copias, seditiosum Scriptum, calumniis in statum etiam Ecclesiasticum refertum XVIII. Februarii Anno 1644. euulgauit: Vide Manifestum eius de 17. Februarii datum.

26. *Ferdinandus III. seditioso Rakóczy scripto, suum monitorium, ne Regni SS. et OO. in transuersum agi se sinant, opponit. A. 1644.*

Ferdinandus etc. Reuerendi, Magnifici etc, Quibus praetensionibus ac motivis inductus Princeps Transilvaniae perniciosas cum inimicis nostris Suecis confoederationes inierit, exindeque publicam regni istius nostri Hungariae quietem et tranquillitatem periculoso belli incendio turbauerit, Fidelitates Vestrae ex continentibus nuperi (XXIII. Febr.) benigni nostri mandati, ac manifesto vberius intelligere potuerunt. Postmodum vero ad notitiam nostram peruenit scriptum quoddam ab ipso Principe vulgatum, et ad Comitatus, Civitates, aliosque eiusdem regni Status et Ordines directum, quo praeterquam, quod aduersam suam intentionem, et propositum excogitatis ad speciem causis et rationibus, obuelare, et ad traducendos et in partes suas trahendos fidelium regnicolarum nostrorum animos, libertatis praetextu obtendere nitatur, insuper etiam graui cum praeiudicio authoritatis nostrae regiae, legumque ac libertatum eiusdem regni nostri Hungariae, atque Statuum et Ordinum iniuria, eisdem generalem penes se insurrectionem, mandare ac praecipere, non vereatur, cum tamen ipse nullam regiam iurisdictionem in hoc regno nostro Hungariae habeat; a Deo vel hominibus concessam. Praeterire igitur silentio minime potuimus, quin eiusmodi praesumptioni et insurrectioni prorsus contradiceremus, eamque omnimode pro

liberemus, et ab ipsa fideles nostros regnicolas, sub poena perduellionis, adversus Maiestatem nostram arceremus. Ad causas et rationes, quas Princeps suae irruptionis et hostilis inuasionis, praetenderat, quod attinet: ex benignis litteris nostris seu manifesto apparet, neutiquam ex istis hic enumeratis, et ad speciem compositis rationibus, verum aliis longe diuersis, Principem incitatum fuisse, nec boni publici aut commodi regni, libertatisque studio, sed potius ambitione propria, occupandique regni nostri Hungariae imo etiam vicinarum nostrarum prouinciarum, vti ex interceptis eiusdem literis apparet, desiderio, infesta arma regno, ac nobis intulisse; neque id agere, vt regnum a nobis ne minime quidem laesum, in libertatem asserat, quin potius nationem Hungaram ab invicem divellere, ut seruituti ac iugo, sublata libertate, subiicere possit. Porro ea, quae Princeps enumerat, talia sunt, quae vel priuatorum quorundam querelae invicem potius, quam erga Maiestatem nostram sunt; aut vero priuati similiter alterius, praeter voluntatem nostram ac consensum, discursus, aut opiniones vel etiam controuersiae eiusmodi, in quibus quia invicem regnicolae conuenire non poterant, id circo necessario in aliud tempus eorum determinatio differri debuerat, vel demum talia quae etiam volentibus nobis ac conatus nostros adhibentibus, intra tot nihilominus regnorum et prouinciarum christianitatis reuolutiones, et infinitas propemodum distractiones nostras, in effectum deduci nequieverunt. Adeo, vt bene ponderatis omnibus nihil quidquam etiam data opera et adhibita industria asseri a Principe potuerat, quo vel diplomata nostra vel status et conditio Transilvaniae, vel etiam libertas huius regni nostri laedi, ac violari, causasque hostilitatis reperire posset; sed eiusmodi quaesitas, compositasque, ac priuatas rationes, nonnisi fidelium nostrorum dicti regni nostri Hungariae incolarum priuata negocia aut quorundam imaginationes seu praetensas aduersus invicem querelas, contineret. Quae tametsi prorsus etiam, quae non sunt, vera essent, palam est, tanti non esse, vt ea de causa fluctibus ac periculis regnum Hungariae, et nationem inuolui, Turcicaque auxilia in perniciem eiusdem accersiri debuerint. Quapropter, his Principis vulgatis litteris manifestius redditur, effusioni Christiani Sanguinis, desolationi regni, ac miserorum hominum ruinae, nullam prorsus ex parte nostra occasionem datam sed horum omnium Principis ambitionem et priuatos affectus, quibus in transuersum abreptus est, neque eas, quas assignat, rationes et motiua causas esse. Proinde per praesentes interdiciamus et mandamus, omnibus et singulis fidelibus nostris regnicolis, ne quisquam eorum, ad requisitionem Principis arma sumere, et insurgere audeat; vel ei quouis modo adhaereat, quin potius iuxta prius benignum nostrum mandatum arreptis vbique armis, eidem penes exercitus et gentes nostras, resistatur, iniustaeque eius inuasiones repellantur. Si qui vero his contrauenire praesumerent, adeoque ad obedientiam, obsequiumque nostrum redire differrent; sciant tales, se in grauem indignationem nostram, ac poenam, animaduersionemque eo facto incursuros esse. Gratia nostra etc. Dat. Viennae 16. Martii 1644. Indid. nro 132.

Rex pacis ac salutis publicae studiosus proclamationis, monitionisque suae spe frustratus est: Ad Rákotzii castra, Cassouia proditio occupata, sexaginta prope A catholicis

rum millia concurrerunt; quibuscum, vt cum Torstenonio, Suecorum Duce se con-
iungeret, Moraviae fines destinavit; ast a Caesareis aliquot velitationibus fractus, vl-
traque Tibiscum reiectus, Tartarorum subsidio destitutus, a Turcis reuocatus, de indu-
ciis agere coepit. Cæsar, Tyrnavia delecta Georgium Lippai, Strigoniensem A. episco-
pum cum Palatino arbitros earum constituit, cum nonnullis sociis. Hos inter, et Rá-
koczii ablegatos, contrariantibus studiis, negociatio alterum in annum tenuit; eodem
Rakotzio cum suis Bartfae, nouis et nouis postulatis eamdem aggrauante. Torstenonio
interim Austriam inuadente, foederatis Caesareis, Dano et Saxone cum Sueco, pa-
cem quaerentibus, Ferdinandus oneri belli ferendo impar necessitate adactus, effusio-
nique sanguinis parcere volens, conditionibus VIII. Augusti assensus est Lincii; tabu-
lae subscriptae ac permutatae XXVI. Decembris. Anno 1645. Non minores, quam Con-
stitutiones Viennenses, querelas et motus post se tracturae: V. Theatrum Eurapae
tomo V. pag. 786—815—53. Item acta pacificationis.

27. *Acta Comitiorum anni 1646 Georgio Rákotzio, Transilvaniae Principe interce-
dente. A. 1646.*

Illustrissime Domine, Amice nobis obseruande, Occasione generalis diaetae do-
minis SS. et OO. incliti regni Hungariae, per Sacram caesaream regiamque Maiesta-
tem benigne indictae. fideles nobis dilectos Generosos, Georgium Chernely de Cher-
nelháza, Paulum de Szemere et Andream Klobusiczky, praecipuos Aulae nostrae fa-
miliares, ad M. Suam S. C. atque Regiam et Comitiam praesentia, certorum arduorum
negociorum tam publicorum quam priuatorum procurandorum causa, expeditos vo-
luimus, vt vel hoc etiam facto non inutile Patriae nostrae commembrum, nos quoque
esse declaremus. Confisi itaque de beneuolentia et sincero erga bonum publicum,
gentemque hanc nostram Illustrissimae Dominationis Vestrae affectu. eamdem bene-
uole requisitam esse volumus: peramanter rogantes, vt in quibus rebus et negociis
vel priuatis nostris vel autem eiusdem boni publici conseruationem et promotionem
concernentibus, per eosdem nomine nostro requisita fuerit, relatis ipsorum in-
dubiam fidem adhibendo, velit tam interpositione auctoritatis suae apud sacram
C. atque R. M. Suam, quam alias conuenientibus mediis iustas simul et vi pacto-
rum firmatas, huiusmodi requisitiones nostras in optatum finem desideratosque
effectus promouere. Quam Illustrissimae D. Vestrae Amicitiam, et laudabilem er-
ga bonum commune affectum, nos etiam paribus studiis et officiis demereri non
intermittemus. Eamdem in annos quam plurimos feliciter vivere ac valere desideran-
tes. Datum in arce nostra Waradiensi die 10. Maii, anno Domini 1646. Illustrissi-
mae Dvrae amicus beneuolus, ad officia paratus Georgius Rákoczy mpr. "Ibid. nro
130. Ad Christophorum Kewenhüller".

Sunt haec comitia ex pacificatione Linciensi indicta, vt de templis anno 1638, ac serius
ereptis communi consensu decerneretur; vrgebat etiam Palatini, post obitum Nicolai
Eszterházi, electio, ac filii Ferdinandi Regis inauguratio: Causis his et Georgius Rá-
kotzi Princeps per suos ablegatos egit, et nuncios septem Comitatum sibi cessorum
agere iussit. Candidatos suffragiorum numero vicit Joannes Draskovics Illyrico Praefe-
ctus, vir auitae fidei, ac militiae clarus. De templis disceptatio alterum in annum pro-

ducta, et eo saepe feruore agitata, vt Palatinus manu ensis capulo admoto aestum vix temperare potuerit. Rex, cui res imperii pacificatione Westphalica componendae incubuerunt odiosae liti finem imponere volens, nonaginta templa, locis designatis, cum libero in iis religionis exercitio, restitui iussit, huiusque violatores, non amissione bonorum et exiliū qua poena ii, qui a Bocskaii tempore arma contra legitimum regem sumserunt affecti non sunt, sed 600 florenis, ad reparanda confinium praesidia dependendis, iteratores vero qua reipublicae turbatores mulctandos, post graues ac diutinas terrestrium Dominorum, pro iure patronatus sui reclamaciones constitutum fuit. Quod inauguratio Ferdinandi IV. anno 1647. et pax Westphalica anno 1648. sunt subsequetae: Bello tricenario Gallis magis quam Germanis, Sexennali Turcis magis quam Hungaris, compendiosa. Quam tamen Georgius Rákotzi non superuixit: in summa Regnum Poloniae obtinendi spe anno 1648. extinctus. V. Acta Comit. 1646. Tabulas Pacificationis Poson. 18. Jan. Eperjesini firmatas anno 1648. A Transiluanis ratificatas Albae Juliae 20. Martii. Acta item Westphalica. Ipse quoque Georgius Rákoczy Regno Hungariae nocumento cessit: Transilvani enim veterum pactorum, quibus se volentes Hungariae regibus obstrinxerant, immemores in clientelam Turcicam concesserunt, dum Georgium Rákoczium defuncti filium, patri hac conditione subrogarunt, vt a Splendida Porta nullo vnquam tempore deficiat. Inter constitutiones nro 3. Ast pace anno 1650 in Imperio confecta versa est alea: Kaprinay MSS. sub B. tom. 19. nro. 57 pag. 142.

28. Ferdinandi Regis Hungariae diploma, quo fundum a Stephano Tarnóczy, Praeposito Scepusiensi pro Scholis donatum pro Superioribus Societatis Jesu confirmat. Viennae XXV. Novemb. 1854. — E. MSS. Kaprinai sub B. tomo XXIX. nro 120.

Franciscus Wesselényi, Regni Hungariae Palatinus, Sessionem Colonicalem, Senye vocatam, Superioribus Societatis Jesu Cassouiensibus inscribit. Datum 1662. — Ibid. tom. 41. nro 69.

Idem Ferdinandus III. Abbatiam de Ludany, a Georgio Szelepesényi Episcopo Nitriensi applicitam, eidem confirmat. Anno 1656. Ibid. tomo LVII. nro. 69.

Ferdinando III. tot A catholicorum insultibus agitato, Filius alter Leopoldus 1659. mense Junio successit. Ibid. tom. 19. nro 59. pag. 144. Mediis ad bellum comparatis anno 1660 turbulentos per singulos comitatus, ne seditioso Francisco Rákoczio adhaereant, seure monuit: Viennae XXII. Aprilis 1670. Ibid. nro 60. pag. 340 et nro 68. pag. 157. Manifestum dat contra Emericum Tökölii rebellem Passauii XXIII. Aug. 1683. Ibid nro 71. pag. 174. Regni Comitatus de rebellionem praemonet Lincii III. Nov. 1683. nro 76. pag. Cum Turcis, Viennam obsidentibus, Tökölyi: anos fugat: Anno 1683. Ibid. nro LXXVIII. Ex censu imposito quaedam relaxat: Dat. Viennae 9. Octob. 1703. Ibid. nro 106. pag. 253. Omnibus rebellibus amnistiam promulgat. Viennae. XXV. Martii 1704. Ibid. nro 104. pag. 248.

30. *Leopoldus R. Hungariae ad res Hungariae, per Haereses ac technas, dissidiisque interna deiectas restabiliendas, studium generale per Benedictum Kisdy. Cassouiae fundatum ac dotatum Aurea bulla confirmat. Anno 1660.*

Nos Leopoldus (pleno titulo) Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis. Prima, qua mortales inter ab immortali Deo, Regia corona ornati seu potius onerati sumus, corona Angelica, seu Apostolica fuit; et illa quidem olim tot regnorum regiarumque coronarum Dômina, tot diuersorum populorum ac nationum domina ac moderatrix, quidquid inter Adriaticum mare, atque Pontum Euxinum situm est, erat sub vnico nomine Mariano, sub vnus veri et immensi Dei vero ac religioso cultu sub fideli atque inconcussa erga sanctam, Romanam Apostolicam Ecclesiam, per tot annorum continuatas centurias, obedientia vnico quodammodo sinu omnia complectens; vnde etiam iure merito coronarum christianarum archi corona; regnum vero ipsum Hungariae Archi Regnum Europae fuerat nuncupatum; Ast nunc sua siue iniuria temporum, siue ira et vindicta coelitem est ob non leuia dubio procul, populorum sibi subiectorum delicta non modo ab externis hostibus suis spreta ac derisa omnique propemodum ope, decore, maiestate sublata; sed ab ipsis quoque filiis ac subditis suis, ob tot intestinas sectas, haereses, odia, simultates, contempta, prodita, mirumquo ac miserandum in modum humiliata vix sibi similis, non aliunde duntaxat sed etiam a nobis, et quidem vel maxime, tanquam a Rege Apostolico, non absque piis suis, suorumque lachrymis opem videtur implorare auxiliatricem. Et quia secundum bonam et rectam curandi methodum contraria contrariis curanda sunt; nemini dubium esse potest, plagam hanc adeo crudam coronae Apostolicae per impietatem tot haeresum ac sectarum per prodiones, odia, simultatesque intestinas adeo barbaram inflictam, haud alia faciliore methodo, quam per his contraria curandam. Eam ob causam videtur nobis totus cardo huius adeo necessariae curae in eo potissimum stare ac verti, vt haeresibus ac sectis veram et orthodoxam auitamque religionem ac pietatem, proditionibus, odiis, simultatibus, fidelitatem, charitatem sinceramque christianam vnionis amicitiam opponamus. Et quoniam nullum uiolentum diuturnum, arboresque iam adultae ac roboratae facilius franguntur, quam flectuntur; imo et morbi ipsi diuturni ac inueterati, vel valde raro, vel difficulter curantur; a teneris autem assuescere non modo decorum, honestum, vtile, sed et perquam facillimum, et necessarissimum est; hinc manifesto sequi videtur ad amoliendas has pessimas ac perniciosissimas regnorum et rerum publicarum pestes, haud vllum medium, vllum antidotum, vllum alexipharmacum praestantius, nobilius, praesentiusque reperiri posse; quam bonam iuuentutis in pietate, in moribus, ac omnigenae literariae panopliae supellectili institutionem. Quam cum his saltem temporibus nostris ab nullo mortalium genere ac Statu totius orbis christiani, imo et ipsorum hostium luculento testimonio maiori ac certiori fructu, successu ac methodo praestari dignoscatur, quam a Religiosis venerandae Societatis Patribus: idcirco fidelis noster R. Benedictus Kisdy, Episcopus Agriensis, Co-

mitatum Heves et vtriusque Szolnok Supremus ac perpetuus Comes, nec non Con-
 siliarius noster, postquam gratia Dei, ac Sacratissimi quondam Imperatoris, Ferdinan-
 di III. Progenitoris nostri gloriosissimi, ante duodecim circiter annos ad Episcopatum
 Agriensem promotus erat, nihil adeo in votis habuit, quam ut et obligationi suae pa-
 storali, et aliorum de se exspectationi quoquo modo satisfacere posset. Dumque in
 hoc afflictissimo ob tot haereses et sectas huius regni nostri Apostolici, vti
 dictum est, statu in diuersas verteret partes, remediandae oppressae et vix non peni-
 tus suppressae Religionis catholicae, causa: denique nullum aliud magis efficax, prae-
 sertim pro illis superioribus partibus remedium reperit, quam si aliorum eiusdem re-
 gni nostri Apostolici Praelatorum et potissimum, fidelis nostri RR. Domini Georgii
 Lippay A, Episcopi Strigoniensis, alia inter patriae suae Hungariae praestita pia ope-
 ra fundatoris item viui collegii et nouitiatus praefatae Societatis Jesu Trenchinii, nec
 non pie memoriae Cardinalis Pazmani, Fundatoris Academiae Tyrnauiensis, zelo ac
 pio exemplo excitus, eidem Societati Jesu in illis partibus superioribus regni nostri
 Hungariae, idque in libera ac Regia ciuitate nostra Cassouiensi, dioecesis suae, veluti
 porta ac clauis omnium bonorum et malorum huius regni nostri. His in circumstan-
 tiis constituti (quod et idem Cardinalis Pazmany summe moliebatur, nec tamen con-
 sequi potuit; sed morte pia praeuentus iam nominato Benedicto Kisdy, Episcopo
 Agriensi spartam hanc exornandam reliquit) Academiam, seu studium generale iuxta
 institutiones societatis Jesu fundaret, ac erigeret; prouti liberalissime ac munificen-
 tissime fundauit et erexit; dum ex proprio suo peculio quadraginta millia florenorum,
 in dotem iam dictae foundationis assignauit. Quae adeo pie ac zelosi fundatoris pia,
 utilis ac necessaria fundatio, vt eo firmiter solidior, ac omnino perennis permane-
 ret, nobis debita cum instantia humillime supplicauit, quatenus non solum vt Rex Hun-
 gariae, sed etiam vt electus Romanorum Imperator gymnasium illud, seu vniuersita-
 tem, in libera ac Regia Ciuitate nostra Cassouiensi (idque in domo Regia a gloriosae
 Reminiscentiae Ferdinando tertio, progenitore et antecessore nostro desideratissimo,
 cum adiunctis aedibus et spatiis hunc in eundem finem iam antea partim dono ciui-
 tatis obtentis, partim proprio aere comparatis perpetuum donata) per ipsum erectam
 ac dotatam regia et Imperiali nostra potestate et authoritate approbaremus ac confir-
 maremus, atque iuxta tenorem foundationis nobis exhibitum, consuetis caeterarum per
 orbem christianum, praesertim per Regna nostra haereditaria, ac etiam libera, per-
 que Imperium nostrum Romanum Academicarum priuilegiis et immunitatibus bulla
 nostra aurea exornaremus, ac roboraremus. Insuper vt eandem vniuersitatem cum
 totali sua dote ac collegio, cumque omnibus bonis ac personis eiusdem vniuersitatis
 ac collegii, contra quosuis impetores in nostram ac successorum, haeredumque no-
 strorum specialem ac paternam protectionem acciperemus; vt tam ipsi Professores,
 quam Academici Studentes, more aliarum Academicarum suis solitis gaudere possint
 iuribus ac priuilegiis. Praeterea vt omnibus cuiuscunque status et conditionis potesta-
 ti nostrae subiectis, serio ac clementer demandaremus, quatenus ad gradus academicos
 in Academia Cassouiensi rite ac legitime promoti, in aliis quoque academiis et Vni-

uersitatibus, vrbibus, Capitulis, Ecclesiis, non secus agnoscere et admitti debeant, quam si in quacunque celeberrima Vniuersitate dictos gradus Academicos fuissent consecuti. Denique vt eandem vniuersitatem Cassouiensem in regno nostro Apostolico recenter erectam caeteris Prouinciae Austriae Societatis Jesu vniuersitatibus, signanter Viennensi et Graecensi uniri et incorporari curare benigne et clementer velimus et faciamus. (Sequitur litera Fundationalis Benedicti Kisdy, et Leopoldi quoad puncta singula annuentia et confirmatio) Datum in arce Graecensi, in Stiria die septima Augusti, anno Domini 1660^o. Ex pari authentico. Fundator hanc confirmationem non supervixit, eodem anno praemortuus, XXII. Junii.

31. *Leopoldus R. H. frustra tentata in Conuentu Neosoliensi cum factionis conciliatione Francisci Rakoczii 1 motus sequi seuerissime interdicat. A. 1670.*

Leopoldus etc. Spectabilibus, Magnificis etc. Tametsi nos ad nuperum Novizoliensem tractatum, fideles nostros, Locumtenentem, intimos et alios etiam potiores Consiliarios Hungaros, nec non iis adiunctos certos Deputatos nostros, cum benignis literis nostris credentialibus, Ablegatis nunciis vestris, eo tum ibi praesentibus, intitulatis exmiserimus, dantes ipsis in commissis, quatenus cum iisdem nunciis vestris, de omnibus, quae imminere possent periculis, ac hostilibus intentamentis, aliisque Patriae publicam quietem, tranquillitatem et permansionem concernentibus negotiis, diligenter conferre, tractare, et concludere, ac tandem singula pro eorumdem ratificatione, celeriorique effectuatione nobis repraesentare debuissent. Quia vero dicti nuncii vestri, nescitur, qua praesumptionis temeritate ducti, neque praetactas literas nostras credentiales acceptassent, neque vero vestras datas, produxissent, ac iis, quibus competeat exhibuissent; quin potius, obrutis quibusdam postulatis vestris nostram quoque maiestatem certa in parte multum laedentibus, non exspectata vlla satisfactione vel responso, discessissent. Vnde vos iterum nouum, vti informamur, terminum, diem vtpote duodecimum proxime affuturi mensis Maii, pro alio conuenticulo, in ciuitate Eperiesiensi celebrando praefixissetis; non sine graui legum patriarum, mandatorumque nostrorum Regionum contemtu et vilipendio manifesto. Quod factum vestrum licet quidem indigne ferendum meritoque exprobrandum esset; nihilominus vt nos conceptum eatenus rigorem lenitatis temperamento moderasse ac in paternam benignitatem et clementiam nostram conuertisse, aduertatis, generalem fidelibus nostris vniuersis, Statibus et Ordinibus regni huius nostri Hungariae diaetam occasione ditorum postulatorum vestrorum, siquidem praecipua illorum secus complanari nequirent, accedente quoque vnanimi praementionatorum Consiliariorum nostrorum ad praesens hic existentium voto et opinione indicendam et promulgandam benigne decreuimus. Verum interea subitos et seditiosos in partibus eiusdem regni nostri superioribus, per Franciscum Rakoczium, nulla prorsus eidem ex parte nostra, praehabita causa vel occasione hostiles motus concitatos existisse ac vestrum etiam aliquos factioni eius adhaesisse, nec non fi-

delem nostrum Commendantem Tokaiensem Comitem a Stahrenberg, cum primariis officialibus, per ante latum Rakoczium incaptiuatum, praesidium Onod, portasque ac proventus nostros regios occupatos esse non sine graui animi sensu intelligentes. praeuiam benignam nostram occasione publicandae praememoratae diaetae factam resolutionem suspendere debuimus. Quapropter vos vniuersos, et singulos, harum serie et clementer paterneque monemus et hortamur, immo sub grauissimis notae infidelitatis poena legibus regni expressis, serio ac seuerè mandamus, et inhibemus, ne praenominato Rakoezio, veluti declarato nostro rebeli, ac Patriae hosti, vllò sub praetextu adhaereatis, neque opibus, auxiliis, annona commeatu, milite, aliisque militaribus instrumentis et requisitis adsitis, aut sub eius signis militetis, rerumque earum, quae contra nos et fideles nostros ab illo suscipiuntur gerenturque, vel adhuc suscipientur, atque gerentur, vel consilio vel fauore, vel quocunque alio modo, clam vel palam vos participes faciatis; sed neque ulla amplius conuenticula, tamquam seriis patriae legibus vetita celebretis, multò minus ad praespecificatum Eperiesiensem terminum nuncios vestros exmittatis; quin potius memores homagii, nobis, vti legitime coronato regi ac domino vestro clementissimo, praestiti, ad instar laudatissimorum Maiorum vestrorum arrepto ferro, et armis, nostro vos coniungatis banderio, eo propediem promouendo, et sic strenue patriam contra omnes hostilium factionum Fomentatores, pacisque et tranquillitatis publicae conuellendae studiosos tutari, iisque vos opponere ac resistere studeatis, et adlaboretis, neque dubitetis de nostra valida et sufficienti defensione ac protectione; in qua vltèrius quoque instituenda, a nobis dies, noctesque desudatur. Qui autem eidem Rakoezio, vt praemittitur adhaesissetis, vos protinus ab eo vos segregetis, separetis, atque ad nos redeatis; promittentes vobis, si pacifice vixeritis, nec arma cum illo sociaveritis, vel sociata retraxeritis, simulque ad nos redieritis, vos ab omni iniuria et belli calamitate defendendos, contravenientes vero, ac in obedièntes praescriptae infidelitatis poenae subiiciendos. Porro, siquae fors horum rebellium nostrorum temeritate ac insania, excidia, direptiones, caedes et vastationes miseram exhaustam et innocuam plebem sint oppressurae, eorum omnium nos insones esse atque futuros imposterum coram Deo et mundo, ad omnem etiam posterorum memoriam sanctè protestamur illisque luenda, aut expianda transcribimus, qui rerum nouarum studio, ac praepostero ambitu, huic luctuosissimo incendio facem subiecerunt. Deum vero Optimum Maximum, iustissimae causae nostrae vndicem et rebellionis ac perfidiae grauissimum vltorem, quemadmodum iam confusis et humilitatis praecipuis duobus seditionis huius capitibus, vtpote Comitibus Petro a Zrin et Francisco a Thersath, quos tam in personis, quam bonis ipsorum nostrae subiiciendos esse voluit potestati; ita caeteros quoque complices brevi confusuram non diffidimus, cum et alias, ipsomet asserente, atque infinitis tam veteris Historiae quam moderni temporis exemplis compertum habeamus, eos, qui legitimae resistunt potestati, ipsi Deo, cui nemo praeualere potest, resistere. Et haec erant, quae vigore harum nostrarum ad aequitatem causae nostrae declarandam vobis omnibus notifican-

da existimauius. De reliquo gratiam et benignitatem, protectionemque nostram Caesaream ac regiam in omnibus et singulis, qui se ea non indignos reddiderunt, offerentes. Dat. in Ciuitate nostra Vienna die 22. mensis Aprilis 1679^o. Epist. Proc. nro 140.

Perfidia haec et pernicia non conspirationis solum capitibus, sed et administris, quos Stephanus Vitnyidius, verbi diuini minister, tractum omnem, qui secundum montes Cassouia Posonium usque tenditur oberrans, religionis periculo praetexto, ad arma corripienda, ingenti pecuniae vi, Dantisci et Wratislaviae deposita, ostentata exciuit, funeste cessit: quaestione Posonii habita, legetenus conuicti, templis ademptis mulctati, magistratusque ac ministri locum catholicis fidelibus facere coacti sunt: V. Histoires de Troubles de Hongrie lib. 2. et 3. Hist. de revolution. de Hong. Tom. I. l. 3. Memoire Guerre de Hongrie Tom. 1. ad. an 1670. Literas Vitnyedii. Acta Inquis. Poson. etc. Qui in Transiluaniam Valachiam et Moldauiam profugerant, seditionis semina propagarunt, nec Ministri Euangelici, quibus errorum venia facta, pacatiores: quibus Emericus Tököly, mox denique Michael Apaffy, Princeps Transilvaniae — Duces se dederunt, ministrorum, qui suos concionibus in praeceptis egerant, malo maximo: Wagner P. I. l. 3. Extractus brevis et verus, quo candide demonstratur, A catholicorum Praedicationum e regno Hungariae proscriptio — facta esse respectu rebellionis non autem Religionis. Adolphi Lampe siue Pauli Ember. Hist. Eccles. Reform. L. II. p. 473—480.

31. *Leopoldus Rex Hungariae, confirmatis et transscriptis Monasterii Sacri montis Pannoniae Ordinis Benedictinorum iuribus et priuilegiis, eundem Ordinem restauit. 1691.*

Nos Leopoldus etc. Memoriae commendamus.— Quod fidelis noster Rdu et religiosus Frater Martinus Rumer, Archiabbas Conuentus S. Martini Sacri montis Pannoniae tam suo, quam totius Ordinis S. Benedicti Conuentus S. Martini Sacri montis Pannoniae nominibus exhibuit et praesentauit nobis certas quinque literas priuilegiales; vnas quidem diuini quondam Stephani Hungariae Regis, anno Domini Incarnationis millesimo primo in simplici papyro conscriptas, sigilloque eiusdem olim regis munitas, quibus mediantibus idem diuus olim Rex comitatus Simigiensis decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis segetibus, vectigalibus, vinoque hospitem, quod in praediis eorum excresceret, Abbatae eiusdem monasterii subiugasse; binas vero Belae. similiter Hungariae Regis, primas de anno 1257. quinto idus Junii, secundas in anno Domini 1262. confectas, quarum tenore idem olim Bela Rex nonnulla priuilegia, seu libertates et immunitates praefatae Ecclesiae S. Martini per bene memoratum olim Stephanum, Andream et Belam primum reges Hungariae innouando, confirmasse et insuper decimam partem tributi de Fuk, et tertiam antea percipere solitam, similiter decimam et tertiam partem tributi castri Simigiensis, dicto Conuentui seu monasterio applicasse; quartas itidem Stephani, olim regis Hungariae in anno Domini 1272. idus Novembris expeditas, quarum contextu idem quoque Rex Stephanus repetitum monasterium, et eius populum a iudicio et potestate ac iurisdictione omnium Iudicum et vniuersorum comitum parochialium seu viceiudicum penitus exemptos, ita et a vexationibus, molestiis, inquietudinibus, et grava-

minibus, quae per collectores tam vectigalium, quam denariorum iis imponi potuissent, expeditos demandasse. Quintas porro Ferdinandi, condam Praedecessorum videlicet nostrorum felicium recordationum, quarum virtute idem quoque Imperator et Rex decimas, in Comitatu Simigiensi pro toties fato Conuentu S. Martini, sacri montis Pannoniae saluas permanere commisisse, et mandasse dignoscebatur, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit maiestati nostrae nomine, et in persona dicti Abbatis, totiusque Sacri Ordinis Benedictinorum repetiti Conuentus S. Martini sacri montis Pannoniae ac demissa cum instantia humillime, quatenus nos easdem literas priuilegiales, omniaque et singula in iisdem contenta ratas, gratas, et accepta habentes, literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali inseri et inscribi facientes, approbare, roborare et ratificare ac pro eodem conuentu perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur. Quarum literarum et quidem primarum tenor talis est: In nomine Domini, Dei summi (V. in Codice Diplomatico Hungariae) secundarum vero series sic se habet: *Bela Dei gratia etc.* Tertiaram porro verbalis contentia sequitur in hunc modum: *Bela* — Quartarum demum series procedit in haec verba: *Stephanus*, Quintarum tandem contextus taliter sonat: *Ferdinandus* — Nos itaque qui laudabilia antecessorum nostrorum instituta sequi, eaque, quae ad laudem Dei et Ecclesiae suae sanctae incrementum spectant, singulari semper cura atque studio amplecti, fouere et censeruare consueuimus, pro nostra erga sacrum praedictum Ordinem, cuius suffragiis, piisque precibus in prosperitate armorum nostrorum, et victoriis contra hostes nostros iuari quoque nos credimus) benignitate et liberalitate eiusmodi humillima supplicatione pro parte dicti Ordinis S. Benedicti, conuentus sacri montis Pannoniae, Maiestati nostrae modo, quo supra facta, regia benignitate exaudita clementer et admissa praescriptas quinque literas priuilegiales, omniaque et singula in iisdem contenta ratas, gratas et accepta habentes, praesentibusque literis nostris verbo tenus, sine diminutione et augmento aliquali inseri, inscribique facientes, quoad omnes earundem contentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem recte ac legitime existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur acceptamus approbamus, et ratificamus, eademque omnia et singula regia autoritate nostra pro praefato ordine Benedictinorum conuentus S. Martini sacri montis Pannoniae innouando perpetuo valituras confirmamus; omnibus et singulis fidelibus nostris praesentibus ac futuris, cuiuscunque status, gradus, honoris, conditionis et praeeminentiae ac officii, subditis nostris ecclesiasticis ac secularibus, harum serie firmiter committentes, et mandantes, quatenus in praemissis omnibus iuribus, immunitatibus, praerogatiuisque et priuilegiis, censibus ac datiis specificatum S. Benedictinorum Ordinem consequenter memoratum conuentum S. Martini sacri montis Pannoniae, conseruare, per aliosque quorum intererit, conseruari facere, iisdemque omnibus libere et absque villo impedimento, vti, frui, ac gaudere permittere, denique aduersus omnes his contrauenientes, dicti videlicet Archiabbatis, et ipsius successorum, consequenter ipsius monasterii violentos impeditores, turbatores, et damnificatores vice et in persona nostra regia tueri, defendere, ac protegere manaque tenere

modis omnibus debeatis, et teneamini; imo acceptamus approbamus, roboramus ratificamus, et confirmamus, committimusque et mandamus saluo iure alieno, harum notarum secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae vtimur impendenti vigore et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri, nobis dilecti, Rdi Blasii Jaklin, electi Episcopi Nitriensis, locique et Comitatus eiusdem supremi et perpetui Comitum. Consilarii nostri, et aulae nostrae per Hungariam Cancellarii, in ciuitate Nostra Vienna Austriae die 10. mensis Martii, anno Domini 1691. Regnorum Romani etc. — Ex archiuo Camerali.

32. *Idem Leopoldus Statui Ecclesiastico, Graeci ritus vnito, eadem priuilegia, quibus clericus Catholicus latinus gaudet, largitur. Anno 1693.*

Nos Leopoldus, D. gr. Romanorum Imperator ac Germaniae Hungariae etc. Rex Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod cum immunitas ecclesiastica qua Ecclesiae ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum gaudent, iure pariter diuino et humano, singulariter in praetacto Apostolico hocce nostro Hungariae regno gratis diuorum regum, praedecessorum videlicet nostrorum, beatae recordationis, priuilegiis, regnique constitutionibus, sancita sit, eamque a Caesarea Regiaque Maiestate nostra (vtpote, quae specialem inter reges Christianos praerogatiuam Regis Apostolici obtinemus) asseri, defendique condeceat; iustum videri, vt quos eadem vna fides et caritas in eiusdem SSmae Ecclesiae Catholicae vnitate coniunxit, eiusdemque sanctae matris obediens filios eodem in gremio fouet, eodem denique sub capite eiusdem corporis membra vivificat, exindeque diuini aequae ac humani fauoris reddit capaces, iure suo non destituantur. Ex eo nos benigne informati existentes gentem Ruthenorum, quae ante trecentos ferme annos, transmigratione facta, ex Russia, in vicinis Hungariae partibus, potissimum vero in Diocesi Agriensi, sese collocavit; ac in ipso huiusmodi in regnum hocce aduentu Graeci schismatis labe laborabat, quae Deo auxiliante, a triginta fere annis proxime evolutis, potissimum assistentia et opera sapientissimae Zelosissimae quondam Principissae Sophiae Bathory coepisse ad vnionem et gremium SSmae Romano Catholicae Ecclesiae redire, nunc vero virorum Apostolicorum conatu, aperta veluti patentiori ianua, copiosius ad eandem confluere, sperarique vt non tantum praenominata tota gens, sed eius exemplo nationes etiam aliae sub corona Regni nostri Hungariae degentes, eodem schismate extra ouile Christi pabulandae ad ipsius obedientiam et vnionem postliminio reducantur; interea vero nobis humili cum instantia pro remedio relatum esset, et illud, quod a quibusdam dominis terrestribus, in quorum videlicet tenuis et possessionibus dicta gens Ruthenorum commoratur, personae Graeci ritus (vti praefertur) vnitorum Ecclesiae, non habita iuris diuini pariter et humani, eatenus ratione, non minus quam quum in schismate existentes, fauoribus Ecclesiae se indignos redderent, adhuc seruiliter tractari aequae ac si naturales eorum subditi, iohbgyonesque forent, vsque adeo, vt praefati Domini, eorumque officiales, veros Dei sacerdotes,

instar aliorum colonorum suorum compellere, vel etiam captiuare, verberibus ac multis afficere, aliaque a parte directe immunitati Ecclesiasticae prorsus et iniuriosissime repugnantia, non tantum circa Ecclesias aliaque loca, de iure exempta et res ipsorum attractare et perpetrare audeant, quod sane non tantum in populi huiusmodi ad gremium Ecclesiae reuertentis, verum etiam in totius Christianitatis scandalum grauisimum vergit, iustamque Dei omnipotentis, ac regiam vindictam, merito prouocat: Propter quod nos tum iram Dei auertere, tam scandalum huiusmodi amoliri, et ex eodem natum pabularumque adhuc ovium redeundi obstaculum tollere, insuper zelanti Regis Apostolici eatenus muneri nostro prouida circumspectione respondere, ex auctoritatisque nostrae regiae plenitudine, per praesentes benigne declarare volumus, quatenus Graeci Ritus Sanctae Romanae Ecclesiae vnitorum tam ecclesiae ipsae, tam earum res, in Apostolico hocce regno nostro, eadem prorsus immunitate Ecclesiastica gaudere debeant, qua Ecclesiae personaeque ecclesiasticae et res fidelium sanctae Romanae ecclesiae Latini ritus; ex sacrorum Canonum praescripto, et terrenorum principum consensu indultis, et priuilegiis effectiue perfrui, gaudereque dignoscuntur. Cuius intuitu nos etiam vltius sub graui indignatione nostra Regia seuerè, firmiterque mandamus, vt a praesentium infra declaranda publicatione, nullus, cuiuscunque status, auctoritatis, dignitatis et praerogatiuae, potentiaeque fuerit, praedeclaratae huic Graeci ritus vnitorum immunitati Ecclesiasticae, aperte vel occulte vllò sub praetextu, vel etiam praetensi vsus aut consuetudinis, antequam vnirentur, sub velamine, audeat contraire, iisdem prorsus sub poenis, tum ab ecclesiastici, tum a secularis fori Iudicibus, tum etiam, si opus fuerit, a nostra maiestate infligendis, quas fidelium latini ritus immunitatem laedentes, de iure et consuetudine regni incurrunt; et hoc quidem vniuersis fidelibus nostris, Dominis magnatibus, nobilibus, tum ecclesiastici, tum secularis fori, Iudicibus ac Justitiariis, cunctis denique quatuor statibus et Ordinibus, aliisque quibuscunque subditis nostris, praesentium notitiam habituris modernis et futuris, vt sic toties nominati Graeci Ritus vnitis in praedeclarata immunitate gaudentibus, administrare debeatis, et teneamini. Ne vero Domini terrestres, in quorum tenentis eiusmodi Graeci ritus commorantur, ansam habeant benignissimae huiusmodi nostrae dispositioni contraveniendi ex ea ratione, quod exemptione fundorum, in quibus Ecclesiae, Parochiae reliquaque ad cultum Dei spectantia constituunt, onera seruitia, hactenus eis praestari solita diminuantur; meminisse eos debere obligationis christianae ad ea, quae cultui diuino necessaria sunt subditis suis prouidenda ideoque, vt habita incolarum cuiusvis loci multitudinis ratione ordinariorum loci Episcoporum, vel ab his exmittendorum Vicariorum suorum generalium, aut Archidiaconorum conscientioso arbitrio, vbi et quantum hi necessarium pro Ecclesiis, parochiis, coemeteriis, scholis iudicauerint, tantumdem fundorum excindatur; in quo si Domini terrestres fors pietatis erga Deum immemores, consentire noluerint, nihilominus Dei cultui assignentur, et ipso facto reddantur immunes. Eo vero in casu Domini terrestres locorum ius Patronatus Ecclesiarum sibi non valeant vindicare, donec vniuersa, quae ad hoc obtinendum sacrorum canonum instituta exigunt, praestitisse comperi-

antur. Quibus omnibus praemissis, illud etiam per expressum declarandum esse duximus, vt quoniam Graeci ritus Sacerdotes coniugati essent, ne filii eorum vtpote liberis parentibus nati, legitimoque ex matrimonio geniti (nisi sponte coloniales sessiones assumere, seque ad rusticitatem seruitutemque ipsi vellent redigere) ad seruitutem statumque eiusmodi non adigantur; et si qui hactenus adacti essent, libertati integre restituantur quoad personas; nollemus tamen, vt haec declaratio immunitatis ecclesiasticae graeci ritus vnitorum vlllo modo suffragetur; et iis qui in schismate, ac erga S. Matrem Ecclesiam inobedientia persisterent, imo clementissime exoptamus, vt tam Dominorum quam subditorum illorum in exigendis horum in praestandis solitis laborum oneribus molestia et confusio vitetur; pro utrorumque commodo, vt festa tam mobilia, quam articularia, et pro Dioecesium varietate, ab ordinariis locorum instituta etiam Graeci ritus vniti, in iisdem diebus celebrent, quibus Latini celebrare consueverunt; his etiam illo adstipulato, quibus si sanctorum aliquorum, quos Graeca Ecclesia singulariter venerari consueverit, festa celebrare voluerint, id fiat consensu Ordinariorum; quo obtento, eisdem etiam diebus festis, eorum proprii terrestres nullatenus possint eos laboribus aggravare; hinc quod absque ordinariorum expresso itidem consensu, nouas sui ritus parochias vel Ecclesiam iisdem licitum non sit erigere, et haec tandem praemissa omnia, ac iuxta illa praesens etiam Caesareo Regium Diploma, mandatumque nostrum benignissime volumus, et iubemus per ordinarios locorum in vniuersis comitatibus suarum Dioecesium in quibus Graeci ritus vniti degunt, tempore congregationum generalium publicari, vt ad omnium, quorum oportet, notitiam valeat pervenire. Si vero quipiam ausu temerario his omnibus reluctantes apparerent, ordinarii iidem Maiestati nostrae relationem superinde facere debeant, quatenus, si opus fuerit, tam euidenti malo, seueriori etiam manu, medela tempestive adhibeatur. Secus itaque nullus fidelium nostrorum facere praesumat. Hoc autem benignum Diploma et mandatum nostrum, postquam perlectum fuerit, reddi semper et restitui volumus exhibenti. Datum in ciuitate nostra Viennae Austriae die 23. mensis Augusti. Anno Domini 1693. Regnorum nostrorum Romani 31. Hungariae ac reliquorum 38. Bohemiae vero 36. Leopoldus. LS. Blasius Jaklin, Episcopus Nitriensis. Joannes Maholányi. — Transsumsit Carolus III. Anno 1712. XXI. Mensis Junii. — Maria Theresia confirmauit, et ad Comitatus quoque Marmaros. clerum et populum eiusdem ritus Graeci cum orthodoxa Ecclesia vniti, clementer extendit. In arce Poson. die 21. mensis Octobris Anno 1741. vterque priuilegialiter. — Ex archiuo regnicolari.

32. *Disceptatio docta et historica super eo: num clerus cum Rakoczio confoederatus, depositionem meritus sit. A. 1710.*

Memorabilis hic est disceptatio, quae ratione confoederationis Rákoczianae inter Brunonem Hibernum, virum nobilem, ac Parochum Dioeceseos Agriensis anno 1710. intercessit: Bruno s.l. arguit clerum Hungaricum, tanquam statum primum a Protorege constitutum, ab huiusque successoribus confirmatum 1) Rákoczianae re-

bellioni adhaerere 2) cum regnicolis ad Széchenium conuocatis confoederationem contra fidem catholicam, ac regem legitimum iuramento spondere, 3) In conuentu Onodiensi dethronisationi Regis subscribere non debuisse sed potius exulare aut mortem fortiter oppetere oportuisse: Quapropter per Breue Apostolicum ab Archiepiscopo Strigoniensi, regni Primate, Episcopum Agriensem cum Abbatibus, Praepositis, Capitularibus iure merito citatos, ac beneficiis exutos fuisse.

Responsum Parochi: Magnum profecto, meoque ingenio impar, respondendum mihi imposuit Dominatio Vestra, ex mea tamen rudi simplicitate, cum iam doctam, per decrepitam senectutem, amiserim scientiam; quadraginta enim et amplius in hac sola parochia numero annos; decimum iam habeo episcopum; nullum noui ex illis; nullum vidi, praeterquam eum, qui me in hanc parochiam relegauit: haec per parenthesim; iam rudi sermone ad puncta tuae propositionis; ad terminum adhaesio: Scisne, mi Domine Bruno quomodo Rakoczio adhaesit clerus? Primo enim Sua Maiestas Caesareo Regia ex Vngaria in Imperium, ob graue imminens cum Gallo bellum totam educere regno militiam cogebatur relictis duntaxat domi nostrae duobus plus minus regiminibus, pro omni euentu necessariis, ac munitis bene tam milite quam annona vbique praesidiis; Rakoczius autem cum Bercsénio, vindictae cupidi (ob quasnam rationes, non est nostri fori hoc hic ventilare) praestolabatur in Polonia omnimodam occasionem semet vindicandi; correspondentia tam cum Gallo, quam cum Reformatis Vngariae ad rebellionem, ob dilatandae damnatae suae confessionis zelum semper promptissimis (omnibus enim rebellionibus ipsi proficiunt) habita; videndo quod tempus et occasio eos iuuent, in Vngariam appulere intra aliquot hebdomadas tantam conuasarunt circa partes Munkácsienses antiquorum praedonum, qui in pagis hinc inde post Tibiscum latitabant, et auide tumultum praedociniis inhiantes exspectabant, ex diuersis nationibus conflata colluuiem, vt caesarea vis, in Vngaria ad compescendos tumultus relicta, nullo modo eis resistere suffecerit; seque ad praesidia retrahere coacta fuerit; et sic habito et obtento campo Vngariae pene vniuersae, per integros duos annos, circiter omnia ferme partium harum praesidia, alimentis exhausta, auxilio caesareo destituta in partes Rákoczianas cessere. Et sic Magnates, plurimi Vngariae vna cum Nobilitate, ac Clero Vngariae exulare non valentes, ob media vivendi non habita post appromissam cuique in particulari a Rakoczio pacificam in domiciliis suis permansionem, Rakocziano gubernio ac potentiae sese subiicere cogebantur. Te mi Domine Bruno! consulo iam in praemissis Vngariae circumstantiis, si clerus (qui de iure diuino ac humano ad residentiam obligatur) v. gr. Episcopus Agriensis, cum suo capitulo, capitulum Strigoniense, Nitriense, Vacienne, Vesprimiense et alii Conuentus etc. si iam isti omnes ob fidelitatem suae Maiestati Caesariae conseruandam exsulassent, quomodo nam tanta cleri copia, quisque pro suo statu, etiam compendiosissime vixisset in Germania aut aliis prouincijs, Suae Maiestati Sacratissimae subiectis? — Narrare tibi poterit vicinus Dominus Praepositus Scepusiensis, redux, qui in exulatu suo, consumptis omnibus sustentandae vitae necessariis, pontificali apparatu integre pro alimonijs Neostadii re-

licta, eleemosynis pro sacrificiis Missae acceptis victitabat. Et quid si totus Vngariae clerus discessisset? Ostiatim mendicasset panem suum contra canones. — Hanc difficultatem bene perspectam habens tempore rebellionis Tökölianae, pientissimus Imperator Leopoldus, videns totum Vngariae regnum a Turcis ac perduellibus occupatum duobus Vngariae comitibus, Sigismundo nempe Homonnai, et Seniori Francisco Barkoczi, Viennae eo temporis ob fidelitatem exulantibus dixisse fertur: redite nostri fideles in vestram patriam, accomodantes vos tempori, et ibi nostri fideles futuri. Cum ergo clerus Hungariae non sponte adhaeserit Rákoczio, sed destitutus omni auxilio caesareo ob maiorem potentiam, sine ignominia Creatoris in loco residentiae suae, quem deserere iure diuino et humano non debuit, permanserit, stantibusque circumstantiis potentiam, cui contravenire non potuit, passus fuerit; vide iam mi Domine Bruno meretur ne propter haec citationem, conuictionem, depositionem etc?!

Nec ideo meretur clerus Hungaricus tam saeuam censuram, quod se dominio Rákocziano, cui contrauenire non potuit, se subiecerit; subiectio, nihil aliud significat: quam passio potentiae maioris, quam tolerare cogebatur clerus; alias multa consectoria absurda inde sequerentur v. gr. cum Turca occupasset temporibus prioribus Budam, Agriam, Strigoniam, Viennam etc. magna pars cleri cum oppidis, pagis, imo et ciuitatibus Turcae caput inclinarunt; dominium Turcicum agnouerunt, quamuis fuerit nominis christiani hostis capitalissimus); nullus tamen sanae mentis illos Deum offendisse, fidem fregisse, Turcis se mancipasse condemnauit; quin imo totus orbis laudauit, hanc eorum eximiam et laurea coeli dignam, in non recedendo ab ouibus Christi, etiam cum periculo vitae virtutem. — Tu Domine Bruno! Hibernus es et Catholicus; Hiberniam, Scotiam occupauit Anglus, Deo et Ecclesiae rebellis, quia Haereticus; tu ei subiectus; an etiam ideo poena dignus?? Qualem de se consequentiam faciet, talem de nostro clero inferat. Quidquid sit de ly termino subiectio: Dominio Rákocziano non proprie subiecit se clerus, sed illud patiebatur, ob potentiam maiorem, a qua in diuinis suis non turbatur et cui contrauenire absolute non potuit. Talem subiectionem licitam, tolerandamque esse totus orbis agnoscit.

„Adminus non debuisset interesse clerus Hungaricus conuentibus rebellium, qui contra Regem vix non semper, indicebantur“. — Domine, Bruno! Interfuit ne Christus conuentui Pontificum ac Seniorum populi Iudaeorum? — „Qualis interrogatio? Inerfuit omnino, sed ligatus“. — Clerus etiam Hungaricus interfuit coactione ligatus; non enim ad conuenticula confoederatorum se intrudebat, sed per graues multas compulsus. Testimonio mihi sit Capitulum Agriense, quod ob non comparitionem ad conuentum Agriensem executione mediante mulctatum est. Sed et iure Patrio tenebatur conuentui interesse clerus Hungaricus, est enim primus regni Status Decreto S. Stephani lib. I. cap. 2. et 3. A temporibus Sancti regis continuo, non excluso statu Ecclesiastico, gubernabatur Hungaria, et gubernatur. Quiscunque succedat, legitime vel illegitime in principatum regni temporalem, cui clerus contrauenire non potest, ad conuentum indictum comparere debet, eique cuius est terra ac potentia, in rebus statui Ecclesiastico, item Sacrae fidei non repugnantibus, parere obliga-

tur. Si consilio contra regem rebellionem fouendi, aut protrahendi concurrisset clerus, tunc foret eius in conuentu praesentia culpabilis.

„Ast cum Reguicolis ad Széchénium conuocatis, confoederationem eorum, contra fidem catholicam, et legitimum regem, iuramento se seruaturum, clerus spondere non debuisset. — Ideoque meritis sententiae subiici.“ — — Domine Bruno, valde perstringis clerum nostrum. — Memineris, iure naturali licitum esse, vt ex duobus malis, in casu collisionis, eligatur quod minus est ac metu maioris non solum sustinendum minus, sed etiam omnia promitti, fieri ac praestari posse, quae peccatum non inuoluunt. Quo casu electio, promissio, praestatio talis rei non refertur ad malum, quod intendit hostis, sed ad conseruationem, vel recuperationem boni, aut iuris, cuius pars admissa est, ne totum pereat; quae intentio est ac esse debet legitimi, iustique superioris; qui aequae ferre non potest, sed velle ac ratum habere debet, si fideles subditi, ab hoste oppressi, se ac sua, et quae principis sunt, quoad possunt, conseruent, tempori seruientes, ac se accomodantes, ne intempestiuis conatibus hosti resistendo, rei summa in maius, aut forte vltimum discrimen adducatur. Quae lumine naturali, ita nota, et iure gentium recepta sunt, vt allegationibus, vel argumentis nullis opus sit. Quibus suppositis, solide demonstratur, nihil in suprascripto ad Széchénium iuramento illiciti contineri: vt apparet ex protestatione; illud iuramentum, quod metu maioris mali, et studio religionis catholicae, quoad fieri potest, conseruandae, iuvandaeque praestatur, neque verbis expressis, aut aequivalentibus, spectatis circumstantiis, illud exigentibus, admissione aliquid illicitum continet, neque culpae quid habet, sed meretur potius commendationem: tale autem fuit et est iuramentum de quo nobis sermo est: ergo Clerus ad Szechénium confoederatis iurans, non depositionem sed potius commendationem meretur iure etiam gentium. Maior per se patet; minor: de intentione maioris mali vitandi, ac religionis catholicae conseruandae, quoad fieri potuit, constat ex ipsa protestatione cleri, in Széchéniano conuentu, ante iuramentum praemissa: ergo falsum est, eum depositionem mereri; sed potius commendationem. — Ad nihil enim aliud iurauit clerus, coacte, vt superius dixi, praeterquam ad fidelitatem politicam erga confoederationem conseruandam, ad Ducis ac confoederatorum securitatem machinationibus, fraudulentis ac prodicionibus non impetendam; vnicuique spectabat id, vt sic iurando, maius malum, religionis oppressionem quoad fieri potuit auerteret. Proin nec depositionem meritis.

Mi Domine Bruno! non solum nos (clerum Vngariae intellige) sumus irretiti, per frequentes tumultus ac rebelliones, his malis, subiiectioni, iuramento, alienae potentiae praestandis, non solum nos nauigamus in hac naui. Similia experiuntur etiam populi Imperii aut experti sunt: scis quando Rex Sueciae Moguntia occupata, Moguntinos, clerum cum omnibus aliis, ad iuramentum adhuc terribilius pro sui securitate obstrinxit — scilicet — — Attamen contra clerum Moguntinum nullum breve Apostolicum emanauit, nullus ex ipsis ob iuramentum depositus legitur: quia peccatum fuit nihil, in illis circumstantiis, contra suum legitimum superiorem.

— Quando status Ecclesiasticus noster sine omni praeuia admonitione per Apostolicum breue erat Posonium citatus, accepta post tres circiter menses, iam ante ipsum sententiam Posonii contra clerum confoederatum definiendam, duabus aut tribus diebus Agriae (vbi grauissima peste oppressus Praelatus noster, vna cum suo capitulo Agriae residenti, hinc inde latitare per pagos cogebatur) citatione, manifeste videndo non solum physicam, verum etiam moralem Posonium ad comparandum impossibilitatem, Praelatus noster vna cum suo capitulo Agriae residenti, ad Ducem confideratorum, quatuor milliariibus Vngaricis Agria in castris ad possessionem Kélér positis, pro tunc commorantem. suos exmisere, ablegatos, vt cum Posonium comparere ob supra dictas rationes non possint apud Archiepiscopum Strigoniensem et Primatem Vngariae, sub cuius obedientia se constitutos agnoscunt, aliquem de gremio capituli, in suo negotio, ad declarandam suam innocentiam exmittere possint, vel ad minus literas, debito modo concinnatas, ad suam Eminentiã exarare; quorum neutrum obtinentes, inconsolati rediere. Post aliquas hebdomadas adveniente Duce confoederatorum Agriam, non quieuit Praelatus noster vnacum suo capitulo, iteratis vicibus ad ducem confoederatorum duos de gremio Capituli ablegarunt, Praepositum nempe B. M. V. de castro Agriensi, et A. Diaconum Cathedralem V. Capituli Agriensis, pro praemissa facultate obtinenda; cum autem Dux iisdem denegasset petita, et ne agnoscant modernum A. Episcopum Strigoniensem vetuisset; respondisse fertur Duci confoederatorum Praepositus M. B. V. Serenissime Princeps, Papa agnoscit, et nos agnoscere debemus: de contrario martyrium potius subire tenemur. Quibus dictis, dimittendo capitulares Ablegatos, respondit Dux confoederatorum: sine clero incepimus pugnare, sine clero, Deo iuvante finiemus“ En vides mi Domine Bruno, quamquam iurauerit clerus confoederatis, stricta tamen fidelitas suis legitimis Superioribus in responso capitularium manifeste apparet. Ecce quam primum Dux non agnoscendum Cardinalem pro Archiepiscopo proponit Capitularibus, martyrium potius subeundum respondent; recte ergo hoc tumultuoso tempore, animas non deserendo, melius fidelitatem seruauit clerus Vngariae Pontifici, tanquam supremo totius Orbis Parrocho, et Archiepiscopo, tanquam Pontificis in Vngaria Vices gerenti primario Regique tanquam Apostolico Vngariae clerique Patrono, et Ecclesiae Catholicae Protectori fidelissimo; quam si relinquendo hic animas, quas inuasissent magis lupi capaces, desolatas reliquissent, et ex residentia sua emigrassent. Emigrationem autem cleri de regno, tempore tumultus, cui cura animarum incumbit, vbi sine peccato subsistere poterit, nec Papa approbat; qui continuo missionarios A. Episcopos, Episcopos, Sacerdotes, per diuersas orbis partes etiam ad terras infidelium, transmittit; nec Rex Vngariae, quia Apostolicus est, et propagandae fidei catholicae propugnator et defensor acerrimus: Ecclesiae etiam catholicae propugnator et defensor acerrimus: Ecclesiam enim Catholicam defendere tenetur iuxta Extravagantem Joannis XXII tit. 8: de Iudaeis ac Saracenis 23. qu. 5. C. Princeps. Ideo enim antiqui Vngariae Reges duos A. Episcopatus cum decem episcopatibus fuuda-

uerant, vt sint bases et columnae Ecclesiae Catholicae in Vngaria propugnandae. Sed nec A. episcopus approbat emigrationem, qui ad residentiam suos suffraganeos et alios Praelatos admonere ac compellere tenetur iuxta Sent. Decret. L. 3. Tit. 2. c. 5, Trident. Sess. XXIII. Decret, Gregor, lib. 3. tit. 4. cap. 11. Ex tuae dilectionis etc. Nihil obfuit sane Antiochenae Ecclesiae, quod iuramentum Principi Antiocheno, ob fidelitatem seruandam, deposuerit nec ob hoc iuramentum redarquitur a Papa extorsiuè depositum. Nihil obfuit clero Moguntino, vt superius dixi, quod Sueciae Regi Lutherano, strictissime et plane prima fronte quasi illicite iurauerit. Nullus ex clero Moguntino depositus legitur. — Domine Bruno! pari ratione obesse non potuit Cleri Vngariae iuramentum, cum solenni protestatione in conuentu Széchényiano confoederato Vngariae populo, ob electionem minoris mali prae maiori depositum, quod iure naturae ac gentium licere superius dixi. Et sic clerus deposito iuramento, securius inuigilare gregi sibi commisso, lupisque resistere potuit; sicque seruare fidelitatem, quoad potuit, ad quam seruandam de iure diuino et humano obligatur. Erant enim etiam disturbia in Vngaria adhuc fors maiora tempore Bocskaiano, Bethleniano, ante Rákotziano, Tököliano, praetermitto antiquiora; nunquam tamen Vngariae clerus ex suis sedibus exulabat; quamuis persecutio fuerit maxima tunc illis temporibus; et tamen Ecclesiasticus Status in ciuitatibus, oppidis, imo et pagis, quam plurimis, immotus in sua residentia perseuerabat, homagio Domino violento terrae deposito; nunquam tamen vllus depositus legitur. Episcopi suis inuigilabant Ecclesiis, Archidiaconi, qui oculi episcoporum nuncupantur, sua peragebant munia, capitula in laudibus decantandis diuinis non cessabant. Audi Domine Bruno exemplum perpetua memoria dignum de Episcopo Agriensi piae memoriae Joanne Pyber qui in maximis tumultibus non Christianorum sed Chritiani nominis hostium capitalissimorum, nempe Turcarum, zelans ouicularum sibi concreditarum salutem non contentus visitatione Archidiaconorum, qui apud nos ex officio suo hanc peragunt, assumit vnum gausape quae est rusticorum vestis, cum vno pariter ecclesiastico, rusticanis vestibus induto, contempto omni periculo, dum Turcae adhuc Agriam et partes annexas, possiderent. Plebauias in Comitatu Borsodiensi circa Agriam, et Hevesiensi periculosissimo, quo esse potuit tempore (Turca enim ferme continuo in illis comitatibus grassante) visitabat, parochos corrigebat, populos ad fidem catholicam conseruandam adhortabatur. Haec ab eodem Parocho (cui Deus requiem aeternam concedat) apud quem Episcopus in rusticano vestitu, lasso corpore, pedes, ex longo itinere fatigatus; prope Agriam quietem capiebat. Tu ipse iudices, mi Domine Bruno laudem ne, et commendationem meretur clerus Hungariae vel pro laude et commendatione depositionem? quod non deseruerit oves Christi.

„Tertium est, a quo non facile se extricabit reuerentia Vestra, nempe: quod ob peruersam, in conuentu Onodiensi, regis apostolici dethronizationem (hoc omnium malorum maximum) depositionem clerus Vngariae mereatur, vt exterminetur. In qua dethronizatione aderant episcopus Agriensis, omnium episcoporum Vngariae senior, et post archiepiscopos episcopus primus; archidioecesis Strigoniensis vicarius generalis,

diocesium Agriensis et Vaciensis vicarii generales, et alii praepositi, abbates, complures, qui huic dethronizationi subscripserunt. Hic opus fuisset protestatione, antequam ad subscriptionem dethronizationis ventum fuisset. Sed mi R. Pater nihil horum praecessit; saltem pure ac simpliciter, nihil dicendo, dethronizationi subscripsit clerus". —

— Dne Bruno, mitrari non desino, quod adhuc dethronisationem adduxeris, cum iam clare superius demonstratum sit; quod iure naturae licitum sit minus malum prae maiori eligere, et illud amplecti. Certe minus malum fuit dethronizationi regis (iam praecedente etiam metu graui mortis, et aliorum grauissimorum malorum infallibiliter subsequendorum) subscribere, quam ecclesiam Dei cum manifestissima, eaque grauisima animarum iactura, deserere, ab eaque auelli; posuit enim Spiritus S. episcopos regere ecclesiam Dei, quam aquisiuit sanguine suo. Act. 20, S. Sanguine Christi acquisita est ecclesia Dei, sanguine etiam. vbi necessitas postulat defendenda; ob politicam vero rationem etiam grauissimam (nisi ob ecclesiae maius bonum) adurgente praecepto Diuino, ad residendum, et obsequio fidei pergrauissimo, praecipue his tumultibus exigente, nunquam deserenda. Non nego hoc, quod etiam pastores oues suas ad tempus deserere possint, ob maius emolumentum ecclesiae, relictis suis in residentia vicariis, vel tempore persecutionis hic, et ibi latitare; vt fecere Christus Dominus, Apostoli, plurimi sancti, pontifices et episcopi; docente ipso supremo Pastore, Christo Domino: Si vos persequuntur in vna ciuitate, fugite in aliam etc. Ipsemet etiam Christus Dominus id exemplo suo monstruit, etiam in infantia e Bethlehem in Aegyptum, inde in Nazareth profugerat; in virili aetate e templo Jerosolymitano Iudaeorum, lapidare ipsum volentium, conspectui se subtraxerat. Prudenti itaque Pastori considerandum est; si oues deserere necesse, vtrum igsemet pastor in persona, ab hostibus patitur persecutionem, et sic fugere ac latitare ad tempus necessitatur; exemplo Christi Domini et Apostolorum; vel vtrum pastor et oues simul aequaliter persecutioni exponuntur, et sic vna cum ouibus, si fieri poterit, fugere ac se occultare tenetur; vbi fugae occasio non adest, animam suam pro ouibus, et cum ouibus deponere, pro fide obligatur. Sed si horum neutrum est, in pacifico pastor et oues permittuntur, seposita omni ratione politica, contrarium suadente, oues suas deserere nequit, et minus malum eligendo, terrae principis, etiam violenti, voluntati ac legibus, peccatum non inducentibus, vt legem diuinam (quae de residentia pastorum loquitur) postposita humana conseruet, et adimpleat, ob maius emolumentum et conseruationem ecclesiae catholicae, se subiicere obligatur, vt clarum est: alias secus facturus, pastor mercenarii nomen non effugiet. „Idolum enim erit, non pastor“ Zachar. 11, 17. „O Pastor, o Idolum derelinguens gregem; gladius super brachium eius siccabitur, oculus obscurabitur.“ Hinc sequitur, mi Bruno, quod clerus etiam dethronizationi, ob metum grauem hostis, aut a residentia sua eiectionis, ecclesiae oppressionis etc. subscribens, non peccauit, contra Regem, actioni huic contrauenire absolute non valens. Mi Domine Bruno, iam hic voluntas fuit Ducis, cuius absoluta potentia regebatur regnum et omnes dependebant Status; voluntas fuit primorum belliducum, vt dethronizetur Rex; ad suamque voluntatem consequendam praemisere ferale flagitium, ad terrorem sequen-

tium; hoc viso, si Vngariae clerus non subscripsisset, metu graui praemisso incusso, et infallibiliter, quod formidandum erat, subsecuturo, dethronizationi; legem diuinam postposuisset humanae, qua postposita, si mortem Episcopus. aut carcerem, ob cuius impedimentum munia sua exercere non valuisset, et alii de clero passi fuissent; qualesnam Martyres post mortem ipsos futuros iudicasses? Nolo ego hic meum ponere sensum, tu ipsemet iudica, qua Zelosus, ac Deum timens Catholicus. — Quod clerus coacte subscripserit, ac metu graui ad id inductus fuerit, manifestum est: Audi, qualisnam dethronizatio haec fatalis fuerit: ad oppidum Onodinum feraliter anno 1706. circa mensem celebrata, quam adhuc (vt opinio fuit plurimorum) Rosnauiæ existens Dux confoederatorum cum primariis capitibus militiae Hungaricae animo conceperunt, et redigere in actum statuerunt (parum enim regnum sed militia gubernabat; quod voluit Berecsenius et Dux, id et Regnum pro voluto ac rato habere debebant; sago enim regebantur omnia, nil toga valebat) ad Onodinum, in conuentu futuro, vbi, quod Rosnauiæ concoxerant, Onodini iam paratum conuocatis statibus proponunt. Antequam autem suum propositum inchoassent, ibidem existentibus etiam Turocziensis Comitatus Ablegatis, Vice comite nempe et alio Jurato Comitatus eiusdem Notario, sub saluo coeductu ex parte Comitatus comparentibus; vix enim grauamina, pro alleuiamento Comitatus miseræ et iam iam eneruatae plebis proponere coepissent, efferato Bercsinus animo, Crocodilinis lachrymis Ducis confoederatorum, vt putatur, commotus, vibrata framea impingit vulnus uni ablegatorum, in capite, secundante eiusdem intentionem altero ex primariis; hos secuti alii post dorsum illorum crudelem exeruere etiam in iam mortuos lanienam; adducuntur ad locum conuentus milites, nonnisi caedes ac rapinas spirantes; Saeuitur in cadauera despoliantur, ac soli in publicum campum exponuntur despectuosissime. Ad quod spectaculum exhorret Clerus, expauescunt omnes Domini conuocati; refugium in vnico Duce confoederatorum iam quaeritantes. Plures, post hos tam terribiliter occidendos et cruciandos, fama volat. Hoc praemisso, nullus fuit, qui verbum loqui ausus fuisset; solus Berecsenius dictabat leges. Post aliquot dierum spatium, ob hunc casum perterritis conuocatis, proponitur quaestio de dethronizando Rege, sub hac vel simili forma, proclamante ipso ac perorante Bercsenio: est virgo quaedam desponsata cuidam iuueni; quovsque a sponsalitiis non soluetur, nulli nubere potest: quia alligata est sponso: Haec virgo est Vngaria (quam ipse etiam proclamator violauit) quovsque sponsalitia habebit cum Josepho, nulli nubere potest; digna est, vt hoc connubium rescindatur. Haec Vngarico idiomate. Vix sermonem finiuit, ex angulis et post Senatorum sellas existentes, dethronizationem, sex plenissimis buccis proclamauit. Qua proclamatione praemissa ad dethronizationis regiae subscriptionem adigebantur Senatores; quod Praelatus noster auertere volens, exemplo Michaelis Országh, tempore Mathiae Regis, Regni Vngariae Palatini, dethronizationem Mathiae vindicantis, producit exemplum Michaelis praedicti, qui accepta Regia corona coram regnicolis, regem Mathiam dethronizare volentibus, dixisse scribitur: etiam si bouinum caput Regia corona redimitum videris, adora'o". Quo dicto cohibuit a dethronizando Mathia rege,

regnicolas. Sed frustra; Surdo canebatur fabula. Porrigitur Chyrogaphus Praelato nostro Agriensi; videns efferatum populum, considerando multa mala, si non subscripserit, subsecutura: nihil loquendo porrectum sibi chyrogaphum subscripsit cum aliis de clero, in conuentu illo fatali existentibus. Considera, mi Domine, hic fecem populi armatam, ac necis anhelam circa tentorium, et in ipso tentorio circum vagantem; iam si in illo casu te praesentem fuisse contigisset, tibi que chyrogaphum de dethronizando rege pro subscriptione oblatum fuisset, subscripsisses ne dethronizationi regis vel in praesentia frementis plebis contradixisses?! — — Vide ergo Domine Bruno, ne gratis arguas Praelatum nostrum Agriensem, quod dethronizationi, praemissis omnibus spectatis, vna cum caeteris ex clero primariis, ibidem existentibus, minus malum lege naturae eligendo, praeceptum diuinum humano praeferendo, subscripserit. Quid enim vtilitatis secutum inde fuisset, si non subscribens in illa prima furia, trucidatus fuisset, vel in carcerem coniectus, aut e residentia sua proscriptus fuisset Praelatus noster? Ecclesia certe Agriensis irreparabile inde damnum, praecipue temporibus his pestiferis perpressa fuisset; defecissent Sacerdotes, pastores animarum, tam e clero, quam e diuersis Religionum Ordinibus, adeo his duobus annis pestiferis oppressi eramus a peste, vt in aliquot Parochiis tres etiam Parochi intra duorum mensium Spatium obiuerint; in aliis autem quam plurimis parochiis defecissent in peste animarum curatores, si Ecclesia nostra Agriensis. Praelato, per Onodiense infortunium, aliquo modo viduata fuisset; quam a primordiis tumultus moderni vt bonum Pastorem decet, defendebat acerrime adeo, quod periculis etiam vitae se ac tam Capitulares suos quam Parochos, vbi ecclesiae necessitas postulabat, obiecerit. Testes mihi sunt Parochi Comitatus Sáros, testes Parochi Comitatus Zemplin; qui templis, quibus inseruiebant, per vim haereticorum spoliati, parochiali residentia, bonisque ad eam pertinentibus, priuati, exemplo praelati, a sua residentia non recedentis, a locis parochialibus non recessere; in priuata domo Christi ouiculas verbo Dei pauere; vsque in finem tumultus huius Rákócziani, quot vexas, calumnias a haereticis, plurimi carceres perpassi, nonnulli etiam penes suas oues vitam finivere. Et quid plus? Plane mirandum: in Széchényensi conuentu concluditur et conceditur, per totum regnum liberum haereticis exercitium: non obstante hac conclusione duos integros Comitatus, in quibus maxima pars Catholicorum est, ne oues aliquo modo scabiem contrahant ab exercitio libero haereticis concesso, Comitatum nempe Heuesiensem ac Borsodiensem, vindicavit; in quibus Comitatibus, omnimodis fraudibus haereticorum obstitit felicissime. Attentarunt turbare hanc sacram quietem Catholicam Haeretici cum in pago Fénszarv, ob metum Rascianorum exulantes, erigunt Synagogam, inducendo duos Praedicantes, liberum erigunt, in Széchényiani conuentus determinatione confisi, in Comitatu Heves exercitium; hoc iam publice agitur; quo intellecto Praelatus noster Apostolicus, mandat illico Archidiacono Patensi, sub quo pagus praementionatus est, vt hoc malum impediatur. Qui accepto mandato sui Praelati, postposita omni formidine iter sat longum arripiens Synagogam solo aequauit; Pseudo Apostolorum auctoritatem annihilauit. Quod plus? Videndo bonorum ecclesiasticorum, nempe Episcopaliū, Abbatialiū, Praepositoraliū, Seminariorum in

profanum vsum conuersionem; Intelligendo, quod Rosenbergae sectarii Lutherani, de quatuor episcopatibus Lutheranis constituendis synodum habuerint; Calvinistae etiam de similibus vacantiis suis Pseudo episcopis conferendis, instare intendant; quid fecit Domine Bruno noster Praelatus Agriensis? Disposuit ducem et Capita Catholica, vt similia beneficia ecclesiasticis personis, per modum administraturae conferantur: sperans ac firmiter tenens, ecclesiasticos non ruinatoros, sed potius conseruatos bona ecclesiastica; prout res pro exigentia temporis successit fortunatae; nam similes vacantiae partim pro scholis docendis, ac ecclesiasticis personis, suis Parochiis priuatis, alendis, partim etiam pro sartis tectis, maiori ex parte applicabantur. Vide iam mi Domine Bruno his consideratis omnibus (quamuis plurima sint, quae ego nescio, sciunt alii, qui ad latus Praelati nostri versantur) ac bene ruminates, si noster Praelatus solus et vnicus in isto tumultu Rakocziano episcopus Dioecesanus existens, non electo minori malo, dethronizationi non subscripsisset (vt dixi ob metum grauem) et ob respectum humanum non subscribens infallibiliter in illa prima furia trucidatus aut e sede sua eiectus, ab esteratis hominibus fuisset, haec omnia superius dicta inuersa fuissent. Quid? an eo temporis mercenarii nomen effugisset?! Hinc recte deducere poteris, quod nec ob dethronizationem, cui coacte subscripsit clerus, minus malum prae maiori eligendo, quod sine peccato eligi potuit, depositionem merebatur, ac meretur. Inaniter ergo, mi Domine Bruno, plurimi tam Ecclesiastici, quam religiosi clerum nostrum linguis suis proscindunt, haereticum; episcopum nostrum Archihaeresiarcham — his similibus impetebatur etiam Christus, quod cum peccatoribus manducauerit, daemonia eiecerit, sequacesque suos maiora pro suo nomine passuros praedixit.

„Clerum minus malum sine peccato elegisse, sustinendum non est: dethronizatione enim Regis manifeste pugnat cum fidelitate eidem debita, atque iuramento etiam obsignata: infidelitas, iuxta leges patrias est maximum laesae maiestatis crimen: eundem iuxta leges patrias oportuisset potius, sicut II. Mach. 6. Eleazarum, mori quam dethronizationi illi, cum nota infidelitatis subscribere“. — Pace tua, Domine Bruno, inuestigemus, quid nam sit dethronizatione Regis? — Ex ipsa Etymologia et origine nominis nihil est aliud, quam dum regnum legitime congregatum suum regem ob enormia acta et facinora, debito loco et modo, per eos, quibus huiusmodi investigatio incumbit, conuictum, de throno regiae dignitatis deiicit, et corona priuat. At qui nihil horum factum est Onodini; nihil horum perpetrarunt Ecclesiastici subscribentes: illi primi, qui contra Regem legitimum arma sumserunt, dethronizarunt Regem potius, quam fidelitatem regiam sponte contemserunt, qui regiam clementiam nihili perdetes oblatam pacem, amnistiam, etiam per exteros verbo regio firmatam in tractatu Tyrnauicensi spreuerunt; respectu vero aliorum, quos illi ad subscriptionem coegerunt, nulla facta fuit dethronizatione formalis, sed solum materialis, coactiua, graui metu extorta; eiusdem subscriptio; et sic subscribens clerus nihil peccauit contra fidelitatem Regi iuramentaliter debitam; illam huic conseruauit quoad potuit; consensit duntaxat ad defendendam Ecclesiam Dei, ad quam etiam Rex tenetur Extravagant. Joann. XXII. ob non derelinquendum gregem Domini, pro quo pastor bonus animam ponere debet praecepto diuino; in conflictu legis diuinae ac humanae; de quo regula

traditur: si concurrant duo praecepta, quae simul seruari non possint, post haberi debet quod minus est: — Jam ergo Domine Bruno ad tuum dethronizationis peccatum respondeo: Concedo seueram esse legem de crimine laesae Maiestatis; sed vbi seruare eam est impossibile physice aut moraliter, cessat eius obligatio: ex Lajman loco citato. Infidelitatem crimen inducere laesae Maiestatis, ast actione voluntaria ac libera, non inuoluntaria, ac metu extorta; qualis fuit Cleri Onodini. — Adduxisti denique exemplum Eleazari pro legibus patriis gloriose vita functi: hoc vt intelligas, quantum et quando obliget praemitto: 1) quotiescunque ex legis aut praecepti humani obseruatione maius reipublicae commodum sperandum aut ex illius neglectu maius incommodum metuendum quam aestimari debeat priuatum periculum vitae aut famae, bonorumque amittendorum, tunc lex aut perceptum etiam cum tanto periculo obligat; sicuti notauit Carbo — Sotus — Medina — Wasq̄es — Vti praeceptum Belli ducis, de statione per militem conseruanda; Christi de euangelio Paganis annuncians etc. 2) Si legis positivae transgressio cessura sit in contemptum legislativae potestatis, aut fidei ac religionis christianae detrimentum: tunc ipsa etiam naturalis lex obligat ad obseruandum, cum ipso etiam vitae dispendio, praeceptum I. Cor. 10. secundum Apostolum; „Satius est, fame mori, quam indolothis vesci“ secundum August. libro de bono coniuga. Cap. 16. Hoc in casu fuit Eleazar II, Mach 6. inquit: „Fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si pro prompto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar; his dictis statim ad supplicium trahebatur.“ Horum nec in vno, nec in altero casu versabatur Praelatus ac clerus noster: vita sua Ecclesiam ac religionem seruauerunt, quam morte haud necessaria pessum dedissent. — Ergo clerus ob subscriptionem coactiuam per metum grauem, dethronizationis, depositionem non merebatur nec meretur.

„Parcat reuerentia vestra, et mihi ignoscat, quod D. Vestram Rndam prolixiori discursu detinuerim, — aliter rem experior, quam de vobis dicebatur tam ab Ecclesiasticis, quam saecularibus, qui vos vestris linguis proscindebant haereticorum fautores, qui Episcopum vestrum — Haeresiarcham proclamabant; vt hunc scrupulum mihi euiciam, ad hanc disceptationem cum vestra Reuerentia descendi; et cum iam omnibus in difficultatibus me contentauerit, pro doctrina ac prandio gratias ago. Bene valeat.“

Episcopus Agriensis, cuius res hic agitur, fuit Stephanus IV. Telekcsy ab anno 1699 — 1715. Cardinalis, Strigoniensis Archiepiscopus, qui eum in causam traxit, Posenium euocatum, fuit Christianus Augustus, Dux Saxoniae. Anno 1707. Paulus Eszterházy Palatinus etiam fideles domus Austriae in suo manifesto recensens, Stephanum nostrum exmisit. Id certum: in dioecesibus ab suis episcopis sub tumultu Rákocziano relictis, templa ac parochias a heterodoxis occupatas numero plurimas fuisse; in Agriensi non item. Quisnam fuerit hic doctus senex Parochus Sárosiensis prope Krajnam incompertum. Ipsa dissertatio prodit anno 1711. Estque inter libros Bibliothecae Vniuersitatis rariores; quam ob prolixitatem in summa dare coacti sumus: absoluitur pag. 79.

33. *Emericus Csáky A. Episcopus Colocensis Statum Ecclesiae Hungariae, necessitatesque illius ad Carolum R. H. Suppliciter repraesentat. Anno 1616.*

Augustissime Imperator, Domine, Domine naturaliter Colendissime! Quamuis adeo extenuatus, et ab antiquo Fundationali imminutus esset cleri, Regni Hungariae status, quod non immerito, ad gratiarum Maiestatis Vestrae SSmae Thronum pro remissione subsidii accedere, ac de genu supplicare posset; nihilominus pro illo, quo erga Maiestatem Vestram SSmam et ipsam etiam rem christianam ferimur zelo, et homagiali obsequio, fidelique animo, vnusquisque nostrum, qui praesentes adsumus, et exclusis duobus praecipuis Archiepiscopatus vtpote Strigoniensis, et Jauriensis beneficiis, etiam sub rigorosissima, in casu cuiusdam diffidentiae fructuum et emolumentorum nostrorum inuestigatione, plusquam id, quod desiderari potuisset, pro anno praesenti afferre nihil haesitauerit per manus Domini Cardinalis de Saxonia, velut nostri ac totius regni Hungariae Primatis, pro tempore, diei primae anni modo currentis, Maiestati Vestrae SSmae repraesentandum. Extenuatus, inquam est, et ab antiquo fundationali suo nimium discrepans Cleri Regni Hungariae status, quem Maiestati Vestrae, qua Regi Apostolico, et Ecclesiarum Patrono, hac quoque occasione per modum humillimae sed et sincerissimae informationis, repraesentare muneris et obligationis nostrae esse censuimus; nam praeter communem regni infelicitatem in testina vtpote bella, luem epidemicam ac plurium annorum sterilitatem per falcidiam medii interesse, vigore Art. 52. nouissimae diaetae ad notabilem et valde considerabilem summam se extendentem ruinati sumus potissimum etiam in hoc, quod decimarum praestatio, quae potissimum et maximum esset foundationum nostrarum fundamentum, contra omnia tam humana, quam diuina iura, et clarissimas leges patrias, in locis quam plurimis, de plano et simplici nobis denegantur. In aliis terrae, et fundi colonicales in antea semper decimarum praestationi subiecti, amplissime Dominorum et Nobilium allodiaturis applicantur, et taliter contra clarissimum art. 70. A. 1563. tenorem a praestatione decimarum, quamuis actualiter inhabitati, vt nomen deserti, praedii habere possint, per Dominos terrestres alio transferuntur aut diuersae sortis hominibus, tam videlicet nobilibus, quam et ignobilibus, venduntur, inscribuntur, arendantur, aut inhypotecantur vel vero in sortem capeciarum praestandarum eleuantur, taliterque modo, antea nunquam audito, in grauissimum nostrum damnatum iuriumque tam nostrorum quam etiam Maiestatis Vestrae SSmae (cuius solius est libertare, et a seruitute conditionaria eximere) derogamen ac contra mentem art. 6. 1595. 4. 1613. 95. 1647. et aliorum plurimorum a decimis libertant; sed etiam a terris extirpatitiis contra mentem art. 22. 1574. vigore cuius soli nobiles, ne a terris extirpatitiis in propriis eorum fundis habitis, decimam praestent, eximuntur, nullas absolute decimas praestare volunt; talique modelitate dum antiqua praestatione decimarum libertant, et nonalia iisdem praestandis subiicere nolunt, totalium decimarum sublationem moliantur; exiguas vero, quas ad liheram exarendationem, aut in natura perceptionem retinemus, adhuc decimas contra tenorem art. 8. 1553. et aliorum quam plurimum nobis disputant, ac nisi ipsis ad bene placitum exarendentur, quibusuis ex-

quisitissimis modis et praetextibus turbant, impediunt, et distrahunt, ita, vt vix in medietate aliquando percipi possint; et quod grauissimum est, manifestam hanc iniuriam, ac damnificationem nostram nec iure quidem vindicare possumus, nisi coram eisdem, qui interessati sunt, litigemus; ita quod ipsi sint nostri Iudices, sint in causam attracti, sint etiam simul et testes: de Nobilibus Comitatus Scepusiensis clarissime loquitur art. 70. 1563. quod etiam de terris ipsorum propriis Plebanis locorum decimas dare obligentur; et tamen rem hanc clara legē firmatam, et vsu immemoriali roboratam, iam nunc in controuersiam sumant, et passim eisdem decimas denegare incipiunt. — Ruinae huic nostrae, superingruit schismatici Rascianorum et Valachorum metropolitani, sic nuncupati, nimium licentiosa schismatis sui dilatatio, et quorundam priuilegiorum (quae ex quo clarissimis regni legibus, et signanter art. 40. 1613. 90. 1659. 64. 1581. ac ipsis etiam Mattis Vestrae SS. iuribus aduersarentur, nisi subreptitia esse interpretaretur) publicatio, vi quorum tam tituli episcopatum nostrorum cum illis communes efficerentur, dum videlicet, praeter Colocensem, Agriensem, Variensem et Quinque Ecclesiensem, Archiepiscopum, et Episcopos per Mattem Vestram SSmam nominatos, etiam sub titulis iisdem, quamuis Schismatici per eundem constituti reperiuntur episcopi; sed etiam decimae a saeculo nobis debitae ac contra mentem art. 29. 1498. de plano auferuntur, misera vero plebs grauissimis taxis, et contributionibus, per eosdem Schismaticos oneratur; in tantum quod tam ad seruitia Maiestati Vestrae SSmae quam et nostra dominalia insufficientis reddatur. Humillim repraesentamus etiam illud; quod quamuis plurima beneficiorum Ecclesiasticorum bona et iura possessionaria prae manibus Dominorum saecularium, ac ipsius etiam Maiestatis Vestrae Sacratissimae Fisci haberentur; tamen etiam in illis, quae iam semel resignata et ad ius et proprietatem Ecclesiasticorum translata sunt, multoties turbamur; imo et via facti, manuque armata, (vti eum Abbate Babocensi contigit) in graue immunitatis ecclesiasticae praeiudicium, de eisdem eicimur. Accedit his: quod bona ecclesiastica militaribus condensationibus, plusquam reliqua Dominorum saecularium praegrauentur, taliterque propter maximam eorundem ruinam, omnis modus oeconomisandi nobis praeripitur, et cum beneficia Hungariae non tam in capitalium summarum foundationibus, quam in oeconomia, terraequae fructibus consistant, ruinatis et cessantibus bonis ac possessionibus nostris exiguis, etiam oeconomias, taliterque proventus nostros vitaeque media cessare necesse est. Quae vero foundationes summas aliquas capitales habent, illae vel in cameris Maiestatis Vestrae sacratissimae vel in bonis iam nunc fiscalibus, etiam apud alios Dominos particulares elocatae sunt, et de illis nec a Cameris, et Fisco Maiestatis vestrae Sacratissimae, nec a Dominis particularibus census interusuriales soluuntur; ita quod restantiae plurimae, si non superant, saltem ipsae quoque summas capitales adaequant; et nec in harum rehabilitatione, in ordine ad Maiestatis Vestrae Sacratissimae Fiscum ulla praeceptorum mandata obtinere possumus, ac si et quando obtinemus, iterato propter plurima inhibitoria, dilatoria aut moratoria mandata, progressum nullum habere valemus. Declaramus pariformiter, perquam demisse, etiam illud, quod praesens oblatum subsidium ex foundationibus quoque talibus connumeratum sit, quae pro cura et seruitio animarum directe deseruiunt,

quibus deficientibus, aut quoquo modo imminutis, perquam praesentaneum curae per animarum periculum immineret. Clementissime Imperator, quantis sectis, et haeresum colluisionibus infectum sit regnum Hungariae multis declarare, necessum non est: cuius rei causa non postrema esse videtur Parochorum paucitas: et hoc ex eo, quod pro educandis eiusmodi operariis fundationes exiguae ac modernis, caritiam omnem patientibus temporibus, minus proportionatae habeantur; cum illud quod felicioribus, quibus fundatae sunt, temporibus exiguo comparari potuit pretio, iam nunc triplo aut quatuorplo persolui debet, exindeque numerus tot alumnorum, pro quot institutae sunt, interteneri neutiquam potest; unde si ulterius quoque ex talibus etiam fundationibus pars aliqua in subsidium venire deberet, iterato numerus alumnorum et per consequens ad curam animarum mittendorum subiectorum diminuetur. Sunt et aliae fundationes, pro subleuamine mendicorum, captiuorum, ad S. terram peregrinantium, mendicare de iusto et aequo erabescentium, ex haeresi conuersorum, et aliarum miserabilium personarum, quae in se paruae considerationis sunt, et ex quibus curatores et inspectores Ecclesiastici nullum emolumentum habent; sed omnia in causas fundatas, prout proueniunt, ita expenduntur; et tamen etiam haec in connumerationem huius subsidii assumpta sunt. Monialium Clarissimarum Poseniensium et Tyrnauiensium claustra habent quidem aliquas fundationes, in bonis et oeconomis constitutas, verum propter illarum perpetuam clausuram, ex quo Oeconomiae suae inuigilare non possunt, tam attriti sunt earum prouentus, quod quasi plus mendicatio, quam ex prouentibus bonorum vivant; unde grauissima et ad plura florenorum milia, sese extendentia debita contraxerunt, et insuper aedificia monasteriorum suorum grauiter ruinata, ac propter insufficientiam reparationis, maiorem in dies ruinam minantia habent; quae pariformiter connumerata habentur. Clenodia quamuis plura reperirentur, sed illorum aliqua nullam, aliqua tam vilem fundationem habent, quod personis in iisdem interteneri solitis dietim, vix vnus denarius obueniatur; tamen nec haec a connumeratione exmissa sunt; Fundatio autem Ferdinanda quae in subsidium talium ordinata foret, iam a multis annis nullum cursum haberet; unde ipsos deficere necesse est, an itaque ex his et aliis in prioribus quatuor punctis specificatis fundationibus, oblatum subsidium, non obstantibus tantorum defectuum declarationibus etiam in praesens desumendum sit, benigno Maiestatis Vestrae SSmae arbitrio submittimus. — Haereticorum per omnes Hungariae partes diffusorum, tanta comperitur propteruia: quod nostra festa decretalia colere, nec sacris sedibus subesse; sed nec mandatis Maiestatis Vestrae SSmae, tot iam vicibus reiteratis, et contra ipsos fulminatis, obedire, et ecclesias earumque, praeteritis intestinis motibus occupatas, restituere, et ab exercitio publico, extra etiam loca articularia, abstinere vilo modo velint. Quare Maiestatem Vestram SSmam de genu humillime imploramus, quatenus his et aliis quam plurimis, quibus Status Ecclesiasticus tam in iurisdictione sua praeiudicium, quam in bonis et prouentibus detrimentum patitur, in benignam considerationem sumptis, negocium decimarum ad mentem art. 45. 1486. et 26. 1574. in praeseruiam sui assumere, et per aliquod disinteressatum iudicium discuti facere tandemque nos in integrum ius earumdem restituere; nobiles vero Scepusien-

sis Comitatus, vt art. 70. 1563. in solutione decimarum se se accomodent, serio admonere, Ruthenos, Valachos, aut quosuis Rascianos, et ipsorum ita dictum Metropolitanum inhibere, ne Episcopatum Latinorum, et qui a Maiestate Vestra SSma nobis benigne collati, ac originaliter non nisi pro catholicis fundati sunt, titulos in alios transferre reliquasque iurisdictiones nostras inuadere, schisma suum in Hungaria disseminare, ac decimas de terris iurisdictioni nostrae nunc et in antea subiectis exigere vilo modo praesumant. Priuilegium vero, quod de solo populo Seruiano habent, iuxta eiusdem genuinum sensum ad limites suos restringere. Bona et iura Ecclesiastica prae manibus saecularium existentia, ac etiam per Cameras vel fiscum M. V. SSmae via facti occupata, illis, ad quos pertinent, restitui facere; Ferdinandeam foundationem, vt eursum suum habeat, ita et aliarum foundationum, prae manibus camerarum et Fisci M. V. SSmae existentium, tam restans, quam et currens interesse, vt persoluatur, serio disponere ac cum effectu demandare; ac ne cursus legalis respectu particularium debitorum in ordine ad restitutionem eiusdem interesse, quibusuis etiam moratorius mandatis praepediatur, nobis benigne prouidere; potissimum vero miseram Plebanorum, seminariorum, alumnatum, hospitalium ac aliarum eiusmodi piarum foundationum sortem in benignam reflexionem sumere dignetur. Quem M. V. SSmae fauorem, sicut ab innata Austrucae domui clementia, et erga Dei Ecclesiam pietate, humillime praestolamur, ita Augustissimae Maiestati Vestrae secundum aeternatam, cum perenni in masculis haeredibus successione felicitatem, vt coeptis recenter gloriosis, de Christiani nominis successu trophaeis, nouos in dies triumphos, quibus iunctus occidenti oriens M. V. SSmae imperio subiiciatur, exercituum Dominum, frequentissimis precibus et quotidianis sacrificiis supplices exorare non cessabimus. SSmae C. Rque Maiestatis Vestrae Deuotissimi, perpetuoque fidelis Cleri regni Hungariae nomine Comes Emericus Csáky A. Episcopus Colocensis. Datum Tyrnauiæ ex sessione regni Hungariae Cleri, die 8. Aug. A. 1716". — Ex archivo A. Epp. Colocensis.

34. *Acta erectionem Episcopatus Graeci ritus vnitorum, Fogarasiensis, in Transilvania. A. 1715–21.*

Carolus III. Rex Hungariae, Joannem Pataký, nuper electum Valachorum Graeci ritus vnitorum, in Transilvania Episcopum a Romano Pontifice confirmari petit. Dat. Viennae 25. Decembris 1715. — MSS. Kaprinay sub B. tomo XX. nro 8. pag. 201.

Idem Carolus confert Joanni Pataký Episcopatum Valachorum, graeci ritus vnitorum in Transilvania Viennae 23. Decemb. 1715. nro 9. pag. 206.

Bulla Pontificin super erectione Episcopatus Fogarasiensis, Graeci ritus Latino vniti. Romae XV. Kal. Junii 1721. — Ibid nro 10. pag. 206.

Bulla pontificia pro Episcopo Graeci ritus vnito, Joanne Pataký. Datum vt supra nro 11. pag. 212.

35. *Ladislaus Szörényi, Episcopus Sirmiensis, Martinum Biró, Episcopum Weszprim defendit. A. 1750.*

Excelsissime ac Reverendissime Domine Frater! De bono opere te lapidamus Frater Amantissime, dum te, propter libellum contra nouas haereticorum machina-

tiones, nuper editum carpimus; sed macte animo! Et si fractus illabatur orbis, impavidum ferient, ruinae. De duobus, vt audio, culparis: Primum, quod opusculum tuum contra haeticam prauitatem, et noua ipsius molimina editum, sine praeuia insinuatione Regiae Maiestati dedicaueris; secundo, quod hoc ipsum praemature praestiteris: Ast quoad primum: Cui ergo magis decebat mentionatum opus deferri, quam Apostolico Regi, velut fidei catholicae in Hungaria defensori, et summo Ecclesiarum patrono? Quod autem praeuia insinuationis omissio contigerit, id tibi vitio vertinon potest: illa siquidem ab iis duntaxat fieri solet, ac debet, qui a Regia Maiestate ob id aliquam remunerationem et regratitudinem exspectant. Quoad ad 2-dum vero: Quis fidem Catholicam contra haeticos, ipsorumque impia et occulta molimina (post regiam Maiestatem) tuebitur, si non Episcopi?! quos Deus humani generis constituit Cusdotes, fecitque speculatores animarum. Neque officit, quin imo consultum est, vt similibus haeticorum technis et fraudibus mature, et quantocyus obuietur; ne venenum vltro serpat, iuxta illud: Principiis obsta, sero medicina paratur, dum mala per longas inualuere moras. Caeterum ego opusculum tuum (esto non a te mihi missum verum ab aliis mecum communicatum) veluti non ex iactantia ingenii; vt credi par est; sed zelo defendendae orthodoxae fidei a te elucubratum collaudo, aestimo, ac iam tertium lego. Deus Te conseruet, Frater Amantissime confortare, et esto robustus; et dabit tibi Deus petitiones cordis tui; cuius sincero fraterno affectui, dum ego me commendo, maneo Excellentiae Tuae Seruus, Frater et indignus Collega Ladislaus Szörényi, Episcopus Sirmiensi, plusquam octuagenarius. Nitriae die 3. Decembris 1750“. — Ex autographo.

36. *Franciscus C. Zichy Episcopus Jaurinensis, horrificam Lutheranorum Vadosfaluensium in Catholicos insontes rabiem M. Theresiae repraesentat, satisfactionemque implorat. 1752.*

Postquam iam dudum antea Maiestati Vestrae sacratissimae publicis Magistratum aequae, ac priuatis Latinorum relationibus funestissimus ille, in Dioecesi mea Jaurinensi, Comitatu Soproniensi, et quidem in possessione Vadosfalua, heterodoxorum tumultus, satis, vt opinor, innotuisset, vltimus ego, vel ideo maiori fide ac certitudine nixus, ad Thronum eiusdem Maiestatis Vestrae non tam meam quamquam et meam et omnium nostrum, qui Catholici nomine censemur, sed cum primis Rei Religionis Orthodoxae, Matris Dei ino Dei ipsius coram supremo iustitiae tribunali coram Regina Apostolica, summa Ecclesiarum Patrona, ac protectrice causam acturus, supplex et gemebundus, plena tamen cum fiducia accedo, praesertim cum ea sit causae, quam propono aequitas, et patrati sceleris, quod accuso, iniquitas, vt etiam alienissimi ceteroquin Iudicis arbitrio diiudicanda tuto plane committi posse videatur. Atrociam sane, et non Ecclesiae solum, sed et ipsi reipublicae pernitiota tumultus iste complectitur facinora. Quid enim perniciosius, quam per occultas et diu meditatae conspirationes, quas isti fecerunt, populum ad arma concitare, per nuncios per conciones publicas tantam hominum furiosorum et armatorum multitudinem e diuersis comitatibus euocare, et in vnum locum cogere, castra formare, vias publicas occupare concatenatis

curribus se obuallare et quidem non ad terrorem aut defensionem tantum (quamquam et hoc intolerabile sit) sed re ipsa ad patrandas caedes, ad uim et iniurias, grauissimas non Catholicis tantum, sed et religioni, ipsisque Coelitibus inferendas, tales nempe, quae vix a iuratis patriae hostibus, etiam barbaris exspectari potuissent. Quo autem tempore? Sub ipsis regni Comitibus, praesente Maiestate Vestra tum nempe, dum pax et securitas, in regno sacro sancta esse debet. Tum inquam seditiosi isti, nulla vel minima incuria irritati, nulla iusta suspicione commoti, post habitis tot catholicorum amicis contestationibus, precibus, contemptis etiam admonitionibus magistratus comitatus, seu Iudicum Nobilium, ipsa indignatione Vestrae Maiestatis, nihil curata, repente e vallis suis dato signo, belluarum instar, furiosi armati, in piam, inermemque catholicorum turmam (processionaliter e vicinia, ad benedicendae capellae Vadosfalvensis sollemnitate aduentantem, ac rosaria sua, non arma ostentantem) erumpunt, verberant, prosternunt, caedunt obuios quosque, sine discrimine sexus, aetatis, et conditionis: vnum trucidant crudelissime; plures vulnerant, et confractis membris semimortuos in campo relinquunt; trucidaturi plures, praesertim sacerdotes, nisi fuga sibi consulissent; quos passim ac sollicitissime plurimi ad caedem deposcebant. Triste sane hoc spectaculum erat, et Vandalicae cuiusdam persecutionis speciem praeferebat. Tolerari tamen potuisset haec grauissima persecutio, nisi etiam Religionem, Deiparam Virginem Marianam, et ipsum Christum horrendis blasphemis, inauditis contumeliis impetere ausi fuissent. Christum enim Salvatorem nostrum Cruci affixum per ludibrium Caponem assum; B. Virginem Mariam Meretricem, a diabolo creatam (ördög teremtette) palam et plures nominarunt; et quod aequè horrendum, Dei genitricis statuam, spectantibus multis, verberare, eleuata toga virgare; addendo etiam lasciuia dicteria; Thronum eius confringere in quo publice a bajulis portabatur, coronam a capite decutere capillos evellere, et ita decaluatam circumstantium Lutheranorum opprobriis obicere, per summum sacrilegium non reformidarunt. — Intellet, quaeso Maiestas Vestra SSma, ex hoc vno experimento, quam pacifici et obsequiosi sint hi heterodoxi nostri, et quid turbatis in Vngaria rebus, ingruente fors hoste externo, ab ipsis exspectari possit; qui in tanta pace, securitate, et praedominio Catholicorum, tam temere tam audacter ad arma, ad caedes, ad seditionem, publicam conuolarunt, periculosa sunt ista, quae nempe iam olim initia et semina perduellionum fuerunt. Ita scilicet abutuntur clementia Caesareo Regia, qui pro indole sua eo ferociores sunt, quo indulgentius habiti; nec vnquam magis timendi, quam cum se timeri sentiunt. Non patiat Maiestas Vestra hunc abusum paternae suae benignitatis in detrimentum pacis publicae ac religionis catholicae vergere. Discant tandem ferre toties prouocatam Maiestatis Vestrae iustitiam qui bene vti vel noluerunt, vel nescierunt, clementia. Discant sub imperio Mariae in regno Mariano, contra Mariam contumeliose nihil impune dici, aut agi posse. Experientor cum damno et dedecore suo, die festo S. Stephani, Proto regis nostri, qui olim diadema vnacum regno, Mariae, Vngarorum Dominae obtulit. Et recognoscant, velint, nolint, quidquid Lutherus velit, se in Hungaria obstrictos Mariae esse; Mariamque post hac non meretricem, blasphemio ore calumnientur, sed vt Dominam, Patronem regni respiciant. At vero,

quae tandem vindicta tantis sceleribus par esse potest? Augustissima Domina non peto sanguinem, memor officii mei; peto vltionem, qua omnes seditiosi plectantur, et vna Mariae, Religionis, Christique honor quadamtenus redintegretur. Laesus est honor Mariae, et orthodoxae Ecclesiae, ipsiusque reipublicae christianae iura, imo et autoritas Maiestatis Vestrae violata sunt. Id igitur conuenit constitui, quo ista laedi amplius hoc loco neutiquam possint. Taceat iam in perpetuum lingua haeretica ibi, vbi tot blasphemias, in Deum et eius matrem sanctissimam ante protulit; et domus tot maledictorum, calumniarum et errorum officina, in laudis diuinae, honoris Mariae templum conuertatur. Digni certe totius orbis iudicio qui tanta seditione, tot patris criminibus exercitium verae ac orthodoxae religionis turbare, et interuertere in regno Catholico veriti non sunt. Haec sunt, quae M. V. SSmae ex ratione muneris mei, in causa Dei et Ecclesiae, ac pro honore Mariae, Magnae Dominae Hungarorum humillime de genu supplex exponenda censui; plene confusus in pietate illa eximia Maiestatis Vestrae, qua in res diuinas fertur; ab eadem enormes heterodoxorum horum excessus pro merito plectendos esse; et honorem cum primis Mariae, Deiparae quoquo modo redintegrandum esse. Tuebitur itaque Maiestas Vestra honorem Mariae, et illa vicissim, exercitus, prouincias, sobolem totamque Augustam domum Maiestatis Vestrae sub suo praesidio proteget, atque defendet, praeprimis regnum hoc, a Domino Stephano acceptum, et Mariano fauore hucusque conseruatum, Vestrae Maiestati diutissime, nempe in seram vsque aetatem, seruabit, et ad posteros, de Augusta hac domo perpetua hac serie, et nunquam interrupta felicitate transmittet. Quam dum supplicibus a Deo vobis quotidie vna cum omnibus Orthodoxis dioecesis nostrae fidelibus peto, petuntque semper; perpetua homagiali subiectione emorior, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Vestrae Jaurini 19, Febr. 1752. Franciscus IV. C. Zichi“ mpr. Ex archiua Episcopali eiate.

In possessione Vadosfalua, Comitatus Soproniensis, art. 26. 1681. templum Lutheranis addictum fuit; ne Catholici religionis suae exercitio priuentur, terrestis Dominus catholicas eas, in portione sua illis locum assignauit, quo capellam exstruere possint. Haec in honorem S. Stephani anno 1752. consumata, benedicendaque erat. Ad hanc solennitatem consuetam, vicinae catholicae Ecclesiae, praecipue Mihálensis et Bledienses, processionaliter cum signo crucis, ac rosario in manibus. concurrerunt. In hos Vadosfalvenses e vallibus suis, nequiquam prohibente Magistratu comitatensi, armis irruerunt, caede ac verberibus saeuierunt, et contumeliis enormibus grassati sunt. Illis prostratis in Capellam neo erectam omnimode pollutam, spiritum suum euangelicum effuderunt. Ex relatione magistratuali: quam vide MSS. Kaprinay sub B. tomo XLIV. nro XLIV. pag. 103—117. Lege ac horresce!

37. *Celsissimi Domini Regni Primatis, sublato reuersalium spontaneorum vigore declaratio. A. 1839.*

Fenséges Császári Királyi Főherczeg! — A' jelen tanácskozásnak eredménye, melly szerint a' többség által a' t. karokkal és rendekkel egyezőleg, a' reuersalisok jövőre erő nélkülieknek ujonnan is kimondattak, — oda vezet, hogy a' Catholicusok a' vegyes házosságokat illető elveik egyik támaszától ezentul elessenek; olly támaszától, melly annak fentartását hathatósan elősegíté, 's majd százados szokással erősített volt. — Ez által nekünk érsekeknek és püspököknek, kik a' catholika hit érdeki-

nek. — Istentől vett küldetésünk szerint, őrei és védői vagyunk, lehetetlen oda nem függeszteni figyelmünket, hogy a' hazai törvény a' catholica religionak önnön tanítása 's elvei szerinti szabad gyakorlatát igen nyilván biztosítja, 's azokat igaz tartalmuk szerint, általunk taníttatni, és a' hiveknek elejbe adatni nem csak megengedi, de szinte parancsolja is. — Figyelmünket, sőt kötelességünk' érzetét, a' jelen időben még inkább ébresztik azon külföldi kedvetlen történetek, mellyek hasonló tárgyban hitünknek, hivatalunknak sorsosit, — a' mint világ szerte tudva van — mélyen érdekleték. — Császári Királyi Fő Herczagséged tehát és a' méltóságos Főrendek bölcsességök, és igazságszeretelők szerint, helyeztetünket méltányozván, rosz neven, — a' mint reméljük — nem veendik, hogy ezen tekintetektől vezéreltetve, de az 1790 esztendei 20. törvénycziknek igaz értelmére is támaszkodván, ez alkalommal lelkiismeretünk' ösztönéből kijelentjük, hogy ezentul a' vegyes házosságokba, valamint egy részről a' polgári törvénynek, és hatóságnak az ő körébe tartozó kívánatit teljesíteni el nem mulasztjuk, ugy más részről a' lelkiekben, különösen a' szent szertartások kiszolgáltatásában, azt leszünk teendő, a' mit hitünknek és anyaszentegyházunknak igazán fel fogott, és az apostoli szék által, ez újabb időben is; állhatatosan védett elvei kívának tőlünk. — XXX. Decemberben 1839-ben, a' 64-dik országos ülésben Posonyban.

Prouisio, quam sua Celsitudo, intercessione praemissa, Ecclesiae catholicae reuersalium spontaneorum praesidio destitutae, superaturam edixerat, disciplina eius vniuersalis, a sede Apostolica nouissime publicata fuerat: de mixtis fidelium, proles in Catholica religione educare renuentium matrimonii, parochiali quidem assistentia legitimandis, ac protocollo inferendis, sed solenni ritu neutiquam benedicendis. Ast haec quoque, tales catholicos inobedientes copulandi facultate ministris Euangelicis decreti Comitialis anno 1843. §§. 2. et 3. delata, proh dolor! exinanita est: cum praeiudicio Ecclesiae Catholicae: de fide quippe est: matrimonii dispensatores ordinarios esse solos loci patros: V. Conc. Tridentinum de matrimonio.

35. *Status Ecclesiasticus liberi a Catholica religione ad alius ei oppositus transitus Formae a Statibus sancitae intercedit. A. 1844.*

Az átmenet' kérdését más helyhezette tette a' Tekintetes Karoknak és Rendeknek a' jelen izenetnek végén nyilvánított azon kívánsága, hogy a' melly forma a' Catholica hitről átmenetre nézve megállapittatik, ugyan a' viszonság elvéből az Evangelikusoktól a' catholika hitre térések eseteire is alkalmaztassék. — Az átmenetre nézve, midőn ez a' catholika hitről más bevett vallásra történik, két elvek vezérlenek engem; egyik az: hogy egyházunkban senkit kedve 's eltökélt akaratja ellen erővel ne tartóztassunk; másik az: hogy az átmenni akarót ezen lépésnek fontosságára 'skövetkezéseire komolyan figyelmeztessük. Ezen figyelmeztetésnek szükségét hitünknek azon tanjából következtetjük, mi szerint mi a' Catholika egyházból kilépést mint a' lelkiismeretre 's örök üdvösségre ható lelki dolgot tekintjük; melly nézetünkben ismét önként következik, hogy a' korlátlan átmeneti szabadságot nem helyeseljük; a' módok közül pedig, mellyek az átmenetet szabályozzák, kielégítőnek csak azt tartjuk, melly a' figyelmeztetésnek, 's pedig a' lélekre ható figyelmeztetésnek, és az ezzel öszveköttöt oktatásnak helyt ad, ellenben minden olly formákat, mellyek az átmenet' dolgát felsőbb rendű állásából egészen a' világi dolgok körébe le vonják,

's szempontból intézkednek, czélszerűeknek nem találjuk. Illy formák közzé tartozván az is, mellyet a' Karok és Rendek jelen izenetökben javasolnak; én a'hoz nem járulhatok". — Ex actis diaetalibus anni 1844. Confer discrimen inter Apostatas et dogmata religionum edicto Mariae Theresiae obseruatum nro.

39. *Idem Status Ecclesiasticus edicto C. Regio, vt parti Catholicae proles e matrimonii mixtis oriturus in religione acatholica educare liceat, intercedit. A. 1844.*

Melly nehéz legyen a' vegyes házosságokból született Gyermekeknek vallásos nevelését minden részre kielégítőleg elintézni: újabb bizonyosságát adja ennek a' jelen k.k. leirat. Felsőges urunk telyes igyekezettel arra czélozott, hogy olly utat válasszon, melly a' feleknek vallásos elveikkel megegyezzen, vagy azoknak legalább káros ne legyen, 's még is e' magas szándék ugy mint ohajtatott nem sikerült. A' k. k. válaszbán az érdeklett tárgy, vagy is a' vegyes házossági gyermekeknek vallásos nevelése, a' hazasulandóknak szabad egyezkedéseikre utasittatván a' szabadságnak terire tétetik. A' szabadságot üdvözlöm én is; alig van valakinek nagyobb szüksége reá, mint a' catholika Anyaszentegyháznak; mert ugy mint a' catholika egyház az ő működésében senki sem szorongattatik. De itt nem csak általlában a' szabadság, hanem ennek tulajdon 's meddig terjedése is tekintetbe jő. Ha a' k.k. leiratban ajánlott szabadság abban pontosittatnék össze, hogy akármelly vallásos felekezetnek részére intézzék bár el a' jegyesek vegyes házossági gyermekeiknek vallásos neveléséről kötendő egyezkedéseket; ha ambár a' catholika fél megfeletekevén hitének tanjáról, egyházának szabályairól, magát gyermekeinek más, a' catholika hittől különböző vallásbani nevelésére köteleznék; a' világi hatalom mindazonáltal a' lelki isméret' szabadságát tekintvén illy feltételnek gátlása végett sem törvényhozási sem igazgatási uton kényszerítőleg 's erőtető módokkal közbe nem jő, — ha mondom, az ajánlott szabadság ebben pontosulna össze, ezt észrevétel nélkül hagynám, egyházom' rendszerivel összeférhetőnek találnám: mert noha hálás tisztelettel veszi a' catholika egyház a' világi hatalomnak védői istápolását; ha mindazonáltal a' világi hatalom némelly körülményekben azzal felhagyni jónak találja. a' catholika egyház ezt is nyugottan viseli, annál nyugottabban. mivel inkább megvan győződve, hogy Isteni ígéretek, 's régi, újabb idők' bizonyossága szerint, a' miatt létele, 's fennmaradása nem veszélyeztetik. De midőn a' k.k. válaszában a' vegyes házossági gyermekeknek vallásos nevelését illetőleg a' szabadság annyira kiterjesztetik, hogy ennek erejével a' catholica félre nézve is szabadnak állittatik, 's ez arra felhatalmazottnak nyilván általánosán kijelentetik, hogy születendő gyermekeit azon egy igaz, egyedül üdvözítő hittől, mellyet maga követ, elszakasztván, magát azoknak más, a' catholika hittől különböző vallásbani leendő neveléseket is lekötheti; ezt már a' catholika egyháznak alapelveivel összeütközőnek találom; 's minden ollyan katolikus, ki hitének tanját ép értelemben felfogja, 's egyházának szabályaihoz hiven ragaszkodik, azt fogja mondani: hogy ő a' szabadságot ezen határon túl nem használhatja, mert ha a' világi törvény nem áll is, utyában állanak hitének elvei. Eképen tehát azon vezér elven alapulván ezen cs. k. leirat is, mellyen az előbbi alapult, valamint azt nem pártolhattam, ugy e' mellett is, a' mit sajnálással nyilvánítok; pártolólág fel nem

léphetek. Tagadhatatlan azonban, hogy a' jelen k. k. válasz mennyiben a' kényszerítést arra, hogy a' katolikus jegyes vagy jegyesnő magzatait a' katolika hittől külföldi vallásban nevelje, egészen kizárja, és hogy a' katolika egyház' rendszeréhez közelebb áll, a' T. kk. és rr. által javasolt törvénynél: a' mellyhez mivel hogy parancsoló rendelkezésével egyenesen a' katolika egyház elvei ellenszegül, valamint előbbi alkalommal nem járultam, úgy most se járulok“.

Intercessionibus his primatialibus suis motuatis sententiis suffragati sunt: RR. Archiepiscopus Colocensis, Episcopi Csanadiensis, Zagrabiensis, Quinqueecclesiensis, Cassouien-sis, Nitriensis etc. Ex actis Comitiorum: anni 1844. Sessione LIV.

Discrimen inter eos, qui a fide vnice vera et saluifica deficiunt, ab Augusta Maria Theresia nro 233. obseruatum, constitutione legis huius pro dolor neglectum est: quum voti, ordinisque sacri vinculo obstrictorum Apostasia, rite instructorum ac confirmatorum ast carnali matrimonii, aliorumque commodorum concupiscentia abstractorum perfidia, tum e matrimoniis mixtis ortorum, in indifferentismo educatorum, aut omni educatione destitutorum infidelitas, eiusdem momenti, parisque reatus habentur! 2-do Dum pastores animarum ab obligatione in fide naufragantes arguendi, obsecrandi, in omni patientia et doctrina, diuinitus sibi imposita immunitantur, aut praepediuntur. Ipse Iosephus II. transitum praeuia duntaxat instructione admisit: nro 270. A religione haereditaria, ac constitutionali regni resultus a poenaltate immunis census est nnnquam nro 173. Nec apostatarum voto, vel ordine impeditorum coniugium canonibus concilii Tridentini in Hungaria receptis, validum, legitimumque aestimandum.

CONCLUSIO.

Post tot et tantos, quos Religio et Ecclesia Catholica in Hungaria Jurium Libertatumque passa est inuasiones, in tuto saluoque constituta est minime: acta Comitiorum ab anno 1834—1844. docent affatim. Nec enim Euangelismus suam posuit naturam: primo tolerari, mox equiparari, demum dominari contendens. Odium quo Lutherus in Romanam Ecclesiam huiusque Primatem vnitatis christianae centrum ferebatur asseclae ipsius, peccati originalis instar, haereditarunt. Verbum illius: calumniare audacter est incarnatum in posteris: nos catholicos idololatriae, antichristianismi, papismi, intolerantismi, tyrannismi, asinismi, et quae sunt conuitorum sordes, incusare, virtuti euangelicae sibi ducunt: factum abundanter sub vmbra conuentuum publicorum. Bona Ecclesiastica donatione regia, partim priuatorum acquisitis, aut aere proprio comparatis, quorum appetitu ab ecclesiae vnitate descuerunt, siti imminent inexstinquibili: promti illa in obuersum etiam sententiae Septemviralis apprehendere; auctoritatem Ecclesiasticam qua despecta facta inualueruntque, exinantiuri, priuilegio eius fori inimicantur. — His aliisque insidiis infesti indifferentistarum colluie aucti, quibus ceu praesultoribus vtuntur, vt magis laedant, facti insolentiores periculosioresque, — — Tuta vt sit his sub insultibus Ecclesia Hungarica in armis vincta, nec noctu nec die his careat, pugil perpetuo, est necesse. — Aetate ad annum tertium supra Octuaginta protrusa, et spei et metus inopos; ab odio ac studio partium alienus, iustitiae amicus, falsi inimicus scripsi.

INDEX REALIS.

I. Jura Religionis et Ecclesiae Catholicae in genere.

Religio auita in Hungaria est fides Catholica; quam (sicut S. Athanasius dixit) nisi quis fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit; ad huius agnitionem, Spiritus S. inspirante gratia, Hungari opera ipsius Sancti regis nostri Stephani vènerè: Juris tripartiti P. I. Tit. 3. §. 6. Tit. 11. §. 2. et Decreti 1. Stephani cap. 1.

Religionis Catholicae sit Rex Hungariae: iuxta S. Stephani Decret. L. 1. cap. 1. §§. 1. 2. 3. Decr. 1523. art. 53. 1604. art. 22. Etiam successores vtriusque sexus. 1723. art. 2. §. 5—7.

Quod Religioni huic congruit, lex est: Tripart. Prolog. Tit. 10.

Religio haec, verusque Dei cultus seruetur. Dec. 1563. Art. 31. Articuli de illa conclusi ab omnibus obseruentur. 1552. Art. 7. Religionis negocium maneat penes conclusos articulos 1548. 1553. Art. 7. quoad eandem obseruentur constitutiones, 1556. 25.

Religio catholicae Episcopis exemplo et doctrina promouenda incumbit praecipue 1556. art. 13. 1710. art. 60.

Seculares in doctrina fidei obediant Episcopis 1550. art. 16. — Eisdem, Archidiaconis, aliisque ministris impedimenta non ponant. Ibid.

Siqui autem contra ipsos Episcopos, aut ministros ab iis missos, ausu temerario palam insurgere, aut ipsos vituperiis, contumeliis, verberibus, aut nece afficere, vel Ecclesias Dei in contemptum diuinae Maiestatis destruere, diripere, profanare, aut incendere praesumerint, tales comperta veritate, pro delicti merito, iure mediante, per Regis Maiestatem puniantur: 1553. art. 7.

Haeretici non sunt fouendi per Regem: S. Stephani Dec. L. 1. cap. 1. §. 5. 6. Damnae haeresi adhaerentes pro notoriis habentur. P. 1. Tit. 14. Dec. 1723. art. 9. Haeticorum fautores puniantur. 1563. art. 32. Haereses euellantur et auita fides reducatur: 1630. art. 12. Notam infidelitatis incurrant. P. 1. Tit. 12. §. 18. 1723. art. 9. §. 6. 9.

De impressione librorum erroneorum. 1553. art. 24.

Statuta de Religione in Dieta confirmentur. 1647. art. 5. §. 10. Poena contra transgressores statutorum in negotio Religionis. 1647. art. 5. §. 9. etc.

Vide Vindicias Petri Pázman nro 118.

Ecclesia Catholica.

Post fidem secundum tenet locum Ecclesia, a Capite nostro, scilicet Christo, seminata, deinde per eius membra vtique Apostolos, ac sanctos Patres, transplantata,

firmiter aedificata atque per totum orbem diffusa (catholica) S. Steph. Decr. L. 1. cap. 1.

Populum aquisitionis, gentem electam, diuinam, gregem fide doctum, baptis-
mate lotum, charismate vnctum, sanctam super se aedificatam, Ecclesiam dixit Chri-
stus, et appellauit. Ibidem.

Sanctae huius ecclesiae custodem et Magistrum posuit Christus Petrum, eiusque
successores. Ibid.

Siquis infelix hanc Ecclesiam scandalizat, dignus est, vt deiiciatur de potestatis
dignitate, et maneat extra ecclesiam iustorum, in illa mundiali miseria sicut ethnicus
et Publicanus." Ibid. Plura in Vindicijs Petri Pázmán nro 118. Ita facta est Religio et
Ecclesia Catholica domi nostrae constitutionalis.

Domus Dei, Ecclesia materialis.

Quisquis fastu superbiae elatus domum Dei ducit contemptibilem, et possessio-
nes Deo consecratas inhoneste tractauerit, quasi inuasor et violator excommunicetur.
Decet, vt indignationem regis sentiat, contemtor talis, et constitutionis praeuarica-
tor: quia quanto Deus excellentior est homine, tanto praestantior est diuina causa
mortalium possessione. S. Stephani Decr. L. II. cap. 1. Dec. Anni 1553. art. 7. §. 4.

Diuina religionis et Ecclesiae Catholicae Dogmata.

Praeter fidem in Christum vnigenitum Dei filium pro mundo datum, obserua-
tionem omnium quaecunque ipse mandauit, oratio, dierum dominicorum, ac festo-
rum obseruatio, auditio verbi Dei, sacrificii ac sacramentorum noui testamenti fre-
quentatio, et vsus, confessio in specie priuata, exercitium honorum operum spiritu-
alium et corporalium ac poenitentiae, cultus Sanctorum, reliquiartum, ac locorum
sacrorum, castigatio corporis per ieiunia praecepta, obseruatioque votorum ad per-
fectionem euangelicam: S. Steph. Dec. lib. II. cap. 7. 8. 9. 10. 11. S. Ladislai L. I.
cap. 12. 15. Lib. 26. 31. Colom. Lib. I. cap. 68. 69. L. II. 13. 14. — 1557. art. 8.
1723. art. 29. 1791. Art. 26.

Nota ac character Religionis et Ecclesiae Catholicae.

1). Vnum idemque credere in dogmatibus fidei ac morum, iisdem vti sacramen-
tis, eisdemque subesse pastoribus, praesertim, vnitatis centro, Petri successoribus,
Romanis Episcopis, in omnibus semper ac per vniuersum mundum. Dec. 1563. art.
31. 32. 1723. art. 9. — 2). Fidelitas in Regem et regnum nulla seditione contaminata
nro. 150.

Eiusdem in Hungaria praerogatiua.

Statibus et Ordinibus Regni Hungariae liber religionis ipsorum vsus et exerciti-
um permittetur, absque tamen praeiudicio catholicae Romanae Re-

ligionis.“ Anno 1606. Pacificat. Viennen. ad primum. Articulus iste renouatus est ab anno 1608—1791. Jure liberi exercitii pollet etiam in Transilvania, partibusque aliis eidem adnexis: 1647. 20. 1692. art. I. nro 224.

In regnis Croatiae, Dalmatiae, Slauoniae, Regno Hungariae adnexis, sola religio catholica nacta est liberum sui exercitium. Ibid. Item nro 74. ac bonorum possidendorum ius. 1681. art. 26. etc. nro 262. 268. 272.

Est haereditaria, auita, constitutionalis, non recepta: nro 118. 129. 180. 263. 268. 269. 273.

II. Jus Patronatus Ecclesiarum in Hungaria Regium.

Pontifex Romanus, cum diademate submisso, Regi Hungariae duplicatam crucem apostolatus insigne ac ius Beneficia Ecclesiastica conferendi, propter fundatas ac dotatas Ecclesias, concessit: Trip. P. I. Tit. 11. §. 2. et 3.

Ideo sua Maiestas Regia tanquam summus ecclesiarum Dei, ad mentem S. Stephani Lib. II. C. 1. et Trip. Tit. 11. P. I. in Apostolico isto regno est Patronus. 1715 art. 60. Fundamentum huius iuris factum Historicum P. I. Tit. 11.

Beneficia Ecclesiastica solus Rex confert: Par. I. tit. 12. initio tit. 11. §. 1. 1567. art. 24. §. 10.

Collationes Ecclesiarum maiorum praeterquam regiae, sunt inuigrosae. P. I. tit. 12. 1519. art. 12.

Beneficia Ecclesiastica in Hungaria a Curia Romana non impetrentur. 1447. art. 30. 1514. art. 65.

Jus Patronatus Regi Hungariae in VII. Comitibus, Principi Transilvaniae Concessis, reseruatus est. 1622. art. 29. §. 6. 1647. 20. §. 5.

Rex iure suo Patronatus beneficia non exteris, sed bene meritis Hungaris, ac Nobilibus conferat, secus decimis destituendis: 1552. art. 42. 1569. 35. 1681. 27. 1741. 15.

Idem beneficia Ecclesiastica vacantia conferat, vt clerus in Regno, in tanta ecclesiasticarum personarum penuria, augeatur: 1569. art. 36.

Idem Beneficiorum horum vacantium prouentus, qua Patronus, ad restorationem Ecclesiarum, aut aedificiorum, et fundorum reparationem applicare valeat. 1723. art. 71.

Idem beneficiatos ad residendum in suis beneficiis retentione prouentuum beneficii, quod tenent, stringere potest. A. 1723. art. 71. 1741. art. 16.

Jure tamen Patronatus res et bona Ecclesiarum officiales regii, propria auctoritate, non occupent. A. 1498. art. 47.

Restorationem desolataram Ecclesiarum Sua Maiestas in se assumit. 1530. art. 13. 1715. art. 60. Diplom. Leopoldi anno 1701. nro 180. 221.

Jus solius Regis administrandarum foundationum piarum rationes inspiciendi: nro 221. 272.

Jus de Studiis ac scholis prouidendi illi cum Statibus commune nro 221.

Ordines Religiosi gaudent iure Receptionis: 1715. art. 102. Jure item immunitatis clericalis; ac privilegio fori: 1472. art. 6. 1498, 35. 1713, 10. Part. II. Tit. 49. 50. Ad exercitiationem concurrunt: 1659, 85. Nonnulli Conuentus loci credibiles: Abbatiae S. Benedicti, et Praemonstratensium de Lelesz, Jászó, Csorna: vt in literis restauratoriis.

III. Jus Patronatus Priuatorum.

Jus Patronatus priuatorum in Abbatiarum, Praepositarum, aliarumque Ecclesiarum fundatione, dotationeque consistit. 1458. art. 59.

Jus Patronatus in Beneficiis Ecclesiasticis praetendentes legitiment: 1569. art. 36.

Jus Patronatus liberarum Ciuitatum aliorumque non laedatur. 1681. art.

Patroni Ecclesiarum beneficia idoneis conferant. 1723. art. 55. nro 180.

Plebani inuitis Patronis non confirmentur: 1498. art. 66. 1504 art. 26.

Patroni non impediunt visitatores Ecclesiarum aut Plebanos ad Synodum excitos. 1557. art. 10. §. 2.

Patroni res decedentium Plebanorum pro se non occupent, siue testati siue intestati decedant: 1557. art. 10. §. 5.

Nec bona Ecclesiarum Ecclesiis semel dicata, pro se vsurpent, sed viris Ecclesiasticis tradant; neque patiantur diutius ecclesias legitimis pastoribus carere. Anno 1558. art. 9. 1567. art. 36.

Ne deinceps Jura Patronatus Ecclesiarum vllis aliis, quam personis Romano-Catholicis conferantur.“ Dipl. Leopoldi de anno 1701. art. 9.

Patroni Parochos, Ludimagistros, ac Aedituos competenter sustentare debent n. 80.

IV. Libertates Religionis Ecclesiae Catholicae in genere.

Vide vindicias eius, intercessionones, ac protestationes continuas, solennes, ac doctissimas: nro 21. 25. 47. 55. 65. 73. 76. 78. 79. 81. 85. 94. 95. 96. 97. 101. 106. 114. 118. 119. 120. 124. 125. 128. 129. 133. 134. 137. 138. 139. 140. 148. 149. 151. 152. 154. 156. 157. 174. 182. 186. 191. 194. 199. 204. 213. 221. 224. 230. 237. 250. 262. 269. 273 Suppl. nro 4. 7. 16. 17. 30.

Jura, libertates, et immunitates Cleri in genere.

Clerus Catholicus, seu personae spirituales, ecclesiasticae, quarum medio salutem humanam Dominus Saluator noster administrari voluit, saecularibus in consilio regni digniores habentur; et ratione nobilitatis, ac honorum temporalium cum nobilibus regni huius Hungariae, eadem libertatis, exemptionis et immunitatis praerogatiua gaudent. Trip. P. 1. §. 2. nro 77, 189. 193.

Vt Clerus, templa, et Ecclesiae Catholicorum Romanorum intacta et libera permaneant; atque ea, quae disturbiorum tempore occupata sunt, rursus eisdem re-

stituantur.“ Pacific. Viennen. anno 1606. — Renouatus hic articulus in diaetis ab anno 1608, 1618—1791.

Cleri iura, libertates, et immunitates conseruare Rex sub iuramento tenetur. Art. Ferdinandi 1. Jüram. 1527. 1687. art. 1. Jur. 1715. Art. 2. Juram. 1741. Art. 2. Jur. 1791. Art. 2. Juram. 1792. Juram. art. 2. 1536. art. 51.

Clerus Catholicus gaudet priuilegio fori: seu tam in causis spiritualibus, quam etiam in delictis profanis, praeterquam iis, in quibus praeter amissionem beneficiorum ac patrimoniorum ipsorum capitalis poena decernitur, iudicem, ac iudicium habet suum proprium: Trip. P. II. §. 44. S. Stephanus Decret. Lib. II. cap. 12. 13. 14. 15. 16. S. Ladislai Dec. lib. 1. cap. I. 20. Lib. III. cap. 1. §. 4. 16. Colom. Lib. 1. C. 50. 1231. art. 11. 1498. art. 68. 1550. art. 13. 1553. 27. A. 1608. 5. 1567. 25. 1647. 102. §. 2. 1715. 27. 60. §. 1.

Causae fori Ecclesiastici: 1647. art. 15. 1715. art. 27. 1791. art. 26. No. 16. 272.

Judices saeculares causas fori spiritualis non iudicent: 1231. art. 17. 1405. II. 1. art. 12.

Quaestionem: quodnam forum causa controuersa concernat, Rex decidet: 1405. art. 14. 12. §.

Conquestus ac citationes, praeterquam in appellationibus prohibitaе: 1440. art. 6. 1445. art. 16. 1447. art. 50. 1471. 19. 1492. 43. 1495. 10. 1498. 63.

Circa mandata declinatoria, ac dilatoria per Iudices Spirituales obseruanda: 1618. art. 70. 1630. 13. 1638. 31. §. 1. 1647. 15. §. 2. 1715. 19.

Clerus gaudet iure honorum ecclesiasticorum: 1) Titulo collationis regiae, qua regni nobiles sua facti sunt latifundia: in fundationem ac dotationem Ecclesiarum, nempe: Tripart. P. 1. tit. 13. init. Tit. 84. §. 1. Part. II, Tit. 1. 2) Ex dotatione, aut legatione priuatorum Ecclesiis facta: S. Ladislai Decr. lib. I. cap. 5. 1222. art. 4. 1291. art. 32. 3) Jure acquisitionis per pignus et inscriptiones: 1498. art. 65. 1647. art. 17. 1715. art. 16. §. 4. 5. 4) Jure recuperationis per reuolutionem: 1557. art. 11. 1567. art. 31. — Sunt parte maxima reuolutione reuindicata: ita Strigonium, Érsekújvárinum, Wesprimium, Sümeginum, Magno-Varadinum etc. Abbatiarum et Praepositarum fere omnia: Sancti Gothardi, Zircz, Lelesz etc.

Bona ecclesiastica sunt inalienabilia: 1) Propter excessus ecclesiasticorum amitti non possunt: P. II. tit. 51. §. 1. 2. Tit. 46. 2) Beneficiati ipsi de illis disponere non possunt: S. Stephani Decr. Lib. II. cap. 35. 3) Per Patronos ecclesiis data reuocari non possunt: S. Ladislai Dec. Lib. 1. cap. 15. Illorum legitimus successor est quidem Rex, ast non quantum ab Ecclesia ablationem, aut sequestrationem, sed quoad collationem alteri. P. I. Tit. 10. §. 3. 4) Non per praescriptionem, praeterquam post annos 40: P. I. Tit. 78. §. 2. 5) Non per occupationem, a Rege, aut aliis Patronis, vel Parochianis, 1298. art. 26. 1447. art. 57. 1598. art. 55. 6) Non per Capitaneos, aut praefectos praesidorum: 1635. art. 36. 7) Bona Ecclesiastica maneant inalie-

nabilia; eorum venditiones, aut oppignorationes, inscriptionesque sint inuigrosae: 1567. art. 31. §. 12. 13.

Bona et iura Ecclesiastica in possessionibus, in foris, in tributis et aliis, per quemcunque indebite occupata penitus restituenda: 1298. art. 3. 1453. art. 7. 1458. Szilágyi art. 1. 1536. 9. 1567. 32. 1622. 6. 1630. Bona per Bocskaium adempta restituantur. 1613. 2. Donationes Bethlenianae super bonis Ecclesiasticis cassantur, et inscripta pro restitutis declarantur. 1622. art. 7. 8. Seruitores eos deserant, qui bona Ecclesiarum non reddunt: 1543. art. 6. Vt Ecclesiarum Dei bona omnia occupata faeilus liberari queant, Maiestas Regis cum eis, qui ea obtinent, diligenter tractabit: 1536. art. 13. 1548. art. 8.

Clerus gaudet iure etiam decimarum: S. Stephanus Decr. lib. II. cap. 52. Col. Dec. Lib. 1. cap. 25. Prol. Tripart. Tit. 9. §. 1. Pacific. Viennen. ad 7. §. 2. 1445. art. 14.

Decimae dandae de omnibus fructibus terrae, de frugibus et vinis; de agnellis item apibus et capreolis, a producentibus haud priuilegiatis: 1514. art. 18. 1659. art. 55. Vel in natura, vel pretio conuento: 1556. art. 47. 1569. art. 18. 1563. art. 72. 1574. art. 22. 1635. 61. 1655—63. 1659. 55. 1715. nro 138.

In Scepsum etiam Nobiles de terris suis, Plebanis, certo eorum ex priuilegio, decimas dare obligantur. A. 1653. art. 70. §. 1.

Decimam fraude aut furto subtrahens puniendus: S. Steph. Decr. Lib. II. cap. 52. Eadem priuata autoritate auferens puniatur: 1546. art. 25. Decimae ab Ecclesiis ablatae restituendae 1542. Nou. art. 3. 1543. art. 28. 1545. art. 2. 1546. art. 25. 1547. art. 22. 1548. art. 8. 1550. art. 17. 1609. art. 17. 1647. art. 95. etc. A Rege eliberandae: 1548. art. 8.

Causae decimales. olim in foro spirituali discussae, ad forum seculare reuocatae: reuidenturque in comitatibus, in quibus colliguntur: Pac. Vien. et Post Coron. Anno 1608. art. 5. 1609. art. 17. 1613. art. 19. 1622. art. 70. 1635. 23. 1647. 95. 1655. 89. 1715. 28. 1729-28. 29.

Jus etiam decimarum Ecclesiasticarum Rex conseruet; anno 1552. art. 30. 1723. art. 85. Clerus Hungariae immunis quoque est, vti a iurisdictione ciuili, quoad personam, ita etiam a taxis, tributis, ac descensibus militum pariter sicut nobiles regni: S. Stephan. L. II. Dec. cap. 3. §. 1. et 2. Colom. Dec. Lib. II. cap. II. 1231. art. 19. Personae Ecclesiasticae in facto potentiae aut calumniae, in homagiis duntaxat suis, et damnis illatis possunt conuinci: 1447: art. 27. Tripart. P. II. Tit. 44. 1647. art. 16. In casibus ordinariis contra personas Ecclesiasticas capitalis sententia non fertur. — Ibidem.

Ecclesiasticae personae taxis et tributis non onerandae 1428. Art. 18. 19. Ab exercituatione suis sumtibus facienda, praeter casum insurrectionis generalis, subleuati Anno 1722.

A personali penitus 1808. art. 2. Nec permittitur cuiquam iuxta stipendium

viuenti, in domo personarum ecclesiasticarum hospitari; 1536. art. 2. — 1567. art. 39. 1681. art. 22. 1715. art. 43.

Immunitates etiam hae conseruandae Regibus sub fide iurata incumbunt: Anno 1530. art. 51. Juramus per Deum viuum et bonum, per eius sanctissimam Genitricem V. M. et OO. Sanctos, quod Ecclesias Dei. DD. Praelatos etc. in suis immunitatibus et libertatibus, iuribus, legibus, priuilegijs, ac in antiquis bonis et approbatis consuetudinibus conseruabimus. 1792. Art. 2.

Contra huiusmodi statuta, ac etiam contra ipsas constitutiones Viennenses, vbi de iuribus et immunitatibus Ecclesiae Romanae agitur, absque iuris ordine, solum potentia quorundam mediante, spoliaretur Clerus Catholicus. V. nro 97.

Jura, libertates et immunitates Cleri vindicauit acerrime Petrus Pázmán nro 118.

Personae Ordinis Sacri immunes ex constitutione concilii Tridentini sessione XXIV. cap. 9. de sacramento Matrimonii, etiam in Hungaria annis 1629. 1632. 1648. publicati, et iuris canonici annis 1458. 9. 1553. 21. 1563. 27. articuli recepti vigore.

Jura Cleri latini ritus et graeci catholicorum sunt aequalia: nro 64. 2. 170. 288. Suppl. nro 32.

V. Jura et praerogatiuae Praelatorum in genere:

Inter personas ecclesiasticas eminent Praelati, seu Episcopi, Abbates, Praepositi, ac Capitulares, vulgo Canonici: P. I. Tit. 9. §. 7. P. II. Tit. 49. §. 5. Sine illis non constituuntur Reges, nec Principatus nec leges S. Stephani Decr. Lib. I cap. 3. 1447. art. 45. anno 1490. §. 1. Pacif Vien. art. 6.

Praelati sunt regi propinguiosiores in stando vel sedendo, et primi in consilio voces emittunt: virtute dignitatis suae et officii merito. P. I. 2.

Sciendum est, quod quilibet Praelatus — pro decem personis nobilibus, ratione suae dignitatis habet iurandi potestatem. Praelatus in sua ecclesia ad conscientiae suae puritatem, coram testimonio alicuius capituli vel conuentus per Iudicium deputandi iurat. — Proinde etiam homagia Dominorum Praelatorum ad centum marcas, quadringentos florenos facientes se extendunt. P. I. tit. 40.

Praemissorum respectu Praelati semper in Comitibus Regni erant: articulos concluserunt, regi pro approbatione praesentarunt: vide exordia, et conclusiones decretorum signanter ab anno 1291—1811. — Cum Baronibus Regni, Magnatibus et Nunciis Comitatum leges condiderunt. Ibid. Signanter 1542. art. 44. 1545. 10. etc. Varias ibidem cum Regnicolis fecisse referuntur: 1572—1791. — Diaetam cum Regni Baronibus indixerant, ad eamque conuocabantur, primum quidem per Praecones mox per literas regales: 1445. art. 12. 19. 1495. art. 26. A. 1526. Anno 1715. — Ad diaetam sub poenis etiam comparere debebant: 1298. art. 42. 1433. art. 1. 1492. 108. 1498. art. 1. 1647. art. 134. 1662. art. 53. 1715. art. 47. 1723. art. 7. — In Diaeta partim in tabula Procerum, partim in Ordinum, locum et votum habuerunt: Pacific. Vien. ad 5 §. 6. Anno 1608. A. cor. Art. 1. §. 1—4. 1623. art. 61. 1715. art. 73. 102. 1765. art. 42. Vota eorum fuerant actiua non passiuia: nro: 77.

Praelati Iudiciis intersunt: 1231. art. 2. 1403. §. 16. 1446. art. 7. 1463. art. 23. 1478. art. 7. 1557. art. 13. 1563. art. 24. 1495. 8. In iudiciis appellatoriis ad tabulam regiam et septemviralem: 1563. art. 23. 1715. 24. 1741. art. 24.

Praelati ad alia etiam publica regni negocia tractanda appliciti: ad reuendendas controuersias metales: 1574. art. 29. 1715. art. 112. Ad legationes deputati: 1655. art. 17. 1630. art. 26. 1647. art. 71. Ad reformationem decretorum nominati: 1550. art. 11. 1608. art. 12. 1715. art. 24. Ad deputationes regnicolares: 1791. art. 1—19. Anno 1808. art. 2. — Ad commissiones: 1618. art. 26. 2622. art. 60. 1630. art. 24. 1723. art. 45.

Praelati in consilio regis: 1292. 1298. art. 23. 1542. 1713. art. 97. 1741. art. 13. etc.

Praelati diuersos officiolatus gerentes: Locumtenentis: 1433. art. 12. 1545. art. 47. 1547. art. 2. 1550. art. 57. 1575. art. 3. 1582. art. 4. 1588. art. 30. 1594. art. 14. 1596. art. 22. 1600. art. 22. 1601. art. 20. 34. 1604. art. 8. Cancellarii et Vicecancellarii: a primordio vsque Josephum Bayzath. Anno 1777. Praesentiae regiae Personalis Locumtenentis: 1508. Dipl. inaug. Thesaurarii regis: 1486—1606. Pacific. Vien. ad quintum. Praefecti Camerae regiae: 1542. art. 43. 1681. art. 14. — Loci, Comitatus supremorum ac perpetuorum Comitum: 1321. concl. 1384. concl. Tales fuerant: Strigoniensis, Coloczensis, Nitriensis, Agriensis, Veszprimiensis, Jaurinensis, Zagrabiensis, Bosnensis, vsque an. 1699. art. 23. Conseruatoris Coronae 1498. art. 25. 1608. P. V. C. art. 16. Croatiae, Dalmatiae ac Slaunoniae Bani: 1514. Concl. Supremi Capitanei: 1555. art. 4. etc.

Praelati sub propriis sigillis procuratores constituunt: Part. II. Tit. 13. Praelatorum interemtores capitali poena puniantur: 1723. art. 11. Ob delicta praedecessorum suorura condemnari non possunt: P. II. tit. 51. Praelatis absentibus in omnibus iudiciis prorogatio concessa: 1500. art. 1. Praelatis possessiones minerosae non adimantur: 1405. art. 15. 1592. art. 30. Praelati a tricesimis et teloniis immunes: 1288. art. 74. 1500. art. 41. 1557. art. 16. 1638. art. 49. 1462. art. 8. 1492. art. 28.

Praelatorum libera testandi facultas: 1298. art. 28. 1598. art. 40. Ratione ab intestato decedentium norma est: Conuentio Koloniensiana. A. 1692. vide nro 187. et 221.

Praelati in suis libertatibus, praerogatiuis, iuribus et immunitatibus conseruandi: 1468. Exord. 1508. Assecur. 1538. art. 29. sub iuramento: in inaugurationibus vt supra.

VI. Jura et libertates Capitulorum in genere.

Capitula sessionem et votum in comitiis regni actiuum habeant: Decr. anni 1553. art. 15.

Priuilegium Capitulis concessum est generale, ac perpetuum: Part. II. Tit. VII §. 3.

Capitula sunt loca credibilia: 1222. art. 31. 1578. art. 21. 1751. art. 7.

Capitulum pro actibus potentiariis collectiue aggrauatur: Par. II. Tit. 46. §. 11.

Capitulum singulum, nomine collectiue sumtum, singulum equitem dabit; individua vero capitulorum, pro ratione redituum a paritate aliorum possessorum equites statuent. 1808. art. 4.

Capitulum sede episcopali vacante, ius negotia ecclesiastica, per vicarios suos administrandi sortitur: 1492. art. 46. 1548. art. 6. etc.

Praelati suos alumnatus restaurare et ampliare debent: nro 180. §. 8. Educare et prouidere in seminariis: nro 253. 254. 255. 257.

VII. Jura et libertates Vicearchidiaconorum et Parochorum aliorumque Ecclesiasticorum in genere.

Vicearchidiaconi in partibus suis doceant plebem: 1548. art. 6. Libere admittendi ad visitandas ecclesias suas, ad prohibendos a concionando idiotas: 1548. art. 10. non impediendi, in vitiis inquirendis, ac delictis sacerdotum puniendis: 1557. Art. 10.

Ad taxandos Plebanos adhibendi: 1537. art. 17. 18. 1662. art. 5. 1681. art. 46.

Plebanorum est: veram doctrinam sapere, eandemque docere sacraque administrare iuxta ritum sanctae Ecclesiae Catholicae: 1548. art. 6. Suos in orthodoxa vera catholicaque fide conseruare, si qui ab ea descuerunt reducere, et vt conuertantur studere: 1548. art. 12. — Jus habent a fidelibus suis prouentus debitos, autorizatos exigendi ac desumendi; 1647. art. 11. A. Patronis dotem erogandi: 1723. art. 71. stolas, taxa moderata percipiendi: 1751. art. 12. Item Lecticalia iuxta pacta conuenta 1791. art. 26. Episcopi quartam e decimis Parochis praestent: S. Lad. Decr. lib. 1. cap. 33. 1498. art. 50. 1504. art. 13. aut sedecimam ex vsu vigentem: 1546. art. 55. 1557. art. 12. 1725. art. 71.

Plebanis et aliis ecclesiasticis cuiuscunque status ius et sua libertas in omnibus obseruetur; inter alia: ne post mortem illorum pro se occupent vel accipiant Patroni res, et bona illorum siue testati, siue intestati decesserint; sed neque etiam Praelati fratribus superstitibus, eorum, qui decesserint, bona huiusmodi occupent: 1557. art. 10. Domus Parochorum, aliorumque ecclesiasticorum a condescensione militum immunes sint, 1538. Cris. Art. 10. 1595. art. 27. 1681. art. 22. 1715. art. 45. Nec subsidio charitatiuo a Praelatis suis onerandi: 1498. art. 69. 1504. art. 12.

Parochi sunt mixti matrimonii ministri ordinarii: 1791. art. 26. 1843. art. 5.

Secundum conscientiosam diocesanorum limitationem, a proportione prouentuum suorum, similitudine art. 23. anni 1545. pro insurrectionis necessitate concurrent: 1741. art. 63. — Ab obligatione personaliter insurgendi eximuntur Ecclesiastici ac Religiosi omnes; item cuiuscunque Religionis animarum curatores: anno 1808. art. 2.

VIII. Nouitiae Religionis dogmata, et coetus concernentia.

Religionis Catholicae innouationi per Martinum Lutherum in Saxonia, Vhricum Zwingl in Heluetia, tum Joannem Caluinum Geneuae praesumptae, in Hungariam quoque penetrandi via aperta, media praebita: nro 2. 3. 4. — Martini Lutheri knocinium et calumniae nro 4. 17. Libri: n. 7. Epistolae nro 27. 33. Placita concupiscentiae carnis, ac superbiae vitae fauentissima: 21. 24. 25. 35. Quae sufflaminauit suis literis Philippus Melanchton: nro 27. 42. Religionis domi nostrae reformatandae nulla necessitas: nro 36.

Confessionis Lutheranae clam in Hungariam ac Transiluaniam illapsae Historia: n. 5. Propagatae causae, et effectus: n. 6. Apostoli: Exteri Monachi incontinentes, apostatae scelesti: n. 7. 9. 22. Subsidiarii: mercatores libellos et tractatus Lutheri circumferentes: n. 7. Neophyti primi: Saxones et Germani, Lutheri Gentiles: n. 7. 9. 10. Praecones: Sacerdotes, carni blandientem doctrinam amplexi: nro 10. 11. Idiotae: 1548. a. 10.

Nouitiae Religionis in Hungaria et Transilvania fructus: 1). Disunio animorum domi nro: 6. 13. 15. 2) Clades ad Mohacsinum: n. 14. 3). Tumultus ac rixae per Lutherizantes excitati, n. 15. 59. 4) Technae vis ac violentiae: n. 16. 34. 5). Vitae licentia, morumque corruptio: n. 4. 28. 29. 6). Catholicorum persecutio, et oppressio: n. 9. 14. 30. 32. 34. 38. — 7). A catholicorum in Parochos Catholicos et res eorum sacras saeuitia, immanitas: n. 28. 29. 36. 38. 8). Artium bonarum et scientiarum per vandalismum A catholicorum, perditio, ad quaestionesque controuersisticas lapsus: n. 23. 24. 25. 9). Eiusdem in Lutheranos, Sacramentarios, seu Caluinistas; Antitritarios seu Socinianos, Anabaptistas, Sabatanos etc. scissio: n. 16. 40. 47. 48. 53. 55. 58. 60. 65. etc.

Sectariorum decipulum: Confessio Augustana, se non aliam propagaturos ac promoturos doctrinam, quam in Symbolo Athanasiano contentam; se in nullo fidei articulo ab ecclesia catholica dissentire; tantum quosdam abusus omittant, qui noui sunt, et contra voluntatem canonum coepti. fingunt: n. 8. 84. Confessio Heluetica: se sententis quatuor conciliorum: Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis inhaerere; in communi se purum Euangelium professurus nro 35. mentiebantur. Catapultum: Calumniare audacter, semper aliquid haerebit: Catholicos esse idolatras; Romanum Pontificem, Antichristum; Romanam Ecclesiam esse meretricem babylo-nicam; Biblia sacra a fidelibus abscondisse, legi vetuisse etc. nro 23. 24. 27. 42. 70.

Nouitiae religionis propugnatores facti sunt: 1). Superioris Hungariae Dynastae, Ciuitatum liberarum Magistratus, qui bonorum ecclesiasticorum cupidine fascinali, ministros licentiae suae fauentes exciuerunt, catholicos submouerunt; templa fidelibus iure suo patronatus adempta sectariis contulerunt: n. 5. 7. 8. 11. 22. 26. 64. — 2). Bonorum Ecclesiasticorum occupatores, et vsurpatores: Capitanei, Comites, Nobiles: n. 26. 28. 29. 34. 41. 48. 69. — 3). Libertatis, vitae licentiae, immunitatumque illecebris seducti Ciues et vulgus: n. 15. 16. 20. 31. 51.

Sectarii in Transilvania bona episcopatus Albensis Fisco addicunt; episcopum eliminant; capitula demoliuntur; bona ordinum religiosorum abalienant, religionem Catholicam vi et armis poene sub Joanne Sigismundo, auctore Blandrata, opprimunt: n. 39. 40. 43. 61. A Stephano Báthorio Principe, Jesuitarum opera resuscitatam, sub Moyse Siculo denuo profligant; Regum duntaxat Hungariae praesedio, missionibusque Hungaricis conseruatam: nro 40. 43. Transilvani ad bona Ecclesiastica occupata sibi vindicanda primi armantur: nro 39.

Sectariorum in Hungaria indoles peruicax et tumultuaria in vim, caedes et incendia erumpit: nro 48 50. 54. Nam Jászberényiensis igne supposito, monasterium Franciscanorum exurant: nro 52. Ecclesiam S. Michaelis Agrienses capitulo eiati vi eripiunt nro 67. Contra Ferdinandum confoederantur; Maximilianum vi et armis contendunt cogere ad suam confessionem recepiendam: nro 64. Hungariae faciem funestant: nro 67. 3. Ad arma denique contra legitimum Principem conuertenda prorumpunt: nro 70.

Seditio 1-a Auctore Stephano Bocskai, Capitaneo Waradinensi, motuum omnium in Transilvania auctore teste Michaele Bogati, Principatum Transilu. ambiente; Supp. n. 11. 12. Ministris Euangelicis Regi fidem datam frangi, vique et armis resisti posse, asseuerantibus; in exitium patriae, ac templorum Catholicorum despoliationem, alterum in anuum per Hungariam, Morauiam, Austriam grassata. 70. Praecipua capita praeliminaria pacificationis Viennae proposita: nro 71. Famigerata pacificatio a Mathia A. Duce, auctoritate Regis Rudolphi, paucis Hungaris praesentibus Viennae subscripta: nro 72. A Rudolfo, vt effusioni sanguinis parceretur, subscripta: nro 72. A Mathia ita explicita, verba: sine tamen praeiudicio religionis catholicae, non mala fide in tractatum subtrusa: nro 73. Pro sola Hungaria, huc non intellecta Croatia et Slauonia, valida: nro 74. a Statibus Catholicis contradictionem passa nro 75 ex parte vero Sociorum Jesu protestationem: nro 77. Decreto Mathiae regis ante coronationali articulo 1. Anno 1608. inserta nro 77.

Praelati Hungariae protestationem suam circa libertatem Haereticis datam iterant, nro 79. Eiusdem concessio per Pontificem etiam inhibita nro 80. Mutua obligatio et firma commisso Praelatorum et Capitulum de tuendo religionis catholicae negotio: nro 81. Paria huius protestationis e Capitulo Posoniensi emanata: nro 82.

Sigismundus Rákotzius, Transilu. Princeps Viros societatis Jesu ab A Catholicis nulla ipsorum culpa eliminatos significat: nro 75. Status etiam Catholici, eosdem insontes, et contradicentibus se a Bocskai eliminatos protestati: nro 77. Religio Catholica in Transilvania praesidii regni Hungariae egena 84. 3. Suppl. nro 11.

A Catholicis Hungariae obtentis fauoribus haud contenti, plura praetendunt: minati se secus decimas praestare nolle: nro 88. Eorum praetensio refutatur nro 89. Cum Gabr. Bátori Sup. nro 12. Várallyae sub Chrystophoro Thurzó confoederantur; electionem Ferdinandi II. licet vnicus fuerit regni haeres, menses duos morati; vt ius templorum, non dominorum terrestrium, sed rusticorum sit, euincere verbis haud valentes Sup. n. 17. arma denuo corripiunt: nro 90.

Seditio II. Duce Gabriele Bethlen, Principatum Transilvaniae Turcorum potentia inuadente, Bohemorum rebellium confoederato, Friderici, Palatini ad Rhenum socio, subsidiis Suecorum, et Gallorum adiuto, Turcarum et Tartarorum copiis uso, homine perfido, regnum Hungariae ambiente, captiuos catholicos Turcis a Tartaris venum dante, in templa, resque catholicorum grassato annis 1613-1629. Qui a Mathia, tum Ferdinando II. Regibus, a Sigismundo Forgách regni Palatino, et Petro Pázmány ad pacem frustra vocatus, fortuna, sociis, subsidiisque amissis, minus honorificam conuentionem acceptare coactus, rem Religionis, quam motuum causam praetendit, ad comitia regni relegauit Nicolsburgi: nro 96. Supp. nro 15. 18. 19. 22.

Status et Ordines catholici, comitaliter congregati, grauamina, quae ab A catholicis patiuntur, complananda expostulant: leges ibi in res sacras armis et igne saeuitum, catholicos per millia, instar pecorum venum data, sacerdotes carnificatos, ceu boues mactatos, imagines, statuas, ciboria monstrantias summo ludibrio habitas: n. 97. Idem pro illis, qui odio religionis ab A catholicis Cassouiae occisi sunt, beatificandis, intercedunt: nro 107. Ciues etiam Sabarienses multa passi: n. 111. Praelati ad nuncium Apostolicum protestantur contra literas Domini Palatini, diploma regium pro libertate religionis male interpretantis nro 98. Petrus Pázmány, iura Ecclesiastica vindicat, principisque Gabrielis Bethlen in clerum Hungariae ac se decreta, diuinis humanisque legibus contraria, ipso iure nulla demonstrat: nro 118. Bethlenii, et A catholicorum in Pázmánium et Iesuitas furoris causae genuinae. Ibid. in fine. Supp. nro 10. 28. 30.

A catholici sub Comitibus Posonensibus anno 1637. Sua grauamina denuo exaggerant, ast a Catholicis repelluntur: nro 114. Tractatum negotiorum publicorum remorantur: nro 115. 116. Sub nomine Statuum et Ordinum Euangelicorum grauamina sua rursus vrgent: n. 119. Palatinus regni ne Rex eis ampliores concessionem faciat intercedit: n. 120. Denuo ad arma prorumpunt:

Seditio III. Duce Georgio Rakotzio I. et II. Transilvaniae subdolo, mutabilisque ingenii Principibus nro 23. 25. 26. 27. Supp. Scripto eius monitorium suum, ne Regni SS. et OO. in transuersum se agi sinant, frustra opponit Ferd. III. Diploma Regium pacificationis Lincziensis: n. 122. Responsa SS. Catholicorum ad obiectiones A catholicorum: n. 124. Informatio Catholicorum, circa grauamina A catholicorum, ratione templorum restituendorum: nro 125. Idem Rex A catholicis 90 Catholica templa non plura cedi iubet: nro 126, Templa 90. A catholicis cessa nro 127. Vltior declaratio Catholicorum super postulatis A catholicorum: n. 128. Grauamina Catholicorum ratione praetensionum ab A catholicis motarum: nro 129. Supp. n. 21.

Idem A catholici mandatis regis inobedientes: nro 136. A partibus rebellium sequendis prohibiti: Ibid. Ministri eorum conspiracy cum perduellibus attentatae incusati, conuicti et damnati: nro 141. 142. Omnes contra sententiam praedictam protestantes, non absimiliter iudicati et condemnati: 193. Iterum A catholici hostibus patriae foederati arma corripiunt: nro 142.

Seditio IV. Emerico Tököly et Michaele Apafy, Principe Transilvaniae Ducibus: nro 142. Congeries querelarum per A catholicos obmotarum: nro 143. Has Ca-

tholici Status euidenter, publicisque argumentis repellunt: 148. Replica Catholicorum lectu dignissima: n. 149. Rem ad comitialem pertractationem destinata, A Catholici obstinate morantur nro 150. Fauores a Rege extorquent: n. 153. Contra hos Catholici protestantur: n. 151. Clerus catholicus sui per A Catholicos incriminationes diluit: nro 145. Afflictus Cleri catholici a Protestantibus status 155. Perduellium Tökölianorum flagitiosi excessus, per Status catholicos repraesentati: nro 156. Querelae 161. A Catholici ad vnionem fidei vocantur: 163. 165. In cassum 164. 166. Coërcentur: nro 183.

Seditio V. Francisco-Rakotziana et Bercsényiana, ab iisdem A Catholicis incitata: nro 183. A Catholici impugnati et pressi nro: 185. 186. Execrandae Rakotziano-Berchényianae rebellionis sequelae: nro 190. Acta illegalium Conuentuum Szécsén Rosnauien. et Orodien. irritata: 191.

Fauores Augustanae ac Helueticae confessioni addictis a Carolo III. R. H. concessi: nro 200. 201. 202. 203. Intercessionem Cleri Catholici passi: nro 204. Re-protestantur et fouentur 205. 207. Costringuntur ac coërcentur: nro 216. 217. 218. 219. 220. Conuenticula eis. inhibentur 221.

Decreta Mariae Theresiae in negotio religionis pro A Catholicis lata: nro 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 230. 231. 232. — Excessiuos coërcet: 236. 237. 250. Quatuor religionum in Transilvania receptarum exercitium confirmat: nro 224. Tumultus, conspirationes, ad exterarum potentiarum recursus improbat, seditiosos Turenses ac Vásárhelyiensis plectit: nro 236.

Josephus II. in fauorem A Catholicorum tolerantiam liberalissimam edicit. n. 268.

Leopoldus II. haud contentorum querelas denuo, damno maximo, ad tractatus publicos traducit, et quietat. n. 272.

Franciscus I. iustis eorum querelis medetur. n. 274.

Ferdinandus V. iisdem in matrimoniis mixtis, et negotio transitus quaedam cum praeiudicio religionis catholicae indulgere cogitur. n. 294.

IX. Romani Pontifices.

Julius II. Papa naeuum auitum Hungarorum, bona aliena prensantium redarduens: nro 2.

Leo X. PP. ritus graeci catholicos tuetur: anno 1521. p. 30.

Pius IV. Nicolaum Olahum Archiepiscopum Strigon. ad Synod. Trident. euocat: nro 56. Eundemque, aliosque Episcopos ad Decreta Tridentina seruanda hortatur. 1566. nro 61. Zelum Episcopi Zagrab. collaudat: nro 63.

Pius V. Verantium Archiepisc. Stringon. confirmat. 1570. Clemens VIII. grandem pecuniae vim, et exercitum submittit, quo Strigonium, sedes Archiepiscopalis et Visegradium recuperatum, et Hungari in perpetuum obstricti: anno 1596.

Paulus V. Praelatos ad interponendam ratione pacificationis Viennensis protestationem hortatur: nro 80. Regem vero Mathiam, ut redditis bonis, ab haereticis occupatis, Societati Jesu collegium Sellensi restaurari curet, admonet. nro 83. Desolatum S. Joannis B. monasterium Societati Jesu cedi annuit: nro 93. Petrum Pázmanum Archiep. Strigon. cardinalem creat: nro 103.

Clemens X. PP. Georgio Bársony, Episcopo M. Varadinensi, de fratre ob odium religionis caeso, ipso vero caedibus affecto, gratulatur: nro 140.

Innocentius XI. PP. afflictissimo catholicorum in Hungaria statui comparatur: nro 155.

Benedicti XIV. Constitutio cardinalis de matrimoniis mixtis: nro 234. Idem PP. lenem et efficacem Martini Biro in reducendis A catholicis operam collaudat; 235. Quaedam festa celebranda abrogat: 241. Episcopo Transilvano ratione matrimoniorum Calvinisticorum instructionem dat.

Clemens PP. XIII. Mariae Theresiae, ac successoribus titulum Apostolici concedit: nro 244.

Pius VI. Papa novos in Hungaria erigendi episcopatus facultatem largitur: nro 252. 256.

Pius VII. Papa in dimembrationi dioeceseos Agriensis consentit: nro 282. Separationi item dioeceseos Munkácsiensis: 286.

Pii VIII. PP. constitutio de matrimoniis mixtis: n. 290. 291.

Gregorii XVI. PP. ratione eorumdem constitutio et declaratio: nro 292. 293. Iterata: nro 304.

Pii IX. constitutio ad Ordinum Religiosorum Superiores: nro 305.

X. Reges Hungariae.

Ludouici II. articuli in patrocinium Religionis et Ecclesiae catholicae decreti ab anno 1519—1526: nro 8.

Eiusdem mandata eodem in merito: nro 7. 9. 15. — Ob inobedientiam Comitum, Magistratumque ciuiliū inefficacia: nro 16.

Ferdinandi I. articuli ratione religionis et Ecclesiae Catholici sanciti ab anno 1727—1564. nro 26.

Eiusdem mandata in tutelam religionis et Ecclesiae catholicae: nro 30. 32. 37. 38. Ad Ruthenos anno 1552. nro 39. 41. 44. 47. 57.

Idem Ferdinandus exposito regni: ob Turcarum Truculentiam ac Haeticorum peruicaciam statu calamitoso de bonis ecclesiasticis alienatis reuocandis, ad finemque applicandis disponit: nro 48.

Joannes Zapola-Rex, ac Princeps Transilvaniae, in fide catholica, reformatione damnata, perseuerat obitum vsque: nro 40. Isabella quoque regina 43.

Joannes Sigismundus, fidei desertor. Sectariis libertatem facit: nro 58. 59. 60. Est bonorum ecclesiasticorum abalienator: Anno 1566.

Maximiliani Regis articuli in bonum religionis et ecclesiae catholicae conditi: nro 1564—1578: nro 62.

Eiusdem mandata: nro 61. In religionem catholicam et ecclesiam Tirnauensem sollicita prouidentia. A. 1568. Verantium. A. Ep. Strigon. constituit. 1570. Jura et immunitates episcopi Ruthenorum tuetur: 1569. Haereses Vnitariorum et Calvinianorum prohibet. A. 1576.

Rudolfi regiminis initio status religionis et ecclesiae catholicae per Sectarios afflictus: nro 66. In subsidium eiusdem laborantis Societatem Jesu in Hungariam intro-

ducit: anno 1580. Ecclesiam S. Michaëlis capitulo Agriensi confirmat: A. 1580. Privilegia Episcopatus Nitriensis confirmat 1583. In fauorem ecclesiae catholicae articulos comitaliter decernit: anno 1567—1569: nro 68. anno 1576—1604. nro 69. Pacem cum Bocskayo, medio Mathiae Archiducis, regnum Hungariae aucupantis conficit et subscribit, per duellibus amnistiam promulgat: nro 71. 72.

Stephanus Bocskay motuum et seditionis author: 1604. Eius insolentia A. 1605.

Sigismundus Rákóczy, Princeps Transilvaniae anno 1607. venumdator, pro Jesuitis regno interdictis, insigniter protestatur, nro 75. Status et Ordines etiam catholici: nro 76. Gab. Báthori vafer Sup. n. 12.

Mathias II. Rex Hungariae ante et post coronationem Posonii anno 1608. quosdam articulos religionem et ecclesiam catholicam concernentes edit: nro 77. et 94. Ob exclusam ex decreto clausulam: absque tamen praeiudicio catholicae religionis, totus Status Catholicus protestatur: nro 77. 79. Constitutione Viennensi non obstante ad dioetam sui coronationalem Patres S. J. Posonium euocat: nro 78. anno 1608. Ciuitati Szokolczeni, vt haeticum concionatorem a Bocskayo impositum exigant, nec haeresim apud se disseminari sinant praecipit. nro 83. cum hostibus fidei catholicae luctatur: nro 89. 90. Praepositurae Thurocensis bona a Jesuitis ex constitutione Viennensi adempta Franc. Forgách, A. Episcopo certa sub conditione confert: nro 91.

Sigismundus Bátory Princeps Transilvaniae tolerans: nro 75. 76. et anno 1609. 1610.

Ferdinandus II. R. H. pacificationem Viennensem se seruaturum obligat: nro 95. confirmat nro 100. Statui ecclesiastico bona obligata redimendi potestatem facit; ad eaque vltra haud abalienanda se, successoresque obstringit: nro 104. Articulos in bonum Religionis catholicae decernit A. 1619—1635. nro 101. et 102. In tutelam Religionis catholicae Academiam Jaurini fundat: nro 106. Fidem ac fidelitatem Sabariensium a seditiosis Bethlenianis multa passorum remuneratur: nro 111. In tesseram amicitiae filium suum cognominem Imperatorem electum Petro Pázmány perscribit: nro 112.

Ferdinandus III. ante coronationem grauibus se conditionibus subiicit; nro 104. Post obitum Patris comitia Posonium indicit: nro 113. Aatholicorum grauamina et Catholicorum responsa percipit: nro 114. Aatholicorum agendi rationem carpit nro 115. Ad publicae necessitatis obiecta tandem assumenda monet: nro 116. Praeposituram Thurotzensensem restitutam Collegio S. J. Tirnauiensi applicat: nro 117. his, qui nomine SS. et OO. Evangelicorum grauamina exhibuerant, respondet: nro 119. Pacificationem Lincziensem subscribere cogitur: nro 123. Euangelicis nonaginta Catholica templa, non plura cedi iubet: nro 126. 127. Diuersos Catholicis Fauores impertitur: nro 130. 131. 132. 133. Articulosque in patrocinium Religionis et Ecclesiae Catholicae condit: nro. 134.

Leopoldus I. Eperiesienses ob inobedientiam redarguit: nro 136, Aatholicis partes rebellium sectari prohibet: ibidem. Catholicis diuersos impertitur fauores: nro 137. 144. Religioni Catholicae in Transilvania oppressae etiam apud Michaëlem Apafy

consulit: nro 139. Sententiam a Judicibus contra ministros acatholicos, cum perduellibus conspirantes latam lenit, tum exequi iubet: n. 142. Szelepcsényio archiepiscopo Primatiales regni honores firmat, et assecurat: nro 146. 147. Pertractationem negotiorum comitialium vrget: n. 150. Fauores Protestantibus impertitur 153. Ad vulnera per Tököianos et Acatholicos illata medenda prouocatur nro 156. Liberum religionum in Transilvania exercitium statuit: nro 157. Quinque priuilegia Abbatiae S. Montis Pannoniae, a diuis praedecessoribus suis concessa roborat. A. 1691. Saeuitiei Caraffaianae auctor non est nro 158. alia eius decreta: 160. 161. 162. 163. 167. 171. 178. 184.

Fauores Ruthenis, Valachis vnitis, Bulgaris, ac Graeci ritus non vnitis liberum religionis exercitium impertitur nro 168. 169. 170. 172. 181.

Praelatis ius testandi, conuentionem eatenus nro 173. 187. De decimis ac bonis ecclesiasticis, neoaquisitis etiam restituendis votum soluit n. 174. Articuli ab eo in patrocinium rei catholicae conditi n. 174. 179. Fidelibus suis ciuibus Pest immunitates liberae ac regiae restituit et amplificat certa sub restrictione nro 188.

Josephus I. R. H. manifesto Rakocziano suum opponit; actionis execrabiles sequelas oggerit nro 190. Statuta Rakoczianorum Szechenyii, Onodini (Vide MSS. Kaprainai sub B. tomo XIX. nro 87. et 86.) rescindit et irritat: nro 191. Cum Rakoczianis obitum vsque luctatur: nro 194.

Carolus III. R. H. Seditonem sedatam extinguere, vulnera religioni catholicae illata sanare satagit: nro 195. 198. 206, 207. 220. — Fauores eidem diuersos impendit: nro 196. 197. Restaurat episcopatum Sirmiensem 206. Capitulum Chanad. 207. Ad postulata catholicorum in Transilvania respondet: nro 215. Articuli sub Carolo Rege in praesidium religionis et ecclesiae catholicae sanciti: nro 221

Mariae Theresiae R. H. in fauorem ac patrocinium religionis et ecclesiae catholicae decreta: nro 225. 229. 230. 231. 232. 233. 240. 251. Egentiae parochorum prouidendum statuit: nro 229. 247. Excessus cleri etiam catholici coércet: nro 239. Graeci ritus etiam non vnitis templa struenda assignat: 238. constitutiones eius circa festa fori: nro 241. 251. Circa Matrimonia mixta: nro 242. 243. 245. 246. 249. Circa Apostatantes: 225. 233. Circa Libertinos: 248. A Clemente VIII. PP. titulum Apostolici pro se, successoribusque Hungariae Regibus, obtinet; nro 244. Eadem Apostolica ex archiepiscopatu Strigoniensi tres nouos episcopatus, Scepusiensem, Neosoliensem, ac Rosnauensem excindit: nro 252. Episcopi Neosoliensis institutio: nro 253. Duos insuper episcopatus erigit: Albensem ac Sabariensem: 256. Ignatii Nagy Albensis Episcopi institutio: nro 257. Capitulum M. Colocense auget: 254. Eidem Archi-Capitulo ornamentum confert: 258. Praeposituram etiam veterem Nitriensem restaurat: 260. Graeci ritus Episcopis etiam non minora confert beneficia: 255. Dexteram S. Stephani a Ragusanis rehabitam, regno solenniter restituit, Budaeque locat; eo transfert etiam Tyrnauia Vniuersitatem a se restauratam: 259. Articuli in fauorem rei Catholicae M Theresia regnante sanciti: 262.

Josephus II. Augustus iura, libertates, et immunitates Regni Hungariae obseruatum se spondet: nro 263. Comitia indicenda edicit, et illa quae extra illa san-

xit, reuocat et irritat: 264. Bosnensem Ecclesiam prouentibus et Canonicis auget: 265. Capitulo etiam Quinqueecclesiensi consulit: 266. Res episcopatus Transil. in ordinem redigit 267. In rebus publico ecclesiasticis turbatis protestationem patitur 269. In politicis etiam innouatis 270. In patrocinium religionis et Ecclesiae catholicae, quaedam ex iis, quae patenti tolerantionali constituerat, restringit 268. Ratione Apostatarum quaedam fauorabilia constituit 270. Quoad conuerticula Latomorum ludicre se declarat 271.

Leopoldus II. R. H. Augustanae ac Helueticae Confessioni addictorum, patientibus Josephinis haud contentis, in negotio religionis quaedam fauorabiliter edicit nro 272. Statuum et OO. regni intercessionem patitur 273.

Francisci I. R. H. ad tollenda, aut alleuianda praeiudicia Josephinis et Leopoldino edictis religioni et Ecclesiae Catholicae illata, decreta fauorabilia edit nro 274. Sublatum a Josepho II. S. Benedicti Ordinem pro educatione iuuentutis restituit nro 275. Ordinem etiam S. et candidum Praemonstratensium 276. Ordinem Cisterciensem restaurat, ad munusque educationis vocat 277. Clericos Regulares Scholarum Piarum donatis Custodiatibus Albensis bonis prouidet 289. Penes Vniuersitatem regiam Pestanam Facultatem Theologicam centraleque Cleri iunioris Seminarium restituit 278. Nouos episcopatus erigit et fundat e peramplio Agriensi 281. Ita etiam e peramplio Graeci ritus Catholico Munkácsiensi 286. Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensi A. Ducem Ambrosium, nepotem suum dat Primatem et A. Eppum 285. Alexandro Rudnay Primati et A. Eppo Strigon. synodi Posonii celebrandae facultatem largitur 287. Oculas societas reprobatur et interdicit 279. Constitutiones eiusdem circa matrimonia mixta absque religionis Catholicae praeiudicio 280.

Ferdinandus V. R. Hung. circa proles e mixto matrimonio ortas tempestiue, ac solícite in religione Catholica educandas constituit nro 294—295. Prouisiones eiusdem aliae piaae 296. Circa transitum e religione catholica ad euangelicas, et Graecorum non vnitorum 202. 203. De nonnullis clericis domae educandis gratioso consentit: nro 204.

XI. Palatini, qui erroribus ac tumultibus se opposuerant:

Stephanus de Werböcz: nro 15.

Franciscus de Réwa Locumtenens: nro 38.

Sigismundus Forgách A catholicos ad ponendas bono pacis controuersias, frustra monet: nro 96. Diploma Regium cui religionis nomen diserte insertum publicat: nro 99. vltioribus concessionibus A catholicis faciendis intercedit: nro 120.

Paulus Eszterházy zelans pro religione Catholica sub Rege Josepho I. n. 182. 188. Nicolaus Eszterházy suppl. nro. 24.

Franciscus Draskovics. Ibid.

Franciscus Wesselényi. Ibid.

XII. Jura praerogatiuae Archiepiscoporum Strigoniensium, ac Regni Primatum publico politica: nro 26. 146. 147. 221. 262. Supplem. nro. 2.

XIII Archiepiscopi Strigonienses, ac Regni Primates.

Georgius Zathmár nouitiae Lutheri in Transilvania doctrinae occurrere sagit: nro 12. Magnam pecuniae summam ad munienda castra confiniaria legat: Anno 1525. art. 26. 27. 1526. art. 28.

Ladislaus Szalkan: erroribus Lutheri se opponit: nro 13. 14.

Paulus de Warda aduersus Lutherizantes zelat: nro 18. 19. 20. 21.

Nicolaus Olahus Archiepiscopus: nro 39. Eius merita: nro 46. 55. 56.

Antonius Werantius A. Ep. Strigon. sacrificat. A 1568.

Francisus Forgách, nomine totius Status catholici tum contra Pacificationem Viennensem, cum etiam decretum post coronationale a. 1608. protestatur: eo, quod haeresis non minus flagitium sit, et libertandum; quam alia diuinis legibus interdicta; neque faciendum malum vt eueniat bonum; falsae proin religionis libertatem ac protectionem legibus sençiri haud posse. 2) Principes Lutheranos et Calvinianos nullam in suis ditionibus religionem tolerare praeter suam. Ne proin sua Regia Apostolica Maiestas eos legibus stabili patiatur, sed contenta sit, tolerare quod non licet corrigere.“ Nro 79. Constitutio eius solennis aduersus Pseudo-Synodum Solnensem, Superintendentesque acatholicos: nro 84. Synodum prouincialem indicit: nro 85. Huius acta: nro 86. 87. 90. Praeposituram Thuróczensem se pro Jesuitis administraturum, redditurumque spondet.

Petrus Pázmán Archiepiscopus a Mathia secundo constitutus: nro 90. Nominine SS. et OO. Catholicorum grauamina, catholicorum complananda offert, ad in-criminationesque Aatholicorum respondet: nro 97. Protestatorias item Praelatorum contra Literas Palatini: nro 48. Fundat Seminarium et Academiam Tyrnauiæ n. 103. Joanni Thelegdy A. Ep. Coloc. Administratori Nitr. ius vsus pallii concedit: n. 104. Piam eorum, qui Cassouiae a Catholicis interemti sunt in fide constantiam Romam perscribit: nro 170. Jura regia declarat: nro 108. 109. 110. Collegium Societati Jesu Tyrnauiæ aedificat, ac fundat. anno 1635. n. 110. Jura et libertates Ecclesiasticas egregie vindicat — de regno et ecclesia optime meritus: n. 18.

Emericus Losi, ius Patronatus Regum Hungariae tuetur, et declarat. n. 122.

Georgius Lippay, milites voluntarie statuit nro 123. Synodum celebrat, Jesuitas inter vera Cleri Hungarici commembra numerat: nro 136. Petrum Parthenium Ep. Munkács. ordinat: nro eodem.

Georgius Szelepcsényi, in Judiciis Locumtenens regius contra Aatholicos nro 141. 143. 155.

Georgius Széchenyi, Fortalitia Strigoni, et Érsekujvár parato aere redimit nro 160. 161. eiusdem foundationes et dotationes amplissimae: nro 175. 176. 177.

Leopoldus a Kolonics, vna Cardinalis Ruthenos et Valachos in vnionem reducit: nro 168. 169. 170. conuentionem suo nomine dictam ratione substantiae a Praelatis relictæ a Leopoldo Rege obtinet et promulgat nro 173. 187.

Augustus Saxoniae Princeps contra Rakotzianos zelat: nro 192. 204.

Josephus de Battyán contra decreta, ac patentale edictum Joseph. II. in

politico ecclesiasticis inter cedit: nro 269. Non absimiliter contra proiectum legis in negotio religionis Leopoldinum nro 270.

Carolus Ambrosius Primas regni et A. Ep. Strigon. nro 285.

Alexander Rudnay Posonii synodum prouincialem celebrat: nro 287.

Josephus Kopácsy, Primas, sublato reuersalium quod est ad prolium e matrimoniis mixtis generatorum in catholica religione educationem, se ecclesiamque Hungaricam, disciplinae vniuersali iam accomodaturum in comitiis regni edicit n. 297. Sup. Vt compartibus Catholicis, iuris matrimoniis mixtis proles in acatholica religione educandi licentia detur, intercedit: nro . Intercessit non absimiliter: ne iisdem compartibus facultas fiat matrimonium coram ministris acatholicis contrahendi: nro . Instructio eius pastoralis circa copulationem eorum, qui matrimonia mixta in iuris n.

Archi-Episcopi Colocenses: Georgius Dráskovics, vna Ep. Jaurien. Cardinalis Cancellarius nro 67. Joannes Telegdy vna Nitrien. n. 66. Carol. Csaky, commissiones Pest. Praeses n. 203. Excell. C. Eszterházy commissionis insurrect. Praeses queruletur. Suppl. n. . Adam. L. B. Patachich Capitulum auget n. 254. Petrus Klobusiczky voto primatiali suffragatum n. 40—2. A Ep Colocens. ius Comitatus Bács recipit n. 171.

XIV. Episcopi.

Agrienses: Franciscus de Frangepan in concordia reuehenda incassum laborans anno 1541. pag. 63. Franciscus Vjlaki nro 39. Gubernator: Georg. Boda nro 44. Antonii Verantii merita: nro 52. 53. 54. s. n. 6. Stephani Radetii: a. 1580.— Stephanus Zuhai, Camerae regiae praefectus: nro 71. Emericus Losi vsum lacticiniorum et oueorum, tempore ieiunii, licitum republicat. A. 1636. Georgius Lippay Cancell. n. 115. Joannes Piber Bened. Kisdý S. n. 30. Stephani Telekesii sui iustificatoriae: nro 192. Ladislaus Pyrker Patriarcha A. Eppus voto Primatis in comitiis suffragatur n. Sup. 42.

Albae galensis Eppatus fundatur: 256. Ignat. Nagy primus Eppus institutus 257.

Bosnensis, al. Diakováriensis Eppatus prouentibus et Canonicis augetur: n. 265.

Cassouiensis Episcopus erigitur: nro 280. 281. Fundationales Episcopatus Cassouiensis nro 283. Collationales primi Episcopi Andreae Szabó: nro 284. — Antonius Ocskay voto Primatiali suffragatur nro 42.

Crisienses Episcopatus e Munkácsiensi separatus: nro 264.

Csanadiensis: Georg. Body vna Gubernator Agriensis: nro 44. Ladislaus C. Nádasdi et Adalbertus B. Falkenstein nro 214. 2. Episcopatus restauratus nro 262. Jos. Lonovics Suppl. n. 40—42.

Eperiesiensis Episcopatus e Munkácsiensi separatus: nro 286.

Jaurienses: Paul. Gregorianczy: n. 39 Steph. Mikatzius Cam. R. praefectus, exul. n. 71.—Zachar Delphin. Cardinalis: n. 66 Franc. C. Zichi: Suppl. n.

Magno-Varadiensis G. R. Catholicus episcopatus M. Varadini independenter constitutus nro 264. e Munkácsiensi amplificatus nro 286.

Munkácsiensis Episcopatus G. R. Catholicus: nro 47. 64. etc.

Munkáscienses: nro 1521. Item 1558. 1569. Petrus Parthenius nro 136.

Parem cum L. R. Episcopis dignitatem, ac potestatem consecuti nro 255.

Neosoliensis Episcopatus fundatur: nro 252. Neo erecti Ep. institutio: n. 253.

Nitrienses: Nicolaus Telegdy: nro 66. Zacharias Mosotsy Decretorum regni compiler p. 83. Franciscus Forgách contra pacificationem Viennensem protestatus: nro 72. Joannes Telegdy Administrator, vna Coloczen. A. Episcopus nro 105. Lad. Adam. C. Erdódy contra intimatum Consilii R. L. protestatus: nro 213.

Quinque-Ecclesienses: Antonius Verantius nro 39. Georgius Draskovich bene merius nro 6. et 46. Matthias Radonay nro 185. 188. Georgius Klimo, ius pallii archiepiscopalis pro se ac successoribus honorifice reobtinet: nro 240. Ignatius L. B. Szepesy Academiam Studiorum Quinqueecclesiensis fundat: n. 293. Joannes Scitovszky voto Primatis pro re catholica suffragatur: nro 303.

Rosnauiensis Episcopatus fundatur: nro 252.

Sabariensis Episcopatus fundatur: nro 256.

Scepusiensis Episcopatus fundatur: nro 252.

Sirmiensis Episcopatus restauratus nro 206.

Szathmariensis Episcopatus fundatur nro 281.

Transilvanienses: Paulus Bornemisza nro 39. 40. Episcopatus sub N. Mártonio restituitur n. 196. et 224. Sigism. Stoyka in quaestione matrimon. nro 235.

Vacienses: Blasius de Waradino Petri: nro 39. Mich. Frid. C. ab Althan, cardinalis dupplici protestatione pro libertate relig. cath. intercedit: n. 213. Feruens ipsius studium a Rege improbat 214. Franc. C. Nádasd suffragium Supp. n. 39. 42.

Varadiensis: L. R. Steph. Zaberminus: nro 39. Franciscus Forgách Scriptor a Rege Hungariae deficit: A. 1568. Georgius Bársony, contra A catholicos grauiter exostulans: nro 140. Augustin. Benkovics. nro 184. Ladislaus Kollonics Episcopus nro 261. Episcopatus in ordinem redigitur, partem honorum Episcopatus graeci ritus catholico cedit: 267. Francisci Lajcsák instructio Pastoralis, circa eos, qui matrimonium mixtum ineuntes, prolés suas in catholica religione educare renuant: nro 298.

Weszprimienses: Martinus Kechety, et Laskus a fide deficientes coniungantur nro 37. Joannes Liszthius rei literariae patronus nro 64. Georgius Lippai, vna Cancellarius nro 111. Martini Biró zelus, et iustificatio: nro 235. Suppl.

Zagrabienses: de religione catholica conseruatá bene meriti: Georgius Draskovics anno 1568. Eius zelus a Pio IV. PP. laudatus nro 63. Simeon Bartulics pariter nro 74, Benedictus Vinkovics nro 121.

Fogarensis Graeci ritus vnitorum fundatus n. . in Transilu. admissus n. 224.

XVI. Capitula Cathedralia.

Nicolaus Telegdi Praepositus et Vicarius in spiritualibus Strigoniensis appetitur, et suffragium Pontificis implorat contra violentiam sectariorum: nro 66. Capitulum Strigon. quamprimum Strigonium redeat, ibique continuum mansionem figant: nro 221. Augetur insigni 259. bonis nro 261. Supp. n. 5.

Capitulum Archiepiscop. Colocense: nro 244. 254. 258.

Cap. Albaregalense: 256.

Agriensis capit. aduersa a Sectariis a. 1580. E templo eiectio a. 1580. p. 106. Jaszonia Cassouiam translatio: n. 130. Jura sua sub commissione neoaquistica tuetur: n. 210.

Albense Capitulum in Transilvania restauratur: nro 197.

Bosnense restauratur; nro 265.

Cassouiense: 280. 281. 283.

Csanadiense cap. restauratum: nro 207. nro 9. 262.

Nitriense; nro 266.

Quinqueecclesiense: nro 260. 265.

Cap Transiluan. L. R. ius custodiendi archiua Albense, ac Kolosmonostorensis recipit: n. 224.

Capituli Warad. L. R. bona abalienata: 1566. Aszaló inscriptum 1615. Ecclesiae Warad. pro clenodiis aequivalens dandum: nro 221.

Capit. Zagrab. de fide catholica contra secretarios defensa bene meretur: n. 64.

XVII. Capitula collegiata.

Capitulum Albense restauretur: 1765. art. 10.

Capitulum Budense per totum regnum processit: P. II. tit. 21.

Capitulum Castriferrei fuit locus credibilis: 1573. art. 17. 1578, art. 20. 1588. art. 46, 1609. art. 52. 1647. art. 121.

Cap. Chasmense: 1662. art. 38. 1715. art. 113.

Cap. Cibiniense: vim, iniurias, technas, conuitia Lutherizantium aduersus catholicos detegit: nro 16.

Capituli Scepusiensis Praepositus Joannes Horváth de Lomnitza Lutherisans. Sectariorum Apologeta, depositus, ducta vxore Apostata: nro 31. 35. 37. P. Bornemisza zelosus: nro 72.

Capitulum Soproniense: nro 259.

Capitulum Poseniense Statum Ecclesiasticum contra praeiudicium libertati religionis catholicae protestatum fuisse attestatur: nro 82.

Cap, Tyrnau. nro 297.

XVII. Parochi.

Möllerus, Parochorum Scepusiensium senior Lutherizantibus se opponit: nro 36. Parochorum Scepus zelus et constantia: 45.

Parochis sedecima, et sustentatio congrua detur nro 180.

Parochus Viconiczensis fidei pugil: nro 186.

Par. Sáros via doctus Supp. n. 37.

Parochorum prouisio; nro 229. 247.

Parochorum munia quod est ad matrimonia mixta: nro 234. etc.

XIX. Ordinum Religiosorum de statu religionis et Ecclesiae catholicae publico merita.

Gregorii Coelii ex ordine Paulinorum, ad nouitiorum dogmatum praeconis Sophismata, docta responsio: nro 23. 25. ordo Paulinorum facultate doctoris creandi prouisa: nro 144. Restauratur n. 184.

Benedictini Abbatiae de Tapolcha per Sigismundum Balassa bonis omnibus exusti: n. 29.

Benedictini Archi Abb. S. M. Pannoniae, prouentibus decimalibus de Simigio per Valentinum Török de Enying priuati. Supp. n. 1. 31. A Leopoldo 1. restabiliti n. 31.

Benedictini restituti: n. 275.

Cistercienses elibertati, restituti, et ad rem literariam accomodati: n. 277.

Praemostratenses de Jászó testimoniales edunt: 1580. Rest. et scholis docendis praestituti: n. 276. Praep. de Varad. inter Magnates sessione ac voto pollet: n. 221.

Clèrici Regulares scholarum piarum in regnum istud, et partes eidem annexas, pro receptis, ac stabilitis habendi: n. 221. dotantur: n. 289.

Sacri ordines Cruciferorum cum rubra stella, Capucinatorum, Fratrum Misericordiae, Seruorum B. Virginis Mariae, Carmelitarum, Societas Virginum Vrsulinarum etc. in regnum recepti: nro 221.

Ordinis Praedicatorum seu Dominicani recepti nro 262.

Fratrum ordinis S. Francisci monasterium Jászberényi per Lutheranos succensum: n. 52. Cassouiam reponuntur; ac prouidentur: n. 131. Eperjesinum illocantur nro 136. Cassouiae templum recipiunt: n. 136. Debrecini locum obtinent: n. 221.

Societas Jesu in subsidium Ecclesiae catholicae introducta Sabariam anno 1579.—In Transiluaniam 1581. In Hungariam 1586. denuo Eius vicissitudines: n. 77. 78. 83. 1610. nro 91. 92. 93. 94. 100. Merita: 132. 133. 136. — Articulariter iam dudum recepti, inter SS. et OO. sessionem ac votum obtinent: n. 221. Etiam in Transiluaniam abmissi; n. 224. Supp. nro 10. 28. 30.

XX. Ciuitates.

In Transiluania: Cibinium: nro 7. 9. 14. 15. 33. 84.

Brassouia, alias Corona: 12. 14. 84.

In Hungaria superiori: Bartfa: n. 10. 11. 22. 38. 51. 169.

Eperiesinum: nro 41. 51. 159.

Leutschouia: nro 51.

Cassouia: nro 51. 53. 54.

Carpona; nro 51. 183.

Kesmarkinum: nro 143.

Debreczinum: nro 161.

In montana: Neosolium, al. Bisticze: 13. 15. 19. 20t 21. 38. 35.

Cremnitzium: nro 15. 55.

In inferiori; Posonium: nro 116. 141. 143.

Szakolcza: nro 83. 97. 123. Supp. nro 13.

Sopronium; nro 152.

Jaurinum: nro 88. 106. Supp. n. 39.

Tirnauiæ pedes figere nequeunt Protestantes: nro 61. 66. 90. 110.

Buda: Nec Budae: nro 13.

Pest: fidelis, contuberniis acatholicorum immunis: nro 188.

Agria: nro 44. 49. 50. 57.

Jászberény: nro 52.

Sabaria: nro 111.

FAUTORES REI LITERARIAE SACRAE.

Celsissimus ac RR. D. Princeps Primas, A. Episcopus Strigon. — cuius memoria in benedictione — exemplaria	40.
Exmus ac RR. D. Archiepiscopus Colocensis: exemp.	30.
Exmus RR. D. Episcopus Zagrabiensis exem.	40.
Exmus RR. D. Ep. Csanadiensis exemp.	30.
Exmus RR. D. Ep. Transiluan. exemp.	20.
Exmus RR. D. Ep. Quinqueecclesiensis exemp.	25.
Exmus RR. D. Ep. Szathmái. exemp.	12.
Illmus RR. D. Ep. Munkácsien. exempl.	30.
Illmus D. Ep. Jaurin. exemp.	25.
Illmus ac RR. D. Ep. Nitrien. exemp.	19.
Ill. ac RR. Dnus Sabarien.	20.
Ill. ac RR. Dnus Ep. Cassouien.	15.
Ill. ac RR. Dnus Ep. Eperiesiens.	15.
Ill. ac RR. Dnus Ep. Albaregal.	6.
V. Archi Capitulum Coloczense	10.
V. Cap. Weszprim.	12.
V. Cap. M. Varadinens. L. R.	10.
V. Cap. Nitriens.	10.
V. Cap. Quinqueecclesien.	10.
V. Cap. Vaciense	10.
RR. Dnus Abbas O. S. B. de Tihan	6.

MENDA GRAVIORA.

Pagina 112. linea vltima emenda: Grata res Deo facta christiani nominis.	
— 113. — 5. —	pepigit.
— 114. — 4. —	iure résisti.
— 117. — 22. —	1608.
— 197. — 41. —	exinanitae.
— 232. — 3. —	Paulus Okolicsányi.
— 236. — 6. —	1668.
— 249. — 3. —	Késmarkinum.
— 260. — 23. —	idcirco.
— 342. — 22. —	fatarum.
— 344. — 37. —	soluitur.
— 369. — 19. —	solennitates matrimoniales.
— 398. — 4. —	coram.